Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/summasanctithoma03bill

F. C.-R. BILLUART

SUMMA SANCTI THOMÆ

F. C.-R. BILLUART

SUMMA SANCTI THOMÆ

HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA.

EDITIO NOVA.

OPTIMÆ AUCTORIS SIMILLIMA
A MENDIS VERO VINDICATA NOTISQUE ILLUSTRATA CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS
RERUM SCILICET ET SCRIPTURÆ SACRÆ

Sub Augusto Nobilissimoque Patrocinio Illust. ac RR. DD.

J.-B.-J. LEQUETTE

Episcopi Atrebatensis, Boloniensis et Audomarensis.

TOMUS TERTIUS.

PARISIIS

Apud VICTOREM PALMÉ, Bibliopolam, 25, via dicta Grenelle-S.-Germain.

ROMÆ
LIBRARIA S. CONGREG. DE PROP. FIDE
Equ. MELANDRI, Soc.

BRUXELLIS
Apud J. ALBANEL, Bibliopolam
5, FORO LOVANIENSI, 5.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

NOV 24 1931

1353

SUMMA SANCTI THOMÆ

HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMODATA.

TRACTATUS DE GRATIA.

Circa gratiam fuerunt errores extreme oppositi. Quidam negarunt gratiam ne læderent liberum arbitrium, et hi fuerunt Pelagiani et Semi-Pelagiani: alii negarunt liberum arbitrium, ut adstruerent gratiam, quales sunt Lutherani, Calvinistæ et Jansenistæ.

DISSERTATIO I. PRÆAMBULA.

De variis Erroribus circa Gratiam.

D. Th. a Q. 109. ad Q. 114.

ARTICULUS I.

DE PELAGIANISMO.

Quidam Pelagianismi originem repetunt ab ipsa creatione mundi in ipso Lucifero et Adam prævaricatore, qui divinam independentiam æmulati, divinitatis imitationem propria virtute adipisci contenderunt; deinde a Judæis totam spem in lege, et ex ea suam justificationem reposcentibus, quos ideo Apost. ad Rom. et ad Galat. redarguit. Communiter autem primus Pelagianismi et plurium aliarum hæresum parens dicitur Origines: unde S. Hieronymus *Epist. ad Ctesiphontem*, vocat Pelagianismum doctrinæ Origenis *ramusculum*. Recensentur etiam inter hujus hæresis parentes Theodorus Mopsuestenus et Rufinus, a quo Pelagius et Cœlestius dicuntur errore imbuti. An fuerit iste celebris Rufinus Aquileinsis, an alter Syrus aut Palestinus, disputant eruditi; probabilius fuit aquileinsis.

§ I.

Synopsis historica Pelagianismi.

I. Fuit Pelagius natione Brito, sive Anglus, sive Scotus, sive Hibernus: ex S. Aug. epist 108 *ad Paulinum* et ex S. Prosp. *Carm. de Ingrat.* professione monachus : ex Mar. Mercat. *in Com.* et S. Aug. *de Hæres.* c. 88 non eo Monachatu cujus professores vel soli vivunt in eremis, vel in cœnobiis, sed in propria domo, veste ad pietatem composita; vocatur enim a Zozimo *in Epist. ad Episcopos Africæ,* laicus. Erat vir ingenii acuti, versuti et facundi, pietatem exterius præ se ferens, ita ut S. Aug. lib. 3 *de Peccat. merit.* c. 1 ipsum Sanctum et non parvo profectu Christianum dicat; sed intus *Liguritor,* cupediosus et obsoniorum condimentis maxime addictus, teste Isidoro Pelusiota Epist. 314 et Ororio *in Apol.* cap. 27.

II. Suæ Hæreseos nactus est Pelagius patronum et assertorem fervidum et effrontem Cœlestium, cujus patria ignoratur : nobili genere natum dicit Marius Mercat. Is perversitati pelagianæ propagandæ tantam navavit operam ut hujus sectatores etiam cœlestiani appellarentur. Alter insignis hujus hæreseos fautor et propugnator fuit Julianus, patria et episcopatu Eclanensis, Marmoris seu Marmorii Episcopi Capuani ex legitimo matrimonio ante Episcopatum filius, qui Pelagianismi a Zozimo damnati aperte et acriter defensionem suscepit : is fuerat prius S. Augustino charissimus, ut testatur S. Doctor Epist. 101. Hi tres fuere præcipui architecti et fautores Pelagianismi.

III. Suos errores disseminare cœpit Pelagius circa annum 405, 1° per discipulos et mulierculas, ut moris est apud hæreticos, ut ostendit S. Hier. Epist. *ad Ctesiphontem,* deinde per seipsum : Romæ degens edidit tres libros *de Trinitate* et *Commentaria in Epistolas* S. Pauli, in quibus non agnoscit traductionem peccati originalis nisi imitatione. Scripsit duas Epistolas ad Paulinum et Constantium Episcopos : primam anno 405 in qua videtur constituere gratiam in solo arbitrio : alteram anno 408 in qua præter liberum arbitrium aliquam gratiam admittit. Ex S. Aug. lib. 1 *de Grat. Christi* c. 53. Ibidem contigit quod cum quidam Episcopus, præsente Pelagio, referret hæc verba S. Augustini ex lib. *Confess. Da quod jubes, et jube quod vis:* his ita commotus fuit Pelagius, ut vix non litigaret cum isto Episcopo. Ex S. Aug. lib. *de Dono persev.* cap. 20.

IV. Gothis Italiam vastantibus, secessit Roma Pelagius cum suo Achate Cœlestio in Siciliam ineunte anno 409. Anno 411 relicta Sicilia profecti sunt Hipponem, hinc Carthaginem, ubi anno 412 Cœlestius cum apertius negaret peccatum originale, in Synodo ibidem congregata anathemate percussus est, et urbe pulsus in Asiam se transtulit, Pelagius in Palestinam. Illic hæresiarcha Joannis Jerosolymitani patrocinio fretus et ascitis pluribus discipulis suos errores latius et audacius sparsit. Anno 413 scripsit ad Virginem Demetriadem Epistolam adulationibus et erroribus refertam. Anno 415 duo Episcopi Galli Eros et Lazarus in Palestinam appulsi accusarunt erroris Pelagium. Congregata est synodus Diospoli, cui præfuit Eulogius Cæsariensis; in ea citatus et interrogatus Pelagius, quædam accusationis capita negavit, ad alia subdole et æquivocationibus respondit, ita ut episcopi nihil fraudis suspicati et intelligentes gratiam quam admittebat Pelagius esse eam gratiam quam intelligit Ecclesia Catholica, hæresi damnata, Pelagium innocentem errore facti pronuntiarunt, absentibus accusatoribus propter unius ægritudinem. Ex S. Aug. lib. *de Gestis Pelagii* cap. 1. Hanc Synodum approbare renuit Innocentius I. ex ejus epistola inter Augustinianas 96 eamque *miserabilem* vocat S. Hieron. Epist. 79, non quod errorem probaverit, sed quod Pelagius Patribus illuserit.

V. Anno 416 Orisius hispanus ex Palestina advenit Carthaginem, et illic congregatis præsulibus ob quædam ecclesiæ negotia obtulit litteras Erotis et Lazari accusatorum Pelagii : Patres iis lectis et recensitis quæ contra Cœlestium in priori Synodo acta fuerant, Pelagium et Cœlestium damnarunt : idem eodem anno præstitit synodus Milevitana sexaginta unius episcoporum. Utraque synodus gestorum relationen misit Innocentio I, ut ipse Sedis Apostolicæ auctoritate firmaret. Anno 417 Innocentius, congregato Romæ Concilio, errorem damnavit et auctores anathemati subjecit, nisi resipiscerent. Hac occasione dixit S. Aug. serm. 2. *de Verbis Apostoli* cap. 10 : « Jam de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est : Error utinam aliquando finiatur. »

VI. His commotus Pelagius, ad solitas artes confugit, litteras apologeticas dolo plenas et ambiguam fidei professionem Innocentio per Cœlestium destinavit. Antequam is Romam adveniret, moritur Innocentius. Zozimus ejus

successor dolosis litteris et ambigua fidei professione Pelagii et Cœlestii et eorum ficta protestatione adhærendi decretis Innocentii et corrigendi quidquid Sancta Sedes corrigendum judicaret, primum deceptus, Cœlestium benigne excepit, illius et Pelagii fidem commendavit, non tamen eos communioni restituit, nec ab hæreseos nota absolvit, donec de totius causæ statu certior fieret ab africanis, quorum judicium nimium præceps suspicabatur, et ad quos ideo duriores litteras dedit quod præpropere Eroti et Lazaro crediderint. At responsis Africanorum melius instructus et fraude detecta diem dixit Cœlestio ut synodo quam Romæ coegerat, se sisteret; verum ille aufugit et se examini subtraxit. In eum itaque et Pelagium condemnationis sententiam pronunciavit Zosimus, qua, errore deposito, perpetuæ pœnitentiæ subjiciebantur; quod si detrectarent, a communione fidelium arcebantur. Scripsit insuper Zosimus universis episcopis epistolam quæ appellatur *Tractatoria*, in qua conciliorum africanorum decreta adversus Pelagium et Cœlestium approbat, et sui prædecessoris Innocentii in eosdem sententiam confirmat. Eamdem *Tractatoriam* misit ad Honorium imperatorem Ravennæ degentem, petens ab ipso ut Cœlestius et omnes Pelagiani urbe expellerentur, et ubique haberentur hæretici, quod lubens præstitit Honorius edicto dato anno 418, et altero anno 419, quo ultimo insuper sanxit ut episcopi qui *Tractatoriæ* Zosimi non subscriberent, a suis sedibus ejicerentur. Annuere universi, exceptis novemdecim, inter quos eminebat Julianus eclanensis, qui exemplo huc usque in Ecclesia inaudito, appellaverunt ad concilium generale. Honorii vestigiis inhærentes ejus successores Constantius, Valentianus, Theodosius junior idem sanxerunt; ita ut Pelagiani Roma, Constantinopoli, Epheso, Palestina et ferme undequaque expulsi, nestorianis in aliquod sublevamen et patrocinium se junxerint, cum quibus una damnati fuerunt in concilio œcumenico Ephesino anno 431, a quo tempore delabi cœperunt, et pauci huc illuc dispersi in Occidente remanserunt.

§ II.

Varii status Hæresis Pelagianæ.

Præcipuus error Pelagii in hoc versabatur quod diceret hominem habere tantum a Deo possibilitatem seu facultatem boni, a seipso autem solo ejus usum seu voluntatem et actionem, sicque quod bene viveret magis sibi quam Deo debere; quia ex necessitate gratiæ ad bene operandum contendebat tolli liberum arbitrium. Alter ejus error præcedenti affinis erat quod peccatum originale soli Adæ nocuerat, et ad posteros non transiret nisi imitatione, sicque quod liberum arbitrium esset in illis æque sanum et æque potens ac fuerat in Adam innocente; tum ne si liberum arbitrium sauciatum agnovisset, coactus fuisset admittere necessitatem gratiæ medicinalis, tum quia non putabat posse stare libertatem sine æquali facilitate ad bonum et ad malum; ita ut prætextus servandæ libertatis fuit illi causa cur negaverit necessitatem gratiæ et peccatum originale.

Ab hoc duplici errore nunquam recessit Pelagius; in aliis autem minus constans, aliquando aliquid gratiæ concessit, prout necesse existimabat ad declinandam invidiam et subterfugienda catholicorum argumenta. Unde plures hujus hæresis status communiter distingunt theologi, sed varie admodum. Nos sic probabilius distinguimus.

Primus status fuit in quo Pelagius nullum interioris gratiæ auxilium agnovit, sed dixit liberum arbitrium ad bene vivendum et ad mandata Dei servanda sufficere; supponendo tamen mandatorum cognitionem sive per lumen naturale quoad præcepta naturalia, sive per legem et doctrinam exteriorem quoad mandata positiva; non enim possibilitas observandi præcepta subsistere potest, nisi ea per legem proponentem cognoscantur : non ergo, ut multi volunt, ab hoc primo statu exclusit Pelagius legem et doctrinam, nisi forte quod non statim ea nomine gratiæ insigniverit, quod tamen non multo post fecit, ut responderet catholicis ipsi exprobrantibus quod gratiam Christi penitus exploderet.

Id insuper evincitur hoc argumento : hic error pertinet ad primum statum hæresis pelagianæ quem docuit Pelagius in epistola adulatoria *ad Demetriadem* et in libris *de Libero arbitrio*, quemque damnavit synodus palestina : hæc enim peracta sunt in ortu Pelagianismi. Atqui Pelagius in epistola *ad Demetriadem* totus est in demonstrando hominem per legem et doctrinam instructum posse observare divina mandata : S. Aug. lib. *de Grat. Christi* cap. 3. refert hanc sententiam ex libris Pelagii *de Libero arbitrio*, gratiam Dei et adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura et libero arbitrio, aut

in lege atque doctrina constitui. Et synodus palestina hanc Pelagii assertionem damnavit : « Gratia Dei non ad singulos actus datur, sed in libero arbitrio est, et in lege atque doctrina : » Ergo.

Neque obstat quod S. Aug in lib. *de Gestis Pelagii* cap. 23. referat quod post synodum palestinam ipsi fuerat oblatus libellus Pelagii, in quo liberum arbitrium gratiam appelabat, non aperte ei conjungens legis adjutorium. Equidem non semper aperte exprimebat quod semper admittebat versutus hæresiarcha, ut a catholicis interrogatus, an aliud gratiæ auxilium agnoceret præter liberum arbitrium, illico responderet se præterea agnoscere legem et doctrinam. Cæterum hæc duo expresse memorantur in articulo 7. damnato a synodo diospolitana, quem retulimus.

Secundus status fuit in quo Pelagius præter liberum arbitrium, legem et doctrinam exteriorem, admisit aliquam gratiam interiorem, scilicet internas illuminationes quibus intellectus illustraretur et cognosceret quæ ipsi erant agenda,iisque ad ea moveretur objective. His internis illustrationibus adjungebat exempla Christi et remissionem peccatorum. Hæc patebunt ex dicendis modo.

Tertius status fuit in quo Pelagius catholicorum argumentis pressus et agitatus, videtur admisisse aliquid gratiæ interioris voluntatem afficientis, non ut absolute necessariæ, sed utilis tantum ad bonum opus faciendum, neque gratuito collatæ, sed naturæ meritis debitæ; de quo mox latius.

Sed quia circa hæc dissentiunt theologi, et revera quid versipellis hæresiarcha, verborum ambiguitate perpetuo usus, senserit, haud parum sit obscurum, et tamen nostra referat cognoscere quid gratiæ reipsa admiserit, plus enim admittere debemus quam ipse admiserit; ideo hæc accuratius expendenda sunt. Unde sit

§. III.

Quid gratiæ tandem admiserit Pelagius?

Cum ea quæ in hoc §. dicturi sumus petantur ex operibus SS. Hieronymi et præsertim Augustini adversus pelagianos, et hi diversa pro diversis temporibus censuerint, opportunum duxi hic annotare ordinem et tempus quo SS. doctores opera sua ediderunt.

Primus itaque contra pelagianos in aciem prodiit S. Hieronymus, anno 411; contra hos hæreticos scripsit *ad Marcellinum* epistolam 82; alteram 67, anno 412; *ad Ctesiphontem*, anno 415; *Dialogos inter Atticum et Critobulum*, anno 419; epistolas *ad Alipium et S. Augustinum*. Impugnat etiam hanc hæresim S. doctor in præfationibus ad libros quatuor *in Jeremiam*.

S. Augustinus, anno 412, scripsit contra pelagianos tres libros *de Peccatorum meritis et remissionibus;* eodem anno librum *de Spiritu et littera ;*

Anno 415, librum *de Natura et gratia ;*

Anno 417, Sermonem secundum *de Verbis Apostoli* post jam damnatum pelagianismum ab innocentio, ut constat ex his ejus verbis : « Jam de hac causa duo Concilia, etc. » ut supra §. primo ; eodem anno librum *de Gestis Pelagii ;*

Anno 418, duas epistolas *ad Sixtum Presbyterum,* qui postea fuit SS. Pontifex, quarum præcipua est 105 ; eodem anno, librum *de Gratia Christi*; circa id tempus libros *de Nuptiis et concupiscentia;*

Anno 420, quatuor libros *ad Bonifacium ;*

Anno 421, *Enchyridion ad Laurentium* et sex libros *adversus Julianum ;*

Anno 424, lib. *de Gratia et libero arbitrio;*

Anno 425, lib. *de Correptione et gratia ;*

Anno 428, opus imperfectum *contra Julianum,* quo tempore libris *Retractationum* incumbebat ; eodem anno, lib. *de Hæresibus ;*

Anno 429, libros *de Prædestinatione Sanctorum* et *de Dono perseverantiæ* adversus semipelagianos.

Obiit S. Augustinus die 28 Augusti anno 430.

Præmittendum hic breviter quod infra latius expendemus, gratiam interiorem aliam esse habitualem, qua nempe justi sumus, filii Dei adoptivi et hæredes Regni Cœlestis ; aliam actualem, qua movemur ad bonum. Et hæc est duplex : una pertinens ad intellectum, et est interior mentis illuminatio; altera ad voluntatem, et est Dei motio qua voluntas excitatur et inclinatur ad opus pietatis.

Suppono 1° Pelagium non negasse concursum simultaneum, quin nec de eo inter ipsum et assertores gratiæ fuisse controversiam. Cum enim ille concursus generalis sit indifferens et quodam modo jure naturæ omni agenti debitus, non pertinet ad quæstionem de gratuitis auxiliis : neque de illo negato Concilia et S. Augustinus unquam reprehenderunt Pelagium ; imo illum agnovisse hunc concursum eruitur ex S. Aug. lib. 2. *de Nuptiis et concupiscentia,* cap. 4, ubi refert pelagianos docere

quod « causarum secundarum efficientiæ potentia operationis Dei intervenit, omne quod est ea administrans virtute qua condidit. » Hæc autem operatio et virtus divina omni efficientiæ causarum secundarum immixta, est ipse concursus simultaneus. Nec obest quod S. Hieronymus, in Epist. *ad Ctesiphontem,* reprehendat pelagianos quod negarent nos egere auxilio Dei ad singulos actus, ut ad curvandum digitum, ad movendum pedem, etc.; id enim intelligitur de concursu prævio applicante, non concomitante.

Suppono 2°, ut certum et omnibus notum pelagianos admississe gratias actuales morales exteriores, scilicet legem et doctrinam atque exempla Christi. Quæstio itaque est, utrum admiserint, 1°. Gratiam habitualem, 2°. Gratias actuales interiores ex parte intellectus, 3°. et tandem gratias actuales interiores ex parte voluntatis.

Dico 1°. Pelagiani admiserunt gratiam habitualem, sed non quemadmodum admittenda est. Est contra Suarem et Honoratum Tournely.

Prob. prima pars: quamvis pelagiani non usurpaverint hanc vocem *Gratia habitualis,* admiserunt tamen præcipuos characteres et effectus gratiæ habitualis : ergo. Prob. ant. Pelagius, in Commentario in cap. 5. *Epist. ad Rom.*, agnoscit « peccata dimitti abundantia donationis Spiritus Sancti, ac justitiam per Baptismum donari. » In cap. 3. *Epist. ad Tit.*, ait « Baptismum vocari ab Apostolo lavacrum renovationis Spiritus Sancti, quia nos Spiritus Sanctus per Baptismum renovavit. » Apud S. Aug. lib. *de Gratia Christi*, c. 38., idem Pelagius asserit « nos instaurari per Gratiam Christi et in meliorem hominem renasci. » Et lib. 1 cont. Julianum c. 6. pelagiani docent parvulos esse baptizandos non tantum ut sint justi, sancti, filii, hæredes, cohæredes et membra Christi, « sed et templum, et non tantum templum, sed et organa Spiritus » quæ sunt verba S. Chrysostomi, et infra ejusdem verba iterum usurpantes : « Hac de causa infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint. Et Julian. apud eumdem S. Aug. lib. 1. *operis imperfecti*, c. 52., ait : « nos igitur in tantum gratiam Baptismatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate : sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus et humanorum statuum diversitatibus, una, tam remediorum collatrice quam munerum virtute medicatur. Et l. 2. ejusdem operis, c. 212. « Gratia autem, inquit, infusa semel, uno virtutis suæ impetu, atque compendio, diversa et plurima delet crimina. » Atqui efficere homines justos, sanctos, filios Dei adoptivos, fratres Christi, hæredes et cohæredes Regni, renovare, instaurare, habere annexa dona, virtutes, remedia pro sanandis diversis infirmitatum generibus, sunt præcipui characteres et effectus gratiæ habitualis; ac tandem esse donum infusum diversa delens crimina, est ipsissima gratia habitualis : ergo.

Respondet Tournely ista equidem omnia cum a viris catholicis et non suspectis proferuntur, catholicorum more esse intelligenda, sed apud fraudulentos hæreticos pelagianos gravissima latentis erroris suspicione laborare. Dicit itaque eos his verbis nihil aliud intelligere quam externam peccatorum condonationem et externum Dei favorem atque deputationem ad Dei cultum et Regnum.

Sed contra 1°, hæc responsio est mere gratuita et nullo fundamento nixa : non enim unquam sive a consiliis africanis sive a S. Augustino, accusati sunt pelagiani quod absolute negarent gratiam habitualem, nec de ejus necessitate fuit inter ipsos et catholicos controversia, sed de gratia operis seu actuali, ut fatentur communiter theologi et ipse Tournely §. : *Quæ fuerit illa gratia,* etc. Quamvis ergo de gratia actuali fraudulenter fuerint locuti, non est ratio cur eadem fraus ipsis imputetur quantum ad gratiam habitualem, de qua non erat questio.

2°. Si pelagiani his verbis magnificis quæ juxta Tournely in sensu obvio et apud catholicos important gratiam habitualem, eam verbotenus admisissent, re autem negassent, hanc fraudem ipsis exprobrasset S. Augustinus, sicut sæpe ipsis exprobavit quod gratiam actualem verbotenus admitterent, re autem negarent, eam constituendo in libero arbitrio, in lege atque doctrina : atqui id nunquam exprobravit pelagianis S. Augustinus, sed tantum Julianum reprehendit quod cum gratiam baptismalem admitteret, quæ est ipsa gratia habitualis, primo doceret eam adultis dari ex meritis; secundo quod nihil conferret virtutis ad cavenda peccata futura, sed cum ea posset homo sine peccato per solum arbitrium vivere: tertio quod parvulis conferretur ut meliores

efficerentur, non ut a peccato originali mundarentur ; hæc enim tria continuo urget S. Augustinus in utroque opere *contra Julianum* et in 4. lib. *ad Bonifac. cont.* 2 *Epist. Julian.* Ergo non errabat Julianus quod gratiam habitualem negaret.

3° Imo ita eam admittebat ut ipsi S. Augustino exprobret quod eam non satis plene agnoscat, sed labefactet docendo per eam non tolli concupiscentiam. Cui objectioni respondens S. Augustinus lib. 6. *contra Jul.* c. 5. et lib. 3. *ad Bonifac.* c. 3 exprobrationem non regerit Juliano ut par erat, si ipse verbotenus et non re eam agnovisset, sed ostendit tantum ex S. Scripturis gratiam baptismalem non ita perfecte conferri, ut omnem auferat infirmitatem. Ex quibus luce clarius fit Julianum admississe gratiam habitualem.

Neque juvant Tournelium quidam textus quos citat ex S. Aug. lib. *de Grat. Chr.* c. 38 l. 6. *cont. Jul.* c. 23, ubi dicit pelagianos per gratiam qua instauramur et renascimur intelligere duntaxat remissionem peccatorum : etenim gratia peccatorum remissiva est vera gratia habitualis; reprehendit itaque pelagianos S. doctor quod vellent hanc gratiam ita valere ad remissionem peccatorum præteritorum, ut nihil conferret « ad vitanda peccata » futura « et desideria vincenda carnalia. » Sunt ipsiusmet S. Augustini verba in ipso textu quem profert Tournely.

Dices : pelagiani negabant nos salvari per subministrationem virtutis, ut patet ex S. Aug. lib. *de Grat.* c. 6. epist 95. et alibi : atqui gratia habitualis est subministratio virtutis: ergo.

Resp. dist. maj. : pelegiani negabant nos salvari per subministrationem virtutis quæ sit gratia actualis ad concupiscentias et tentationes vincendas, conc. maj. Hoc unum S. Augustinus imputat pelegianis locis citatis : videantur. Negabant nos salvari per subministrationem virtutis quæ sit donum infusum peccata delens, hominem justificans, adoptans, conferens jus ad regnum, neg. maj. Ad cujus sensum distincta minori, neg cons. Duo ergo per subministrationem virtutis possunt intelligi : primo et proprie gratia actualis ad bene operandum ; secundo paulo latius gratia habitualis infusa peccatorum remissiva. Primum negarunt pelagiani, non secundum.

Inst. : pelagiani negabant actus supernaturales et virtutes infusas : ergo et gratiam habitualem illorum et istarum radicem.

Resp.: omisso ant., neg. cons. In sensu enim pelagianorum ad aliud conferebatur gratia habitualis, quam ut esset causa radicalis virtutum et operationum supernaturalium, scilicet ut tolleret peccatum, naturam instauraret, adoptionem, fraternitatem Christi et jus ad Regnum conferret.

Omisi ant. quia pelagiani non negabant absolute actus supernaturales, id est actus a voluntate divinitus elevata procedentes; admittebant enim naturalem possibilitatem adjuvari divinitus, ad sic facilius operandum, quam tamen facultatem posset homo naturaliter mereri et ea pro libitu uti. Similiter tandem admiserunt virtutes infusas ad facilius credendum, sperandum, etc. ut patet ex verbis Juliani supra citatis.

Secunda pars conclusionis patet ex dictis : ille enim non admitit gratiam habitualem, quemadmodum admittenda est, qui dicit illam dari meritis naturæ et valere tantum ad ornatum animæ, instaurationem naturæ et ad remissionem pecatorum præteritorum, non ad cavenda futura ; neque aliquid conferre ad vincendas tentationes et ad operandum supernaturalitater : atqui sic pelagiani admittebant gratiam habitualem, ut probavimus supra ex S. Aug. et iterum patet ex eodem Hæres. 88. ubi dicit quod Pelagius doceret non a Deo « accipere, sed a seipsis homines habere gratiam qua liberamur ab impietate et hanc secundum merita nostra dari. » Et lib. *de Nat et grat.* c. 34., ubi scribit Pelagium asserere in hoc positam esse gratiam Christi « ut ignoscat commissa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda. » Unde S. doctor cap. 30. *de Gratia Christi,* « istam quippe gratiam, inquit, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum Sanctum qui datus est nobis, in Pelagii et Celestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos inveni , quemadmodum confitenda est, confiteri. »

Colliges ex dictis quantum a vero aberrat vir aliunde eruditissimus Thomassinus, Oratorii Jesu presbyter, dum in opere gallice scripto, *Memoire sur la grâce,* dicit præcipuam concertationem inter S. Augustinum et pelagianos fuisse de gratia habituali : præter namque dicta quibus hæc opinio abunde confutatur, addo sequentia : 1° Gratia, de qua S. Aug. contra Pelagium, est necessaria ad singulos actus pietatis, ut continuo urget s. doctor : atqui talis non est gratia habitualis, cum ante illam eliciantur actus fidei, spei, etc., quibus disponitur peccator ad gratiam habitualem : ergo. 2° Gratia a S. Aug. propugnata adversus Pela-

gianos, ea est quæ justis aliquando non conceditur, lib. 2. *de Peccatorum meritis* c. 19. Item in qua perseverantes a non perseverantibus distinguntur, lib. *de Dono perseverant.* Item quæ justis adhuc necessaria est et imploranda ad vincendas tentationes, ex locis citatis. Item qua Deus corda hominum indeclinabiliter in bonum convertit, et quæ de nolentibus facit volentes, ut passim docet S. Aug. Atqui hæc non gratiæ habituali sed actuali competunt : ergo.

Dices cum laudato Thomassino : 1°. S. Augustinus tribuit gratiæ, a se adversus pelagianos propugnatæ, effectus qui competunt gratiæ habituali, ut quod a peccato liberet, justificet et filios Dei adoptivos efficiat. 2°. Eam vocat passim charitatem diffusam in cordibus nostris, hæc autem est donum habituale. 3°. Dicit eam esse communem parvulis et adultis, quod soli gratiæ habituali, non actuali cujus non sunt capaces parvuli, competit. 4°. Dicit quod nulli debeatur et quod sit fructus redemptionis Christi, non munus Creatoris ; motio autem actualis primi moventis quodam jure debetur ei in quo præexistit habitualis dispositio ad illam, et a Creatore descendit : ergo.

Resp. ad primum, quod cum gratia actualis disponat ad habitualem habendam et eam habitam perficiat et conservet, quidquid habitualis facit formaliter, actualis præstat efficienter; unde iidem effectus sub hac diversa ratione utrique tribuuntur. Ad secundum, resp. S. Augustinum nomine charitatis comprehendere non solum donum habituale, sed quascumque pias affectiones, quæ etiam a Deo diffunduntur in cordibus nostris. Ad tertium, resp. S. Augustinum, nomine gratiæ actualis, non solum intelligere motionen actualem qua voluntas inclinatur ad opus bonum, sed omne beneficium quo Deus ad justificationem perducit et in ea perseverare facit : unde pro gratia actuali reputat, quod parvulo antequam moriatur, Baptisma conferatur, quod minister adsit, quod parentes offerant, etc. Ad quartum, resp. gratiam actualem non esse præcise motionem generalem qua Deus ut Creator et primum movens applicat omnia agentia ad actum, licet eam includat, sed specialem ex meritis Christi derivatam, qua cor a creatura ad Deum convertitur, qua contra tentationes protegitur, et ita in bono firmatur ut perseveret. Insuper, ut mox monui, S. Augustinus sub nomine gratiæ actualis comprehendit quæcumque conducunt ad salutem, ut quod ipse moriatur antequam cadat, quod alter vivat donec resipiscat, etc.

Dico 2°. Pelagiani in secundo statu suæ hæreseos admiserunt gratias actuales interiores ex parte intellectus, scilicet internas revelationes et mentis illustrationes. Est contra Lessium et quosdam alios.

Prob. ex S. Aug. lib. *de Grat. Christi,* cap. 7. ubi cum Pelagio objecisset ipsum gratiam in lege atque doctrina tantum reponere, inducit Pelagium sic respondentem : « Et tanquam explicaturus Pelagius quam dicat gratiam, secutus adjunxit dicens, quam nos, non ut tu putas, in lege tantummodo, sed et in Dei esse adjutorio confitemur.... Adjuvat nos, inquit, Deus per doctrinam et revelationem suam dum cordis nostri oculos aperit ; dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat ; dum diaboli pandit insidias ; dum nos multiformi et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat. » Et cap. 10. « Operatur, inquit, in nobis Deus velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos.... futuræ gloriæ magnitudine et præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est. »

Neque obstat quod S. Augustinus post verba relata capitis septimi subjungat : « In his omnibus non recessit Pelagius a commendatione legis et doctrinæ. » Nomine enim doctrinæ s. doctor non solum intelligit eam quæ exterius proponitur, sed etiam eam quæ interius traditur per revelationem et illuminationem internam, quia utriusque est idem munus et officium: doctrinæ enim exterioris officium est instruere de his quæ a nobis agenda sunt, non tamen præbere vires ad agenda ; et quia id præcise præstat illustratio interior, ostendendo scilicet quid agere debeamus, sed non conferendo vires ut agamus, ideo munere et officio non differt a lege et doctrina. Unde S. Aug. cap. 10. « Ad doctrinam, inquit, pertinet etiam quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. »

Confir. S. Aug. cap. 9. et 10. observat ex verbis Pelagii citatis in probatione conclusionis, gratias morales duplicis generis, scilicet legem et doctrinam exterius propositam et revelationem Sapientiæ qualis facta fuit S. Paulo, quæ indubie fuit interna, docet que neutram sufficere ad adstruendam veram gratiam Christi. Unde infert cap. 12. requiri gra-

tiam non solum qua facienda novimus, sed etiam qua cognita faciamus ; Et cap. 24. sic concludit contra pelagianos. « Legant ergo et intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus (ecce gratiam moralem externam) sed interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes (ecce apertissime gratiam moralem internam, nempe revelationem causatam occulta, interna, mirabili potestate in corde) sed etiam bonas voluntates. » Ecce gratiam internam physicam et efficientem : ergo manifestum est juxta S. Augustinum pelagianos admisisse gratiam moralem tum internam tum externam, et eos tantum errasse circa gratiam bonæ voluntatis efficientem et physicam.

Dices : SS. Patres et Concilia quæ damnaverunt Pelagium, dicunt eum nunquam admisisse veram gratiam Christi : atqui internæ illustrationes sunt vera gratia Christi : ergo.

Resp. dist. maj. Dicunt eum nunquam admisisse veram gratiam Christi simpliciter et adæquate, sicut admittenda est, con. maj. Secundum quid et inadæquate, neg. maj. Ad hunc sensum, dist. min. Internæ illustrationes sunt gratia Christi secundum quid et inadæquate, con. min. Simpliciter et adæquate, qualis admittenda est, neg. min. Ultra enim gratiam internæ illustrationis qua novimus quid sit agendum, est altera et principalis gratia voluntatis qua facimus quæ agenda novimus ; et hanc esse necessariam nunquam agnovit Pelagius.

Petes utrum pelagiani has gratias morales ex parte intellectus admiserint ut simpliciter necessarias ad posse, an solum ut utiles et ad facilius posse.

Resp. rem videri dubiam.

Ex una parte videntur eas admisisse ut simpliciter necessarias : Quia 1°. si pelagiani non admisissent illas illustrationes internas ut necessarias ad posse, sed solum ad facilius posse, frustra S. Aug. tantum laborasset ut ostenderet illas non recedere a lege et doctrina, sed compendio rem absolvisset, dicendo pelagianos non admittere gratiæ necessitatem. 2° Quia S. Aug. lib. 1. *de Grat. Christi* c. 6. dicit de Pelagio : « Sed ne nihil de gratia docuisse videretur adjunxit dixitque possibilitatem gratiæ semper adjuvari auxilio, non autem ipsam operationem : quod si dixisset, non abhorrere a doctrina apostolica videtur. » Admittebat ergo necessariam esse gratiam ex parte intellectus et potentiæ, et supererat tantum ut admitteret esse necessariam ex parte voluntatis et operationis. 3°. Quia cap. 41. ejusd. libri, dicit Pelagium docere adhibendas esse orationes ad impetrandam hanc gratiam intellectus : ergo existimabat esse necessariam. 4°. Quia ibidem cap. 3. et 5. Pelagius juxta S. Augustinum requirit istud auxilium ad posse, quia posse est invalidum et infirmum : ergo requirit ut necessarium. 5°. Tandem quia ibidem cap. 10. dicit Pelagium illud Apost. ad Philipp. 2. : « Operatur in nobis velle quod bonum est, » intelligere « dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne bonum. » Alibi autem non negaverat internam revelationem esse utilem et ad facilius posse, sed esse simpliciter necessariam : ergo hic agnoscit necessariam, et talem exigebat dictum Apostoli.

Ex alia parte videtur Pelagium has motiones morales ex parte intellectus admisisse, non ut simpliciter necessarias ad posse, sed tantum ad facilius posse. Quia 1°. S. Aug. l. *de Grat. Christi* c. 7. quærens quodnam sit istud auxilium quod Pelagius requirit ad facilius posse, dixit esse internas revelationes. 2°. Quia ibid. cap. 40. postquam dixit Pelagium « velle nos adjuvari gratia Spiritus Sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed ut facilius resistamus, » subdit : « Quod tamen qualecumque et quantulumcumque adjutorium, eum credibile est in hoc constituere, quod nobis addatur scientia revelante Spiritu per doctrinam, quam vel non possumus, vel difficile habere possumus per naturam. » Et hæc eruit s. doctor ex epistola *ad Demetriadem.* 3°. Quia ibidem cap. 41. cum dixit gratiam Pelagii pertinere ad doctrinam, ut qua via, per quam ambulare debemus, demonstretur, subjungit : « Quamvis et ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura sed facilius si adjuvet gratia. »

Scio quosdam recentiores solvere hunc nodum dicendo gratiam interioris illuminationis posse considerari dupliciter, vel ex parte objecti quod intellectui absolute aut clarius proponitur, vel ex parte intellectus qui ad assentiendum vel credendum elevatur et corroboratur : Pelagium autem equidem admisisse gratias interioris illuminationis ex parte objecti ut simpliciter necessarias ad posse, sed ex parte intellectus ut utiles tantum et ad facilius posse. Ita noster Gonet et partim Tournely.

Verum per istam gratiam ex parte intellec-

tus vel intelligunt piam motionem voluntatis ad determinandum intellectum ut assentiatur aut credat revelatis obscuris (evidentibus enim necessario assentitur) vel lumen infusum intellectui, quo percipiat ea quæ ipsi proponuntur. Si primum nihil ad rem, ista enim pia motio voluntatis pertinet ad gratiam operis et voluntatis, de qua non est hic quæstio, sed infra. Si secundum : contra est 1°. Nullibi legimus in S. Augustino Pelagium adhibuisse hanc distinctionem metaphysicam in revelationibus internis. 2°. Quia Pelagius aperte expressit hanc gratiam ex parte intellectus, seu lumen infusum « per oculorum cordis apertionem et per multiformem gratiæ illuminationem ; » quid est enim aperire oculos cordis aut illuminare intellectum, nisi lumen ipsi infundere ut cognoscat quæ ipsi objiciuntur. 3°. Quia nisi ita esset, non magis forent utiles istæ illustrationes ex parte objecti, quam si corpus perfecte illuminatum objiceretur oculis cæci.

Forte itaque verius solvitur dubium dicendo vel S. Augustinum in textibus secundo loco propositis respexisse ad primum statum hæresis pelagianæ, in quo Pelagius solam legem et doctrinam exteriorem reputabat necessariam, internam vero tantum utilem et ad facilius ; vel ipsum hæresiarcham pugnantia locutum fuisse, ut agnoscit ipse S. Aug. cap. 37. ejusdem libri his verbis : « Istam sane legi (Epistolam *ad Demetriadem*) mihique pene persuaserat hanc illum gratiam, de qua est quæstio confiteri ; quamvis in multis ejus opusculi locis sibi ipse contradicere videretur. »

Dico 3°. Pelagiani admiserunt gratiam possibilitatis, seu quæ dat posse : in quo autem eam reponerent, an in sola lege et doctrina sub quibus continentur aliæ gratiæ morales ex parte intellectus, an in aliquo alio ampliori adjutorio, incertum est.

Prob. prima pars ex S. Aug. lib. *de Grat. Christi* cap. 2. 4. 5. etc. ubi docet Pelagium hæc tria distinxisse, possibilitatem, voluntatem seu volitionem et actum, solam vero possibilitatem adjuvari a Deo, non alia duo. « Denique, inquit de Pelagio cap. 3. gratia Dei non ista duo quæ nostra omnino vult esse, id est voluntatem et actionem, sed illam quæ in potestate nostra non est, et nobis ex Deo est, id est, possibilitatem perhibet adjuvari, tamquam illa quæ nostra sunt, hoc est voluntas et actio, tam sint valentia ad declinandum a malo et faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant. Illud vero quod nobis ex Deo est, id est possibilitas, tam sit invalidum, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio. »

Et cap. 4. sequenti sic Pelagium inducit loquentem : « Nos sic tria ista distinguimus.... primo loco, posse statuimus, secundo, velle, tertio esse : posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est, posse ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit ; duo vero reliqua, hoc est, velle et esse ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt : ergo in voluntate et opere bono laus hominis est, imo et hominis et Dei qui ipsius voluntatis et operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio : quod vero homo potest velle bonum atque perficere solius Dei est. » Et cap. 5. ejusdem libri idem s. doctor de eodem Pelagio loquens sic ait : « Possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta subtilitate curavit distinguere, ut quandocumque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjutorium confiteri, sive in lege et doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quod loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quam sentit. Scire quippe debemus quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo ; tamquam hoc sit infirmum quod ipse Deus posuit in natura : cætera vero duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma et fortia et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio : et ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle et agere valeamus. » Denique s. doctor cap. 47. totam gratiæ controversiam ad hoc unum reducit ut Pelagius præter auxilium possibilitatis quod admittebat, voluntatis etiam et actionis auxilium admitteret : « Si ergo, inquit, consenserit nobis non solum possibilitatem in homine.... sed ipsam quoque voluntatem et actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur. » Ex quibus evidenter habemus pelagianos admisisse gratiam possibilitatis seu quæ dat posse.

Sed quædam in his testimoniis observanda sunt : primum, gratiam possibilitatis, de qua hic est sermo, non esse eamdem cum illa quam Pelagius alibi admittit ad facilius agere et ut datam meritis nostris, ut existimat doc-

tissimus quidam recentior, siquidem gratia possibilitatis quam hic admittit Pelagius semper adsit antequam operemur, adeoque antequam mereamur, et detur nobis, quia posse nostrum est *invalidum et infirmum,* ut patet ex dictis, ideoque necessario requiratur.

2°. Observandum est (et est secunda pars conclusionis) incertum esse an istud auxilium possibilitatis in solis gratiis moralibus, quæ intelliguntur per legem et doctrinam, reposuerit; an in aliquo ampliori auxilio, afficiens physice voluntatem. Istud dubium oritur ex his S. Aug. verbis citatis lib. *de Grat.* c. 5. « Quocumque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjutorium confiteri, sive in lege et doctrina, sive ubilibet constituat. » Et ex his cap 14. « Venire posse ad Deum in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modo dicere cœpit in gratia, qualemlibet eam sentiat. » Ex quo manifestum est non constitisse S. Augustino quid intelligeret Pelagius per auxilium possibilitatis, an solas gratias morales, an aliquid amplius.

Observandum 3°. quod cum gratia sufficiens quæ dat posse, apud catholicos admittat latitudinem, ita ut alia det posse remotum, alia proximum et expeditum, alia sit sufficiens in suo genere, alia sufficiens in omni genere possibilitatis, etc. videatur certum pelagianos admisisse saltem gratiam sufficientem remote in suis gratiis moralibus qua externis qua internis. De gratia vero sufficiente proxime et complete, eo gradu incertum manet, quo incertum esse diximus ex S. Aug. an ultra gratias morales aliquod amplius adjutorium ad voluntatis possibilitatem requisierit; ut enim voluntas censeatur proxime et complete potens, non sufficit gratia moraliter movens, sed requiritur gratia ipsam voluntatem physice afficiens, elevans et proportionans actibus supernaturalibus: nisi forte solvatur dubium ex verbis S. Aug. supra citatis cap. 47. lib. *de Grat.* in quibus nihil exigit a Pelagio ad gratiam possibilitatis ultra id quod admittebat, sed totam controversiam devolvit ad hoc unum, ut etiam voluntatis et actionis gratiam ut necessariam et gratuitam admittat. Unde posset inferri juxta S. Aug. Pelagium admisisse veram et completam possibilitatem voluntatis, adeoque gratiam proxime sufficientem, quovis tandem modo eam explicaret: idque probabile nobis videtur.

Gravior est difficultas utrum tandem pelagiani in ultimo suæ hæreseos statu admiserint gratiam voluntatis et actionis ? Obstare videntur quæ in hac conclusione adduximus S. Augustini testimonia ex lib. *de Grat. Christi*: suadent e contra gravia alia ejusdem s. doctoris testimonia: quapropter ad eorum et contrariarum in hac materia opinionum conciliationem.

Dico 4°. Probabilius est pelagianos variis catholicorum argumentis et Ecclesiæ condemnationibus ubique agitatos tandem admisisse gratiam operis et voluntatis quæ facit bene velle et bene operari; sed falsis suis interpretamentis vim ejus evacuasse, quod nempe contenderent 1°. eam non esse absolute necessariam ad bene volendum et agendum, sed tantum ad facilius et perfectius volendum et agendum; 2°. eam non dari gratis, sed bonæ voluntatis meritis retribui: unde diverso sensu recte dici potest eos admisisse et non admisisse hanc gratiam.

Prob. Variis S. Aug. testimoniis. 1°. Lib. jam sæpe citato *de Grat. Chr.* cap. 23; fatetur Pelagium admisisse tandem « magnum adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum quo voluerit Deus ipse declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium, inquit s. doctor, sicut iste desipit, tunc meremur, cum sine illo adjutorio non nisi de arbitrii libertate ad Dominum currimus.» 2°. Serm. 13. *de Verbis Apost.* cap. 12. « Coarctati sunt aliquando gratiam confiteri et benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt: accedendo enim proficere potuerunt et ad id quod vere rectum est parvenire. Jam vero dicunt adjutricem esse gratiam Dei ad facilius faciendum. Ista sunt verba eorum. Ad hoc dedit, inquiunt, Deus gratiam suam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, facilius implere possint per gratiam; velo facilius, remo difficilius, et tamen remo itur, jumento facilius, pedibus difficilius, sed tamen et pedibus pervenitur. » 3°. Lib. *de Grat. et lib.arbit.* scripto sex annis post librum *de Grat. Christi,* scilicet anno 424. dicit s. doct. cap. 14. « Cum fuerint convicti non defensores sed inflatores et præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, peccatum non dominetur: cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt ut quomodocumque conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum me-

rita bonæ voluntatis datur, quia bona voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei. » Nihil his verbis expressius, ex quibus palam est pelagianos tandem convictos non sufficere legem et doctrinam sub qua continentur omnes gratiæ morales, nec remissionem peccatorum, tandem admisisse gratiam qua lex *impleatur,* qua natura *liberetur,* qua *peccatum non dominetur,* per *quam tandem bene operemur,* quæ est ipsissima gratia operationis et efficax ; quamvis in hoc errarent quod vellent eam dari meritis bonæ voluntatis et ad facilius tantum. Tandem S. Aug. lib. *de Dono persev.* quem anno 429 sub finem vitæ scripsit, cap. 2. errores pelagianorum ad tria tantum capita reducit, quorum nullum negat gratiam operationis et voluntatis. « Tria, inquit, sunt quæ maxime adversus pelagianos Catholica defendit Ecclesia. Quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, et Dei etiam gratia conferuntur merita universa justorum. Alterum est in quantacunque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est obnoxium nasci hominem peccato primi hominis. »

Igitur ex S. Aug. evidenter habemus pelagianos ultra gratias morales et gratiam possibilitatis admisisse tandem gratiam qua Deus cor inclinat, qua *lex impleatur,* qua *bene operamur, magnum gratiæ adjutorium,* hoc est gratiam efficacem voluntatis et actionis.

Sed quia volebant eam dari merito priorum operum bonæ voluntatis, ideoque ea priora opera bona fieri sine illa, item et quod ad subsequentia opera non esset absolute necessaria, sed tantum ut facilius et perfectius fierent: hinc continuo repetit S. Aug. in lib. *de Grat. Ch.* pelagianos docere *Solam possibilitatem adjuvari* (intelligendo nempe possibilitatem ad ista priora opera bonæ voluntatis meritoria gratiæ) *Non vero voluntatem et actionem adjuvari;* intelligendo voluntatem et actionem præviam, quæ merebatur gratiam ad opera sequentia facilius eo perfectius peragenda. Hinc etiam ibid. sæpe repetit pelagianos negasse necessitatem gratiæ Christi, quia cum eam admitterent ad facilius tantum et perfectius agendum, hoc ipso necessitatem ejus negabant.

Et hæc est solutio præcipuæ objectionis quam depromunt ex sæpe laudato libro *de Grat. Ch.* ii qui volunt pelagianos nunquam admisisse gratiam voluntatis et actionis. Equidem nunquam admiserunt gratiam voluntatis et actionis ad ea opera prævia quibus illam meremur, volebant enim illam dari meritis naturæ : neque illam admiserunt ut necessariam ad opera subsequentia, sed tantum ut facilius et perfectius fierent. Cui solutioni addi potest quod etsi pelagiani tunc cum S. Augustinus incumberet compositioni operis sæpe laudati *de Gratia Christi* anno scilicet 418. nondum admitterent gratiam illam, potuerunt tamen admittere in posterum anno 424, quo S. Augustinus composuit lib. *de Grat. et libero arbit.* et anno 429, quo edidit librum *de Dono perseverantiæ.* Ex quibus duobus ultimis operibus maxime probamus assertionem nostram; sicque sponte sua cadit objectio petita ex lib. *de Grat. Chr.*

Objiciunt insuper testimonium S. Aug. petitum ex lib. *de Hæresibus* quem sub finem vitæ scripsit et quem morte præventus imperfectum reliquit : ibi enim s. doctor hæresi 88. exponens Pelagii dogma dicit : « Illam gratiam Dei sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura. Ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam ut discamus quæ facere atque sperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus facienda faciamus, ac per hoc divinitus dari nobis scientiam qua ignorantia pellitur, charitatem autem dari negant qua pie vivitur, ut scilicet cum sit Dei donum scientia quæ sine charitate inflat, non sit donum Dei ipsa charitas quæ ut scientia non inflet, ædificat : » Ergo ex S. Aug. pelagiani omnem gratiam in lege et doctrina statuerunt quibus possibilitas juvaretur, gratiam autem qua pie vivitur, id est, actionis, rejecerunt.

Resp. ut supra : dist. primam partem cons : omnem gratiam possibilitatis in lege et doctrina statuerunt, transeat : dubitavit enim alibi S. Aug. an præter gratias morales aliquid amplius non admiserit Pelagius, ut observavimus supra, omnem gratiam voluntatis et actionis, neg. Non enim potuit dicere S. Aug. gratiam quam Pelagius docebat dari secundum merita esse arbitrium adjectum per legem et doctrinam, siquidem arbitrium, lex et doctrina dantur ante omne opus bonum, ac perinde impiis et justis.

Unde ad secundam partem conseq., dist. pariter. Gratiam qua pie vivitur, id est actionis,

rejecerunt quoad opera prævia illius gratiæ meritoria, con.; quoad opera subsequentia, subdistinguo : rejecerunt ut absolute necessariam, con.; ut utilem et ad ea facilius et perfectius perficienda, neg. Solutio patet ex dictis, sed et maxime ex ipsis S. Aug. verbis immediate præcedentibus ea quæ nobis objiciuntur. « Denique Pelagius, inquit s. doctor, a fratribus increpatus quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. » Ubi vides pelagianos catholicorum correctioni cedentes tandem veram eorum gratiam admisisse, sed in hoc eam adulterasse quod illam supponerent libero arbitrio, id est vellent eam dari juxta prævia libertatis merita, nec absolute esse necessariam, sed utilem duntaxat ad melius et facilus agendum. Unde etsi concederemus S. Aug. in verbis sequentibus nobis objectis loqui de gratia ad omnia bona opera etiam subsequentia et perfectiora, merito dixit pelagianos negasse gratiam qua pie vivitur a Deo dari et esse donum Dei; cum enim assererent sine illa absolute nos posse consequenter pie vivere et meritis nos eam acquirere, inde sequebatur non tam dari a Deo quam esse a nobis, nec dari ad pie vivendum, sed pie viventibus.

Consectaria

præcedentis Doctrinæ.

Colliges 1°, pelagianos in ultimo statu suæ hæreseos ad semi-pelagianismum declinasse, cum hoc tamen discrimine quod semi-pelagiani vellent tantum initium bonæ voluntatis seu fidei qualecumque (quod nolebant donari titulo boni operis) esse a nobis, opera vero bona esse a gratia Dei intuitu initialis bonæ voluntatis collata. E contra pelagiani contendebant etiam bona opera esse a nobis, eaque esse meritoria gratiæ, quæ tamen non nisi ad melius et perfectius operandum esse et utilis, non omnino necessaria.

Colliges 2°, tres fuisse præcipuos errores quibus pelagiani pertinaciter adhæsere, quos retulimus ex S. Aug. c. 2. *de Dono persever.* Primum, nempe aliorum fontem, nullum peccatum ab Adamo ad posteros traduci, sed solo exemplo primum parentem nobis nocuisse, ut jam observatum est, et ideo naturam nostram nullatenus fuisse vitiatam, sed æque habilem ad bonum ac fuerit in Adamo ante lapsum. Hinc gratiam non esse necessariam ad bene vivendum, sed bene viventibus conferri ut perfectius et facilius Deum colant. Concedebant tamen pueris utiliter conferri Baptismum, non ut a peccato mundarentur, sed ut gratia per eum collata hæredes fierent Regni Cœlestis.

Secundus error ex hoc primo fluens est gratiam dari secundum merita nostra. Tertius est homines bene utendo libero arbitrio ad tantam perfectionem pervenire ut omne peccatum etiam collective vitare possent, nec ad hoc indigerent gratiæ auxilio.

Hi, inquam, tres sunt errores præcipui a quibus nunquam recesserunt pelagiani et ad quos reducuntur alii minus præcipui; v. g. concupiscentiam non esse malam, quia proprietas est naturæ; morbos et miserias non esse originalis peccati pœnas; Adamum, etsi non peccasset, perinde moriturum; parvulos sine Baptismo morientes habere quamdam beatitudinem, non tamen Regni Cœlestis; idem de adultis infidelibus, qui legem naturalem servassent.

Colliges 3°, gratiam de qua tamdiu fuit concertatio inter S. Augustinum et pelagianos fuisse gratiam actualem bonæ voluntatis et actionis necessariam ad singulos pietatis actus, et gratuito non ex meritis naturæ collatam. Quia ut probavimus, pelagiani admiserunt gratiam habitualem, gratiam possibilitatis, gratias morales ex parte intellectus, imo probabilius gratiam voluntatis et actionis, sed non gratuitam nec necessariam.

Colliges 4°, hanc gratiam voluntatis et actionis necessariam et gratuitam quam S. Augustinus præsertim propugnavit adversus pelagianos, non fuisse gratiam indifferentem et expectantem consensum nostrum ut sit efficax, sed per se et vi sua hujus consensus et operis efficacem.

Patet 1°. quia S. Augustinus totus et perpetuus fuit ut defenderet gratiam quæ facit ut faciamus, efficiendo de nolentibus volentes, de repugnantibus consentientes, cuique tribuit quidquid boni fit a nobis, consequenter hoc ipsum quod gratiæ consentiamus; hujusmodi autem gratia, ut patet, non est indifferens et expectans consensum nostrum ut sit efficax, cum illum efficiat : ergo ex se et ex propriis est efficax et determinans voluntatem ad consentiendum.

2° Pelagiani et semi-pelagiani recusabant admittere gratiam quam defendebat S. Au-

gusunus, quia criminabantur per eam tolli libertatem, nos nihil operari, fatalem induci necessitatem, correptionis, exhortationis et orationis necessitatem tolli, homines in desperationem adigi, ut patet ex omnibus S. Augustini operibus: atqui hæc contra gratiam indifferentem omnibus oblatam et ex consensu voluntatis efficacem, non objecissent viri aliunde acuti et intelligentes: ergo. Plurima in hanc rem S. Augustini testimonia refert Jansens *Elinga, Dissert.* 12.

Observandum est me dixisse simpliciter *gratiam per se efficacem*, ut abstraherem a modo quo hæc ejus efficacia explicatur, sive per motiones morales, sive per delectationem, sive per actus indeliberatos, sive per multiplicationem auxiliorum, sive per Dei decretum immediate, sive tandem per motionem fluentem seu præmotionem physicam; magis enim intendit S. Augustinus defendere necessitatem gratiæ, quæ consensum nostrum non expectaret, sed illum ex omnipotentissima Dei voluntate efficeret, quam hujus efficaciæ modum inquirere.

Dices cum Honorato Tournely: Gratia quam S. Augustinus propugnavit contra pelagianos pertinet ad fidem Ecclesiæ, ut constat ex ipso S. Augustino lib. *de Grat. Chr.* cap. 10 et ex Innocentio I. in Epist. *ad Patres Carthaginenses* inter Augustinianas 91. Atqui gratia per se efficax non pertinet ad fidem, alioquin forent hæretici qui illam impugnant, quod nefas est dicere: ergo.

Respondent quidam duo esse distinguenda in S. Augustini doctrina, nempe gratiæ necessitatem, et ejus efficaciam, seu modum efficaciæ a seipsa; utrumque quidem propugnavit S. Augustinus: primum certo ut fidei dogma, at non ita constat de secundo, adeoque nec certum quod pelagianos accensuisset hæreticis, si concessissent hujus gratiæ necessitatem, eamque non dari secundum merita, quamvis negassent eam esse per se efficacem: unde ex nostra assertione non sequitur catholicos impugnatores gratiæ per se efficacis, qui duo prima concedunt et ultimatum negant, esse hæreticos, sed duntaxat eos adhærere systemati ab augustiniano alieno; et quamvis sint quædam eorum doctrinæ consectaria quæ pelagianorum et semi-pelagianorum erroribus propius accedere videantur, hæc tamen negant sequi ex suo systemate.

Alii quibus certum videtur S. Augustinum propugnasse ut dogma fidei, gratiæ per se efficacis necessitatem, brevius respondent ad min: judicet, inquiunt, Mater Ecclesia, ante cujus judicium nemo est condemnandus.

ARTICULUS II.

DE SEMI-PELAGIANISMO

§ I.

Synopsis Historica et Errores Semi-Pelagianismi.

I. Ipse S. Augustinus lib *de Prædest. Sanct.* cap 3. fatetur se ante Episcopatum fuisse in errore qui postea fuit semi-pelagianorum, sed ab eo revocatum, illo Apostoli dicto: *Quid habes quod non accepisti? etc.*

Vitalem quemdam carthaginiensem in eo etiam errore versatum fuisse probat Epist. 107 ejusdem S. Aug. ad ipsum data, qui sancti Præsulis admonitionibus obtemperans errorem statim deposuit.

II. Cum Florus monasterii adrumetini monachus quatuor circiter annis post scriptam epistolam 107 ad suum monasterium detulisset alteram ejusdem S. Aug. epistolam 105, ex ea conturbati sunt nonnulli Monachi quod crederent ex S. Aug. doctrina everti liberum arbitrium, qua de causa S. Antistes et ut pacem eo in monasterio restitueret, scripsit librum *de Gratia et lib. arbit.*, quo non obstante, quidam non valentes intelligere concordiam libertatis cum gratia, dixerunt secundum S. Augustini doctrinam neminem esse corripiendum, si præcepta non servaret, sed orandum ut servet; ad quam consequentiam confutandam scripsit S. Augustinus alterum librum *de Correptione et Gratia.* Hi ergo monachi non prædestinatianis annumerandi sunt, quasi negarent liberum arbitrium ad adstruendam gratiam, ut nonnulli perperam opinati sunt, sed potius semi-pelagianis, cum ut isti postea fecerunt, conquererentur tantum doctrina S. Augustini extingui liberum arbitrium.

III. Hoc autem libro *de Correp. et Grat.* delato Massiliam, ita commoti sunt quidam hujus urbis presbyteri eruditione et Religione conspicui, ut in apertam hæresim eruperint: et hi proprie dicti sunt semi-pelagiani, quia in aliquibus a Pelagio recedentes, in aliquibus ei adhærebant. Admittebant contra Pelagium peccatum originale et necessitatem

gratiæ ad opera salutis : at eam cum ipso negabant ad initium salutis et perseverantiam : et circa hæc duo vertebatur tota eorum hæresis, quæ ad hæc tria præcipua capita reduci potest.

IV. Primo docebant prædestinationem sive ad gratiam sive ad gloriam non esse gratuitam, sed Deum æquali affectu omnes homines tam reprobos quam prædestinatos prosequi, et omnibus æqualiter gratiam et gloriam offerre ; ita ut illi gratiam habeant qui ex se illi consentiunt, seu eam apprehendunt, et gloriam qui in accepta gratia ex se perseverant : Deum autem ab æterno ad gratiam prædestinasse quos prævidit esse consensuros et ea bene usuros, et ad gloriam quos pariter præscivit in ea ex se perseveraturos: et cum premerentur exemplo parvulorum quorum aliqui sine proprio merito prædestinantur ad baptismum et ad regnum alii sine proprio demerito prædestinantur ad mortem : respondebant Deum uti præscientia futurorum conditionatorum, quæ nunc appellatur scientia media, et tales prædestinare ad vitam vel ad mortem, quales futuros illos in annis majoribus, si ad adultam ætatem servarentur, scientia divina præviderit. Ita refert Prosper in *Epist. ad S. Aug.*

Hinc asserebant numerum prædestinatorum non esse certum, sed quosdam in hunc ordinem in dies adscribi, quosdam expungi: Christum æqualiter esse mortuum pro omnibus et æqualiter mortis suæ pretium omnibus dispensasse, ita ut nihil plus beneficii reciperent vasa misericordiæ quam vasa iræ.

2°. Quamvis admitterent necessitatem gratiæ ad opera salutis, illam tamen denegabant ad initium salutis : illud autem initium reponebant in quodam affectu credulitatis, in pulsatione, petitione seu desiderio salutis, vel etiam in ipso consensu gratiæ oblatæ : hæc enim non annumerabant inter opera salutis, sicut, inquiebant, desiderare aut petere medicum, se credere medico, non sunt opera sanitatis.

Hunc utrumque errorem sequentibus rationibus defendebant : 1°. quia licet agnoscerent vires arbitrii per peccatum originale esse debilitatas, non tamen esse penitus extinctas : unde sicut in primo statu gratia juvabat operantem, in statu naturæ lapsæ juvat volentem seu consentientem. 2° Quia alioquin Deus esset injustus acceptor personarum, si absque aliquo prævio merito vel dispositione, alteri daret gratiam, alteri denegaret. 3°. Quia hanc prædestinationem gratuitam et hanc victricem gratiam quam requirebat S. Augustinus tam ad initium quam ad opera salutis, existimabant excidium libertatis, inducere fatalem necessitatem, tollere utilitatem correptionis et orationis, et ad desperationem adigere.

3°. Circa perseverantiam idem docebant quod circa initium salutis, ad eam nempe non requiri gratiam, sed esse ex nobis : quia perseverantiam non reponebant in aliquo actu quo justus perseverare vellet (hic enim actus est perfectæ virtutis et opus salutis quale illi nolebant fieri sine adjutorio gratiæ) sed in eo reponebant perseverantiam, ut quis cooperanti Deo suum consensum constanter præberet : unde initium salutis et perseverantia juxta semi-pelagianos in eo coincidebat, quod cum primo incipimus Deo consentire, sit initium salutis, cum vero in illo consensu jam præstito usque ad finem vitæ permanemus, sit perseverantia. Hæc omnia constant ex epistolis Prosperi et Hilarii ad S. Augustinum.

Auctores semi-pelagianismi.

V. Celebrior fuit Joannes Cassianus, Collator dictus ob libros collationum Patrum, in quibus et præsertim collatione 13. quæ est Cheremonis abbatis, errorem aperte docuit : qua patria sit oriundus, incertum est ; alii Scythum, alii Gallum dicunt : utut sit, monasticam vitam adolescens professus est, et peragratis Palestinæ et Egypti cœnobiis Constantinopolim appulit, ubi a S. Joanne Chrisostomo diaconus ordinatus est, quo defuncto, venit in Gallias et Massiliæ substitit. Non obstat quod aliquando loqui videatur catholice; ea enim est sors et fraus hæreticorum contraria scribere : idque Cassiano exprobrat S. Prosper *lib. cont. Collat.*

Faustus ex Lirinensi abbate episcopus Rhegiensis, ex collationibus Cassiani, cum quibusdam aliis monachis errorem hausit, ejusque fuit acerrimus defensor in lib. *de Grat. et lib. arbit.* quem edidit contra prædestinatianos.

Gennadius presbyter Massiliensis in libro de viris illustribus huic causæ et errori palam patrocinatus est. His accessit quidam Vincentius, cujus objectionibus respondet S. Prosper: an fuerit celebris Vincentius Lirinensis auctor commonitorii adversus prophanas novitates, an quidam alius, disputant auctores. Vasques semi-pelagianis annumerat magnum Chrysostomum, sed injuria, cum veritatem contrariam aperte doceat in variis operibus, præsertim hom. 1. *de Adam et Eva.*

Cæterum observandum est plures auctores excusare ab hæresi formali Cassianum, Faustum, Gennadium et eorum contemporaneos ; quia eorum error nondum tunc ab Ecclesia fuerat aperte damnatus, quod non est improbabile, ut patebit infra : et quidem Cassianus et Faustus cultu Sanctorum in suis provinciis decorantur.

Impugnatores semi-pelagianismi.

VI. Semi-pelagianorum errores S. Augustinus a S. Prospero et Hilario (quis fuit iste Hilarius an Episcopus Arelatensis, an alius? dubium est) monitus, primus omnium confutavit sub finem vitæ, duobus libris *de Prædestinatione Sanctorum et de Dono perseverantiæ,* ipsis Prospero et Hilario inscriptis anno circiter 429.

Mortuo S. Augustino, et ideo invalescentibus semi-pelagianis, Prosper et Hilarius profecti sunt Romam ad Cœlestinum Papam ut eos reprimeret. Is, anno 432, epistola data ad Galliarum Episcopos S. Augustini doctrinam vindicavit adversus semi-pelagianorum calumnias, dicens inter cætera, quod « nunquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit. »

Annexa sunt huic epistolæ decem capitula, quibus errores semi-pelagianorum proscribuntur. Hæc capitula esse Cœlestini negant quidam recentiores: attamen a Petro Diacono non multis post annis in libro *de Incarnat. Christi,* item a Cresconio et Dionysio Exiguo, Cœlestino adscribuntur, atque ab omnibus antiquis sub ejus nomine citata fuere usque ad annum 1591, quo editor Decretalium ad marginem apposuit, hæc fuisse a Prospero addita : quæ tamen adnotatio non habetur in vetustis codicibus, præcipue in illo qui in Vaticano asservatur, ut testatur noster Gonzales olim collegii nostri romani regens. Indeque redditur suspecta hæc adnotatio marginalis, quod adjecta sit tempore quo fervebant disputationes de auxiliis, anno scilicet 1591. Unde apparet quod si hæc Capitula non sint Cœlestini, saltem sunt ejus jussu vel approbatione scripta a S. Prospero, vel aliquo alio doctore, hocque temperamento facilius ab hæresi excusantur primi semi-pelagianismi auctores et fautores. In quinto autem ex his capitulis legitur, quod « ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. » Et in septimo quod « hoc auxilio Dei, non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur. »

Anno 433. S. Prosper Cassianum impugnavit edito contra collatorem libro, qui vix lucem aspexit, cum semi-pelagiani quindecim propositiones absurdas et erroneas velut a S. Augustino assertas in vulgus sparserunt, quibus respondit S. Prosper opusculo quod inscripsit : *Responsiones ad capita Gallorum.*

Eodem fere tempore presbyteris Genuensibus Camillo et Theodoro, quædam dubia circa S. Augustini doctrinam patientibus, satisfecit opusculo inscripto : *Responsiones ad excerpta Genuensium.*

Sub idem ferme tempus, idem S. Prosper opusculo inscripto : *Ad capitula objectionum Vincentianarum responsiones,* confutavit indiculum a quodam Vincentio editum sexdecim propositionum impiarum, quas S. Augustini doctrinæ affingebat.

Auctor operis *de Vocatione Gentium,* sive Prosper sive alius, etiam semi-pelagianos expugnavit.

Anno 494, Gelasius Papa in synodo Romana Fausti et Cassiani libros damnavit, sanctorum vero S. Augustini et Prosperi opera commendavit.

Anno 520, Scythæ monachi, inter quos eminebant Maxentius et Petrus diaconus, et qui assertione hujus propositionis. « Unus de Trinitate passus est carne, » tot turbas sud Hormisdæ pontificatu excitarunt, etiam Fausti libros impugnarunt dato libello *de Incarnatione et gratia* ad episcopos africanos in Sardinia exules. Hi monachis responderunt eorum fidem probantes, et Fausti doctrinam, tacito tamen ejus nomine, refellentes.

Interea temporis Hormisdas Fausti libros, in epistola ad Possessorem ex Africa Constantinopoli exulem data, nullius in Ecclesia auctoritatis esse declaravit.

Anno Christi 522, Fausti libros, de quorum orthodoxia maxima tunc erat disputatio, ad eosdem africanos episcopos in Sardinia exules transmiserunt iidem Scythæ monachi, ut de illis sententiam dicerent. Hos ut hæreticos damnarunt sancti antistites anno 523, et S. Fulgentio contra Fausti errores scribendi provinciam imposuerunt. Is ruspensis Episcopus cum aliis exul septem libros *de Gratia et libero arbitrio* contra duos libros Fausti elucubravit. Redux in suam ecclesiam tres libros *de Veritate prædestinationis et gratiæ* adversus Fausti sectatores conscripsit.

S. Cæsarius ex monacho Lirinensi, primum

monasterii prope Arelatum abbas, deinde Arelatensis episcopus, librum *de Gratia et libero arbitrio* adversus errores Fausti et in S. Augustini doctrinæ commendationem edidit.

Felicis III romani pontificis opem adversus semi-pelagianos imploravit s. præsul: transmisit ad ipsum Felix quædam capitula apud sedem apostolicam asservata *de Gratia et libero arbitrio,* ex S. Augustini operibus excerpta, quæ Cæsarius in synodo secunda Arausicæ (Orange) occasione dedicationis Ecclesiæ congregata anno 529 protulit, ex quibus confecti sunt viginti quinque canones in damnationem semi-pelagianismi.

Hanc damnationis sententiam confirmavit Bonifacius II, Felicis successor, ut constat ex ejus *Epistola ad Cæsarium* data anno 530, in qua inter alia dicit:» Quapropter affectu congruo salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis patrum regulis approbamus. » Quo tandem ultimo ictu attrita est hæresis semi-pelagiana. Hanc synodum Arausicanam pariter confirmavere synodus Valentina anno 840, et Tridentina ses. 6. cap. 1. 2. et 3. anno 1546. Hos canones arausicanos, quibus continetur fides Ecclesiæ circa gratiam, diligenter perpendat lector Augustinianæ et Thomisticæ doctrinæ studiosus.

§. II.

An et qualem gratiam semi-pelagiani admiserint ad initium fidei et salutis?

Quæstionem intricatissimam hic proponimus: cum enim semi-pelagiani, ut observat S. Prosper cap. 5. *contra Collat.* sibi contradicerent, et modo loquerentur ut catholici, modo ut pelagiani; imo plerique faterentur se nihil invenire quod placeret, sed tantum displicere modum S. Augustini, haud facile est attingere præcise quid senserint; et hinc in varias opiniones abierunt theologi.

Præmitto quæ certa videntur. 1°. Certum est semi-pelagianis omnibus summopere displicuisse S. Augustini gratiam victricem præviam et discretionem electorum secundum propositum absque præscientia meritorum. Dicebant enim referente Prospero ad S. Augustinum, « removeri omnem industriam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeveniat voluntates, et sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem. »

2°. Certum videtur semi-pelagianos ad initium fidei admisisse gratias illustrantes intellectum et moraliter atque objective moventes voluntatem, non solum exteriores, sed etiam interiores: quia 1°. dicebant omnes vocari ad fidem: « Hæc ipsorum definitio, inquit Prosper in epist. *ad S. Augustinum,* omnem hominem ad credendum et operandum divinis institutionibus admoneri: » certum est autem non omnes vocari vocatione seu prædicatione exteriori: ergo interiori. 2°. Quia erat eadem utriusque ratio apud ipsos, nec interior magis repugnabat eorum systemati quam exterior; cum enim utraque solum illuminaret et objective tantum voluntatem moveret, neutra autem consensum efficeret, sed a voluntate promendum expectaret, semper stabat initium fidei et salutis esse a nobis, et non a Deo. 3°. Quia alioquin fuissent deteriores pelagianis, qui has gratias morales ex parte intellectus admittebant, ut probavimus superius. 4°. Patet ex Gennadio qui lib. *de Ecclesiasticis dogmatibus* cap. 19 dicit: « Manet itaque ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione: » nomine autem *inspirationis* palam est significari gratiam interiorem prævenientem saltem moralem ex parte intellectus: hac quippe voce synodus Arausicana contra semi-pelagianos et Tridentina usæ sunt ad exprimendam gratiam interiorem; inde etiam Patres africani probaverunt Zosimum Papam, gratiam interiorem admisisse, quia eam dixerat Dei instinctum seu inspirationem.

Si opponas hanc propositionem quartam Jansenii: « Semi-pelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare, » esse damnatam ut falsam et hæreticam.

Resp. in propositione Jansenii agi tantum de gratia voluntatis stricte dicta, quæ nempe voluntatem ipsam intrinsece afficiat et ad consensum efficienter inclinet, non vero de gratia intellectus, quæ scilicet ipsum illuminet, et moraliter tantum ac objective moveat voluntatem, de qua hic loquimur. Ita ipsemet Honoratus Tournely diligentissimus jansenismi indagator et fervidus impugnator Q. 3. *de Grat.* §. *Quis fuerit,* etc. ubi quærit an semi-pelagiani interioris gratiæ necessitatem ad initium fidei negaverint vel admiserint: et postquam osten-

dit Jansenium docere eos admisisse necessitatem gratiæ interioris, notamine 3 ante conclusionem sic ait: 3° « notandum gratiam interiorem aliam esse in intellectu, qua nempe intus illustratur ; aliam in voluntate, qua intime et immediate afficitur et juvatur ad bonum opus : de hac una posteriori hic agitur. »

Questio itaque remanet utrum semi-pelagiagiani admiserint ad initium fidei gratiam prævenientem voluntatem ipsam intus afficientem, indifferenter tamen et sic ut voluntas posset ipsi dissentire vel consentire.

Jansenius lib. 8 *de Hæresi Pelagiana* c. 6. contendit semi-pelagianos admisisse veram gratiam interiorem prævenientem ad initium fidei, sed indifferentem et suspensam, atque in hoc fuisse hæreticos quod vellent voluntatem illi posse resistere vel obtemperare ; quæ est 4. ejus propositio damnata, ut vidimus modo : hac damnatione non obstante plures theologi catholici tenent eamdem sententiam quoad primam partem argumentis haud contemnendis. Quantum autem ad damnationem propositionis jansenianæ multifariam respondent. 1° Quidam dicunt hanc propositionem esse hypotheticam, ad falsitatem autem hypotheticæ sufficere si unum membrum sit falsum, quale est secundum in hac propositione. 2°. Quidam respondent quod prima propositionis pars, cum sit indefinita, consequenter universalis, sit revera falsa, quia, inquiunt, non omnes semi-pelagiani, sed quidam tantum admiserunt gratiam ad initium fidei. 3°. Quidam dicunt quod ista gratia, quam admittebant semi-pelagiani ad initium fidei, non erat proprie et reipsa præveniens, sed potius sequens voluntatem ; quia non erat per se efficax consensus, sed ipsum expectans a voluntate, et ideo ipsam potius sequens quam præveniens. 4°. Quidam tandem dicunt primam partem propositionis jansenianæ esse merum factum, circa quod non est infallibilis Ecclesiæ definitio.

Altera sententia negat generaliter semi-pelagianos unquam admisisse gratiam interiorem prævenientem ad initium fidei. Ita omnes gratiæ per se efficacis impugnatores.

Quidam distinguunt, ut jam innui, inter semi-pelagianos: volunt quosdam Pelagio viciniores omnem gratiam ad initium fidei repudiasse ; aliquos a Pelagio remotiores aliquam admisisse : ita Franciscus Macedo et post ipsum noster Gonet : sed in hoc non recedunt a sententia Jansenii, qui pariter distinguit istas duas classes semi-pelagianorum.

Doctissimus noster Goudin, cujus sententia mihi præ aliis probatur, aliter distinguit inter semi-pelagianos, et dicit eos diversimode intellexisse initium fidei et salutis : quidam illud reponebant in actibus formatis, scilicet in ipso actu fidei, vel in petitione et inquisitione gratiæ et salutis, quos tamen actus præambulos non reputabant opera salutis, sicut petere seu quærere medicum, illum desiderare, seipsum illi credere, inquiebant, non sunt opera curationis et sanitatis, ut jam observavi. Quidam vero argumentis catholicorum agitati a Pelagio magis recedentes, per initium fidei seu salutis non intelligebant actum formatum fidei, aut alium aliquem actum bonum præambulum, sed ita illud extenuabant ut ad qualecumque initium bonæ voluntatis, hoc est, ad solum consensum et acceptationem gratiæ oblatæ tandem reducerent : nam oblatam medici opem acceptare est veluti seipsum illi credere ejusque peritiæ fidere, quod in rebus divinis fidei nomine intelligi aliquo modo potest. Ita colligitur 1° ex Hilario ad S. Augustinum : « Arbitrium, inquit, ad hoc tantum liberum asserunt ut velit vel nolit admittere medicinam. Cæterum abominari se et damnare testantur, si quis quidquam virium in aliquo remansisse quo ad salutem progredi possit existimet. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis quantum putant ad obtinendum vel amittendum evidens est qualecumque sit initium voluntatis. »

2°. Ex S. Prospero ad eumdem S. Augustinum : « Quidam horum, inquit, in tantum a pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam quæ omnia præveniat merita cogantur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere in qua nihil eum merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii et rationalis, gratia creatoris instituit, ut per discretionem boni et mali ad cognitionem Dei et ad obedientiam mandatorum ejus, possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur pervenire, per naturalem scilicet facultatem quærendo, petendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ usu, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. » Vocabunt autem liberum arbitrium initialem gratiam, seu gratiam Creatoris. Porro si quidam tantum ex semi-pelagianis Pelagio viciniores reponebant initium fidei et salutis in istis actibus formatis præambulis, sequitur fuisse alios a Pelagio remotiores, qui illud reponebant in qualicumque initio bonæ voluntatis, id est,

in ipsa sola acceptatione gratiæ oblatæ, ut dictum est.

Hac distinctione posita, observandum est gratiam posse considerari dupliciter : 1° ut oblatam; 2°. ut collatam voluntati. Item gratiam actualem, qualiscumque sit, non posse recipi in voluntate, nisi in ea aliquem motum seu affectum causet ; est enim gratia actualis, motio ; non est autem motio moventis sine motu mobilis. His præmissis,

Dico 1°. probabilius est nullum semi-pelagianorum admisisse ad initium fidei necessitatem gratiæ prævenientis indifferentis reipsa collatæ voluntati.

Omissis variis probationibus petitis ex ipsis semi-pelagianis et ex eorum impugnatoribus SS. Augustino, Prospero et Hilario, quia et fusiores sunt, et plures patiuntur instantias et solutiones a defensoribus opinionis Jansenii, conclusionem brevius probamus ex ipso systemate semi-pelagianorum et ex data notione gratiæ actualis collatæ. Igitur

Prob. 1°. : gratia actualis interior collata voluntati ad initium fidei, quantumvis supponatur indifferens et pendula ab arbitrio, repugnat capitali errori semi-pelagianorum : ergo. Prob. ant : capitalis error semi-pelagianorum erat quod initium fidei et salutis esset ex nobis et non ex Deo, et quod collatio gratiæ salutem operantis non præcederet, sed sequeretur obedientiam nostram, justa illud Fausti lib 2. *de Grat. et lib. arbit.* cap. 9. « Nisi fuerit obedientiæ præmissa devotio, gratiæ vilescit oblatio: » atqui si admisissent ad initium fidei et ante consensum voluntatis gratiam interiorem qualemcumque collatam intrinsece voluntati, jam initium fidei non esset ex nobis, sed ex Deo et gratia; non sequeretur obedientiam nostram, sed obedientia gratiam : ergo. Prob. min: gratia actualis interior, qualiscumque sit, collata intus voluntati eam movet et aliquid in ea operatur, scilicet pios motus et affectus ; cum enim sit motio Dei, non est motio moventis sine motu mobilis, ut dictum est : atqui illi pii motus et affectus sunt initia conversionis et salutis : ergo.

Prob. 2° : concipi non potest gratia actualis in voluntate recepta, quæ sit indifferens et pendula ab ejus nutu, qualem defensores opinionis Jansenii dicunt semi-pelagianos admisisse : ergo. Prob. ant : omnis actualis gratia voluntati intrinseca, cum sit, ut iterum repetam, motio et motio ad bonum, voluntatem determinate movet ad bonum, sicque non est indifferens et determinabilis a voluntate, sed e contra ex sua essentiali ratione est determinans voluntatem : ergo.

Equidem, ut recte observat laudatus P. Goudin, si concipiamus Deum offerre solum gratiam actualem voluntati ad actum ejus cooperativam et expectare ut ei cooperari velimus, tunc aliquam in gratia indifferentiam et suspensionem ad voluntatis nutum intelligimus ; sed si concipiamus Deum ante consensum nostrum jam aliquem gratiæ motum impressisse voluntati, impossibile est hunc motum indifferentem et suspensum intelligere, cum sit actualis tendentia ad bonum, cujus effectus formalis est voluntatem actu inclinatam ad istud bonum constituere ; nisi forte quis diceret istud auxilium non consistere in aliquo motu voluntati a Deo impresso, sed in aliqua habituali qualitate qua uti vel non uti possumus, quæque sic ex nostro nutu suspendatur. Verum præterquam quod id in mentem semi-pelagianorum venisse non facile persuaderetur, hoc auxilium foret impertinens ad propositum, cum non pertineret ad gratiam actualem de qua hic quærimus qualem admiserint semi-pelagiani ad initium fidei, sed ad habitualem.

Adde quod hic noster dicendi modus sit magis conformis decisioni SS. Pontificis damnantis quartam propositionem Jansenii, de qua supra.

Dico 2° : semi-pelagiani saltem ii qui initium fidei reponebant in sola acceptatione seu consensu gratiæ, non in actibus formatis initialibus et præambulis, de quibus supra, ad illos actus formatos admiserunt gratiam cooperativam quæ ut oblata præveniret omnem voluntatis consensum, sequeretur autem ut collata, quatenus nempe a Deo offerebatur antequam homo quidquam ex parte sua poneret, ut tamen reipsa cum eo cooperaretur ad illos initiales actus, ejus consensum et determinationem expectabat, non ipsa dabat.

Prob. 1°. ex his Prosperi verbis in *Epist. ad S. Aug.* : « Nec considerant se gratiam Dei quam comitem non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas. » Ubi vides semi-pelagianos admittere gratiam simul et prævenientem omnes actus et comitantem omnia merita, et voluntati tamen subditam : quæ omnia non possunt competere gratiæ nisi in sensu conclusionis, ita ut oblata sit præveniens, conferenda subdita voluntati adeoque eam consequens, cooperans tandem iis qui ex seipsis volunt agere illos actus initiales quibus

ulteriorem ad perfectiores actus gratiam merentur.

Quod totum his duobus verbis jam citatis expressit Faustus lib 2. *de Grat. et lib. arbit.* cap. 9. dicens : « nisi fuerit obedientiæ præmissa devotio, gratiæ vilescit oblatio. » Ubi iterum vides gratiam asseri omnibus sese prius offerentem, sed tamen nihil agentem, nisi obedientia, hoc est consensus voluntatis, præcesserit.

Prob. 2°. ex eodem Prospero supra laudatis verbis testante non omnes semi-pelagianos docuisse hominem per solam facultatem naturalem posse *quærere, petere et pulsare* ; sed hanc fuisse propriam quorumdam sententiam a pelagianis semitis non recedentium : « quidam horum in tantum a Pelagianis semitis non declinant, etc. » ut supra ante primam conclusionem. Ergo alii a Pelagio remotiores etiam ad illos initiales actus gratiam auxiliantem requirebant, gratiam, inquam, non quæ voluntantem ad illos actus determinaret, alioquin non fuisset subdita voluntati, sed quam voluntas sibi subjiceret, sicque exigebant ad initium fidei gratiam quæ ut oblata prior esset ipso consensu voluntatis, posterior vero ut collata et intrinsece recepta.

Prob. 3° : non majores vires tribuebant homini lapso quam innocenti : atqui confitebantur hominem innocentem ad quemvis actum bonum, adeoque ad quærendum, pulsandum, petendum indiguisse auxilio Dei, solumque voluntati ejus reservabant velle cooperari gratiæ oblatæ : ergo sic a fortiori in natura lapsa. Unde, inquiebant, ut refert Hilarius, « In hoc solo a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntati juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat : hos autem, amissis et perditis viribus, credentes tantum (id est, se illi committerre volentes) non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. »

Confirm. ex Fausto lib. 1. c. 5. fatente juxta catholicam regulam opera legis evacuari, id est nullius esse ad salutem momenti et quæ fiunt per gratiam asseri : ergo actus præambuli quibus gratiam salutis merebantur, non erant sine gratia.

Confirmabitur insuper ex objectionibus sequentibus.

Obj. contra primam conclusionem 1° illud S. Aug. *de Prædest. Sanct.* cap. « pervenerunt isti fratres ut præveneri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant : » ergo gratiam interiorem prævenientiem voluntati collatam ad initium salutis admiserunt 2°. Gennadius et Cassianus, locis supra citatis, fatentur Deum initia sanctæ voluntatis inspirare, per inspirationes bonas nos prævenire, et ob id initium salutis Deo esse adscribendum. 3° Non magis arrogabant homini lapso ad resurgendum quam homini innocenti ad standum : sed in statu innocentis admittebant prævenientem gratiam intrinsece collatam, nempe auxilium sine quo : ergo.

Resp. ad primum, ex illo aperte quidem probari conclusionem secundam, non vero negari primam : sensus enim est quod semi-pelagiani admitterent necessitatem gratiæ cooperantis, nedum ad actus perfectos, sed etiam ad initiales et præambulos, eamque gratiam prævenire voluntates nostras, non ut collatam sed ut oblatam, non quæ voluntatem sibi subjiceret et determinaret, sed quæ voluntati subjiceretur, cujus nempe expectabat consensum, non quem dabat : eo enim sensu S. Aug. dicit semi-pelagianos docere voluntates nostras a gratia præveniri quo id acceperat a Prospero cui respondet : « Prosper autem non dixerat eos admittere gratiam absolute prævenientem, sed comitem et subditam voluntatibus hominum, quas tamen ab ea gratia non negabant secundum suam phantasiam esse præventas. »

Resp. ad secundum, Gennadium et Cassianum nomine inspirationis non intelligere gratiam voluntati collatam sed solum gratiam moralem intellectus illuminativam et voluntatis objective motivam, prout explicuimus supra.

Resp. ad tertium, per auxilium sine quo intelligi gratiam cooperantem, nec necesse esse ut intelligatur per illud gratia præveniens, nisi ut oblata ; alias jam pertineret ad auxilium quo, ut probavimus in prima conclusione.

Obj. 2°. contra secundam conclusionem : semi-pelagiani initium fidei, uti petere, quærere, pulsare, solis naturæ viribus tribuebant : ergo ad illos actus gratiæ cooperantis necessitatem non agnoscebant.

Resp. dist. ant : semi-pelagiani quidam Pelagio viciniores, etc. conc. ant. Omnes, neg. Fatemur ergo eos qui in his actibus præambulis initium fidei reponebant, adscripsisse illos actus solis naturæ viribus seclusa gratia cooperante : at cum pressius urgerentur ar-

gumentis catholicorum, quidam a Pelagio remotiores concedebant nullum opus bonum divinæ gratiæ esse subtrahendum, idque solum humano arbitrio reservabant quod divinæ gratiæ ex se consentiret vel dissentiret, vellet vel non vellet obedire; et hi in hoc consensu et obedientia reponebant initium fidei, ut dictum est.

Inst : semi-pelagiani minus gratiæ admittebant ad illos initiales actus quam ad perfectos: atqui ad perfectos non admittebant nisi cooperantem gratiam, nunquam enim præoperantem proprie admiserunt : ergo.

Resp. dist. maj : semi-pelagiani quidam Pelagio viciniores, etc, conc. Semi-pelagiani a Pelagio remotiores, etc. neg. Hi enim cum in iis actibus non reponerent initium fidei et ad omne opus bonum gratiam requirerent, ad illos actus uti ad perfectiores gratiæ cooperantis necessitatem agnoscebant.

Repones : plerique theologi catholici tum ad initium fidei, tum ad cætera pietatis opera, non aliam actualem requirunt gratiam quam moralem prævenientem et excitantem et physicam cooperantem : aiunt enim auxilium gratiæ in eo esse quod Deus per morales gratias ad bonum nos excitet, simulque cooperativum auxilium offerat expectans nostrum consensum, ut actum bonum nobiscum operetur : ergo si hæc fuerit semi-pelagianorum sententia, vel non fuerunt in hoc hæretici, vel illi theologi cum istis forent hæretici, quorum neutrum est admittendum.

Resp. neg. conseq. quia theologi memorati in argumento admittunt consensum nostrum esse a Deo et voluntates nostras præveniri non solum per gratias morales illustrantes intellectum, sed etiam per pios affectus voluntati impressos, sicque referunt initium salutis ad Deum : et quamvis ex modo quo explicant efficaciam gratiæ, inferamus eos aliquod salutis initium Deo subtrahere, tamen ex sua sententia sequi negant, et ideo non sunt semi-pelagianis accensendi.

Consectarium.

In quo summatim exponitur tota hæresis semi-pelagiana.

Ex dictis itaque intelliges, saltem in quantum res tam obscura intelligi potest, in quo præcise reponenda sit hæresis semi-Pelagiana.

Agnoscebant hominem per peccatum originale esse spoliatum donis gratiæ, ejusque vires ita esse imminutas ut sine gratia amissam salutem recuperare non posset, non tamen ita esse profligatas ut ex suo fundo aliquid ad salutem, quod esset ejus initium, conferre non posset : quod initium aliqui Pelagio viciniores reponebant in aliquibus actibus formatis, ut in actu credendi, desiderandi,, petendi, quærendi gratiam et salutem : alii argumentis catholicorum convicti omne opus bonum esse a Deo, illud initium restringebant ad consensum gratiæ quam Deus unicuique offerebat actus boni cooperativam ; et ex illo qualicumque initio et in eo perseverantia repetebant discretionem electorum a reprobis, et cur uni præ alio daretur gratia et in fine gloria.

Ad hanc autem doctrinam tuendam adhibebant scientiam futurorum conditionatorum, quæ deinde dicta est scientia media : cum enim juxta illos consensum nostrum ad bonum Deus non daret, sed a nobis expectaret, neque ullus possit esse salvus qui gratiæ non esset consensurus et in ea perseveraturus, ut Deus ex tota æternitate posset elegisse aliquos præ aliis ad gratiam et gloriam, necesse erat ut prævidisset illos præ aliis consensuros et in eo consensu usque in finem perseveraturos, supposito quod gratiam omnibus æqualiter offerret :hæc vero hypothetica humani consensus præscientia est ipsissima scientia media, qua ita abutebantur, ut cum urgerentur exemplo parvulorum, quibus Deus absque prævisione meritorum, gratiam baptismi confert et in ea perseverantiam, eos statim post baptismum e vita eripiendo : item infidelium quorum aliquibus providet, aliis denegat prædicationem evangelii ; responderent his parvulis conferri baptismum ante mortem, qui si diutius vixissent, prævidebantur futuri boni, et iis præ aliis prædicari evangelium, qui prævidebantur credituri.

Itaque non errabant semi-pelagiani quod dicerent Deum velle omnium salutem et omnibus gratiam offerre ; ita enim tenet major et sanior pars theologorum. Item nec quod dicerent talem esse gratiam cui posset resistere vel obtemperare voluntas, sic enim catholice tenendum est juxta definitionem concilii Tridentini et decreta SS. pontificum. Item non omnes erant hæretici quod vellent aliquem actum salutis per solas naturæ vires posse elici, quia licet hoc sit hæreticum, non tamen omnes ita sentiebant, sed erant quidam qui cum agnoscerent nullum actum pietatis esse sine gratia, profitebantur sibi sufficere, si

aliquod initium salutis, qualecumque foret, reservaretur arbitrio.

Hæc ergo fuit ultima hujus hæresis statio, sic nostrum esse gratiæ consentire vel dissentire, ut in iis qui consentiunt, consensus ille non sit a gratia Dei, sed a nobis ; atque hoc sensu initium salutis et perseverantiam subtrahebant gratiæ, et reservabant libero arbitrio: a qua proinde hæresi qui recedere volunt, necesse est ut nihil prorsus operi et dignationi gratiæ subtrahant, ut definitur in capitulis Cælestini circa finem, sed cum S. Augustino et concilio Arausicano confiteantur in negotio salutis totum esse Deo tribuendum, neque illum expectare consensum nostrum ut a peccato purgari, credere et bene agere velimus, sed ipsum in nobis operari ut velimus et consentiamus.

Non pauca ex huc-usque dictis circa utramque conclusionem accepta referimus sæpe laudato P. Antonio Goudin, cujus sententia eo magis nobis arrisit, quod sit quasi media inter extremas.

Petes quam vim merendi gratiam tribuerent semi-pelagiani initio fidei ?

Resp. Tribuisse duntaxat vim merendi ex congruo, non ex condigno, imo tanquam ex occasione tantum. Patet ex Fausto qui, ut refert Gennadius in ejus vita, dicere solebat ; « quidquid libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprie meritum : » Et ex Cassiano qui *lib. Collat.* cap. 14. dicit : « præsto est Deus ex occasione tantummodo nostræ voluntatis oblatæ ad hæc omnia conferenda. » Confer quæ dixi in *tract. de Deo* dissert. 6. a. 6. §. 6. circa inconvenientia scientiæ mediæ septimo inconvenienti.

ARTICULUS III.

DE BAIANISMO ET JANSENISMO.

Foret hic locus agendi de Prædestinatianismo, Lutheranismo et Calvinismo ; sed de Prædestinatianismo egimus in tract. de Deo digress. ad dissert. 9. de Lutheranismo et Calvinismo ibid. dissert. 8. a. 8. §. 4. Vide.

§. I.

Synopsis historica Baianismi.

I. Baius natus Melini in territorio Athensi anno 1513, doctorali laurea Lovanii insignitus 1550, ad concilium Tridentinum a Philippo II. Hispaniarum rege missus anno 1563, multa scripsit, in pluribus erronee.

Anno 1567, S. Pius V. Bulla *Ex omnibus afflictionibus* septuaginta sex propositiones damnavit tacito nomine Baii, tum ne inde Baius exasperaretur et ut ejus famæ consuleretur tum quia non omnes propositiones sunt Baii, quamvis omnes vulgo dicantur Baianæ.

Eodem anno Morillonius vicarius generalis Cardinalis Granvellani archiepiscopi Mechliniensis hanc bullam legit et promulgavit coram stricta facultate theologica Lovaniensi : doctores congregati obedientiam spoponderunt bullæ, cujus exemplar petiere, sed denegavit Morillonius, quia id erat ipsi prohibitum, eo quod SS. pontifex speraret, absque ulteriori bullæ divulgatione, dissidium brevi componendum.

Anno 1569, Baius dedit litteras SS. Pontifici quibus conqueritur se nullum bullæ transsumptum potuisse obtinere : simul apologiam misit in qua exponit plures propositiones damnatas sibi falso imponi, et eas ad mentem S. Augustini esse veras. SS. Pontifex apologia et propositionibus novo examine discussis, rescripsit Baio esse obediendum, ipsique et cæteris prædictarum propositionum defensoribus perpetuum pro earum assertione silentium imposuit. Breve apostolicum Morillonius Baio reddidit, qui, post aliquas instantias, propositiones ejuravit.

II. Anno 1579, cum nonnulli has propositiones propugnare pergerent, Gregorius XIII S. Pii V successor, constitutione *Provisionis nostræ* bullam pianam confirmavit, jubendo eam recipi, et denuo propositiones damnavit, misso Lovanium Francisco Toleto soc. Jesu tunc concionatore pontificio, postea S. romanæ ecclesiæ cardinali, qui in numerosissimo totius academiæ consessu jussit bullam per Conrardum Sylvium universitatis notarium legi, quo facto, conversus ad Michaelem Baium, petiit ab eo « anne agnosceret damnari in bulla multos articulos qui in aliquot ejus libellis prius editis continerentur, etiam in eo sensu quo in bulla damnarentur? » Quo agnoscente et credente quod sic, rogavit eum deinde : « Anne eosdem et reliquos ibi contentos damnare ? » Tum ille : « damno, inquit, secundum bullæ ipsius intentionem et sicut bulla damnat. » Deinde præfatus dominus Franciscus ad reliquos doctores conversus interrogavit, anne eosdem articulos omnes damnarent et bullam reverenter susciperent? Qui

uno ore omnes responderunt se eos articulos damnare et bullam religiose habituros atque observaturos. Eadem fuit responsio licentiatorum, baccalaureorum et studiosorum, omnesque consona voce conclamarunt : « articulos damnamus, bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur. » Ita referunt fasti academici Lovanienses. Fertur cardinalem Toletum ea occasione dixisse et sæpius iterasse : « Magis humilem Michaele Baio ac doctiorem vidi neminem. »

Tandem cum occasione libri Jansenii quidam plures propositiones baianas iterum defenderent, Urbanus VIII, bulla *In eminenti* data 1641 confirmavit pianam et gregorianam, librumque Jansenii, cui titulus *Augustinus*, articulos, opiniones et sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, continentem et renovantem damnat et prohibet.

Non nihil tentarunt Baii et Jansenii fautores ut harum bullarum auctoritatem infringerent, tum ex parte formæ, tum ex parte materiæ.

III. Quantum ad formam opponunt bullam pianam vim legis habere non posse : 1°. quia non fuit lata de consilio cardinalium. 2°. quia Pius V non loquitur ut caput Ecclesiæ ad instructionem omnium fidelium. 3°. quia non fuit more solito Romæ affixa et promulgata. 4°. quia « interdicit quibuscumque quoquo pacto loquendi, scribendi, disputandi (de propositionibus damnatis) facultatem, » ita ut nemo posset loqui de gratia, de peccato originali, etc. quod est absurdum. 5°. quia vagus ille et indeterminatus modus damnandi propositiones in globo, magis est fidelibus noxius quam utilis, cum inde non possit discerni quæ sit falsa, quæ hæretica, quæ temeraria tantum aut scandalosa. 6°. pro Gallis : quia istæ bullæ non fuerunt in Gallia forma solita receptæ et promulgatæ, quod multa contineant contraria moribus et libertatibus Gallorum : ergo.

Resp. ad primum, neg. ant. tanquam gratis fictum. Unde enim illud resciunt opponentes? Et sane si SS. Pontifex adhibuerit consultores theologos, ut patet, cum dicit Baii propositiones « stricto coram se examine ponderatas, » indubium est ipsum etiam adhibuisse cardinales ut moris est.

Ad secundum, neg. pariter ant. Dicit enim S. Pius in proœmio bullæ : « Ex omnibus afflictionibus quas in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus : » hæc sane verba non sunt hominis privati, sed communis Ecclesiæ pastoris. Insuper prohibet universim omnibus has propositiones defendere : ergo loquitur ad instructionem omnium fidelium.

Ad tertium, equidem bulla piana non fuit Romæ affixa et promulgata ; quia cupiebat optimus Pontifex hoc dissidium in ortu suo sedare et silentio obvolvere. Cæterum, hæc bulla postmodum per Gregorium XIII et Urbanum VIII, sufficienter fuit promulgata.

Ad quartum, sensus horum verborum, nisi ineptissimam absurditatem SS. Pontifici affingere velis, est quod nemo scribat aut loquatur de istis propositionibus animo eas defendendi.

Ad quintum, 1°. sufficit fidelibus, ut a certis propositionibus tuendis abstineant, scire eas aliquo pernicioso vitio laborare, quamvis cujus generis sit vitium ignorent : sicut cuique sufficit, ut a certis dapibus abstineat, scire eas esse veneno infectas, quamvis qualitatem veneni ignoret. Exigit autem duntaxat Ecclesia ut fideles ab his propositionibus tuendis abstineant, non ut discernant quæ sit hæretica, quæ falsa, quæ temeraria, quæ scandalosa. 2°. Iste modus condemnandi plures propositiones in globo a pluribus sæculis viget in Ecclesia. Illum usurpavit concilium constantiense condemnans in globo quadraginta quinque propositiones Wicleffi et trigenta propositiones Joannis Hus. Hunc eumdem modum postea secuti sunt SS. Pontifices Sixtus IV, contra Petrum de Osma, Leo X, adversus Lutherum, Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII, Alexander VII, Innocentius XI, Alexander VIII, Innocentius XII. Clemens XI. Id profecto intolerabile est quod Janseniani avide et cum applausu recipiant bullas condemnantes in globo propositiones laxiores, et detrectent alias paris formæ, quia ipsis non favent.

Ad sextum, multis momentis probat Honoratus Tournely §. *Auctoritas Bullarum,* has bullas pontificias et alias dogmaticas esse receptas in Gallia quantum ad doctrinam, licet non quoad formam, certasque clausulas quæ moribus gallicanis repugant. Vide si lubet.

IV. Quantum ad materiam opponunt. 1°. Pium V in bulla declarasse : « Nonnullas propositiones aliquo pacto sustineri posse in rigore et proprio verborum sensu assertoribus intento. » 2° Graves theologi Suares, Vasques, Toletus, Bellarminus et alii, docent quasdam ex his propositionibus esse damnatas tantum propter acerbitatem censuræ, qua Baius notabat sententiam oppositam, adeoque solum ut temerarias, aut scandalosas, aut offensivas, non ut falsas, aut hæreticas.

Resp. ad primum, veritatem aut falsitatem illius pendere ex positione virgulæ in textu bullæ, de qua positione gravis est concertatio inter auctores. Is est textus bullæ. « Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective.... damnamus : » Quidam ergo volunt virgulam esse ponendam tantum post ly *intento :* ita ut sensus sit is qui objicitur, scilicet nonnullas propositiones posse sustineri rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Alii volunt virgulam esse ponendam post ly *possint,* ita ut sensus sit nonnullas propositiones posse aliquo pacto sustineri, esse tamen damnatas in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento.

Magis ad mentem pontificis videntur loqui qui ponunt virgulam post verbum *possint,* et tenent propositiones esse damnatas in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento : quia hæc est Ecclesiæ praxis, dum propositiones ex aliquibus libris extractas damnat, eas damnare in sensu auctoris et libri; et ita suas esse damnatas agnovit ipse Baius, dum anno 1579, Toleto ipsum interrogante in conventu academiæ, « anne agnosceret damnari in bulla multos articulos qui in aliquot ejus libellis continerentur, etiam in eo sensu quo in bulla damnarentur? » respondit quod sic. Quod testimonium cum sit posterius variis aliis testimoniis quæ in contrarium proferuntur ex cardinali Gravellano, ex Morillonio, ex actis academicis et aliunde, horum auctoritatem, si non omnino elevat, saltem non parum imminuit. Qui plura videre cupit de hac controversia, adeat pro una parte *Ethicam amoris* prolegomeno. 6. §. 7; pro altera Honoratum Tournely.

Resp. 2°. dato virgulam collocandum esse post ly *intento,* et nonnullas propositiones posse sustineri in sensu ab auctoribus intento, sunt nihilominus jure damnatæ propter alium pravum sensum quem habent; non enim est rarum uni propositioni inesse multiplicem sensum proprium et litteralem, quorum unus sit verus, rectus, defensabilis; alter falsus, seu ex alio capite pravus et condemnabilis.

Ad secundum resp. justissime prohiberi damnarive propositiones scandalosas, temerarias, offensivas, licet aliunde veras. Sic syndus quinta generalis prohibuit ne B. Virgo diceretur Christipara, sed Deipara, non ob falsitatem prioris vocis, sed quia plures ea offendebantur ob hæresim nestorianam. Sic ob eamdem rationem Ecclesia proscripsit hanc propositionem aliunde veram ; « unus de Trinitate crucifixus est, » ne acciperetur in sensu eutychianorum ; sic quotidie prohibentur libri, non quod falsam doctrinam contineant, sed vel ob acrimoniam styli, vel ob insolitos et novos loquendi modos, vel ob scandalum infirmorum, etc. Equidem veritas per se et ratione sui nunquam est offensiva, aut scandalosa, sed ita esse potest per accidens ratione circumstantiarum, expressionumve duriorum et insolitarum. Et ideo male inferes quod si Ecclesia damnet propositionem veram, doceat errorem oppositum ; id equidem sequeretur, si damnaret propositionem veram ratione sui et quoad se ; secus vero si eam damnet ob incongruum modum veritatem exprimendi, aut propter quasdam circumstantias extrinsecas ; tunc enim non docet errorem oppositum, sed duntaxat modum congruum veritatem exprimendi.

Petes, cum juxta bullam pianam nonnullæ propositiones baianæ aliquo pacto et sensu sustineri possint, unde possit cognosci et discerni sensus damnatus a non damnato ? Non enim potest extundi ex ipsis auctorum libris, cum nullus auctorum præter Baium dignoscatur, atque illius et aliorum libros prohibuerit SS. Pontifex.

Resp. dignoscendum esse ex ipsis propositionibus, prout in bulla contentis, vel secundum se consideratis, si sic sensum in Ecclesia peregrinum exprimunt, vel consideratis respective ad invicem, si sic sensum ab Ecclesiæ sensu alienum referunt.

§ II

Synopsis historica Jansenismi.

Jansenius anno 1585 ex honestis catholicisque parentibus in territorio Laerdamensi apud Batavos nascitur : post humaniores litteras Ultrajecti exceptas, Lovanii operam dedit philosophiæ, in eaque cæteris quatuor collegiorum condiscipulis palmam præripuit. Emenso theologiæ cursu Parisios se contulit, ubi abbatis Sancyrani, quocum Lovanii amicitiam contraxerat, ope et favore, Collegii Baionensis primarius instituitur.

Post duodecim annos Lovanium redux, col-

legio S. Pulcheriæ præficitur, anno 1617 laurea doctorali donatur, subinde bis in Hispaniam missus ab academia, commissa sibi negotia feliciter gessit. Anno 1630 professor regius instituitur. Anno 1635 episcopus Iprensis consecratur. Anno 1638 die sexta maii peste extinguitur.

II. Quantum ad illius mores et animis dotes, vir fuit juxta illius vitæ scriptores, pietate, religione in Deum, vitæ modestia, morumque disciplina, comitate atque affabilitate, sed maxime prudentia conspicuus. Ingenium illi fuit acerrimum, judicium gravissimum, memoria capacissima, quibus naturæ dotibus accesserat studium diu noctuque infatigabile et veritatis immensus amor, quam tamen, Ecclesia Judice non fuit assecutus : omnia S. Augustini opera decies, libros vero de gratia divina et libero arbitrio plusquam trigesies a capite ad calcem evolverat.

Scripsit orationem *de Interioris hominis reformatione ; Alexipharmocum* civibus Sylvæducensibus propinatum adversus ministrorum suorum fascinum; *Spongiam notarum* quibus alexipharmacum aspergit Gisb. Voetius ; libellum cui titulus *Mars Gallicus*, sub ficto nomine Alexandri Patricii Armacani theologi contra reges Galliæ et gentem ; *Commentaria* in Pentateuchum, in quatuor Evangelia et in Proverbia.

Tandem famosum opus quod inscripsit *Augustinus,* quia confidebat se in eo veram et puram S. Augustini doctrinam attigisse et docere. Huic operi per viginti annos insudavit, eique moriens ultimam manum adhibuit. Illud testamento legavit capellano suo, ut typis mandari curaret, re prius communicata cum Liberto Fromondo et Henrico Caleno : et quamvis in suo testamento : agnoscat aliquid in opere difficile mutari posse ; « Si tamen, inquit, romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiæ in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. » Idem testatus fuerat cap. 29 lib. proœmialis et in epilogo totius operis : hanc ejus obedientiam, si imitati fuissent doctrinæ illius sectatores, tot turbæ a sæculo Galliam et Belgium non commovissent.

III. Statim ac lucem aspexit Jansenii liber, prohibitus fuit ab Urbano VIII Bulla *In eminenti* data 1641 duabus de causis : 1° quia contra Pauli V. decretum tractabat de auxiliis gratiæ. 2°. quia continebat plures propositiones a S. Pio V. et Greg. XIII. damnatas in Baio.

Hanc bullam subreptitiam dixerunt defensores Jansenii, missis Romam a Lovaniensibus Sinnichio et Papio, qui ejus revocationem urgerent, sed iis auditis in sacra congregatione universalis inquisitionis, Sanctitas sua jussit Bullam extrahi ex archivio S. congregationis, et hujus transumptum cum archetypo collatum, tradi Sinnichio et Papio, eis simul injungens silentium super dubitationibus, difficultatibus et querelis occasione hujus bullæ excitatis aut excitandis. Diu postea, anno scilicet 1690, Alexander VIII damnavit hanc propositionem : « Bulla Urbani VIII *In eminenti* est subreptitia. » Non fuit autem hæc bulla solemniter promulgata in Belgio, obstantibus jansenistarum molitionibus, nisi anno 1648 instante apud regem catholicum et archiducem Leopoldum Innocentio X Urbani successore.

IV. Interea dimicabant in Gallia Isaacus Habertus doctor Sorbonicus contra Jansenium et Antonius Arnaldus pro Jansenio. Anno 1649 instante D. Cornet facultatis parisiensis syndico delatæ sunt ad examen facultatis septem propositiones, a quibus duabus ultimis rescissis et neglectis remanserunt quinque famosæ, scilicet:

Prima : aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque iis gratia qua possibilia fiant.

Secunda : interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia : ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Quarta : semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Quinta : semi-pelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Anno 1650 octoginta quinque episcopi gallicani has quinque propositiones Jansenii deferunt Innocentio X condemnandas : obstant ex adverso undecim episcopi. Epistolam octoginta quinque episcoporum reddidit Innocentio X 12. Aprilis 1651 orator regis christianissimi. Alteram undecim episcoporum reddidit Ludovicus de Saint-Amour doctor sorbonicus.

Congregationibus institutis ad examen quinque propositionum, adventant eodem anno Romam, missi ab aliquot episcopis DD. De Brousse, De la Lane, doctores parisienses et Angran, licentiatus, pro iis tuendis. Ex altera parte pro promovenda earum condemnatione accedunt DD. Hallier, Lagaut et Joysel.

In prima Congregatione SS. Pontifiex Innocentius X palam declaravit se nolle ullum præjudicium inferri doctrinæ SS.Augustini et Thomæ. Post celebratas duorum annorum spatio triginta sex congregationes, in quibus causa Jansenii, ea diligentia qua major desiderari non posset (ut dixit postea Alexander VII) discussa est; tandem Innocentius X die 31 Maii 1653 edidit constitutionem *Cum occasione,* in qua quinque propositiones, unamquamque speciali censura notatam condemnat.

Primam, declarat esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et hæreticam, et uti talem damnat.

Secundam, ut hæreticam.

Tertiam, item ut hæreticam.

Quartam, falsam et hæreticam.

Quintam, falsam, temerariam, scandalosam : et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem et hæreticam declarat, et uti talem damnat.

V. Hanc constitutionem jussit rex christianissimus in suo regno promulgari; et episcopi Parisiis congregati eodem anno eam acceptarunt. Verum ut eam eluderent janseniani, duo commenti sunt effugia : primum, has quinque propositiones non esse Jansenii : alterum, damnatas esse in sensu a sensu Jansenii alieno : et hinc origo famosæ distinctionis juris et facti.

Anno 1656,Alexander VII Innocentii successor dedit alteram bullam in qua declarat quinque propositiones « e libro Jansenii excerptas et in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse, » et uti tales iterum damnat : hæc constutio fuit solemniter recepta ab episcopis Gallicanis anno 1657.

Anno 1661, iidem præsules exposuerunt per litteras Alexandro VII se ad firmiorem constitutionum apostolicarum executionem, adhibuisse usum formulæ subscribendæ, cui subscribere multi recusabant, eo prætextu quod hujusmodi formulas condere ad SS. Pontificem privative pertineat : quapropter rogabant ut hujusmodi formulam mittere dignaretur.

Annuit Alexander VII, data anno 1665, nova constitutione *Regiminis apostolici,* in qua hæc fidei formula ab omnibus et singulis clericis subscribenda continetur.

« Ego N. constitutioni apostolicæ Innocentii X datæ 31 maii anno 1653 et constitutioni Alexandri VII datæ 16 octobris anno 1656. SS. Pontificum me subjicio et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro,cui nomen *Augustinus,* excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro : sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. »

Huic autem formulæ subscribendi auctoritati pontificiæ accessit mandatum regium.

Hac subscriptione coarctati jansenistæ duo distinxerunt in formula, nempe jus seu doctrinam contentam in quinque propositionibus, et factum scilicet attributionem hujus doctrinæ libro Jansenii. Quantum ad primum profitebantur se sincere damnare in quinque propositionibus sensum erroneum quem Ecclesia damnare voluit, et quantum ad hoc se paratos esse subscribere formulario. Quantum autem ad secundum, divisi fuere : quidam rigidiores contendebant nullo modo posse subscribi : alii remissiores opinabantur posse subscribi adhibitis quibusdam restrictionibus seu cautionibus.

VI.Quatuor episcopi gallicani, Andegavensis, Bellovacensis, Apamiensis, et Alectensis, in suis publicis mandatis pro subscriptione formularii distinxerunt jus et factum, juri assensum fidei, facto silentii reverentiam tantum deberi dixerunt. Sed inde offensis SS. Pontifice et rege christianissimo, alteram formularii subscriptionem suis diœcesanis jusserunt, et Clementi IX Alexandri successori per litteras testati sunt se sincere et abque ulla restrictione formulario Alexandri VII subscripsisse. Idem testati sunt eidem Clementi IX tres episcopi cardinalis Estreus Laudunensis, Senonensis et Catalaunensis, pacis inter quatuor dictos episcopos et SS. Pontificem mediatores : cujus narrationis veritate supposita Clemens IX litteras gratulatorias dedit quatuor episcopis anno 1669.

Hac Pontificis cum quatuor episcopis reconciliatione abusi sunt janseniani in patrocinium sui obsequiosi silentii : dixerunt namque laudatos quatuor episcopos in subscriptione quæ continetur in actis verbalibus synodorum diœcesanarum, inseruisse eamdem distinctionem et exceptionem juris et facti, qua non obstante, nec pontifici incognita, ipse tamen

pacem cum illis inierat, et inde dicta est pax Clementis IX. Verum esto in actis verbalibus secretis contineri restrictionem seu exceptionem facti, certum est eam SS. Pontifici non innotuisse et ipsum existimasse dictos episcopos sine ulla exceptione subscripsisse : id constat 1° ex litteris istorum episcoporum et mediatorum ad SS. Pontificem de quibus supra. 2° ex ipisus Clementis brevi dato 1668 regi christianissimo in quo dicit, «se cum lætitia cognovisse in simplici et pura subscriptione formularii quatuor illorum episcoporum obedientiam.» 3° ex altero brevi ejusdem Pontificis ad episcopos pacis mediatores 19 januarii 1669 ubi dicit SS. Pontifex ; « Non sine lætitiæ sensu pervidimus ex litteris fraternitatum vestrarum ..... de perfecta et integra obedientia nobis et Apostolicæ Sedi præstita per episcopos Andegavensem, Bellovacensem, A pamiensem et Alectensem subscriptione formularum sincero animo et juxta præscriptum litterarum apostolicarum ab eis facta. » Item ex altero brevi ejusdem Clementis IX ad quatuor episcopos prædictos eodem die et anno dato in quo dicit : « Cum ingenti obsequii nobis et huic S. Sedi per vos debiti testatione significabatis vos juxta præscriptum litterarum apostolicarum..... sincere subscripsisse et subscribi fecisse formulario.... Nam prædecessorum nostrorum constitutionibus firmissime inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut restrictionem admissuri unquam fuissemus. » Quid expressius? 4°. tandem ex bulla Clementis XI. *Vineam Domini Sabbaoth*, data anno 1705 in qua SS. pontifex graviter reprehendit eos qui Clementis IX « litteras in erroris sui patrocinium advocare temerario plane ausu non erubescunt.. perinde ac si memoratus Clemens prædecessor... aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum protestatus fuit, reipsa admisisset. »

VII. Cum nonnulli episcopi belgici ad majorem cautelam contra fraudes jansenianorum, quasdam additiones formulario fecissent, eas Innocentius XII brevi dato 1694 ad episcopos Belgii improbavit et prohibuit, jussitque subscribendum esse formulario et damnandas esse propositiones in sensu obvio quem tam ipsius formularii quam propositionum verba præ se ferunt ; injunxitque simul, « ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione et invidioso nomine jansenismi traduci aut nuncupari sinerent, nisi prius suspectum esse constiterit aliquam ex his propositionibus docuisse, aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, et concionibus habendis, vel alia quacumque functione ecclesiastica permittatis, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit. »

Verum cum hæc hujus brevis verba, « in sensu obvio quem verba præ se ferunt : » in alienum sensum detorquerent jansenistæ, quasi pontifex exigeret tantum ut propositiones in seipsis damnarentur in sensu obvio quem earum verba præ se ferunt, nulla facta mentione nec habito respectu ad sensum Jansenii, hunc vanum eorum triumphum repressit idem Pontifex altero brevi dato ad eosdem Belgii episcopos anno 1696. Neque eos juvant hæ voces, « prætensi jansenistæ, » quibus utitur Pontifex in isto brevi : non enim per illas intelligit fictos jansenistas, ut quidam imaginantur, sed qui tales prætenduntur, id est denunciantur et declarantur : distinguit enim ibi Pontifex inter jansenistas internos et externos, quos utrosque « prætensos » appellat, et mandat ut externi secundum rigorem juris puniantur : ergo per το « prætensi » non intelligit fictos aut falsos.

VIII. Anno 1702, confictus est famosus casus conscientiæ, in quo quidam clericus inducitur cui absolutio denegata fuit, quia declaraverat « se revera quinque propositiones simpliciter et absolute damnare ac formulæ fidei Alexandri VII subscripsisse quidem, nihilominus quantum ad quæstionem facti, seu attributionem illarum quinque propositionum libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium. » Hic casus propositus fuit quadraginta doctoribus parisiensibus qui his verbis responderunt : « Doctores infrascripti , visa casus expositione, hujus ecclesiastici viri sententiam nec novam esse nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam, neque talem, ut confessarius possit ipsi sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam rectractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20 julii anno 1702. »

Hanc responsionem improbavit et proscrispsit Clemens XI brevi dato anno 1703 ad regem christianissimum. Eamdem eodem anno damnavit cardinalis Noallius archiepiscopus parisiensis. Idem præstiterunt plurimi episcopi gallicani : hinc factum est quod omnes doctores parisienses, uno excepto, subscriptionem suam revocaverint, Postremo Clemens XI, solemni bulla *Vineam Domini Sabbaoth* data anno 1705, postquam confirmavit ac inno-

vavit constitutiones Innocentii X et Alexandri VIII et brevia Clementis IX et Innocenti XII a pravis jansenianorum interpretationibus vindicavit, decernit « obedientiæ quæ præinsertis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri. »

IX. Tandem cum Paschasius Quesnel oratorii Jesu presbyter in libro *Reflexionum moralium* in novum Testamentum multos errores in Baio et Jansenio damnatos inseruisset, idem Clemens XI, anno 1713, librum et centum et unam propositiones ex eo excerptas damnavit celebri constitutione *Unigenitus*, quæ ab universa Ecclesia est acceptata, a qua proinde non est appellatio, utpote ab Ecclesia ad Ecclesiam. Subjiciemus infra systema Jansenii.

DISSERTATIO II. PRÆAMBULA.

De variis naturæ humanæ statibus.

Status est conditio homini conveniens cum quadam firmitate et immobilitate. Sumitur hic pro conditione et modo stabili quo se habet natura humana in ordine ad suum ultimum finem. Quintuplex distinguitur: primus, status naturæ puræ; secundus, status naturæ integræ; tertius, justitiæ originalis; quartus, naturæ lapsæ; quintus, naturæ reparatæ. Posset adjici status gloriæ et status damnationis, sed de his non est hic quæstio, quia tantum nunc naturam spectamus prout per auxilium divinum tendit ad suum ultimum finem. Itaque hanc dissertationem tractatui gratiæ præmitto, quia illorum statuum explicatio non parum conducit ad cognitionem necessitatis, diversitatis et proprietatum gratiæ, moventurque circa illos graves difficultates.

ARTICULUS I.

EXPLICATUR QUINQUE STATUS NATURÆ HUMANÆ.

§ I.

Status naturæ puræ.

Status naturæ puræ importat præcise naturam cum suis principiis intrinsece constituentibus et iis quæ ex illis sequuntur seu ei debentur. Hinc:

1° Homo in natura pura conditus foret sine peccato, sine gratia sanctificante, sine virtutibus infusis et sine auxiliis gratiæ ordinis supernaturalis, quia hæc illi non debentur ex ejus principiis intrinsecis.

2° Foret obnoxius fami, siti crucianti, labori, morbis, passionibus alterantibus et morti, quia cum corpus quod est pars materialis naturæ, componatur ex contrariis, quæ continuo inter se pugnant, hæc ex ejus principiis intrinsecis sequuntur.

3° Obnoxius foret ignorantiæ et concupiscentiæ:[1] ignorantiæ, quia cum intellectus natus sit ex sensibus notitiam intelligibilium acquirere, facile propter phantasmata a vero deviare potest; concupiscentiæ, quia cum in natura humana non sit solum appetitus rationalis, sed etiam sensitivus, scilicet irascibilis et concupiscibilis, et unusquisque feratur in suum objectum, rationalis in bonum secundum rationem seu bonum honestum, irascibilis in bonum sensibile arduum, concupiscibilis in bonum sensibile delectabile, non raro contingeret quod appetitus sensitivus ferretur in bonum sensibile contra dictamen rationis, sicque forent motus inordinati contra rationem, sicut videmus quod æger appetat potum frigidum repugnante ratione. Neque obstat quod appetitus sensitivus naturaliter subjiciatur rationi;[2] subjicitur enim duntaxat politice,

[1] 4 Cont gent. c. 52. [2] 1. 2. q. 17. a. 7. c.

ut civis principi, uxor viro, filius patri, qui possunt rebellare ; non despotice, ut servus domino, pes aut manus voluntati, quæ in omnibus obediunt.

4°. Finis ultimus seu beatitudo objectiva hominis in hoc statu foret Deus ut auctor naturalis, prout modo nostro concipiendi distinguitur a seipso ut est auctor supernaturalis. Beatitudo formalis foret perfecta conjunctio cum illo, ipsum cognoscendo abstractive seu per effectus, et suaviter ac constanter ei adhærendo per amorem.

5° Ad obtinendum hunc finem per observantiam omnium præceptorum naturalium et victoriam concupiscentiæ rebellantis, darentur in eo statu auxilia ordinis naturalis, sufficientia omnibus, efficacia quibusdam. Neque ista auxilia etiam efficacia huic statui derogarent, quamvis enim cuilibet hujus naturæ individuo non deberentur, forent tamen debita speciei naturæ, eaque suæ providentiæ deberet Deus, ne frustra naturam ad aliquem finem condidisset, si nullum ejus individuum hunc finem assequeretur : sicut naturæ elevatæ ad finem supernaturalem debentur auxilia ordinis supernaturalis, sufficientia in omnibus ejus individuis, efficacia in quibusdam ad hunc finem prædestinatis.

6°. Quamvis tempore S. Th.[1] quidam theologi tenerent hunc statum extitisse in Adamo, antequam gratia sanctificante donaretur, nunc tamen omnes conveniunt nunquam extitisse, sed primum hominem sicut et angelos fuisse creatos cum gratia santificante et elevatos ad ordinem supernaturalem: dicitur enim Eccli. 7. *Deum fecisse hominem rectum* : Et S. Aug. 12. *de Civit* c. 9. loquens de angelis, est autem eadem ratio de homine, « Deus, inquit, simul erat in eis condens naturam et largiens gratiam.» Insuper Math. 25. dicitur Deum a constitutione mundi præparasse bonis regnum cœlorum, malis infernum, id est felicitatem et infelicitatem supernaturalem, consequenter Deum instituisse ordinem gratiæ simul cum ordine naturæ et ad illum angelos et homines elevasse.

§ II.

Status naturæ integræ.

1° Status naturæ integræ consistit in perfecta subjectione corporis ad animam et appetitus sensitivi ad rationem : proindeque importat immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, morte et passionibus naturam alterantibus. Quia natura dicitur integra, dum inter ejus partes nulla est divisio aut defectio a sua perfectione, inferioraque perfecte subduntur superioribus, consequenter dum corpus perfecte continetur sub potestate animæ, ita ut nulla alteratione aut corruptione ab ejus dominio deficiat, et appetitus sensitivus nihil habet rationi repugnans. Quod si esset tantum alterutra subjectio, vel solius corporis ad animam vel solius appetitus sensitivi ad rationem, non foret perfectus status naturæ integræ, sed partialis ejus perfectio.

2° In ea naturæ integritate fuit creatus Adam : 1° quantum ad immortalitatem, constat ex illo Genes 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris :* ergo si non comedisset, non fuisset mortuus. Item ex illo Sap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Ad Rom. 5. *Per peccatum mors :* Et Pelagius in variis conciliis fuit damnatus quod diceret Adamum esse mortalem factum, nosque nasci mortales sicut Adam fuit creatus. Quantum ad immunitatem a concupiscentia, patet ex eo qnod Genes. 3. dicatur quod cum Adam et Eva essent nudi, non erubuerint, erubuerent autem post peccatum ; quia scilicet ante peccatum nullus motus inordinatus de quo erubescerent oriri poterat, post peccatum autem ortus est : et ideo Apost. vocat concupiscentiam, peccatum, quia de peccato orta est, ut dicit Trid.

3°. Donum integritatis situm erat in quodam vigore, quo homo corpus et appetitum sensitivum ita sub dominio continebat, ut nihil in eis contra ejus voluntatem accideret [1] : quantum ad defectum senectutis contra quem iste vigor nihil poterat, aderat lignum vitæ, cujus proprius effectus erat vim vegetativam a simili languore præservare.

4°. Istud donum integritatis in Adamo oriebatur a gratia sanctificante : quia, ut diximus ex SS. Aug. et Th. dum de peccato originali, quandiu ratio superior subdebatur Deo, quæ subjectio habebatur per gratiam sanctificantem, corpus perfecte subdebatur animæ et appetitus sensitivus rationi ; ab ea tamen gratia originali distinguebatur, quia erant diversi ordinis ; integritas enim est forma perficiens naturam in ordine naturali, non elevans ipsam ad ordinem supernaturalem, nec cons-

[1] In 2. d. 29. q. 1. a. 2. 1. p. 95. a. 1.

[1] 1 p. q. 97. a. 1. o. et 3. ad. 2. 1. 2. q. 91. a. 1. o.

tituens hominem filium Dei adoptivum, participem divinæ naturæ et hæredem regni cœlestis, quæ omnia præstabat gratia sanctificans: unde nihil obstabat quin potuerit Deus creare hominem in statu naturæ integræ absque justitia seu gratia originali; quia tamen isti duo status in Adamo fuerunt adunati, sæpe a Patribus et theologis confunduntur.

§ III.

Status justitiæ originalis.

Hunc felicissimum statum, qui per antonomasiam vocatur status innocentiæ, eleganter describit S. Th. opusc. 2, c. 185, eumque constituit inperfecta subjectione rationis ad Deum, appetitus sensitivi ad rationem et corporis ad animam: quæ duo ultima sequebantur ex primo, ut dictum est: ex hoc enim quod homo esset per gratiam amicus et filius Dei, conveniens erat, ut illi cætera subjicerentur. Habet quidem anima rationalis ex natura sua, cum sit imago Dei, quod dominetur cæteris sibi inferioribus, sed istud dominium est imperfectum; cum vero per gratiam originalem perficeretur in eo ratio imaginis, exigebat ut quamdiu adhæreret et subjiceretur Deo, cætera illi perfecte subjicerentur; poterat autem ab hac perfecta ad Deum subjectione deficere per peccatum, voluntate ejus nondum confirmata in bono [1].

Hinc sequitur 1° quod Adam qui, ut communiter nunc tenent theologi, sicut dictum est, fuit in eo statu creatus, aut saltem juxta quosdam statim post creationem constitutus, habuerit omnes virtutes infusas tam theologicas quam morales et dona Spiritus Sancti, quia hæc omnia sequuntur gratiam sanctificantem, ut ejus proprietates seu appendices.

Sequitur 2° ipsum fuisse immunem a fame et siti cruciante, a tristitia et doloribus, a passionibus alterantibus, a morbo, morte et concupiscentia, ex dono scilicet integritatis, secuto ad justitiam originalem, ut dictum est.

Sequitur 3° in eo fuisse plenitudinem scientiæ rerum naturalium et supernaturalium, quantum exigebat dignitas et officium præceptoris et rectoris posterorum; erat enim constitutus Adam caput generis humani, non solum quantum ad gratiam sed etiam quantum ad instructionem et gubernationem; quæ ratio cum non curreret pro posteris, hi nec nascerentur, ut ipse creatus fuit, in perfecta ætate, nec hanc scientiæ plenitudinem haberent, sed facile acquirerent.

Sequitur 4° justitiam originalem, si adæquate sumatur, prout includit omnes perfectiones, et prærogativas hujus status, non esse unam simplicem qualitatem seu habitum, sed plurium donorum et habituum aggregatum: quia unus simplex habitus non tam diversas corporis et animi potentias regere potest, nec in tot diversis subjectis residere. Si vero sumatur inadæquate pro perfectione illius status primaria, ex qua aliæ tamquam ex radice promanabant, est simplex qualitas, ipsa scilicet gratia sanctificans; quia, ut jam dictum est, primaria hujus status perfectio, ex qua aliæ profluebant, erat perfecta animæ subjectio ad Deum, non solum ut auctorem naturalem, sed etiam supernaturalem; subjectio autem Deo, ut auctori supernaturali, est per gratiam sanctificantem.

Petes utrum hæc gratia sanctificans status innocentis fuerit ejusdem rationis et speciei cum gratia sanctificante hujus status naturæ lapsæ.

Resp. fuisse eamdem specie quoad substantiam, quia idem est formalis effectus utriusque gratiæ, scilicet constituere hominem Deo gratum, filium ejus adoptivum, amicum et hæredem regni cœlestis; ratio autem formæ dignoscitur ex ejus effectu formali, cum ipse sit ipsa forma communicata. Fuit tamen diversa quoad modum sese communicandi subjecto, quia gratia justitiæ originalis communicabat homini plures effectus secundarios, ut exposuimus, quos nunc non communicat.

Diversitas autem istius modi petitur tum ex parte principii, tum ex parte subjecti tum ex parte termini.

Ex parte principii; quia gratia status innocentiæ procedebat a Deo ut creatore instituente naturam tam in esse naturali quam supernaturali, unde fuit per modum creationis, cujus est opus suum statim perfectum producere. Gratia vero hujus status procedit a Deo ut redemptore, non ut naturam instituent, sed ut personas sanante; unde non datur prout congruit naturæ et ipsi gratiæ secundum se spectatæ, ut in prima creatione sed secundum modum quem ipse Redemptor homini sanando congruentiorem judicavit et hic modus et ut anima a morbo peccati sanaretur, deinde per humilitatem et pœnitentiam ad perfectionem perveniret.

[1] 1. p. q. 95. a. 1.

Ex parte subjecti : gratia primi status respiciebat per se naturam et ratione naturæ personas, erat enim dos naturæ collata in sua creatione, non suo jure, sed ex singulari beneficio Creatoris ; et cum in ea natura, nimirum innocente, nihil reperiret sibi contrarium, plene et integre se illi communicabat quoad omnes suos effectus tam primarios quam secundarios. Gratia autem hujus status primo per se respicit personam sanandam et ratione personæ naturam, et cum reperiat personam omnino sibi contrariam et suis dotibus indignam, non se plene illi communicat, sicut congrueret ipsi gratiæ secundum se et naturæ non indispositæ, ut in prima creatione, sed juxta modum homini sanando magis congruum : judicavit autem Deus, ut jam dixi, non congruere homini, ut tota perfectio ei restitueretur a qua superbiendo exciderat, sed ut mens sanaretur a peccato et Deo conjungeretur, relicta infirmitate in inferioribus potentiis, tum ad comprimendam superbiam, tum ad exercitium virtutum, tum ut inde excitaretur homo ad opem medici continuo implorandam, tum ad ostendendam virtutem auxilii divini hominem fragilem inter tot tentationes custodientis, tum denique ut conformaremur Christo, qui per actus virtutum et passionem ad gloriam corporis pervenit.

Ex parte termini : terminus gratiæ primi status fuit imago Dei homini perfecte impressa, in quantum patiebatur status viatoris ; unde statim profundebat omnes perfectiones statui viatoris non repugnantes, nulla dispositione ex parte subjecti requisita : terminus autem gratiæ Christi est hanc imaginem deturpatam concurrentibus hominis actibus reparare sicque non conveniebat, ut tota perfectio hujus imaginis simul redderetur, sed successive per actus virtutum repararetur.

His omnibus de causis, gratia primi status dicitur gratia naturæ, non quod naturæ deberetur, sed quia, ut dixi, data fuit naturæ, in ejus institutione, et cum natura atque ratione naturæ, personis communicanda, tamquam dos naturæ ex singulari Creatoris beneficio illi collata : eadem ratione dicitur justitia originalis. Gratia vero hujus status, non potest dici gratia naturæ, neque justitia originalis ; quia primo per se respicit personam sanandam et ratione personæ naturam, neque datur et accipitur cum natura, sed per actus proprios, iis scilicet qui conjunguntur Christo per fidem, bona opera et susceptionem sacramentorum.

§ IV.

Status naturæ lapsæ.

De statu naturæ lapsæ plura dixi dum de peccato originali, nempe naturam humanam per peccatum Adæ spoliatam fuisse gratia sanctificante, virtutibus ei annexis et dono integritatis, impassibilitate, immortalitate et exemptione ab ignorantia et concupiscentia : neque solum his donis gratuitis fuisse spoliatam, sed etiam in naturalibus fuisse vulneratam , et quatuor esse ejus vulnera , scilicet ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, concupiscentiam in appetitu concupiscibili, infirmitatem in irascibili : de quo iterum infra.

Hujus miseri status, juxta SS. Patres, typum habemus Luc. 10, in parabola hominis qui descendens « ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones qui despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto » : cujus hæc est interpretatio : « Homo quidam, » Adam seu genus humanum, « descendebat ab Jerusalem in Jericho, » exulabat e Paradiso seu loco pacis in miserias ac defectus hujus mortalitatis ; « incidit in latrones, » peccatum subjecit hominem potestati dæmonum , « qui despoliaverunt eum, » per peccatum fuit spoliatus gratuitis, « plagis impositis abierunt, » et vulneratus in naturalibus, « semivivo relicto, » quia anima manente immortali, corpus factum est mortale vel quia libertas arbitrii per peccatum fuit imminuta , non omnino extincta.

§ V.

Status naturæ reparatæ.

Hic status variis nominibus exprimitur in S. Scriptura. Luc. 1, 1, Timot. 2, Joan. 8, dicitur : *Redemptio et liberatio,* scilicet a captivate diaboli et peccati. Ephes. 2, dicitur : *Resuscitatio et vivificatio.* 2, Pet. 2 : *Sanatio.* 2, Cor. 5: *Reconciliatio et renovatio :* quæ expressiones supponunt generalem ruinam naturæ humanæ.

Convenit iste status cum statu innocentiæ in hoc quod uterque tendat ad eumdem terminum, scilicet beatitudinem supernaturalem, et quod in utroque principium meriti sit gratia sanctificans, eadem quoad substantiam, ut diximus.

Sed longe pluribus titulis differunt: 1° Differunt ex parte finis: finis remotus « cujus gratia» status innocentiæ fuit manifestatio liberalitatis divinæ, status autemnaturæ reparatæ manifestatio misericordiæ: unde in isto major fuit charitas, quia major est charitas inimicis benefacere; fuit etiam majus beneficium in ratione beneficii, utpote indigno collatum, imo et majus donum, nempe unigenitus Dei Filius, *sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:* Joan. 3, unde canit Ecclesia : *Felix culpa quæ tantum habere meruit reparatorem.* Finis *cujus gratia* proximus status innocentis fuit imago Dei creatoris homini, in quantum status hujus conditio patiebatur, imprimenda, juxta illud Genes. 1, *Ad imaginem Dei creavit illum* : finis proximus cujus gratia status naturæ reparatæ est imago Christi reparatoris homini similiter, in quantum pari hominis conditio permittit, imprimenda; juxta illud Rom. 8. *Quos prædestinavit conformes fierit imagini Filii sui.* Finis *cui* status innocentiæ erat ipse homo exornandus etglorificandus : finis cui status naturæ reparatæ est ipse Christus, ad cujus gloriam omnia illius status referuntur, ut dicemus de Incarnatione.

Ex parte causæ efficientis differunt isti status: quia quamvis utriusque Deus sit causa efficiens, diverso tamen modo : est enim causa efficiens status innocentiæ immediate, status naturæ reparatæ per Christum, ita ut Christus sit et causa moralis reparationis, quam sua passione nobis promeruit, et causa efficiens physica, principalis, quidem ratione divinitatis, instrumentalis ratione humanitatis. Et hinc causa gratiæ in statu innocentiæ erat naturæ extrinseca, in statu reparationis est ipsi intrinseca, nimirum Verbum caro factum, ideoque fœdus inter Deum et naturam in primo statu fuit temporale et transitorium, in statu reparationis est æternum et indissolubile ratione unionis hypostaticæ, juxta illud Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et in judicio et in misericordia et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide.*

Differunt iterum ex parte subjecti seu causæ materialis. Subjectum status naturæ innocentis erat natura innocens, non habens quidem jus ad dona gratuita istius status, sed nihil habens quod ipsi repugnaret. Subjectum autem naturæ reparatæ est natura peccato infecta, quavis gratia indigna: unde in priori statu erat tantum donis gratuitis ornanda, in altero prius sananda, deinde exornanda. Et hinc aliud discrimen quod natura innocens, utpote sana et robusta, esset secundum se longe habilior ad bonum faciendum et in eo perseverandum : at vero natura reparata, cum sit adhuc ex parte infirma et variis hostibus et tentationibus vexata, diu in bono permanere non posset, nisi potentiori auxilio adjuvaretur.

Tandem quantum ad causam formalem utriusque status, scilicet gratiam, varia discrimina recensuimus dum de statu naturæ innocentis inter gratiam sanctificantem utriusque status. De gratia actuali dicemus infra.

Circa hos igitur status occurrunt tres gravissimæ difficultates in scholis magna contentione agitatæ. Prima, utrum status naturæ puræ sit possibilis. Secunda, utrum homo in statu naturæ lapsæ habeat minores vires ad bonum quam habuisset in statu naturæ puræ. Tertia, an homo in statu innocentiæ indiguerit auxilio efficaci seu auxilio quoad faciendum bonum et in eo perseverandum. Has tres quæstiones tribus articulis sequentibus discutiemus. Unde sit

ARTICULUS II.

UTRUM STATUS NATURÆ PURÆ FUERIT POSSIBILIS?

Inprimis huc revocanda sunt quæ initio præcedentis articuli diximus pertinere ad statum naturæ puræ : hunc nunquam extitisse ibidem asseruimus et totus fuit S. Augustinus ut ejus existentiam in Adamo impugnaret adversus pelagianos. Quæstio est igitur de ejus possibilitate.

Jansenius tom. 2. tribus libris integris contendit esse absolute impossibilem et justitiam originalem cum dono integritatis fuisse naturalem in Adamo, non solum hoc sensu quod illi cum natura collata sit, aut quod naturæ sit consentanea, neque tamen etiam hoc sensu quod ipsa sit naturæ humanæ essentia aut proprietas, sed hoc sensu quod rationi, æquitati et ordini providentiæ ita sit consentanea, ut homo non potuerit sine illa in statu naturæ puræ creari, absque læsione bonitatis, justitiæ, sapientiæ divinæ et recti ordinis providentiæ. Jansenio præiverant Lutherus in cap. 3. Genes., Calvinus *lib. I. Institut.* c. 15. et lib. 2. cap. 1., et Baius in propositionibus damnatis.

Quidam theologi præscindentes omnipotentiam divinam a cæteris attributis, dicunt statum naturæ puræ, attenta divina omnipotentia sic præcisa, esse possibilem ; attenta autem divina omnipotentia ut conjuncta divinæ sapi-

entiæ, bonitati et justitiæ, non esse possibilem. Verum hæc metaphysica præcisio videtur futilis et absona; quod enim est contra Dei sapientiam, bonitatem, justitiam aut quodvis aliud ejus attributum, debet censeri simpliciter et absolute impossibile; Deus enim, ut ait Apost. 2. Timot. 2: *Seipsum negare non potest,* neque facere quod repugnat divinis suis perfectionibus: « Nihil potest esse in potentia divina, inquit Auctor, quod non possit esse in voluntate justa ipsius et in intellectu sapiente ejus. »[1]

Alii distinguunt inter potentiam Dei extraordinariam et ordinariam, et dicunt statum naturæ puræ esse possibilem de potentia Dei extraordinaria, non de potentia Dei ordinaria, aliis contendentibus esse possibilem, etiam de potentia Dei ordinaria: sed hanc discordiam videri de nomine ex diversa intelligentia hujus vocis potentia ordinaria, ostendam infra.

Communis sententia est statum naturæ puræ esse simpliciter possibilem. Unde

Dico: fuit simpliciter possibile Deo creare hominem in statu naturæ puræ, scilicet sine peccato et sine gratia atque dono integritatis, obnoxium morti, ignorantiæ et concupiscentiæ.

Tota conclusio est contra Jansenium et ejus sequaces. Ex parte contra Estium, Herreram et quosdam alios theologos, qui admittunt quidem Deum potuisse creare hominem sine gratia sanctificante et sine dono immortalitatis, non tamen sine dono integritatis excludente concupiscentiam.

Prob. 1°. ex S. Aug. qui lib. 3 *de Lib. arbit.* cap. 20 disputans contra Manichæos qui admittebant duo externa principia, unum bonum, alterum malum, et istud vituperabant propter ignorantiam et difficultatem bene vivendi ex concupiscentia, quas patimur, supponit quatuor modos quibus animæ produci possint et corporibus communicari. Primus est si omnes animæ ex una anima peccatrice via seminali traducerentur. Secundus, si singulis corporibus singulæ animæ per creationem infunderentur. In hoc modo S. Aug. non supponit peccatum, ut patebit mox ex ejus verbis, et hæc est hypothesis de possibilitate naturæ puræ. Tertius, si omnes animæ in aliquo loco prius existentes mitterentur a Deo ad informanda corpora. Quartus, si sponte sua in hæc corpora dilabantur. Quis autem ex his modis sit verus, non audet definire S. Aug. cap. seq. 21.

Igitur cap. 20 loquens de secunda hypothesi dicit: « Si ergo altera (anima) talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet unde conditori suo gratias agat, quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior: non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit, sed etiam quod facultatem habet, ut, adjuvante Creatore, seipsam excolat et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes per quas et a difficultate cruciante et ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium: non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium quo sapientiam præponat errori et quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo sed studendo perveniat. » Prius dixerat: « Quid enim indignum, si etiam sic voluit Creator ostendere usque adeo excellere creaturis corporeis animæ dignitatem, ut ab eo gradu possit esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus. »

Hoc autem testimonium eo est efficacius, quod S. Doctor jam senex factus illud repetat et approbet lib. 1 *Retract.* cap. 9. « Ad miseriam, inquit, justæ damnationis pertinet ignorantia et difficultas.... quamvis etiam, si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem lib. 3 (nempe de *Lib. arbit.*) disputavimus. » Et morti proximus iterum sic confirmat lib. de *Dono persever.* cap 11. « Etiamsi verum esset ignorantiam et difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia non supplicia esse naturæ, vincerentur tamen manichæi: » id est non propterea Auctor naturæ esset culpandus.

Ex his evidens est S. Augustinum agnoscere Deum absque ullo suæ bonitatis et justitiæ præjudicio potuisse creare hominem in statu naturæ puræ, obnoxium ignorantiæ et difficultati ad bonum, sub qua comprehenditur concupiscentia et infirmitas, ut notat S. Th.[1] idque nunquam retractasse, ut quidam fingunt, sed in ea sententia usque ad finem vitæ perseverasse. Cum autem alii defectus minus repugnent, a fortiori potuit homo creari cum illis.

Respondent adversarii post Jansenium hypothesim S. Augustini de qua loquimur, supponere peccatum et gratiam, consequenter non

[1] 1 P. q. 25. a. 5. ad 1.

[1] 1. 2. q. 85. a. 3. ad 5.

esse hypothesim naturæ puræ. Supponit peccatum, quia ibid. paulo ante dixerat S. Aug. « ut malum meritum prioris sit natura sequentis. » Supponit gratiam, quia dicit illam animam pio studio acquirere posse omnes virtutes per quas « et a difficultate cruciante et ab ignorantia cœcante liberetur. »

Sed contra. Primum aperte contradicit verbis S. Augustini; dicit enim, « ante peccatum » et supponit hanc ignorantiam et difficultatem esse « primordia naturalia, non supplicia peccati » : si vero supponerent peccatum, jam non forent primordia naturalia, sed peccati supplicia. Item supponit ortum hujus animæ fore ab eo gradu ad quem alterius animæ peccatricis occasus est perductus; si autem supponeret peccatum, utrobique foret occasus. Quantum ad verba quæ objiciuntur, istud malum meritum de quo loquitur S. Aug. non est peccatum, sed pœna peccati seu mali meriti, et sensus est: si ignorantia et difficultas quæ est in una anima pœna peccati, foret alteri naturalis, non ideo esset aliquid perversum, nec Deus esset culpandus. Patet legenti textum integrum S. Augustini.

Si dicas : saltem corpus seu caro cui per creationem infunderetur anima ista, esset seminaliter ex Adamo peccatore; dicit enim S. Augustinus paulo post : « Caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad se animis, hanc ignorantiam et difficultatem facit. » Nihil autem repugnat propter Adamum peccatorem ejus prolem pœna ignorantiæ et concupiscentiæ affligi. Resp. S. Augustinum in secunda hypothesi, in qua fundatur nostrum argumentum abstrahere unde sit caro ; quæ autem afferuntur ex ipso pertinent ad tertiam hypothesim, de qua non est hic quæstio.

Quantum ad secundum, quæ objiciuntur ex S. Augustino non important gratiam ordinis supernaturalis et proprie dictam, sed auxilium ordinis naturalis ; homo enim in natura pura per auxilia ordinis naturalis et suo statui congrua posset acquirere virtutes morales, per quas ignorantiam et concupiscentiam vinceret.

Cæterum, ut mens S. Augustini clarius percipiatur, observandum est (ut ipsemet observat *de Dono persev.* cap 11 et 12) ipsum duplici modo processisse adversus manichæos : 1°. probando ignorantiam veri et difficultatem recti supponere peccatum et ex eo oriri, sicque in Deum non esse referendas; 2°. via ratiocinii, nimirum quod licet forent primordia naturalia, neque peccatum supponerent, non ideo etiam Deum esse culpandum, sed laudandum.

Procedendo primo modo, nihil dixit quod faveret statui naturæ puræ ; sed quia manichæi non admittebant vetus Testamentum et rejiciebant in novo omne id unde posset probari peccatum originale, secundo modo præcipue institit et juxta illum ratione probavit, esto non esset peccatum originale, atque ignorantia et concupiscentia essent primordia naturalia, Deum nihilominus non esse auctorem mali nec culpandum ; cum in hac hypothesi ignorantia et difficultas recti forent « proficiendi admonitio et perfectionis exordium. »

Cum autem pelagiani, status naturæ puræ assertores, retorquerent in S. Augustinum quæ dixerat contra manichæos, respondebat S. Augustinus, hæc ipsis non favere, quia arguerat contra manichæos, non ex præsenti rerum statu, neque auctoritate Scripturarum quas negabant, sed ex variis ratiociniis et hypothesibus, quibus constabat Deum non esse auctorem mali : pelagiani autem qui admittebant vetus et novum Testamentum, ex illis et ex præsenti rerum statu confundebantur.

Ex his patet S. Augustinum non arguisse contra manichæos ex hypothesi impossibili, ut quidam perperam dicunt ; non enim potuisset S. Doctor hæreticos confutare ex hypothesi quam judicasset ipsemet impossibilem ; neque dicenda est hypothesis impossibilis, juxta quam Deus non est culpandus, sed laudandus.

Prob. ex S. Th. in 2. d. 31. q. 1. a. 2. ad 3, ubi dicit : « Poterat Deus a principio quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens ; in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpæ aut pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus fuisset. » Idem docet 4 *cont. Gent.* c. 52, tametsi congruum existimet, attenta suavi Dei providentia, ut homo ab illis defectibus in sui creatione per dona supernaturalia eximeretur ; unde dicit ex his defectibus posse probabiliter probari peccatum originale, quod modo magis explicabimus.

Prob. ratione: status naturæ puræ, prout exprimitur in conclusione, non repugnat neque ex parte hominis, neque ex parte Dei : ergo est simpliciter possibilis.

Prob. prima pars ant. 1°. Neque gratia sanctificans, neque donum integritatis et im-

mortalitatis sunt debita naturæ humanæ secundum se spectatæ, sed mere gratuita et ex sola Dei liberalitate collata : ergo status naturæ ab illis dotibus puræ non repugnat ex parte hominis. Patet conseq., quia de ratione doni indebiti et mere liberalis est, quod possit ad nutum dantis concedi aut denegari, et ideo adversarii volunt naturam sine his donis non posse creari, quia putant ea illi ex quadam justitia deberi. Prob. ant. imprimis quantum ad gratiam proprie dictam et supernaturalis ordinis. 1° Ex ipso nomine : si enim debita, jam non est gratia ; si ordinis supernaturalis, ergo supra totum ordinem et debitum naturæ ; 2° quia per gratiam homo fit filius Dei adoptivus, Galat. 4. De ratione autem adoptionis est, quod qui adoptatur, non natura, nec aliquo jure, sed liberali adoptantis voluntate fit filius et hæres ; 3° per gratiam homo fit consors divinæ naturæ et ipsi datur Spiritus Sanctus, Rom. 1. Quis autem hæc naturæ humanæ esse debita et non omnino gratuita dicat ? Unde S. Aug. lib 3. *contra Maximum* c. 15. « Homo, inquit, ad similitudinem Dei factus est, tamen quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius, et ideo fit gratia filius, quia non est natura. » Quantum ad donum integritatis et immortalitatis, prob. Non est naturæ secundum se spectatæ debitum donum quo eximatur a defectibus ipsius naturæ principia consequentibus, sed magis debitum est ut iis obnoxia relinquatur, ut patet in potentia peccandi, de qua modo : atqui ignorantia, concupiscentia, passibilitas, mortalitas consequuntur ex principiis naturæ humanæ, ut docet S. Th. 4. *cont. Gent.* c. 52. et nos diximus supra in expositione status naturæ puræ ; scilicet, cum corpus humanum componatur ex contrariis continuo inter se pugnantibus, connaturale esse ut sit passibile et corruptibile : similiter appetitum sensitivum in ea quæ sunt secundum sensum moveri, quæ sæpe sunt contraria bono honesto et rationis : item intellectum qui ex sensibus natus est adipisci notitiam intelligibilium, difficile ad eam pervenire et facile propter phantasmata a vero deviare : unde S. Aug. lib. 4. *contra Jul.* c. 16. loquens de concupiscentia : « Gratia Dei, inquit, ibi magna erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat » : ergo.

Prob. 2°. prima pars primi ant. Homo conditus in puris naturalibus haberet omnia quæ ipsi competunt naturaliter, seu ex principiis intrinsecis, tam in esse physico quam in esse morali : ergo status naturæ puræ non repugnat ex parte hominis. Prob. ant. In ordine physico homo constituitur corpore et anima rationali cum suis proprietatibus et potentiis tam spiritualibus quam sensitivis : in ordine morali exigit habere liberum arbitrium, suum finem et media illi proportionata cognoscere, atque per ea finem posse assequi : atqui hæc omnia haberet in statu naturæ puræ. Et quidem de principiis intrinsece constituentibus et proprietatibus naturalibus atque libero arbitrio nemo negat. De cæteris probatur : finis proximus hominis in statu naturæ puræ foret bonum honestum, finis ultimus Deus ut auctor naturæ, media ad illum finem consequendum actus morales boni per auxilia ordinis naturalis ; hæc autem omnia, cum naturam non transcendant, cognosceret, nec deessent illi auxilia præfata quibus per bonos actus morales hunc suum finem ultimum assequi posset ; sicut enim ad providentiam divinam pertinet unicuique rei naturali providere de mediis suo fini ad quem creata est proportionatis : a fortiori provideret creaturæ rationali ad imaginem suam factæ ; neque sane id posse Deum fas est negare : si autem posset et indigeat creatura rationalis in præfato statu, procul dubio daret. Sicut ergo in statu supernaturali elevationis dantur omnibus auxilia sufficientia ad finem supernaturalem consequendum, et quibusdam prædilectis efficacia : ita in statu naturali darentur omnibus auxilia sufficientia ordinis naturalis et quibusdam efficacia. Neque, ut jam notavi, ista debent censeri naturæ puræ indebita ; esto enim sint indebita cuilibet individuo, sunt tamen debita speciei naturæ in aliquibus suis individuis, secundum beneplacitum Auctoris naturæ, qui etiam hæc suæ providentiæ deberet, ne frustra condidisset naturam humanam in ordine ad suum finem, si nullum ejus individuum illum obtineret.

Sic probata prima parte primi antecedentis, sponte fluit secunda pars, scilicet statum naturæ puræ non repugnare ex parte Dei : si enim gratia supernaturalis, donum integritatis et immortalitatis non sunt debita naturæ humanæ, hæc dona Deus illi denegare potuit absque læsione suæ justitiæ, bonitatis et sapientiæ, sicut illi denegaret et de facto denegavit Adamo innocenti donum impeccabilitatis. Item si homo in statu naturæ puræ haberet omnia quæ ipsi competunt secundum principia sua intrinseca, tam in esse physico quam in esse morali, salvatur ordo justitiæ divinæ,

utique reddentis unicuique quod ei debetur jure suæ creationis, salvatur ordo divinæ sapientiæ et bonitatis disponentis et ordinantis omnia ad suos fines : ergo.

Respondent quidam hæc equidem dona non deberi homini jure suæ naturæ, Deum tamen non posse secundum æquitatem ea denegare suæ imagini innocenti.

Sed contra, 1° ex dictis Deus secundum suam æquitatem, non plus debet suæ imagini innocenti quam quod illi competit jure suæ creationis in ratione imaginis : atqui, ut probavimus, ista dona non debet homini, imagini suæ, jure suæ creationis : ergo. 2° Et valide confirmatur conclusio : peccatum et potentia peccandi magis repugnant dignitati imaginis Dei, quam concupiscentia, ignorantia et alii defectus naturales : atqui tamen Deus, illæsa æquitate, non abstulit ab homine innocente potentiam peccandi, et ipsum peccatum prævisum non impedivit, cum utrumque facillime posset : ergo. 3° Magis repugnare videtur dignitati imaginis Dei quod anima rationalis innocens uniatur carni peccatrici, ex qua non solum memoratos defectus, sed longe pejorem, scilicet maculam peccati contrahat, quam si uniretur carni memoratis quidem defectibus obnoxiæ, sed a labe peccati puræ : atqui Deus absque iniquitate primum præstat, cum facillime posset aliter : ergo a fortiori potuit sine iniquitate secundum.

In hoc ergo peccant adversarii quod æstiment æquitatem Dei ex infirma et limitata ratione humana, eum æstimari debeat ex ipsa divina voluntate, et id omne sit justum quod Deus vult ; neque si aliud voluisset, fuisset injustum.

Prob. tandem ex pluribus propositionibus damnatis in Baïo a ss. pontificibus S. Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII Prima : « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis »; est 21, inter damnatas. Secunda: « Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio » ; est 26. Tertia: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nascitur », excepto scilicet peccato; est 55. Quarta: « Immortalitas primi hominis, non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio »; est 78. Quinta: « Falsa est doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali »; est 79. Adde hanc Quenelli damnatam a Clemente XI: « Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturæ sanæ et integræ »; est 35.

Respondent adversarii non omnes propositiones Baii esse damnatas ut falsas, sed esse damnatas tantum, « ut hæriticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem imittentes respective»; Pium V. in bulla declarasse « nonnullas aliquo pacto sustineri posse, » et tandem Suarem ac Vasquesium decere ex ore Toleti, qui hac de re missus fuit Lovanium a Gregorio XIII, quique probe noverat mentem SS. Pontificis, aliquas esse damnatas solum propter acerbitatem censuræ, et quoad doctrinam posse sustineri ut veras.

Sed contra 1°. dato nonnullas posse aliquo pacto sustineri, quatenus nimirum sunt duntaxat damnatæ propter acerbitatem censuræ, ut dicunt laudati theologi, eæ quas retulimus, excepta ultima, non sunt hujus speciei, cum nullam continent censuram.

2°. Ambæ facultates theologicæ Lovaniensis et Duacena in suis declarationibus tunc temporis datis censuerunt omnes esse damnatas ut falsas, et omnibus contradictorias ut veras apposuerunt. Apud Steyartium *in Annotat.* ad propositiones damnatas pag. 160. et sequentibus.

Contendit laudatus Steyartius pag. 154. et sequentibus nullam propositionem ab Ecclesia damnari nisi quæ sit falsa, et hanc falsitatem supponi cum damnatur ut vel temeraria, vel scandalosa, vel suspecta, hoc enim ultimum, inquit, intelligitur de graviori falsitate, quod si aliquando quædam damnatur expresse ut falsa, ideo est quia sola falsitate peccat : et quæ damnantur propter acerbitatem censuræ tantum, licet quoad doctrinam quam continent, sint veræ, censura tamen quæ est illarum pars, est falsa, et sic ipsæ sunt falsæ, et ut tales damnatæ : potior ejus ratio est, quia alioquin ex condemnatione propositionum sic respective damnatarum, quales sunt propositiones Wicleffi, Joannis Hus, Lutheri, Molinos et plurimæ aliæ tam laxiores quam strictiores, nullum posset desumi argumentum ad asserendam veritatem oppositam, statim enim respondebitur propositionem non esse damnatam ut falsam, sed tantum ut vel temerariam, vel offensivam, vel scandalosam, quod est magnum inconveniens in scholis catholicis, imo in Ecclesia. Hæc, fateor, ratio non est contemnenda.

Juxta igitur hanc Steyartii sententiam, quam

lectoris judicio permitto, dicendum quod quamvis doctrina propositionum Baii, quæ continent censuram propter quam sunt damnatæ, possit, seposita censura, sustineri (quo verisimiliter sensu dixit Pontifex nonnullas aliquo pacto posse sustineri) omnes aliæ quæ simpliciter et absque censura efferuntur, sint falsæ quoad doctrinam et nullo pacto possint sustineri, cujusmodi sunt omnes propositiones de quibus hic est quæstio, excepta ultima. Et revera, ut dixi, utraque facultas, Lovaniensis et Duacena, censuit omnes esse damnatas ut falsas.

Respondent aliter theologi catholici qui negant tantum secundum quid possibilitatem naturæ puræ, id est qui admittunt hominem potuisse quidem creari sine gratia et sine immortalitate, non tamen sine immunitate a concupiscentia : dicunt enim has propositiones esse damnatas in sensu Baii qui contendebat hominem non posse creari non solum sine immunitate a concupiscentia, sed etiam sine gratia et immortalitate, hasque dotes esse naturæ innocenti naturales et debitas, quas dotes involvunt propositiones damnatæ : equidem fateor quosdam, inter quos noster Gonet, hac ratione excusare a censura laudatos theologos : alii tamen urgent hanc propositionem Baii damnatam : « Deus non potuisset ab initio creare hominem qualis nunc nascitur » : item hanc : « Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio » : quæ si damnatæ sint ut falsæ, earum contradictoriæ sunt veræ ; hæ scilicet : « Deus potuisset ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur », excepto peccato, non potest enim nisi absurde aliter intelligi : nascitur autem nunc homo non solum sine gratia, sed etiam obnoxius concupiscentiæ ; et, « Integritas primæ conditionis fuit indebita naturæ exaltatio, non naturalis ejus conditio » : Integritas autem naturæ primo per se importat immunitatem a concupiscentia et potuisset Deus naturam integram creare sine gratia sanctificante, ut diximus supra. Sed quidquid sit de theologis orthodoxis, currit saltem probatio contra Baium, Jansenium et jansenianos.

Restat discutere qua potentia Deus potuerit creare hominem in statu naturæ puræ : an extraordinaria, an ordinaria ? Id autem pendet ex diversa acceptione omnipotentiæ ordinariæ et extraordinariæ. Jam dixi initio articuli non debere dici potentiam extraordinariam, qua sola attenta et ab aliis divinis attributis præcisa, posset Deus aliquid facere quod esset suis perfectionibus contrarium, ut omnes beatos in infernum detrudere, aut omnes diabolos in cœlo beare : hujusmodi enim præcisio in Deo est chymerica et absurda, ut probatum est. Neque negavit Jansenius statum naturæ puræ esse possibilem secundum hujusmodi potentiam, sed quia repugnat justitiæ et sapientiæ Dei. Aliter ergo intelligenda est potentia Dei extraordinaria et ordinaria.

Quidam intelligunt potentiam ordinariam illam qua Deus nonnisi effectus naturæ rerum proportionatos et illi naturaliter debitos producit. Extraordinariam illam qua effectus miraculosos et super vires ac exigentiam naturæ producit. Juxta hanc intelligentiam dicendum est quod status naturæ puræ fuit possibilis de potentia Dei ordinaria; quia supponitur in illo omnia fore connaturalia et nihil miraculosum, ut explicuimus.

Alii intelligunt potentiam extraordinariam, illam qua Deus potest multa facere, quæ tamen decrevit non facere, et quæ consequenter non subjacent ordini præsentis providentiæ, hoc est, ordini quem ipse statuit in rebus perducendis ad fines quos ipse sibi proposuit. Vocant potentiam ordinariam, illam qua Deus exequitur quod ipse facere decrevit, et ita videtur sentire S. Th., 1. p. q. 25. a. 5. ad 1. dicens : « Quod autem attribuitur potentiæ divinæ secundum quod exequitur imperium voluntatis justæ, hoc dicitur Deus facere de potentia ordinaria. » Juxta hanc intelligentiam, dicendum est Deum non potuisse creare hominem in statu naturæ puræ potentia ordinaria sed extraordinaria tantum ; quia supposito ordine quem Deus statuit in rebus, elevatione scilicet creaturæ rationalis ad finem supernaturalem ex singulari benevolentia, iste status non subjacet præsenti providentiæ, sed mansit in sua possibilitate ; modo tamen in ea sententia omnino concedatur, quod Deus plene et sine ullo suorum attributorum præjudicio potuerit alterum rerum ordinem statuere et juxta illum creare hominem in statu naturæ puræ.

Quod ut melius intelligatur, observandum est hoc esse discrimen inter nostram et Dei voluntatem, quod voluntas divina efficiat bonum, justum, conveniens omne quod vult, quia ipsa est prima et suprema regula totius bonitatis, justitiæ et convenientiæ : nostra e contra supponat in rebus bonitatem, justitiam et convenientiam, quibus debet conformari : « Poterat Deus.... inquit S. Aug. *Serm.* 126. cap. 3. facere quidquid vellet, judicare ut

vellet, et hoc quod vellet ipsa justitia est. » Et S. Th. 1. p. q. 21. a. 1. ad 2: « Quod secundum suam voluntatem Deus facit, juste facit: et nos quod secundum legem facimus, juste facimus. » Ibid. q. 25. a. 5. ad 2: « Falsum est quod dicitur: Deus non potest facere nisi quod modo conveniens est et justum »; quia si voluisset aliud, fecisset conveniens et justum. Quod ergo Deus tantam creaturæ rationali benevolentiam impenderet, ut illam ad finem supernaturalem crearet, huncque qui nunc est rerum ordinem potius quam alium instituerit, non fuit ex ipsa rerum convenientia seu exigentia, sed ex libera et gratuita ejus voluntate; consequenter poterat alium instituere secundum quem conveniens fuisset creare hominem in statu naturæ puræ, ut manifestaretur quid natura præcise suis viribus posset, aut ob alios fines sibi notos, sicut etiamnum liberum arbitrium creatum est cum suo nativo defectibilitatis defectu, qui omnium maximus est. Igitur non ideo Deus noluit creare hominem in statu naturæ puræ, quia id non fuisset conveniens; sed non fuit conveniens, quia Deus volens ex singulari benevolentia creare hominem in ordine ad finem supernaturalem, conveniens erat ut illi ad suum finem subministraret media incompossibilia cum statu naturæ puræ, sicque hæc convenientia est prorsus a divina voluntate dependens. Itaque secundum diversam acceptionem assignatam potentiæ ordinariæ et extraordinariæ vere dicitur statum naturæ puræ fuisse et non fuisse possibilem de potentia ordinaria; et sic conciliantur contrariæ sententiæ Thomistarum.

Ex his mature perpensis et bene intellectis obviabis multis testimoniis S. Aug. quibus S. Doctor videtur innuere creaturam rationalem non posse sine sua culpa carere donis supernaturalibus; hæc enim testimonia intelligenda sunt secundum præsentem rerum statum et ordinem, non secundum alium quem Deus potuit instituere.

Solvuntur objectiones.

Immensus et tædiosus forem si omnia referrem quæ exponit Jansenius tribus libris integris contra possibilitatem naturæ puræ. Præcipua proponam ex quorum solutione cæterorum solutio poterit colligi. Ex triplici autem capite potissimum arguunt Jansenius et ejus discipuli: 1°. ex ordine hominis ad Deum ut ultimum finem; 2°. ex turpitudine concupiscentiæ; 3°. ex cæteris hujus vitæ miseriis.

Objectiones ex ordine hominis ad Deum ut ultimum finum.

Obj. 1° : homo non potuit creari in eo statu in quo non potuisset satiari naturalis ejus appetitus : atqui in statu naturæ puræ naturalis appetitus hominis non potuisset satiari : ergo. Major patet: tum quia Auctor naturæ frustra inseruisset appetitum naturalem qui impleri et satiari non posset; tum quia frustratio hujusmodi appetitus foret gravis pœna et supplicium sine culpa; miser est enim qui non habet quod appetit. Prob. min.; inest homini naturalis appetitus ad claram Dei visionem : atqui iste appetitus non posset satiari in statu naturæ puræ, non enim potest obtineri clara Dei visio sine lumine gloriæ et sine gratia supernaturali, quæ abfuissent a statu naturæ puræ : ergo. Prob. maj. multipliciter: 1°. Ex S. Aug. *lib.* 1. *Confess.* c. 1. « Fecisti, inquit, nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Et lib. 3. *de Trinit.* c. 3. « Ad appetendam beatitudinem natura compellit et immortalis Creator hoc indidit »; 2°. ex S. Th. qui 1. p. q. 12. a. 1. et lib. 3. *coni. Gentes* c. 50, 51, 52, probat intellectualem substantiam posse videre Deum per essentiam, ex eo quod « inest homini naturale desiderium cognoscendi causam cum intuetur effectum » : cumque impossibile sit (citato cap. 51.) naturale desiderium esse inane, quod esset si non esset possibile pervenire ad divinam substantiam intelligendam (quod naturaliter omnes mentes desiderant) necesse est dicere, quod possibile sit substantiam Dei videri per intellectum a substantiis intellectualibus; 3°. ratione : inest cuilibet creaturæ appetitus innatus in suum ultimum finem et beatitudinem : atqui Deus clare visus est ultimus finis et beatitudo creaturæ rationalis : ergo. Hæc est summa argumenti quod maxime extollunt adversarii.

Ante responsionem, præmittenda est distinctio duplicis appetitus naturalis, scilicet innati et eliciti. Appetitus innatus nihil est aliud quam propensio et pondus alicujus naturæ in propriam perfectionem, omnem actum elicitum præveniens et naturalem rei formam consequens : est communis omnibus creaturis tam animatis quam inanimatis, sic lapis habet appetitum innatum deorsum, ignis sursum. Appetitus elicitus est qui sequitur formam sen-

su vel intellectu apprehensam, et est duplex, inefficax et efficax. Inefficax dicitur quia est conditionatus, ut vellem hoc si esset possibile, vel si sit absolutus, non tamen sortitur efficaciam ad rei executionem. Alter dicitur efficax, quia et est absolutus, et potest applicare media proportionata finis assecutioni. Uterque tam innatus quam elicitus dicitur naturalis, sed diverso sensu. Innatus dicitur naturalis, quia est a natura seu auctore naturæ insitus : elicitus dicitur naturalis, quia viribus naturæ elicitur. Hoc præmisso,

Resp. neg. min. Ad prob. dist. maj ; inest homini naturalis appetitus innatus ad claram Dei visionem, nego. maj. Habet enim duntaxat homo hujusmodi appetitum innatum ad perfectam Dei cognitionem abstractivam, quantam habere potest lumine naturali ex effectibus creatis. Naturalis appetitus elicitus, subdistinguo, appetitus elicitus inefficax, conc.; efficax, nego. et concessa min., dist. conseq. ergo in statu naturæ puræ appetitus naturalis innatus hominis non potuisset satiari, nego: potuisset enim homo in hoc statu acquirere beatitudinem naturalem ad quam habet appetitum innatum : appetitus elicitus inefficax, conc.; neque in hoc est inconveniens, sicut non esset inconveniens quod non satiaretur appetitus hominis qui conditionate desideraret imperare toti mundo si posset.

Ad primam probationem ex S. Aug. Res. S. Augustinum loqui de corde elevato per gratiam et illustrato per fidem : cor autem hujusmodi propendet in claram Dei visionem appetitu, non sibi innato a natura, sed indito per gratiam. Ad alium textum potest eadem solutio adhiberi; vel dicendum S. Augustinum loqui de beatitudine in communi et formaliter sumpta, non de speciali quæ sit clara Dei visio.

Ad S. Th. resp. ipsum intelligere de appetitu elicito, non innato, neque de appetitu elicito efficaci, sed inefficaci. Primum patet; quia loquitur de appetitu cognoscendi causam ex cognitione effectuum, appetitus autem qui sequitur ad formam apprehensam est elicitus, non innatus, ut dictum est : insuper non esse homini appetitum innatum ad claram Dei visionem docet S. Doctor pluribus in locis Q. 22, *de Verit.* a. 7, in 3, d. 23, q. 1, a. 4, quæstionc. 3, et ibid. ad 1 et 2. Et ratio ex ipso locis citatis est, quia non est inclinatio a natura indita ad id quod est supra facultatem naturæ, natura enim non inclinat nisi ad id quod est sibi consentaneum et commensuratum, alioquin inclinaret ad id quod est impossibile. Neque obstat quod S. Doctor *opusc.* 70, *in Boetium* dicat : « Quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum, non tamen potest naturaliter eum consequi, sed solum per gratiam, et hoc est propter eminentiam illius status ; » sensus enim hujus textus est hominem inclinari naturaliter in finem ultimum in communi, ut scilicet appetat esse completum in bonitate, ut loquitur loco citato de veritate : et quia finis ultimus in communi non potest practice obtineri nisi in aliqua re speciali, et illa res specialis in qua consistit verus finis ultimus hominis in hoc statu, est ipsa Dei essentia clare visa, confuse contenta in fine ultimo in communi, vere dixit S. Doctor quod homo non possit naturaliter eum consequi, sed solum per gratiam et hoc propter eminentiam illius finis. Vel brevius dici potest per inclinationem naturalem S. Thomam non intelligere appetitum innatum, sed elicitum inefficacem, quem vocat naturalem, quia viribus naturæ elicitur ; nisi velis S. Doctorem contradictoria loqui.

Secundum, scilicet hunc appetitum elicitum ad claram Dei visionem, non esse efficacem, sed inefficacem, patet etiam, quia non potest esse appetitus efficax in natura ad aliquem finem, nisi sit in ea natura sufficientia virtutis ad illum finem assequendum, aut saltem naturaliter cognoscat aliunde possibilem et futurum: non enim datur appetitus efficax ad impossibile, aut non possibile reputatum tale: atqui non datur in natura sufficientia virtutis ad claram Dei visionem assequendam, nec naturaliter cognoscitur possibilis et futura: *Nam oculus non vi-dit,* inquit Apost. 1, Cor. 2, *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

Neque dicas animam separatam appetere efficaciter reunionem ad suum corpus, ad quam tamen non est virtus sufficiens in natura. Nam 1° dato assumpto, vel anima separata lumine fidei cognoscit hanc reunionem esse possibilem et futuram, et sic est disparitas ; vel orbata lumine fidei hanc reunionem possibilem et futuram non agnoscit, et tunc appetitus ejus ad illam non potest esse nisi inefficax ; 2° alii negant assumptum, et dicunt statum separationis esse connaturalem animæ, sicut statum unionis, proindeque secundum se spectatam non appetere reunionem. Cum enim, inquiunt, anima sit media inter substantias pure spirituales et formas corporeas, participat aliquid de utroque extremo ; unde sicut formæ puræ immateriales, ut angeli,

subsistunt connaturaliter sine appetitu unionis cum corpere, et formæ materiales sint connaturaliter sine appetitu separationis ; ita anima rationalis habet connaturaliter duplicem statum, scilicet unionis cum corpore, in quo non appetit ex se separationem, et separationis, in quo non appetit ex se et suis naturalibus unionem. Ita noster Gonet.

Inst. : dato S. Thomam loqui de appetitu naturali elicito, saltem intelligit efficacem : ergo. Prob. ant. : ex illo appetitu probat possibilitatem visionis beatificæ : atqui hæc possibilitas non potest probari ex appetitu inefficaci, datur enim appetitus inefficax ad impossibile : ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. disting. maj. Ex illo appetitu probat demonstrative et efficaciter possibilitatem visionis beatificæ, neg. maj. Certum est enim hoc mysterium non secus ac alia mysteria supernaturalia Trinitatis, Incarnationis, etc. non posse naturali demonstratione probari : ita in terminis docet ipse S. Doct. 1, *cont. Gent.* c. 8, dicens : « Humana ratio ad cognoscendam fidei veritatem, ita se habet, quod ad eam potest aliquas veras similitudines colligere ; quæ tamem non sufficiunt ad hoc quod prædicta veritas quasi demonstrative, vel per se intellecta comprehendatur : » et cap. 1, præmiserat quod cum Gentiles non admittant sacras Scripturas, earum auctoritate cum illis non sit procedendum, sed naturali ratione, « quæ tamen, inquit, in rebus divinis deficiens est. » Ex illo appetitu probat probabiliter et moraliter tantum possibilitatem visionis beatificæ, conc. maj. Quia cum iste appetitus quamvis de se inefficax, sit ita universalis ut in omnibus etiam sapientibus et prudentibus reperiatur, probabile est illum non ita frustrari, ut omnes et semper fallantur. Ad hunc sensum distincta min. neg. conseq.

Repones : S. Th. loquitur de appetitu qui non potest frustrari : dicit enim « impossibile esse naturale desiderium videndi causam visis effectibus esse inane, quod esset, si non esset possibile homini pervenire ad substantiam divinam intelligendam : » atqui appetitus inefficax potest frustrari : ergo.

Resp. disting. maj. S. Th. loquitur de appetitu qui non potest metaphysice frustrari, neg. ; qui non potest moraliter frustrari, conc. Cum enim, ut dixi, hujusmodi appetitus, non in uno alterove, sed in omnibus sapientibus reperiatur , hos universaliter in judicio uniformi hunc appetitum regulante, falli impossibile est moraliter, non tamen metaphysice, et ideo, ut dictum est, probatio S. Th. non est demonstratio sed congruentia.

Ad tertiam probationem a ratione, dist. maj. Inest cuilibet creaturæ appetitus innatus ad suum ultimum finem et beatitudinem naturalem, conc. ; supernaturalem, nego. Ad cujus sensum, dist. min. Deus clare visus est ultimus finis et beatitudo supernaturalis creaturæ rationalis, conc. ; naturalis, nego. Duplex est igitur ultimus finis seu beatitudo hominis : una naturalis seu conditioni naturæ commensurata, quæ consistit in perfecta conjunctione ad Deum , per cognitionem abstractivam et affectum viribus et auxilliis naturalibus possibilem. Altera est supernaturalis naturæ vires et jura transcendens, quæ consistit in consecutione gloriæ et beatitudinis Deo propriæ, scilicet in clara ejus visione cum amore et gaudio beatifico. Prima beatitudo foret ultimus finis hominis conditi in puris naturalibus; quod vero nunc ad posteriorem ut ad ultimum finem ordinetur, fuit eximiæ gratiæ et liberalitatis divinæ, juxta illud Rom. 6, *Gratia Dei vita æterna.*

Inst. Illa est beatitudo naturalis hominis quæ solum lumine naturali cognosci potest : atqui juxta S. Aug. lib. 8, *de Civit.* c. 8. Platonici beatitudinem sitam esse in intuitiva Dei visione cognoverunt, utique solo lumine naturali, cum essent fide destituti : ergo. Prob. min. « Non dixerunt, inquit S. Doct., beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo, non sicut corpore vel se ipso animus, aut sicut amico amicus, sed sicut luce oculus : » atqui Deum cognosci sicut lux cognoscitur ab oculo, est cognosci intuitive : ergo.

Resp. 1°. neg. min. Ad probat. dist. min. Deum cognosci sicut lux cognocitur ab oculo est cognosci intuitive, τo *sicut* dicente aliquam paritatem, transeat; τo sicut dicente omnimodam paritatem, nego. Non ergo in hoc Platonici faciebant paritatem, quod sicut lux cognoscitur intuitive ab oculo, ita mens humana sit beata videndo Deum intuitive : sed in hoc faciebant paritatem quod sicut lux est primarium objectum oculi, mediante qua cætera videntur, ita Deus est primarium objectum mentis humanæ, qui sua luce cætera nobis manifestat : hunc sensum aperte innuit S. Aug. præcedenti cap. 7, his verbis : « Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia eumdemque ipsum Deum a quo facta sunt omnia. »

Resp. 2°. dist. primam maj. Illa est beatitudo naturalis hominis, quæ solo lumine naturali certo cognosci potest, conc.; quæ solum probabiliter et conjecturaliter cognosci potest, nego. Ut enim dicebamus modo ex S. Th., potest homo ex desiderio omnibus communi videndi causam visis effectibus probabiliter cognoscere visionem Dei esse possibilem : et hanc conjecturalem beatitudinis cognitionem eo facilius habere poterant Platonici, quod ad eam juvarentur ex commercio cum Hebræis et lectione sacrarum Scripturarum.

Obj. 2°. et simul inst. Homo non potest condi in eo statu in quo non posset diligere Deum super omnia amore casto et gratuito; tum quia ille est perversus qui non diligit Deum super omnia , tum quia sine amore Dei super omnia non potest obtineri beatitudo etiamsi naturalis tantum : atqui in statu naturæ puræ, homo non posset diligere Deum super omnia : ergo. Prob. min. Amor castus et gratuitus Dei super omnia est præcipuum opus gratiæ, nec nisi a Deo est, ut dicit S. Aug. lib. 5, *cont. Jul.* c. 3; ergo.

Resp. dist. maj. Homo non potest condi in eo statu in quo non posset amare Deum super omnia, amore tam naturali quam supernaturali,conc; in quo non posset amare Deum super omnia amore supernaturali, posset autem amore naturali, nego. Ad hunc sensum distincta min. nego.conseq. Duplex igitur amor Dei super omnia distinguendus est, unus naturalis, alter supernaturalis. Primus est amor Dei ut auctoris naturæ, ad quem sufficit virtus naturæ adjuta auxiliis ordinis naturalis, quæ non deessent in statu naturæ puræ, ut jam diximus. Alter est amor Dei ut auctoris supernaturalis beatitudinis, et hic est opus præcipuum gratiæ : amor enim sequitur cognitionem boni, unde divina bonitas cognita discursu naturali ut fons totius esse naturalis, fundat naturalem Dei amorem: cognita autem ut fons beatitudinis supernaturalis, fundat amorem supernaturalem: «Charitas, inquit S. Th. 1, 2, q. 109, a. 3, diligit Deum super omnia eminentius quam natura, natura enim diligit eum super omnia prout est principium et finis naturalis boni, charitas autem secundum quod est objectum beatitudinis, et secundum quod homo habet quamdam societatem spiritualém cum Deo, » fundatam scilicet in communicatione boni supernaturalis. Vide insuper 2, 2, q. 26, a. 3, et in cap. 13, 1, Cor. lect, 4. Hunc duplicem amorem distinguunt etiam SS. Pontifices S. Pius V, Gregorius XIII, et Urbanus VIII, damnantes sequentes propositiones in Baio: « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti quo Deus amatur ut glorificator, vana est et commentitia »; est 34. « Amor naturalis Dei scilicet qui ex viribus naturæ oritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus » ; est 35. Et ne dicas esse damnatas propter acerbitatem censuræ, attende ad sequentem in qua nulla est censura : « Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur » ; est 38. Ergo præter amorem Dei supernaturalem datur alius amor Dei qui non est vitiosa cupiditas, nimirum dilectio ejus naturalis. Vide si lubet apud Gonet. *Disp.* 6. a. 2. §. 1. eamdem distinctionem fundatam in s. Scripturis, patribus et conciliis, contra vanos clamores Jansenii et jansenianorum.

Ad. S. Augustinum resp. 1°. juxta solutionem datam, amorem naturalem Dei super omnia fore etiam a Deo in statu naturæ puræ per auxilia ordinis naturalis. Resp. 2°. S. Augustinum loqui de homine in hoc statu naturæ corruptæ, qui, ut dicemus infra, non potest sine gratia Christi efficaciter diligere Deum super omnia.

Inst. 1°. homo in statu naturæ puræ non posset servare omnia Dei præcepta: ergo nec ipsum diligere super omnia amore saltem efficaci. Prob. ant. Homo in statu naturæ puræ non haberet majores vires naturales quam in hoc statu naturæ lapsæ; naturalia enim manserunt integra: atqui in hoc statu naturæ lapsæ non potest, sine auxilio gratiæ, servare omnia Dei præcepta etiam naturalia: ergo.

Resp. Posset imprimis negari seu distingui consequens, illud concedendo de amore efficaci effective et ex parte subjecti, et negando de amore efficaci affective et ex parte actus. Sed de hac distinctione alibi; et aliunde ea non obstante urgeret instantia necessarium esse ad beatitudinem consequendam amorem efficacem effective seu qui importet effectivam observationem omnium mandatorum. Unde, nego. ant. Ad probat. dist. ant. Homo in statu naturæ puræ non haberet majores vires entitative et intrinsece quam habeat in hoc statu, transeat: non haberet majores vires entitative, nec minora impedimenta bonæ actionis

quam in hoc statu, nego. Esto igitur vires naturales entitative et quoad substantiam non esse imminutas in hoc statu naturæ lapsæ; attamen ex peccati corruptione plurima saltem provenerunt impedimenta ad bonum virtutis etiam naturalis, quæ non fuissent in statu naturæ puræ: unde in hoc præsenti statu vires hominis sunt minus habiles ad observanda præcepta etiam naturalia, propter quod indiget gratia sanante: sed de hoc art. seq.

Inst. 2°. Homo in statu naturæ puræ secundum nos non haberet partem inferiorem perfecte subordinatam superiori et pateretur rebellionem carnis adversus spiritum: atqui ex hac continua rebellione quæ præceps ruit in peccatum, non posset observare omnia mandata: ergo.

Resp. Dato in statu naturæ puræ parem fore rebellionem carnis ac in hoc statu, adessent auxilia ordinis naturalis ad eam vincendam, omnibus quidem sufficientia, aliquibus præordinatis efficacia: et licet ista forent specialia et indebita singulis individuis, forent tamen debita naturæ pro aliquibus, aut saltem Deus ea deberet suæ providentiæ, ne in vanum naturam condidisset ad finem quem nullum ejus individuum consequeretur, ut non jam semel observavimus.

Obj. 3°. Non decet divinam bonitatem et æquitatem ut condat imaginem suam innocentem in eo statu in quo perpetuo exularet a suo regno et visione: atqui si conderetur homo in statu naturæ puræ, exularet perpetuo innocens a regno et visione Dei, ad quod perveniri non potest sine gratia: ergo esto gratia non debeatur naturæ, id tamen sibi debet divina bonitas et æquitas, ut eam non deneget homini innocenti. Prob. maj. ex S. Aug. qui passim probat contra pelagianos dari peccatum originale, quia infantes sine baptismo decedentes, fatentibus ipsis pelagianis, excluduntur a regno, quod non deceret divinam bonitatem et æquitatem, si essent innocentes et sine peccato: ergo.

Resp. neg. maj. Imo si attenderemus divinam justitiam, ei congruebat, ut homo in puris naturalibus conderetur, quia divina justitia dum agit secundum justitiæ ordinem, unicuique præcise tribuit quod ejus naturæ congruit; ut antea diximus, defectusque permittit secundum quod exigit rerum conditio; et si quid super conditionem naturæ erogat, id meræ liberalitatis est. Ad probationem, dico S. Augustinum procedere contra pelagianos secundum præsentem ordinem elevationis naturæ humanæ ad finem supernaturalem, quem pelagiani S. Scripturam admittentes, negare non poterant. Hoc autem supposito rerum statu, bene probat S. Aug. ex eo quod parvuli decedentes sine baptismo exulant a regno, eos non esse innocentes, sed obnoxios peccato originali, eamque exclusionem habere in eis rationem pœnæ et miseriæ, quæ in statu naturæ puræ haberet tantum rationem carentiæ boni indebiti: sicut si aulicus propter culpam excludatur ab aula, ad quam ex benevolentia regis fuerat admissus, est ipsi pœna et exilium: at quod rusticus ad eam non admittatur, non est ipsi pœna et miseria, sed tantum carentia boni indebiti.

Inst. Licet gratia sufficiens in hoc statu sit donum supernaturale, eam tamen Deus ex æquitate et sapientia secundum nos denegare non potest homini: ergo pariter homini innocenti.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod gratia sufficiens debeatur homini in hoc statu ex hypothesi quod Deus elevaverit ipsum ad finem supernaturalem et ei imposuerit præcepta supernaturalia: in hac enim hypothesi ejus sapientiæ et æquitatis est illi providere de mediis ad hæc sufficientibus. At si deberetur gratia homini in statu naturæ puræ, deberetur absolute et non ex hypothesi elevationis ad finem supernaturalem et præcepti supernaturalis.

Obj. 4°. Non potest homo condi in eo statu in quo ne quidem naturalem suam beatitudinem assequi posset: atqui homo in statu naturæ puræ non posset assequi naturalem suam beatitudinem: ergo. Prob. min. Homo non est beatus beatitudine etiam naturali, « nisi eo pervenerit, inquit S. Aug. 4. *de Civit.* c. 25. ubi mori, falli, offendi omnino non possit, eique certum sit ita semper futurum: hoc enim natura expetit, nec plene atque perfecte beata erit, nisi adepto quod expetit: » atqui hæc omnia non haberet homo in statu naturæ puræ: ergo.

Resp. neg. min. Ad probat. dist. min. Atqui hæc omnia non haberet homo in statu naturæ puræ, quamdiu foret in via, conc.; quando foret in termino, nego. Sicut enim in præsenti statu, homo quamdiu est in via non est beatus supernaturaliter, sed solum quando est in termino; ita pariter homo in statu naturæ puræ, quamdiu esset in via, non fuisset beatus beatitudine naturali, sed tantum quando fuisset in termino: hoc est dum post consummata merita suo statui proportionata, morte

interveniente, perfecta Dei cognitione abstractiva et amore correspondente donaretur, et neque mori, neque falli, neque offendi posset, certusque esset ita semper futurum.

Inst. Neque in termino positus posset esse perfecte beatus beatitudine naturali: ergo. Prob. ant. Homo non potest dici perfecte beatus, nisi sit beatus quoad animam et corpus, si enim sola anima sit beata et non corpus, imperfecta et manca est beatitudo: atqui non foret beatus quoad corpus: ergo. Prob. ant. Resurrectio corporum in hoc statu non foret possibilis; ergo. Prob. ant. Resurrectio corporum est supernaturalis: atqui omne supernaturale excluditur a statu naturæ puræ: ergo.

Resp. circa hoc argumentum esse triplicem sententiam. Quidam concedunt in hoc statu non fore resurrectionem corporum, ideoque hominem privatum iri aliqua perfectione accidentaria beatitudini, nempe corporis consortio et beatitudine, fore nihilominus essentialiter beatum, sicut sancti nunc sunt beati ante resurrectionem; neque tamen anima ideo pateretur ullam violentiam aut pœnam ex privatione corporis, quia illam non appeteret; cum enim, inquiunt, sit media inter substantias pure spirituales et formas corporeas, status separationis est connaturalis animæ sicut status unionis. Vide supra solutionem primæ objectionis circa auctoritatem D. Th. Quod autem in hoc statu elevationis anima beata appetat hanc reunionem, ideo est, quia lumine supernaturali cognoscit eam esse possibilem et futuram, quod non cognosceret in statu naturæ puræ.

Alii dicunt in hoc statu fore resurrectionem corporum, quia beatitudo est perfectio hominis, anima autem sine corpore non est homo: neque obstat quod resurrectio sit supernaturalis; est enim supernaturalis quoad modum tantum, non quoad terminum. Dupliciter igitur aliquid dicitur supernaturale: 1°. quando admiscet aliquid ordinis gratiæ ut fides, spes, charitas, et sic est supernaturale quoad modum et quoad terminum, et supra totum ordinem naturæ, neque illud producitur a Deo, ut auctore naturæ, quia ad ordinem gratiæ pertinet. 2°. Dicitur supernaturale, non quod excedat totum ordinem naturæ et aliquid ordinis gratiæ admisceat ex parte termini, sed quia est supra communem modum operandi naturæ et miraculosum; sic fuit statio solis ad mandatum Josue, sanatio cæci nati et alia similia, quæ revera fuerunt miracula, nihil tamen admiscuerunt ordinis gratiæ, sed pertinuerunt ad Deum ut auctorem naturæ, non quidem agentem secundum consuetum ordinem rebus præfixum, sed secundum ordinem singularis providentiæ et potentiam extraordinariam: non enim Deus ut auctor naturæ est minus omnipotens intra ordinem naturæ, quam sit omnipotens intra ordinem gratiæ. Cum ergo resurrectio mortuorum sit hoc secundo modo supernaturalis, nec admisceat aliquid ordinis gratiæ, nec elevet naturam supra conditionem suam, non repugnaret in statu naturæ puræ.

Alii tandem dicunt quod justus illius status beatificandus non moreretur, non quod dono immortalitatis intrinsece donaretur, sed quia post requisitam debitam et præfixam virtutis et meritorum naturalium mensuram Deus illum in corpore et anima vivum transferret in locum beatitudinis a se destinatum, ibique vitam ejus in perpetuum servaret, communicatis tam naturæ quam corporis dotibus et donis tali beatitudini proportionatis, in quo nihil est quod illa ex parte repugnet. Hæ omnes sententiæ sunt probabiles; secunda nobis magis placet.

Cæterum, quamvis elegeris, habes nihil ex hoc argumento posse deduci contra possibilitatem status naturæ puræ. Neque enim, cum iste status sit tantum possibilis, et de illo nihil revelatum habeamus in s. Scripturis, certo scire possumus quid in eo fieret et quomodo Deus homines ad beatitudinem naturalem perduceret: sed hoc scimus, quod cum iste status non implicet, si Deus hominem in eo produxisset, ad ejus sapientiam et suavem providentiam pertinuisset providere de mediis necessariis pro obtinenda beatitudine, ac de ipsius beatitudinis qualitate, modo et substantia statuere.

Obj. 5. Non potuit creari homo in statu in quo non esset locus pœnitentiæ et remissionis peccatorum, cum enim fuisset in hoc statu peccabilis, debuisset posse pœnitere et obtinere remissionem peccati: atqui non fuisset in hoc statu locus remissioni peccatorum, quippe quæ non habetur sine infusione gratiæ.

Resp. etiam in hoc statu futurum fuisse locum remissioni peccatorum, sive per externam condonationem, sive per aliquam qualitatem naturalem infusam, sive alio, quem voluisset Deus, modo. Quod si pertinaciter contendas remissionem peccati non posse fieri sine gratiæ infusione, nihil aliud probas quam quod homo peccando transiret a statu naturæ puræ ad statum naturæ lapsæ, et pœnitendo

ad statum naturæ reparatæ, sicque statum naturæ puræ non fore stabilem et perpetuum, non tamen esse impossibilem.

Obj. 6°. Dona gratiæ et integritatis collata Adamo vocantur a Cælestino 1. in Epist. *ad Episcopos Galliæ*, a S. Aug. et aliis patribus naturalia : ergo non potuit homo creari sine illis.

Resp. dist. ant. Vocantur naturalia, id est, collata naturæ in sua origine et creatione, conc. Hoc enim sensu dicitur aliquid naturale, etiamsi sit indebitum naturæ; sic S. Aug. Serm. 14, *de verbis Apost.* vocat peccatum originale, « peccatum naturæ seu naturale »; sic Ephes. 2, dicimur *natura filii iræ.* Vocantur naturalia, id est, connaturaliter debita naturæ humanæ secundum se spectatæ, nego. Hoc enim sensu sunt omnino supernaturalia. Nullatenus enim est homini secundum naturam debitum, quod sit filius Dei adoptivus, consors divinæ naturæ, hæres regni ejus et gloriæ, ut supra arguebamus; hæc quippe transcendunt totum ordinem naturæ et sunt supra naturalem facultatem omnium creaturarum, ideoque sunt supra totam naturam, consequenter sunt et dicuntur proprie supernaturalia.

Objectiones ex turpitudine concupiscentiæ.

Antequam objectiones ex hoc capite proponantur, observandum est concupiscentiam posse sumi dupliciter: vel in actu primo pro ipsa potentia concupiscibili, vel in actu secundo pro ipsius potentiæ motu in bonum sensibile. Item utraque potest iterum considerari dupliciter : 1°. simpliciter et secundum se, seu materialiter, quatenus est præcise inclinatio in bonum sensibile; 2° formaliter et cum addito, prout est inclinatio in bonum sensibile cum deordinatione et repugnantia ad rationem rectam. Primo modo sumpta est naturalis facultas et legitima inclinatio in bonum corpori proportionatum, estque a Deo et ex ejus intentione in creatione hominis; secundo modo sumpta, est vitiosa inclinatio, quæ proprie dicitur concupiscentia et libido; non est a Deo, nec ex ejus intentione, sed defectus sequens naturam hominis ratione materiæ et subjecti, sicut passibilitas, mortalitas et alii defectus naturales : cum enim homo, ut jam observavimus, constet duplici appetitu, scilicet sensitivo et rationali, et uterque feratur in suum objectum, sensitivus in bonum sensibile, rationalis in bonum honestum, sæpe contingit quod bonum sensibile appetitum sit contrarium rationi et quod appetitus sensitivus ex certa corporis complexione ardentius feratur in suum objectum : hinc inter utrumque pugna, quæ ex parte appetitus sensitivi est libido et vitiosa concupiscentia. His præmissis,

Obj. Repugnat hominem creari obnoxium concupiscentiæ : ergo. Prob. ant. Perpetuus est S. Augustinus ut probet contra Julianum concupiscentiam non esse naturalem hominis proprietatem et perfectionem, sed malum ejus naturæ oppositum, et contra eum passim urget illud 1, Joan. 2, *Concupiscentia carnis non est ex parte :* et Apostolum qui ad Rom. 7, vocat concupiscentiam peccatum : ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. nego. conseq. Ex hoc enim quod concupiscentia sit mala, sequitur quod non sit a Deo positive et ex ejus intentione, sed non sequitur quod non sit defectus sequens ad naturam hominis ex conditione materiæ præter Dei intentionem : sic peccatum est malum longe pejus quam concupiscentia, et tamen creatur homo obnoxius peccato, quia potentia peccandi est defectus sequens ad naturam hominis ex conditione materiæ, quia scilicet est ex nihilo.

Merito igitur S. Augustinus objurgat Pelagium, qui non solum substantiam facultatis sensitivæ laudabat, sed ejus petulantiam qua prorumpebat in motus inordinatos, modo illi ratio non consentiret extra matrimonium; in hoc enim solo consensu reponebat ejus excessum quem damnabat. Cæterum ipsam concupiscentiam et libidinem, quam nominare non audebat, dicebat esse bonam ex genere et specie, ex igne vitali, ex calore genitali, ex motu carnali, ex delectatione, eamque laudabat ut bonum naturæ, licet infimum, et ut donum conditoris : ipsos etiam motus inordinatos dicebat bonos et laudabiles naturæ igniculos quibus homo alacrius in quædam bona sensibilia ferretur, seque habere in natura sensitiva sicut ramos in arbore, qui quamvis aliquando luxurientur et sint resecandi, non tamen naturæ defectum in arbore, sed vigorem potius indicant. Hinc inferebat primum hominem quem rectum conditum agnoscebat, a Deo fuisse creatum cum ista effreni concupiscentia qualis nunc est. Ut autem S. Augustinus hæc impudentissima libidinis encomia refelleret, multis momentis probat concupiscentiam non esse donum Creatoris neque perfectionem animæ, sed defectum et malum, non quidem morale seu peccatum, sed quia, ut ait S. Doctor, perturbat rationis officia, mentem avocat

a delectatione sapientiæ, et voluntatem ab operatione justitiæ.

Inst. 1°. S. Aug. *contra Julian.* sic dicebat concupiscentiam esse malam ut assereret esse pœnam peccati, ex eaque probabat peccatum originale, quod argumentum concidisset, si concupiscentia esset defectus naturalis : ergo.

Resp. S. Augustinum loqui de concupiscentia in præsenti statu, in quo homo conditus fuerat rectus, ut fatebatur Julianus, in qua hypothesi bene probat S. Augustinus malam et effrenem concupiscentiam quæ modo viget, supponere peccatum cujus sit pœna et supplicium, cum rectitudo in qua homo fuerat conditus, eam non compateretur.

Inst. 2°. Concupiscentia in statu naturæ puræ fuisset ejusdem rationis cum concupiscentia præsentis status : ergo si in præsenti statu sit pœna peccati, ita fuisset in statu naturæ puræ.

Resp. Omisso ant. nego. conseq. Quod enim aliquis dono quo gratis fuerat decoratus spolietur propter culpam, hoc est illi pœna et supplicium, secus illi cui denegatur, quia est indebitum : homo dono integritatis quo immunis erat a concupiscentia, exornatus fuerat in sua creatione; propter culpam hoc dono fuit privatus ; unde concupiscentia, quæ, hoc dono sublato, revixit, est illi pœna et supplicium. At in statu naturæ puræ denegatum fuisset illi hoc donum, quia erat illi indebitum, unde concupiscentia sequens ad naturam non fuisset illi pœna et supplicium.

Inst. 3°. S. Th. 1, 2, q. 82, a. 3, ad 1, dicit « quod quia in homine virtus concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est naturale, in quantum est secundum rationis ordinem : concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam. » Idem docet infra q, 85, a. 3. ad. 3, in 2, d. 30, q. 1, a. 1, ad 4. et q. 4 de malo a 2. ad 1. Ergo juxta S. Th. concupiscentia non est defectus, naturalis sed pœna peccati.

Respondent plures thomistæ S. Thomam loqui de natura prout fuit a Deo instituta in Adamo perfecta et integra, non secundum se spectata. Hæc responsio est probabilis. Sed

Resp. 2°. et forte probabilius, dist. ant. Concupiscere transcendens limites rationis non est naturale, sed contra naturam, si τo *contra nuturam* sumatur comparate ad inclinationem partis superioris, conc; quia pars superior inclinat ad bonum honestum, contra quam inclinationem pars inferior pugnat, et quia pars superior seu rationalis est potior in natura hominis, quod est contra illam proprie dicitur contra naturam hominis. Si τo *contra naturam* sumatur comparate ad inclinationem partis inferioris, nego. Est enim effectus sequens naturam sensitivam ex conditione materiæ.

Si dicas : S. Th. in 2, cit. dicit quod « vis concupiscibilis humana habet ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis : » ergo concupiscere in nomine transcendens limites rationis est contra naturam, τo *contra naturam* sumpto etiam comparate ad inclinationem partis inferioris.

Resp. dist. ant. Vis concupiscibilis humana formaliter ut humana habet ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis, conc.; quia ut talis formaliter est nata obedire rationi : ut animalis formaliter, nego. Quia cum ut humana non subdatur rationi despotice, sed politice tantum, potest adhuc ut animalis rebellare contra rationem, et hic est defectus sequens ad ejus naturam ut animalis est.

Inst. 4°. Homo non potest creari cum habitu vitioso inclinante in peccatum : ergo nec cum concupiscentia quæ pariter inclinat ad peccatum.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod habitus vitiosus, cum non sequeretur per accidens ex principiis naturæ, sicut sequitur concupiscentia, esset positive et non tantum permissive a Deo, quod dici non potest. 2°. Habitus vitiosus inclinat ex se determinate in peccatum, concupiscentia vero indeterminate tantum et per accidens, ex se enim inclinat ad bonum sensibile, imo cum quadam subjectione ad rationem, quia nata est regi per illam ; unde non habet rationem vitii, sed facultatis defectivæ, quæ non ita perfectæ subjicitur rationi, quin possit ei aliquando repugnare.

Inst. 5°. In natura pura, jura naturæ servarentur : atqui est contra jus naturæ quod pars sensitiva repugnet rationi : ergo. Prob. min. Pars inferior naturaliter subjicitur superiori.

Resp. neg. min. Ad prob. dist. ant. Pars inferior naturaliter subjicitur superiori aliquater et juxta modum utriusque, conc. Perfecte et omnimode, nego. Uxor enim naturaliter [1] subjicitur viro, filius Patri, qui tamen possunt resistere; quia ista subjectio non est despotica quæ omnem resistendi potestatem auferat, sed politica quæ relinquit aliquam resistendi facultatem. Subjectio despotica habet locum in iis

[1] 1 p. q. 81. a. 3. ad 2.

quæ cognitione carent, nec in se habent principium activum sui motus, ut est pes vel manus respectu voluntatis : politica habet locum in iis in quibus est aliquod principium sui motus, nempe aliqua cognitio est aliqua libertas ; sic uxor subditur viro, filius patri, civis principi : cum ergo appetitus sensitivus in homine ex conjunctione ad rationem participet aliqualem cognitionem et libertatem, licet imperfectam, quæ sunt principium activum motuum ipsius, non est de ejus ratione quod menti despotice subjiciatur, sed politice tantum.

Inst. 6°. S. Th. post philosophum, 3, *de Anima* docet quod appetitus superior se habet ad inferiorem, sicut sphæra superior ad inferiorem : atqui sphæra inferior sequitur sine resistentia impulsionem et motum sphæræ superioris : ergo.

Resp. dist. maj. Appetitus superior se habet ad inferiorem, sicut sphæra superior ad inferiorem quoad substantiam impulsus, conc.; quoad modum, nego. Equidem sicut cœlum inferius natum est sequi motum superioris, ita appetitus sensitivus natus est sequi motum appetitus rationalis, sed diversimode : cum enim cœli careant cognitione, nec habeant in se principium activum sui motus, sequuntur despotice et necessario motum superioris, consequenter sine resistentia : at cum appetitus sensitivus in homine habeat, ut diximus, aliqualem cognitionem et libertatem et ideo principium activum sui motus, sequitur motum superioris, non despotice et necessario sed moraliter et politice, sicque cum facultate resistendi.

Inst. 7°. Appetitus sensitivus in natura pura non foret inordinatior quam in brutis : atqui appetitus in brutis naturaliter subjacet regulæ ; videmus enim bruta non affici motibus libidinosis nisi tempore congruo ad congressum, quo peracto mares et fœminæ inter se caste vivunt : ergo.

Resp. neg. ant. Disparitas petitur ex dictis : quia appetitus brutorum regitur instinctu naturali et necessario agit ; appetitus autem sensitivus hominis gaudet aliqua libertate, qua potest a regula deficere et rationi directrici resistere.

Inst. 8°. In natura pura nihil foret pudendum, quia tota natura est opus Dei, et facit injuriam Deo, qui de ejus opere erubescit, ut arguit S. Aug. cont. Julian. lib. 2. *de Nuptiis et Concup.* c. 9: atqui concupiscentia est pudenda: ergo.

Resp. neg. ant. In omni enim statu concupiscentia qua animus superior vincitur a corpore quod ei naturaliter subjicitur, est pudenda neque tamen ideo erubescimus de opere Dei ut est a Deo, sed de defectu qui præter intentionem Dei sequitur ex conditione subjecti, sicut dum erubescimus de aliqua deformitate vel de naturæ necessitatibus, non ideo erubescimus de opere Dei. Quantum ad S. Augustinum loquebatur in hypothesi Juliani, qui contendebat concupiscentiam esse bonam et a Deo concessam primo homini ut beneficium : in qua hypothesi recte S. Aug. arguebat contra ipsum, quod Deo esset ingratus et ipsi injuriam faceret erubescendo de ejus dono.

Inst. 9°. Christus assumpsit omnes defectus naturales hominis: atqui non assumpsit concupiscentiam: ergo concupiscentia non est defectus naturæ, sed ejus depravatio.

Resp. Christum assumpsisse omnes defectus naturales hominis, excepto peccato et iis quæ ad peccatum inclinant: unde sicut non assumpsit liberum arbitrium indifferens ad bonum, et ad malum, sed determinatum ad bonum, ita non assumpsit appetitum sensitivum indeterminatum ad appetendum contra vel secundum rationem, sed rationi perfecte subjectum.

Inst. 10°. Apost. ad Rom. 7. deplorat concupiscentiam, ut summum malum et summam miseriam: ergo ut ante non est defectus naturalis, sed naturalis dispositionis depravatio.

Resp. neg. conseq. Quisque enim recte dolet de naturalibus suis defectibus. Ex hoc ergo testimonio Apostoli quod S. Aug. urgebat contra Julian. sequitur tantum quod concupiscentia non sit laudabilis et naturæ bonum, ut volebat Julian. Adde quod concupiscentia hujus status quam deplorat Apostolus, sit pœna peccati, de qua quisque lugere potest; item homini elevato ad bona supernaturalia magis est dolendum quod se sentiat a tanto bono retrahi et ad vilia pecudum bona inclinari, quam si ad humana tantum bona foret destinatus.

Inst. 11°. Apost. ibidem vocat concupiscentiam peccatum : ergo.

Resp. cum Trid. sess. 6. concupiscentiam vocari ab Apost. peccatum, non quod sit formaliter et proprie in se peccatum, sed quia nunc est ex peccato et ad peccatum inclinat.

Inst. 12°. Si concupiscentia nihil pravi et mali moralis habeat, liceret illi consentire: falsum consequens: ergo.

Resp. neg. sequelam. Quia rationis officium est illam regere et in debita subjectione continere, in quo si voluntarie deficiat ratio, vel consen-

tiendo, vel non reprimendo ut potest, peccat: sicut si grex ovium irruat in pascua aliena, nihil est ibi mali moralis, cujus oves non sunt capaces, sed si opilio, cui commissa est gregis custodia, huic irruptioni consentiat, aut non faciat quod in se est ut illam impediat, peccat. Similiter in nostro casu.

Inst. 13°. Saltem concupiscentia foret omnino inutilis in statu naturæ puræ: ergo.

Resp. 1°. Dato ant. nego conseq. Non enim foret concupiscentia in statu naturæ puræ, quia esset utilis, sed quia est defectus sequens naturam. 2°. Resp. neg. ant. Ut enim dicit S. Aug. cit. in probationibus conclusionis, concupiscentia foret tunc «proficiendi admonitio et perfectionis exordium.» Insuper etsi nos lateret ad quid utilis foret concupiscentia in natura pura, non latuisset Deum, si sibi bene visum fuisset hunc statum condere.

Dices ex S. Anselmo lib. *de Conceptu virginali* cap. 13. concupiscentiam in homine innocente esse aliquod inconveniens, et ex eodem lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 10. quod in Deo quodlibet parvulum inconveniens sequatur impossibilitas: ergo.

Resp. dist. ant. Concupiscentia supposita divina bonitate erga homines quam nobis revelavit in s. Scripturis, et præsenti providentia qua elevavit hominem ad finem supernaturalem, est aliquod inconveniens, conc.; absolute, nego. Quia si Deus voluisset, ut poterat, alium rerum ordinem constituere et hominem in puris naturalibus concupiscentiæ obnoxium relinquere, hoc fuisset conveniens, quia voluntas ejus est suprema regula totius convenientiæ: unde S. Th. 1. p. q. 25. a. 5. ad 2. « Falsum est quod dicitur, inquit; Deus non potest facere nisi quod modo conveniens est et justum.» Unde ad 2. dist. pariter: in Deo quodlibet parvulum inconveniens sequitur impossibilitas ex suppositione, conc.; absolute, nego. Vide quæ dixi post probationes conclusionis.

Objectiones ex cæteris hujus vitæ miseriis.

Obj. S. Aug. *Cont. Julia.* passim probat peccatum originale ex passibilitate, mortalitate et cæteris hujus vitæ miseriis, quibus obnoxii nascimur: atqui si essent defectus naturales et tales ut homo in natura pura et sine peccato illis obnoxius nasci potuerit, argumentum S. Augustini, ut patet, nihil concluderet: ergo.

Resp. dist. maj. S. Aug. probat peccatum originale ex miseriis hujus vitæ solitarie sumptis et attenta sola conditione naturæ, nego. In præsenti rerum statu in quo Adam creatus fuit cum dono immortalitatis, conc. Supposito enim quod Adam creatus fuerit in justitia originali, impassibilis et immortalis, hasque prærogativas transfudisset in posteros si non peccasset, miseriæ in quibus nascimur, probant ipsum peccasse et dari peccatum originale.

Inst. 1°. Si S. Augustinus ex miseriis hujus vitæ arguisset ad probandum contra pelagianos peccatum originale, supponendo quod Adam creatus fuerat immortalis et impassibilis, supposuisset quod negabant pelagiani et quod erat in quæstione; contendebant enim illi hæretici Adamum creatum fuisse, sicut nunc nascimur, mortalem et passibilem; sicque argumentatio S. Augustini fuisset vitiosa petitio principii: ergo.

Resp. S. Augustinum non solum supposuisse Adamum fuisse creatum impassibilem et immortalem, et mortem aliasque hujus vitæ miserias esse pœnas suæ prævaricationis, sed et invicte probasse ex s. Scripturis et traditione quas admittebant pelagiani. Ex s. Scripturis Genes. cap. 3. Sapient. 2. Rom. 5. et alibi pluries. Ex traditione lib. 1. *cont. Julia.* cap. 5. ipsum alloquens: « Habes, inquit, in conspectu non solum occidentis, verum etiam orientis episcopos.... omnes uno eodemque modo credunt per unum hominen peccatum intrasse in mundum, et per peccatum mortem: » ex conciliis Carthaginiensi et Palestino, in quibus damnatus fuerat Cœlestius dicens, « Adamum mortalem factum esse, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. » Unde S. Doct. lib. 3. *cont Julian.* c. 1. ipsum iterum alloquens dicit: « Absit ut ad monomachiam vos provocem, quos, ubicumque apparueritis, ubique diffusus Christi debellat exercitus, qui debellavit apud Charthaginem Cœlestium, qui debellavit in Palestino Pelagium, ubi causam vestram suæ damnationis timore damnavit. Ibi enim omnino cecidit hæresis vestra», de morte scilicet Adæ, sive peccaret sive non peccaret: vellent ergo nollent pelagiani, admissa veritate s. Scripturarum et traditionis, prout admittebant, cogebantur admittere primum hominem fuisse creatum immortalem et impassibilem, ideoque mortem, morbos et alias miserias quibus obnoxii nascimur, esse pœnam alicujus peccati, quod hominem dejecit a primævo suo statu, consequenter dari peccatum originale.

Inst. 2°. S. Aug. lib. 1. *Operis imperfecti cont.*

Jul. c. 39, dicit universaliter quod, « neque sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest: » ergo juxta S. Aug. attenta Dei justitia non potest creari homo in statu in quo absque peccato esset obnoxius nostris miseriis.

Resp. neg. conseq. Semper enim loquitur S. Augustinus in præsenti statu in quo Adam fuit creatus immortalis et impassibilis : quo supposito vocat pœnalitates hujus vitæ, miserias, quia sunt pœna peccati et ex culpa illas patimur : in statu vero possibili naturæ puræ, ubi nulla foret culpa, non essent proprie miseriæ (sicut aves et oves innocentes non dicuntur proprie miseræ, quod sint mortales) sed ut dixit ipsemet S. Aug. lib. 3. *de Libero arbit.* c. 20. et sequentibus, forent : « proficiendi admonitio et perfectionis exordium, » sicque conferrent ad assequendam beatitudinem naturalem, ideoque Deus, qui sic creasset hominem, non foret culpandus sed laudandus. Quantum ad parvulos præmaturæ morientes, qui his recte uti non possent, dicit cap. 23. et Epist. 18. *ad Hieron.* « Præterquam quod ex eorum infirmitatibus aliqua utilitas ætate provectioribus procurari potest, Deum in secreto judiciorum suorum, aliquid bonæ compensationis posse illis reservare. » Quid sit autem illud, ipse solus novit.

Inst. 3°. S. Augustinus docet quod seclusa s. Scripturæ et traditionis auctoritate ex solis hujus vitæ miseriis seu pænalitatibus possit probari præcessisse aliquam culpam et ita agnovisse et collegisse philosophos gentiles : sic enim ait lib. 4. *cont. Julia.* c. ultimo : « Hujus evidentia miseriæ gentium philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes sive credentes compulit dicere ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pænarum luendarum causa nos esse natos : » ergo.

Resp. 1° S. Augustinum et philosophos gentiles ex solis miseriis hujus vitæ independenter a s. Sripturæ et traditionis auctoritate, collegisse peccatum originale non certo et demonstrative, sed conjecturaliter tantum et probabiliter : quia, ut ait S. Th. 4. *cont. Gent.* c. 52. « Quamvis hujusmodi defectus homini naturales absolute videantur, considerando tamen divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanæ naturæ, satis probabiliter probari potest hujusmodi defectus esse pœnales et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum. » Et sic intellexisse S. Augustinum constat; quia, juxta ipsum, peccatum originale sola fide tenetur et ex solis s. Scripturis et traditione probari potest. Etenim lib. 1. *cont. Julian.* ipsi sic exprobrat : « Scimus vos ideo dicere peccato hominis naturæ statum non mutari, quia deseruistis fidem catholicam, quæ dicit primum hominem sic factum, ut non haberet moriendi necessitatem. » Et lib. 6. cont. eumdem c. 4. dicit argumentationes hominum hic debere conticescere : « Si tibi, inquit, Christiana fides displicet, apertius confitere, nam christianam fidem aliam non potes invenire. » Et lib. *de moribus Ecclesiæ* c. 22. « Peccato originali, inquit, nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. » Qualis autem difficultas ad intelligendum peccatum originale, quale ejus secretum, si ex miseris quas non solum in aliis videmus, sed quas in nobis palpamus, certo et demonstrative posset dignosci? quomodo illius transmissio ad solam fidem pertineret, si ex solis miseriis humanis, seclusa revelatione, certo demonstraretur ?

Resp. 2° : gratis dato, exercitii causa, S. Augustinum ex solis miseriis hujus vitæ, independenter a s. Scriptura et traditione voluisse certo demonstrare pelagianis peccati originalis existentiam : in hac hypothesi, id non intendit ex singularibus quibusdam miseriis hujus vitæ, sed ex omnibus per loca et tempora collective sumptis, quæ longe majores sunt nunc, sive ex corruptione naturæ per peccatum, sive ex operatione dæmonum, quam fuissent in statu naturæ puræ. Id constat ex S. Aug. lib. 22. *de Civit.* c. 22, ubi hæc dicit : « Quod ad primam originem pertinet omnem mortalium originem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot et tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse rerum vanarum atque noxiarum et ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, et contra naturam utriusque sexus tot stupra atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentum, calumniæ, circumventiones,

prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, et quidquid talium malorum in mentem non venit, et tamen de vita ista hominum non recedit? Verum hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris et perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. » Nullus dubitat cum nostro celebri Thoma de Lemos tom 1. tract. *de Læsione liberi arbitrii* cap. 10 « Quod tot enumerata mala non haberet homo sine omni peccato, si in puris naturalibus conderetur : » merito ergo S. Aug. ex tot ac tantis miseriis in unum collectis quæ tot ac tantæ non forent in statu naturæ puræ, ratione naturali deduxit contra pelagianos peccatum originale.

Repones contra hanc secundam superabundantem solutionem S. Augustinum non solum ex omnibus his miseriis in unum collectis, sed ex minima pœna quæ fuisset in statu naturæ puræ, deduxisse peccatum originale : ergo. prob. ant. s. Doctor serm. 14. *de Verbis Apostoli,* alloquens Pelagium dicit : « Quæ est ista justitia? Defende justitiam Dei. Quare vel parva pœna infligatur innocenti? » ergo.

Resp. neg. ant. ad probat. dico S. Augustinum loqui in hypothesi justitiæ originalis excludentis omnem omnino pœnam etiam minimam, qua donatus fuerat Adam et quam ad posteros transmisisset, si non peccasset. Non enim existimandum est s. Augustinum ex modico dolore capitis aut ventris, ex ejulatu infantis ob absentiam matris, aut nutricis, seu ex aliqua alia simili levissima pœna voluisse, seclusa s. Scripturarum et traditionum auctoritate, demonstrare pelagianis existentiam et transfusionem peccati originalis, quod ita abhorrebant, id sane risissent arguti et solertes hæretici.

ARTICULUS III.

UTRUM HOMO, IN STATU NATURÆ LAPSÆ NONDUM REPARATÆ, MINORES VIRES HABEAT AD BONUM MORALE QUAM HABUISSET IN STATU NATURÆ PURÆ ?

Ex parabola Luc. 10, hominis descendentis ab Jerusalem in Jericho et incidentis in latrones qui spoliaverunt eum et plagis impositis abierunt semivivo relicto, communis vox est SS. Patrum et thelogorum, ut jam dixi, hominem per peccatum originale non solum fuisse spoliatum justitia originali et aliis donis gratuitis, sed etiam fuisse vulneratum in naturalibus.

Vulnus naturæ dicimus hic disruptionem et discontinuationem unionis atque subordinationis rationis ad Deum, partis inferioris ad rationem et corporis ad animam : sicut enim in corpore humano dicitur vulnus, quando inter partes ejus continuas et unitas fit aliqua divisio et disruptio, ita analogice in anima dicitur vulnus, quando potentiæ ejus naturales quæ erant unitæ et ad invicem subordinatæ, fuerunt divisæ per destitutionem hujus subordinationis : unde quamvis in natura pura non fuisset major unio et subordinatio inter has potentias quam sit nunc, non tamen diceretur vulnus, quia cum istæ potentiæ nunquam fuissent junctæ et subordinatæ, defectus unionis et subordinationis non esset per disruptionem et discontinuationem, et ideo non potuisset dici vulnus.

Cum autem in homine præter animam rationalem quæ per gratiam originalem uniebatur Deo, ut ultimo fini, sint quatuor potentiæ quæ possunt esse subjectum virtutum, scilicet intellectus in quo est prudentia, voluntas in qua est justitia, irascibilis in qua est fortitudo et concupiscibilis in qua est temperantia[1]; disruptio unionis animæ cum Deo per privationem gratiæ sanctificantis, potest dici primum et capitale vulnus vel, juxta alios, morbus et languor animæ, præter quod numerantur quatuor alia vulnera juxta numerum dictarum potentiarum : in quantum enim ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ; in quantum voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; in quantum irascibilis destituitur suo ordine ab bonum arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ.

Et quamvis ista perfecta unio et subordinatio potentiarum in statu innocentiæ non esset naturalis seu debita naturæ, sed ex dono gratuito; quia tamen erat bonum naturæ ipsamque perficiebat etiam in ordine suo naturali, ejus disruptio dicitur vulnus naturæ et per hanc homo vulneratus in naturalibus: utrum autem alio insuper sensu homo non debeat dici vulneratus in naturalibus, explicabimus modo.

Ex his liquet hominem in statu naturæ lapsæ longe esse debiliorem ad bonum et proniorem ad malum quam in statu naturæ integræ et innocentis. Et hæc certa sunt apud auctores. Sed

[1] Hic q. 88. a. 3. o.

difficultas est respective ad statum naturæ puræ, utrum homo in statu naturæ lapsæ non reparatæ habeat minores vires ad bonum morale naturalis ordinis quam habuisset in natura pura?

Quidam volunt vires naturales hominis ad bonum morale per peccatum originale esse imminutas ex aliquo positivo physico, scilicet vel ex morbida qualitate a pomo vel sibilo serpentis causata, quæ ad posteros transeat, eo fere modo quo parentum morbi ad filios propagantur; ita Henricus, Gabriel et quidam antiqui: vel ex habitu positivo inclinante in bonum commutabile per peccatum actuale Adæ in ejus potentiis impresso et ab illo cum natura ad posteros transfuso, eo ferme modo quo ex imaginatione matris notæ indelebiles infanti imprimuntur, et in quibusdam familiis habitus virtuosi aut vitiosi sunt hæreditarii. Ita qui reponunt peccatum originale in positivo et singulariter Jansenius. Vel ex majori efficacia et intensione per peccatum originale potentiis nostris superaddita, ratione cujus a connaturali statu quem haberent in natura pura ad statum præternaturalem extractæ ardentius et effrenatius feruntur in bonum sensibile rationi contrarium; ita Corduba et quidam alii. Vel ex dispositione corporis quæ modo pejor est post peccatum in vindictam illius, quam fuisset in puris naturalibus, ex qua pejori corporis dispositione potentiæ animæ etiam immateriales sunt infectæ et ad malum inclinatæ; mala siquidem dispositio corporis etiam in animam resultat: sicut patet quod ex diversa complexione corporis anima tristetur, jucundetur, vel ad libidinem excitetur: ita D. Daelman, observ. 2. de *Peccato orig.*

Verum hi omnes dicendi modi manent confutati ex dictis de peccato originali a. 5. ibi enim reposuimus essentiam peccati originalis in privatione justitiæ originalis quæ omnes potentias subordinatas continebat et earum deordinationem prohibebat; ex remotione autem prohibentis, nihil aliud reale positivum sequitur quam quod ex principiis intrinsecis sequi natum est, consequenter non morbida qualitas, non adventitius habitus positivus, non intensio potentiarum superaddita, non alteratio corporis pejor quam in puris naturalibus. Item hujus positivi, quodcumque sit, nulla potest assignari causa, non sibilus serpentis, non enim Adamum, sed Evam affatus est; non pomum, quia erat ex se bonum; non peccatum actuale Adæ, quia non existit amplius nec fuit in Adam alterius rationis in esse physico, quam quodvis aliud peccatum, ut produceret vel hanc morbidam qualitatem, vel habitum, vel intensionem, vel alterationem corporis: non Deus, id enim sine ullo fundamento fingitur, et quantum ad qualitatem, habitum, intentionem inclinantem in malum repugnat. Insuper isti auctores sic tenent vires naturales minui per istud positivum, sive qualitatem, sive habitum, sive intensionem, ut in eo reponant essentiam peccati originalis; ex quo sequitur peccatum originale non esse æqualiter et uniformiter in omnibus; nam istud positivum secundum ipsos traducitur per virtutem seminis cum natura; cum autem virtus seminis, utpote corporea, sit obnoxia alterationi et variis causis eam variantibus, impossibile est quod istud positivum æqualiter et uniformiter a tot sæculis omnibus traducat. Specialiter contra assertores habitus; si Adam peccando contraxit malum habitum, (cum tamen per unum actum non contrahatur habitus) pœnitendo contraxit habitum contrarium: ergo non debet amplius traduci malus habitus. Verius ergo dicendum cum D. Th.[1] quod habitus tam boni quam mali non traducantur, quia actus et habitus per eos producti sunt personales et ideo non traducuntur, sed solum id quod ad naturam pertinet, nisi forte naturalem complexionem immutent et vis generativa sit efficacissima; sed hoc valde contingenter fit: unde non habet locum in peccato originali, quod uniformiter transit ad posteros. Specialiter contra D. Daelman: si complexio corporis sit pejor nunc quam fuisset in natura pura in vindictam peccati, cum in omnibus sit æqualiter peccatum originale, deberet esse æqualis in omnibus vindicta, et tamen ubique videmus inter homines alios aliis ex pejori complexione longe procliviores in malum. His ergo variis dicendi modis omissis ut minus probabilibus,

Quidam dicunt vires naturales hominis ad bonum morale per peccatum originale non esse diminutas intrisece et quoad entitatem, bene tamen extrinsece ex appositione impedimenti, ut explicabitur modo. Ita ex nostris Alvares, Lemos, Contenson, Goudin et alii.

Alii tenent ex nullo capite, sive intrinsece, sive extrinsece, vires naturales hominis ad bonum morale esse diminutas per peccatum originale, ideoque hominem in statu naturæ lapsæ, non habentem peccatum actuale, sed solum originale, nullo modo esse debiliorem ad bonum morale ordinis naturalis quam

[1] Hic q. 81. a 2.

esset in statu naturæ puræ; ita ex nostris Gonet cum quibusdam aliis thomistis et pluribus extraneis.

Dico: vires naturales hominis ad bonum morale ordinis naturalis in statu naturæ lapsæ nondum reparatæ non sunt imminutæ intrinsece et quoad entitatem; probabilius est tamen esse minus habiles ad bonum morale extrinsece et ex appositione impedimenti, quod non fuisset in natura pura, atque hoc sensu posse dici minores quam fuissent in natura pura.

Conclusio quoad utramque partem deducitur ex variis locis s. Th. Imprimis s. Doct. hac in parte q. 85. a. 1. o. dicit: « Bonum naturæ humanæ potest tripliciter dici: 1°. Ipsa principia naturæ et proprietates animæ ex his causatæ, sicut animæ potentiæ et alia hujusmodi. 2°. cum homo habeat a natura inclinationem ad virtutem, ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum, naturæ. 3°. modo potest dici bonum naturæ donum originalis justitiæ, quod fuit in primo homine collatum toti naturæ humanæ. Primum igitur bonum naturæ nec tollitur, nec minuitur per peccatum. Tertium vero bonum naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturæ, scilicet inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. » Et in 2. d. 30. q. 1. ad 3. « Dicendum inquit, quod bona naturalia dicuntur dupliciter, vel prout sunt in se considerata, secundum quod naturæ debentur ex propriis principiis; et sic nec homo, nec angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est.... vel secundum quod ordinantur in finem ultimum, et hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt quidem, non penitus amissa, in quantum uterque factus est minus habilis et magis distans a finis consecutione. Et propter hoc homo dicitur gratuitis spoliatus et in naturalibus vulneratus. » Explicat autem dicta q. 85. a. 2. o. hanc minorem habilitatem per appositionem impedimenti. « Dicendum, inquit, quod prædicta inclinatio (ab bonum) intelligitur ut media inter duo, fundatur enim sicut in radice in natura rationali, et tendit in bonum virtutis sicut in terminum et finem. Dupliciter igitur potest intelligi ejus diminutio, uno modo ex parte radicis, alio modo ex parte termini. Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipsam naturam, ut supra dictum est (scilicet a. præcedenti) sed diminuitur secundo modo, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum. » Quodnam sit istud impedimentum quod est in natura lapsa et quod non fuisset in natura pura, jam dicemus in probatione secundæ partis conclusionis. Itaque ex principiis positis S. Thomæ,

Prob. prima pars conclusionis : vires naturales hominis ad bonum morale ordinis naturalis, scilicet intellectus, voluntas est appetitus sensitivus sunt proprietates necessario et uniformiter manantes ab essentia ; consequenter sicut ipsa essentia non admittunt plus et minus, præsertim intellectus et voluntas, qui cum sint spirituales sunt incorruptibiles et inalterabiles. Confirmatur : peccatum originale consistit essentialiter in privatione justitiæ originalis, quæ continebat potentias in recto ordine : atqui ex removente prohibens nulla realis et physica mutatio fit in re, sed suæ naturæ relinquitur : ergo.

Quantum ad secundam partem, de qua est potissimum difficultas, facile probatur in doctrina s. Th. juxta quam non potest stare peccatum originale cum solo veniali, quia vel homo in primo instante rationis se convertit ad Deum et sic justificatur, ac transit ad statum naturæ reparatæ ; vel non se convertit, et sic peccat mortaliter : unde fit quod in statu naturæ lapsæ sit a Deo aversus voluntate capitis et voluntate personali, eaque voluntate ad creaturam conversus : qua supposita doctrina, evidens est hominem in natura lapsa sic aversum a Deo, ultimo fine, et conversum ad creaturam esse minus habilem ad bonum morale (ex amore enim finis movetur voluntas ad media, ut mox dicam) quam hominem in natura pura, qui nec voluntate capitis, nec voluntate personali foret a Deo aversus et ad creaturam conversus; si enim iste homo in natura pura non se converteret ad Deum in primo instanti rationis, jam non esset in statu naturæ puræ, sed transiret ad statum natuæ lapsæ. Verum quia d. Thomæ doctrina non est omnium, incumbit probare hominem in solo peccato originali sine actuali existentem, esse minus habilem ad bonum, quam existentem in natura pura : igitur.

Prob. secunda pars conclusionis : ille est minus habilis ad bonum morale ordinis naturalis, qui est aversus a Deo ut ultimo fine naturali, quam qui non est sic adversus : atqui homo in statu naturæ lapsæ non repatæ est per peccatum originale aversus a Deo ut ultimo fine naturali, et in statu naturæ non sic esset aversus : ergo homo in statu naturæ lapsæ extrinsece et ex appositione impedimenti est

minus habilis ad bonum morale quam in statu naturæ puræ. Major videtur certa : quia efficacia et vires voluntatis ad eligenda media sumuntur ex amore et conversione ad finem, qui se habet in agilibus sicut primum principium in speculabilibus : sicut ergo qui non est recte instructus primis principiis, sed ab eis deviat, est minus habilis ad deducendas veras conclusiones, ita qui est aversus a fine est minus habilis ad operationes rectas. Prob. min. Adam peccando non solum legem supernaturalem violavit, sed etiam naturalem; omne enim peccatum est contra rationem et legem naturalem præcipientem obedire omni superiori legitime jubenti ; consequenter omnem suam posteritatem a Deo ut auctore naturali avertit : atqui in natura pura non fuisset hujusmodi aversio, quia non fuisset peccatum : ergo.

Respondent adversarii quod etiam in natura pura homo esset aversus a Deo ut auctore naturali, cum hoc tamen discrimine quod in statu naturæ lapsæ sit aversus aversione privativa et culpabili, orta ex peccato originali; in statu autem naturæ puræ esset aversus aversione negativa et inculpabili, utpote non provenient ex culpa, sed ex conditione naturæ : cum enim homo constet duplici appetitu, scilicet rationali in bonum honestum, et sensitivo in bonum sensibile, non exigit ex natura sua applicari ad amorem boni honesti vel sensibilis, sed ad amorem boni ut sic, ex quo per discursum rationis et electionem voluntatis se movere possit ad bonum honestum : adeoque in natura pura non fuisset conversus ad Deum ut auctorem naturalem, consequenter ab eo aversus negative.

Sed contra : quantumvis homo in natura pura non esset positive conversus ad Deum, esset tamen magis habilis ad se convertendum ad illum quam qui est ab eo aversus voluntarie per peccatum; primo enim sufficeret auxilium ordinarium; secundo necesse est speciale: primus est in debita dispositione, ut recipiat motionem divinam in bonum honestum, secundus non est in debita dispositione, quia est in peccato et voluntarie aversus : Deus autem movet unumquodque secundum cujusque dispositionem : pone duos pueros pariter pervenientes ad usum rationis, unum in natura pura innocentem et sine omni peccato, alterum in natura lapsa et peccato originali inquinatum atque exosum Deo : quis dubitat primum esse magis habilem ad se convertendum ad Deum, magisque dispositum ad recepiendam ejus motionem in bonum honestum quam alterum ? et sane si foret tanta aversio hominis in natura pura, quanta est in homine lapso, jam prior non foret in natura pura, sed foret in natura lapsa. Uno verbo, peccatum originale, est malum morale, malum morale opponitur bono morali et est illius impeditivum, quod non foret in natura pura.

Quidam non improbabiliter ponunt aliud impedimentum ex captivitate et tyrannide diaboli, ut enim dicitur, 2 Pet 2: *A quo quis superatus est, ejus et servus effectus est.* Et Trid. sess.5 *de Peccato orig.* can. 1, anathemate ferit eum qui dixerit primum hominem, transgrediendo Dei mandatum, non incurrisse « cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli. » Hæc autem captivitas cum sit effectus peccati, non fuisset in statu naturæ puræ. Exercet autem diabolus suam tyrannidem invitando et movendo sibi subditos variis modis ad omnia flagitia, proponendo objecta extrinseca commovendo phantasiam, inflammando passiones, alterando corpora, etc. Et quamvis potuisset tentare homines in natura pura, siquidem tentaverit primum hominem in natura integra, verisimilius est tamen longe potentius et efficacius suum dominatum exercere in suos captivos, permittente Deo in peccati vindictam.

Si dicas hoc impedimentum compensari per custodiam bonorum angelorum : respondetur quod in natura pura fuisset etiam custodia bonorum angelorum ; quia hoc pertinet ad ordinem quo inferiora reguntur a superioribus. Insuper malus angelus habet majorem potestatem in hominem sibi subditum per peccatum ad impellendum ad malum, quam bonus angelus ad bonum propter defectum peccati.

In confirmationem nostræ sententiæ venit quod si conformior modo loquendi SS. Patrum et theologorum, qui dicunt hominem per peccatum originale non solum fuisse spoliatum gratuitis, sed etiam vulneratum in naturalibus, Adamum peccando secundum corpus et animam in deterius fuisse mutatum, et liberum arbitrium esse viribus attenuatum : quamvis enim in rigore hæc possint intelligi respective ad statum innocentiæ et de destitutione subordinationis quæ, ut diximus, erat bonum et perfectio naturæ, attamen magis expedite et magis obvie intelliguntur de absoluta immunitione virium naturalium ad bonum morale, saltem extrinsece et ex appositione impedimenti.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. S. Th. in hac parte q. 85, a. 1 et 3, ponit discrimen inter peccatum originale et actuale, quod originale privet justitia originali, actuale vero minuat inclinationem ad bonum generando vitiosum habitum inclinantem ad malum : ergo juxta s. Th. in statu naturæ lapsæ homo cum solo peccato originali non habet minores vires etiam extrinsece et ex appositione impedimenti quam in statu naturæ puræ.

Resp. 1°. in doctrina S. Th. quam sequitur Gonet, cujus est hoc argumentum, nego suppositum consequentis, quia juxta s. Th. peccatum originale non potest esse in adulto sine actuali. Sed abstrahendo ab hac sententia,

Resp. 2°. S. Th. intelligendum esse de impedimento positivo physico, ut est habitus vitiosus qui sequitur ex peccato actuali, non ex originali, non autem de impedimento morali quod est aversio ab ultimo fine, quæ reperitur in peccato originali sicut in actuali, cum hoc solo discrimine quod in peccato originali sit voluntaria voluntate capitis, in actuali voluntaria voluntate personæ.

Obj. 2° cum eodem : ex removente prohibens non sequitur major aut minor effectus naturalis quam ex natura ipsa sequatur, ut patet in exemplo lapidis sursum detenti ; ille enim, remoto prohibente, velocius non movetur quam si fuisset motus a sola gravitate : atqui peccatum originale se habet solum ut removens prohibens in ordine ad motus inordinatos voluntatis et appetitus sensitivi, quatenus abstulit justitiam originalem qua motus inordinati compescebantur : ergo.

Resp. nego. min. Nam peccatum originale præter privationem justitiæ originalis importat aversionem a Deo ut auctore naturali, qualem non importat natura pura : hæc autem aversio est impedimentum morale boni faciendi : unde ex hoc argumento quod præcipuum est sententiæ oppositæ, sicut ex variis textibus s. Th. quibus dicit per peccatum originale « naturam sibi relinqui », hic q. 82, a 4, ad 4 et sublato vinculo justitiæ originalis unamquamcumque vim animæ tendere in suum proprium motum, ibid q. 87, a 7, et similibus : ex his, inquam, solum prob. prima pars conclusionis, nimirum vires naturales ad bonum non minui intrinsece, physice et entitative, non vero non minui moraliter et ex appositione impedimenti in ordine ad bonum prosequendum.

Inst. cum eodem : Homo per peccatum originale non est factus deterior quantum ad corpus quam fuisset in natura pura : ergo nec quantum ad animam.

Resp: omisso ant. nego. conseq. Quia deterioratio animæ quam admittimus, non est quid physicum, sed morale tantum impedimentum, scilicet aversio ab ultimo fine, cujus corpus non est capax, cum ipsius non sit converti ad ultimum finem, vel ab eo averti, nec motus ejus sint morales nisi denominative extrinsece.

Omisi ant. Quia quamvis deterioratio corporis non causetur immediate ex peccato originali, ut dictum est, probabile est tamen diabolum qui ratione peccati originalis tenet homines captivos, in eorum corpora etiam sævire et suam tyrannidem exercere, ea variis malis et incommodis affligendo.

Obj. 3°. Comparatur communiter homo in statu naturæ lapsæ homini in statu naturæ puræ, sicut nudatus nudo : nudatus autem non minus habet quam nudus : ergo.

Resp. dist. maj. Comparatur communiter, etc. quantum ad aliquid, conc. Quantum ad omnia, nego. Homo lapsus privatus fuit justitia originali et aliis donis gratuitis quibus erat vestitus et ornatus, et ideo quantum ad hæc nudatus : hæc non habuisset homo in natura pura, et ideo quantum ad hæc nudus. At homo in statu naturæ lapsæ est insuper aversus voluntarie et culpabiliter a Deo ut auctore naturali, qualis non fuisset in natura pura; unde ex hac parte debet homo lapsus comparari homini in natura pura, non ut nudatus nudo, sed ut vulneratus sano.

ARTICULUS IV.

UTRUM TAM ADAMO QUAM ANGELIS FUERIT NECESSARIA GRATIA PER SE EFFICAX AD PERSEVERANDUM?

Res hic nobis est cum Jansenio et theologis qui vulgo dicuntur augustiniani. Hi quamvis in hoc statu admittant necessitatem gratiæ per se efficacis, contendunt tamen ex S. Aug. lib. *de Correpl. et grat.* cap. 10. 11. 12. ea Adamum et angelos non indiguisse ad perseverandum, sed sola gratia indifferenti et versatili pendente a nutu liberi arbitrii, qualem molinistæ admittunt in præsenti statu. Thomistæ e contra propugnant necessitatem gratiæ efficacis pro utroque statu, cum hoc discrimine quod in primo statu esset gratia sanitatis, in secundo sit gratia medicinalis, seu ut dicit s. Aug. illa

sit lætior, ista potentior. Et quia tota concertatio est de mente hujus s. Doctoris.

Dico: Juxta s. Aug. gratia per se efficax fuit Adamo et angelis necessaria ad perseverandum.

Prob. 1°. ex formalissimis s. Aug. testimoniis. Præcipuum et palmare habetur lib. 12. de *Civit. Dei* c. 9. ubi ex professo s. præsul quærit id quod nunc agimus: unde processerit bona voluntas angelorum, qua aliis cadentibus ipsi steterunt: is est titulus capitis: « An sancti angeli quem habent Creatorem naturæ, eumdem habeant bonæ voluntatis (illius scilicet volitionis qua perseveraverunt) Auctorem per Spiritum sanctum in eis charitate diffusa? »

Quid huic quæstioni respondent aut respondere debent adversarii? Utrosque angelos bonos et malos habuisse gratiam versatilem, bonos suo consensu eam effecisse efficacem, malos suo dissensu inefficacem, eaque de causa illos stetisse in accepta justitia, illos cecidisse.

At quam dissite a s. Augustino: « Si angeli, inquit, s. Doctor propositæ quæstioni respondens, non potuerunt facere seipsos meliores quam eos ille fecerat, quo nemo quidquam melius facit, profecto et bonam voluntatem qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non potuerunt; et cum id egit voluntas eorum bona ut non ad seipsos, qui minus erant, sed ad illum qui summe est converterentur.... quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam, inopem in solo desiderio mansuram, nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem... Isti autem qui, cum boni creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate quam sola natura non fecit (ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono) aut minorem acceperunt amoris divini gratiam quam illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eamdem beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt; sicut etiam in libro, quem sequitur iste, tractavimus. Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis. » Quamvis apertissimum sit hoc testimonium pro nostra sententia, ut tamen tota vis ejus magis elucescat, singula perpendo.

1°. Juxta s. Aug. nulla creatura, neque etiam angelus, potest se facere meliorem quam a Deo facta sit: atqui si angeli boni habuissent tantum a Deo auxilium sine quo non, seu gratiam versatilem qua possent perseverare, a se vero perseverandi voluntatem et actum, nullo potentiori auxilio accepto quod in eis operaretur ut vellent, se fecissent meliores, quam Deus eos fecerat; melior est enim ille qui bonum facit, quam qui simpliciter potest; qui de facto perseverat in accepta justitia, quam qui simpliciter perseverare potest: ergo juxta s. Aug. gratia efficax fuit necessaria angelis ad perseverandum. Idem ex eodem principio concludit s. Aug. *Enarrat. in Psal.* 70. loquens de angelis, « Tibi debent quod vivunt, tibi debent quod juste vivunt, tibi debent quod beate vivunt. » Item lib. 2, *de Peccat. meritis* c. 18. ex eodem principio infert necessitatem gratiæ victricis pro statu naturæ lapsæ. Verba infra referam. Et tandem ipsi adversarii ex sæpe dicto principio probant contra molinistas necessitatem gratiæ per se efficacis in hoc statu. Unde quidquid reponere possunt ut vim hujus argumenti effugiant qua parte, probant necessitatem gratiæ efficacis in statu innocentiæ, reponunt molinistæ, ut ostendant gratiæ efficacis necessitatem in statu naturæ lapsæ, non fuisse probatam s. Augustino.

Respondent itaque 1°. s. Augustinum loqui de prima bona voluntate in qua angeli creati sunt a Deo justi et sancti, non de illa voluntate qua postea libere et meritorie in ista prima bona voluntate permanserunt.

Sed contra 1°. s. Augustinum loqui non tantum de prima, sed etiam de secunda bona voluntate libera et meritoria, patet intuenti textum quem laudavimus; loquitur enim de illo actu voluntatis angelicæ, quo angeli jam boni et justi a Deo conditi, ad Deum ut ultimum finem se libere converterunt. Item loquitur de ea bona voluntate angelorum quam « nonnisi operante adjutorio Creatoris habere potuerunt: » non adjuvatur autem nisi is qui aliquid agit: unde quamvis bona voluntas habitualis tam Adami quam angelorum dicatur esse a Deo infundente, non tamen dicitur esse a Deo adjuvante. Denique loquitur de ea voluntate bona quæ « in solo desiderio inops non mansit, sed melior avidiorque a Deo facta est: » quod non potest intelligi de habituali justitia infusa in creatione, sed de actu libero.

2°. Dato gratis veram esse hanc eorum responsionem, saltem constat s. Augustinum statuisse hoc generale principium, nullam creaturam, neque angelum posse se facere meliorem quam Deus eam fecerit; ex quo sequitur, ut

probavimus, quod non habeat a se quod bene agat, quod perseveret, sed a Deo. Adde augustinianos urgere hoc principium contra molinistas, ut inde probent necessitatem gratiæ efficacis in natura lapsa; quidni inde pariter probemus eamdem necessitatem in statu innocentiæ, et negantes arguamus contradictionis?

Respondent 2°. angelos non posse quidem se sine Deo facere meliores quam Deus ipsos fecerit, posse tamen cum Deo; sic autem contigit, dum angeli gratia versatili instructi, reipsa in bono perseveraverunt: nec amplius requirit s. Aug. Ita Laurentius Berti, eremita augustinianus.

Sed contra 1° juxta s. Aug. cit. angeli non potuerunt se facere meliores nisi operante adjutorio Creatoris ut faciant: atqui per auxilium sufficiens et versatile Deus non operatur ut faciant, sed solum per auxilium quo seu efficax: ergo. 2°. Juxta s. Aug. angeli non potuerunt se facere meliores non solum nisi cum Deo, sed etiam nisi ex Deo donante, ut ita dicam, melioritatem, quam certo non dat per auxilium versatile sed per efficax: ergo. Prob. ant. Angeli facti sunt meliores per bonum usum gratiæ: atqui bonus usus gratiæ, juxta s. Aug. non solum est cum Deo, sed est ex Deo ipsum donante: sic enim loquitur lib. I. *Retract.* c. 9. « Cum omnia bona et magna et media et minima ex Deo sint; sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, quæ in magnis numeratur bonis. » Et lib. 2. *de Peccat. meritis* c. 18. « Si nobis, inquit, libera voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala, bona vero voluntas (id est volitio) ex nobis est, melius est id quod a nobis, quam quod ab illo est: quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem (id est ipsam volitionem bonam) nos divinitus adipisci »: ergo. 3° Moliniani propugnantes gratiam versatilem et impugnantes per se efficacem in præsenti statu, respondent pariter s. Augustinum velle angelos non potuisse se facere meliores sine Deo, bene tamen cum Deo: atqui augustiniani exsufflant hoc subterfugium, tamquam a s. Augustini mente alienum: ergo se suis armis jugulant et ex proprio ore condemnantur.

Respondent 3° quidam alii qui principiis augustianorum non sunt addicti, ex hoc principio s. Augustini: « Neminem suis viribus posse se meliorem facere quam factus sit a Deo »; non posse inferri neminem posse suis viribus perseverare; quia, inquiunt, homo perseverando non fit melior, sed remanet qualis erat; idque tentant probare ex d. Th. 3. *cont. Gent.* c. 155. dicente, « perseverantiam non dicere aliquid hic et nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus. »

Sed contra 1°. hæc responsio evertit doctrinam Ecclesiæ contra pelagianos definitam de ineffabili dono perseverantiæ in hoc statu; loquitur enim s. Th. de perseverantia in hoc statu. Nec advertit respondens s. Doctorem ibidem ex ipsa notione perseverantiæ colligere perseverantiam esse donum speciale. « Perseverare, inquit, non dicit aliquid hic et nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus: iste igitur effectus, qui est perseverare in bono, est supra potestatem liberi arbitrii. Indiget igitur homo ad perseverandum in bono, auxilio divinæ gratiæ. » 2°. Esto justum perseverantem non fieri meliorem additamento justitiæ, fit tamen melior novo perfectiorique modo justitiam habitam retinendo, hoc est, fit melior continuatione justitiæ præcedentis: hæc enim continuatio est indubie bonum et excellentissimum bonum, ad quod requiritur auxilium speciale: neque verum est justum perseverantem remanere qualis erat, fit enim perseverans et antea non erat, sicque habet novum justitiæ modum quem antea non habebat.

Secundum quod expendo in testimonio s. Augustini, est s. doctorem ex posito principio neminem neque angelum posse se facere meliorem quam Deus ipsum fecerit, inferre quod in angelis nullum sit bonum quod Dei auxilium non sit in eis operatum. Tria autem bona in eis distinguit: primum omnibus bonis et malis commune, scilicet bonam voluntatem, in qua omnes creati sunt; secundum quo boni a malis sunt discreti, scilicet perseverantiam in accepta justitia; tertium istius secundi præmium, scilicet inamissibilem beatitudinem. Hæc, inquam, tria bona Deum in illis esse operatum ex suo principio concludit: 1°. dedit omnibus in sua creatione bonam voluntatem; 2°. cum se ad ipsum motu libero converterunt, id Deus fecit « excitando avidiores », adeoque aliis meliores; 3° tandem æterna beatitudine donando « implevit meliores. »

Tertium quod præcipue in præfato testimonio observo, est quod cum s. Aug. compendio dixisset Deum bonos angelos meliores effecisse « excitando avidiores », id postea accuratius explicans, duos modos exponit quibus boni angeli potuerunt a Deo effici meliores: primo,

inquit, quia angeli qui ceciderunt, acceperunt in sua creatione minorem gratiam consequenter boni majorem; quo supposito, palam est angelos sanctos factos esse meliores a Deo, non a seipsis. Sed quia incertum erat s. Augustino, an revera qui ceciderunt minorem gratiam in sua creatione receperint, et quidem oppositum sit verius, addit, quod si omnes sint creati æqualiter boni, illi qui perseveraverunt « amplius fuerint adjuti, » seu majus auxilium actuale receperint, quod perseveraverunt et meliores aliis effecti : ergo juxta s. Aug. angeli sancti præter auxilium sufficiens omnibus collatum, indigebant altero potentiori et efficaciori quo perseverarent et meliores efficerentur. Nihil non tentant adversarii ut vim hujus testimonii eludant. Itaque

Respondent 1° et communius post Jansenium, s. Augustinum per τo « amplius adjuti », non intelligere adjutorium viæ quo perseverarunt et perseverando pervenerunt ad beatitudinem, sed de adjutorio patriæ, quod dicunt esse vel lumen gloriæ, vel certitudinem de perpetuitate suæ beatitudinis; idque tentant probare ex eo quod subjungat s. Augustinus ; « Sicut etiam in libro quem sequitur iste, probavimus »; in isto libro autem scilicet 11. c. 13. dicit bonos angelos certam scientiam suæ sempiternæ felicitatis accepisse.

Sed contra 1° contestor nullum esse lectorem præjudiciis vacuum qui in his s. Augustini verbis, « illi amplius adjuti pervenerunt ad beatitudinem», obvie et naturaliter intellectis, hunc sensum apprehendat. Si namque dicerem de duobus Romam pergentibus, « unum amplius adjutum Romam pervenisse, alterum in via stetisse »: quis per hoc amplius adjutorium intelligeret adventum in ipsam urbem Romam, aut hujus adventus certitudinem, et non potius equum seu rhedam, aliudve medium et adjutorium quo primus adjutus in via, Romam pervenit, et quo alter fuit privatus? sic in nostro casu : sicut enim adventus in urbem Romam est terminus amplioris adjutorii in mea propositione, ita palam est possessionem beatitudinis esse terminum amplioris adjutorii in phrasi s. Augustini : unde cum dicunt adversarii ipsam beatitudinem esse istud amplius adjutorium, faciunt hunc sensum : « Sancti angeli non amplius adjuti, seu absque ampliori adjutorio pervenerunt ad beatitudinem quæ est amplius adjutorium »: quæ propositio est contradictoria propositioni s. Augustini. Neque obstat quod s. Aug. lib. *de Correp. et grat*, c. 12. vocet beatitudinem adjutorium, aliud est enim dicere beatitudinem « adjutorium quo quis continuo est beatus »; aliud est beatitudinem dicere adjutorium quo pervenietur ad beatitudinem, quod est absurdum.

2°. Hæc interpretatio repugnat intento s. Augustini : non enim quærit s. Augustinus loco a nobis laudato, unde sit major aut minor certitudo angelorum circa beatitudinem, id jam egerat lib. 11. c. 13. sed unde sit bona et melior voluntas qua se converterunt ad Deum et perseveraverunt, ut patet ex toto contextu et ex ipso capitis titulo. Si autem amplius adjutorium referatur ad ipsam beatitudinem seu ad certitudinem ejus perennitatis, non ad ipsam bonam et meliorem voluntatem, hinc habetur unde sit illa beatitudo et ejus perennitatis certitudo, scilicet a Deo ; sed non habetur unde sit bona et melior voluntas qua steterunt, quod tamen quærit s. Augustinus : imo sequitur quod non sit a Deo, cum nihilominus id statuere intendat s. Augustinus. Adde consequenter quod secundum istam responsionem angelus se faceret meliorem quam sit a Deo factus, cum a se et non a Deo bonam voluntatem qua stetit et se convertit ad Deum haberet, ut antea ex s. Augustini principio arguebamus.

Neque obstat quod s. Augustinus remittat lectorem ad librum præcedentem, ubi dicit angelos « certam suæ sempiternæ felicitatis scientiam recepisse »: id enim nullatenus negamus; sed negamus hanc ipsam scientiam esse amplius adjutorium quo adjuti pervenerunt ad beatitudinem, ut hic dicit s. Aug. siquidem hanc scientiam non nisi adepta beatitudine acceperint.

Respondent 2° s. Augustinum intellexisse « amplius adjutorium » intra lineam auxilii sufficientis et versatilis, non autem amplius adjutorium quod sit per se efficax.

Sed contra 1° s. Augustinus intellexit amplius adjutorium quod esset certa causa cur ii præ aliis se ad Deum converterent et perseverarent; de hoc enim erat quæstio ; sed qualecumque auxilium indifferens atque versatile, hoc ipso quo est indifferens et versatile, non potest esse certa causa bonæ voluntatis, cum potius ab ipsa dependeat ut ejus indifferentia tollatur: ab agente enim indifferenti ut indifferens est, effectus determinatus prodire non potest. Et hinc sequitur 2° juxta hanc responsionem angelos perseverantes se fecisse meliores quam a Deo sint facti, ut supra arguebamus ex s. Augustini principio. Insuper, utquid istud amplius auxilium versatile et sufficiens? Cum illud quo erant instructi, esset plenissime et

cumulatissime sufficiens in linea auxilii sufficientis.

Respondent 3° s. Augustinum intelligere « amplius adjutorium, » non de auxilio interno, sed externo, scilicet de externa protectione Dei ne sancti angeli tam graviter ut cæteri tentarentur.

Sed contra 1°. Equidem ii qui aliquo instanti consummarunt viam antequam reprobi a Deo discederent, non fuerunt tentati : cæteri vero eodem modo fuerunt tentati malorum exemplo, quod omnium mentibus æqualiter obversabatur. 2° Ex hac solutione sicut ex præcedentibus sequitur bonam voluntatem angelorum non fuisse a Deo operante, ut loquitur s. Augustinus, sed a seipsis, sicque se fecisse meliores quam Deus eos fecerit, contra invictissimum s. Augustini principium.

Jure itaque Franciscus Henno, quamvis opinionis Jansenii in hac parte assertor, disp. 2. *de Princip. Act. hum.* q. 4. a. 3. dicit quod his et aliis explicationibus interpretari s. Augustinum, sit ipsum ad sensum improprium detorquere : unde ipse cum nodum solvere non possit, audacter secat, et dicit s. Augustinum se retractasse in lib. *de Correpl. et grat.* Sed vicissim Laurentius Berti, ejusdem opinionis jansenianæ fervidus defensor, arbitratur Franciscum Henno ita sentire nulla ductum ratione: et merito. 1°. Namque, quamvis quinque aut sex libros priores *de Civit.* s. Augustinus composuerit ante librum *de Correp. et grat.* probabilius est tamen reliquos post ipsum et sub finem vitæ auctoris circa annum 429, quatuor annis post editum librum *de Correpl. et grat.* fuisse scriptos, ut observat Coquæus in præfatione ad hos libros, et probat Rivius, vitæ s. Augustini scriptor, lib. 3. cap. 13. §. 4. 2°. Quia s. Augustinus neque in libris *Retractationum,* neque alibi hujus fictæ retractationis mentionem facit. 3° Quia hoc generale principium, neminem scilicet se posse facere meliorem quam Deus fecerit, ex quo fluit solemne dictum « amplius adjuti, » non solum non retractavit s. Augustinus, sed constanter usque ad finem vitæ propugnavit. 4° Tandem quia non alia ratione dicit Henno s. Augustinum retractasse lib. *de Correpl. et grat.* quæ dixit lib. 12. *de Civit. Dei,* nisi quia existimat ea non posse conciliari, quam ejus opinionem esse falsam infra demonstrabimus.

Quartum denique et ultimum quod expendo in præfato s. Augustini testimonio, est ipsa responsio quam s. Doctor facit questioni propositæ. Questio erat ut fert titulus capitis: « An sancti angeli, quem habent Creatorem naturæ, eumdem habeant bonæ voluntatis (id est bonæ volitionis qua perseveraverunt) Auctorem per Spiritum sanctum in eis charitate diffusa ? » Multis præmissis et prælibatis quæ partim retulimus, tandem concludens sic respondet quæstioni: « Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris non ad solos sanctos homines pertinere ; verum etiam de sanctis angelis posse dici quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum qui datus est eis.» Vides Deum, definiente s. Augustino, bonam voluntatem operatum esse in angelis per effusionem alicujus novæ charitatis actualis, sicut operatur in viris sanctis : subsumo : atqui gratia per quam Deus operatur in viris sanctis bonam voluntatem, non est mere sufficiens et versatilis, sed per se efficax ; non est auxilium, sine quo, sed quo, ut totis nervis contendunt Jansenius et augustiniani : ergo.

Hoc celebri s. Augustini testimonio in bona luce collocato, alia breviter subjungo. 1°. s. Doctor *enarrat. in Psal.* 32. exponens illud Psalmistæ : *Verbo Domini cœli firmati sunt: et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; et verba hæc allegorice applicans angelis, dicit: « Verbo cœli, id est, angeli solidati sunt : non a se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi firmitatem propriam sibi præstiterunt ; non enim habuerunt aliquid ex se, et tamquam supplementum a Domino perceperunt ; spiritu enim oris ejus, non pars sed omnis virtus eorum »: atqui si non habuerint nisi gratiam versatilem ex liberi arbitrii nutu suspensam, solidamentum et firmitatem a se saltem ex parte habuissent, reddendo scilicet gratiam versatilem et indifferentem suo consensu efficacem, supplementumque ex seipsis addidissent, nempe liberum consensum gratiæ indifferenti, ut dicunt adversarii: quæ tamen omnia negat s. Augustinus : ergo.

2°. S. Aug. lib. de *Cantico novo* cap. 8. dicit: « Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est : ad malum sufficit sibi, ad bonum non nisi adjuvetur a Deo »: et si forte dicas cum Berti non esse certum hoc opus esse s. Augustini (quamvis tamen Lovanienses quorum editione utor, illud recenseant inter opera genuina s. Augustini) idem repetit s. Doctor serm. 11. *de Verbis Apost.* cap. 2. « Hoc modo, inquit, ostendere voluit homini Deus quid valeat liberum arbitrium sine Deo (per auxilium efficax adjuvante). O malum arbitrium sine Deo ! Ideo miseri facti sumus,

quia sine Deo quid valeat experti sumus. » Et *in Enchyrid. ad Laurent.* c. 106. « Homo, inquit, in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur via justitiæ parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret.» Ex quibus evidenter sequitur Adamum præter justitiam originalem et gratiam versatilem, seu auxilium sine quo, quod illi semper præsto erat, et quod si defuisset « nunquam sua culpa cecidisset », indiguisse altero efficaciori adjutorio ad bonum.

Respondet Berti inde non sequi necessitatem gratiæ efficacis in Adamo, sed tantum ipsum contempsisse gratiam versatilem quam habebat, et non voluisse uti illa, cui si fidere voluisset et illa uti, suffecisset ad bonum : sicque demonstratum est liberum arbitrium non sufficere ad bonum, nisi adjuvetur a Deo, illo scilicet adjutorio quod habebat, et quo noluit uti Adam ; sicut si claudus incedens projiceret baculum et caderet, monstraretur ipsum non posse incedere sine baculo.

Sed contra 1°. Quando s. Aug. dicit in *Enchyrid.* cit de Adamo : « Ut ab eo teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi qui eum fecerat adjuvaret », evidens est quod non loquatur de Adamo contemnente et abjiciente auxilium versatile et sufficiens, cum supponat illum aliqualiter « velle » tenere viam justitiæ, quod certo non poterat sine auxilio saltem sufficiente : ergo arbitraria est et infundata glossa Bertiniana. 2° Juxta s. Augustinum ut Adam vellet efficaciter uti auxilio versatili quod illi præsto erat, indigebat ulteriori et efficaciori auxilio : ergo ex laudatis textibus legitime inferimus Adamum præter gratiam versatilem indiguisse alio efficaciori auxilio. Prob. ant. imprimis ex loco mox citato *Enchyridii*, et ibid. « Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tam justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur »: Et cap. seq. 107. « Factus est homo rectus ut et manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino. » Item ex lib. 14. *de Civit.* cap. 27. ubi cum dixisset Adamum fuisse victum a diabolo, quia de Dei adjutorio confidere noluit, subjungit : « Quamvis et hoc ipsum confidere de adjutorio Dei, non quidem posset sine adjutorio Dei. » Item ex lib. 11. *de Genes.* ad litt. c. 4. « In sua potestate, inquit, habebat velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Tandem ex principio generali quod habet lib. 1. *Retract.*. cap. 9. omnia bona esse a Deo, quod currit etiam in statu innocentiæ : « Cum omnia bona, inquit, et magna et media et minima a Deo sint, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberi arbitrii, qui in magnis numeratur bonis. »

Unde ut ad exemplum Berti redeam, si claudus non posset uti baculo absque ulteriori ope illius qui illum ei dedisset, dum diceretur: claudus instructus baculo non potest incedere nisi adjuvetur, sensus esset, quod ultra baculum requireretur aliud auxilium quo uteretur baculo.

Ex dictis eruitur legitimus sensus istorum verborum quæ ex cap. 10. libri de *Correpl. et grat.* nobis opponunt adversarii : « Saluberrime, inquit s. Augustinus, confitemur quod rectissime credimus Deum Dominumque rerum omnium.... sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid eorum posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium. » Hæc, inquam, verba multum extollunt adversarii et tanquam unum ex præcipuis fundamentis suæ sententiæ statuunt, quasi s. Augustinus per hæc significare voluerit Deum primo contulisse Adæ et angelis tale arbitrium quod sibi subjiceret gratiam acceptam et se solo sine novo gratiæ adjutorio posset perinde bonum et malum. Nos contra dicimus s. Augustinum hæc protulisse non ad commendationem, sed ad depressionem liberi arbitrii, neque significasse quod Deus voluerit ostendere quid se solo sine nova gratia posset ad bonum, sed tantum quid posset ad malum: hunc esse legitimum s. Augustini sensum probant textus prius laudati. Probat id quod dicit s. Doct. cap. 11. seq. de *Correp. et grat.* « Liberum arbitrium, inquit, ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti Deo. » Imo probat ipse textus objectus si attente inspiciatur : ideo enim s. Augustinus dicit Deum prius voluisse ostendere quid posset liberum arbitrium, quia « scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere »: quod aperte indicat Deum voluisse ostendere quid possit arbitrium ad malum.

3°. S. Aug. *Epist.* 106. arguens contra semi-pelagianos probat a minori ad majus hominem sine gratia Dei non posse in præsenti statu reparare quod perdidit, quia in statu innocentiæ non potuit sine gratia Dei custodire quod habuit: hæc sunt ejus verba quæ concil. Arausicanum 2. in suos canones transfudit

« Natura humana etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo tamen modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret : unde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?» atqui istud argumentum nihil probaret contra semi-pelagianos, si ista gratia necessaria Adæ ad perseverandum esset gratia habitualis aut actualis versatilis et non per se efficax : poterant enim retorquere argumentum semi-pelagiani contra s. Augustinum sic : ex te eadem gratia necessaria est homini ad resurgendum quæ fuit necessaria Adamo ad standum : atqui ex te sola gratia habitualis aut actualis versatilis et non per se efficax fuit necessaria Adamo ad standum : ergo sola gratia habitualis aut actualis versatilis, non per se efficax, est necessaria homini lapso ad resurgendum. Quo semel dato tota s. Augustini doctrina de gratia evertitur.

Prob. 2°. conclusio ex fidelissimis s. Augustini discipulis. S. Fulgentius. lib. 2. *Ad Trasimund.* c. 2. « Cognoscitur, inquit, cunctos angelos uniformi ruinæ consortio opprimi posse, nisi quos vellet a casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarique non potest : » ergo aliquibus angelis, quibus singulariter voluit Deus, peculiari virtute subventum est, ne cum aliis caderent : hæc autem virtus non fuit gratia versatilis, hæc enim omnibus et stantibus et cadentibus concessa est : ergo efficax.

Respondet Berti Fulgentium per virtutem intelligere verbi divinitatem, non gratiam abeo diffusam, idque probare contendit ex his quæ habet Fulgentius cap. sequenti et ex quibus nos e contra contendimus nostram sententiam probari. « Una est, inquit Fulgentius, in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, hunc infirmari non sivit; illius esca, istius medicina. Hunc autem quisquis sanum capit, filium Dei non esse ambigit, qui est virtus et sapientia Patris, sapientia immutabilis, virtus inseparabilis.» Prosequitur ironice Berti, vir alioquin modestus : « Hæc sunt egregia pro efficaci gratia testimonia! Si ita est · si eadem gratia quantum ad vim effectricem in utroque statu requiritur. Quomodo erit potentior quæ sanat vulnera et reprimit perduellem concupiscentiam ? Et si validior, quomodo est eadem? »

Sed contra 1°. Dato Fulgentium per virtutem intelligere verbi divinitatem, stat nihilominus argumentum ex illo petitum, scilicet bonos angelos divina virtute fuisse specialiter munitos ne cum aliis caderent, sicque eorum perseverantiam non esse a virtute liberi arbitrii communibus tantum et versatilibus auxilii adjuta.

2°. Non advertit doctissimus Berti Fulgentium facere transitum a verbo Dei ad virtutem ab ipso diffusam in angelos et homines; subjungit enim (quæ omisit respondens) « Sapientia quæ illuminat, virtus quæ adjutorium præstat »: id est, virtus substantialis quæ virtutem præstat accidentalem angelo stanti ne cadat, homini lapso ut resurgat; id enim præstare non potest absque alicujus virtutis effusione intrinsece recepta.

Ad implicantiam quam opponit, resp. hanc gratiam esse eamdem et diversam sub diversa ratione; est eadem essentialiter, est diversa accidentaliter. Vide quæ dixi in expositione status naturæ innocentis.

S. Greg. Hom. 14. *in Ezech.* « Unigenitus Patris, inquit, qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum : illis fortitudo ne cadant, nobis adjutorium ut surgamus. » Et lib. 25. *Moral.* c. 8. loquens de angelis dicit aliis cadentibus, alios a Deo fuisse solidatos, utique similiter casuros nisi solidati fuissent.

S. Bernardus Serm. 22. *in Cantica :* » Qui, inquit, erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne labatur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens : et hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum et servans istum. »

His conformiter s. Th. in hac parte q. 109. a. 1. et 9. o. generaliter sic resolvit : « Quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo »: Deinde de natura integra specialiter a. 2. « Natura hominis, inquit, potest considerari dupliciter. Uno modo in sui integritate, sicut fuit in primo parente ante peccatum : alio modo secundum quod est corrupta in nobis per peccatum primi parentis. Secundum autem utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum vel volendum quodcumque bonum sicut primo movente. « Et explicato discrimine inter naturam sanam et infirmam concludit articulum his verbis »: Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale : in statu au-

tem naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanctur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur. Ulterius autem in utroque statu indiget auxilio divino ut ab ipso moveatur. » a. 3. o. « Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturæ corruptæ, indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanatis. » Sicque fere per totam quæstionem : et hæc est in terminis, ut patet sententia nostra.

At fallimur forte? « Audio, inquit Berti, auxilium gratiæ moventis, non audio prædeterminantis. Moventis, dixit, non efficaciter præmoventis. Inveni nomen motionis universalis et gratiæ sanantis, et nihil ultra. »

Seriumne sit in augustiniano hujusmodi responsum, an nugatorium, aut consulto emissum ut lectoribus caliginem offundat nosque ad extraneas disputationes divertat? Dicant alii. Cæterum si iste theologus quæstionem non moveat de nomine, quod puerile foret, sed de re; habebit s. Th. sexcentis plus minusve locis nomine motionis divinæ docuisse motionem efficaciter præmoventem, prædeterminantem et specialem : id integris voluminibus demonstrarunt nostri thomistæ, sed quod discutere non est præsentis otii : quapropter hæreo duntaxat verbis hic laudatis s. Thomæ et sic arguo. 1° Juxta s. Th. præter gratiam originalem et virtutes superadditas viribus naturæ, requiritur in statu naturæ integræ tale auxilium quo homo moveatur ad bene agendum, quale in statu naturæ lapsæ præter gratiam sanctificantem et virtutes sanativas requiritur : « Ulterius, inquit s. Doctor, in utroque statu indiget auxilio divino ut ab ipso moveatur ad bene agendum : » atqui auxilium quod requiritur in statu naturæ lapsæ quo homo moveatur ad bene agendum, est, fatentibus adversariis, efficaciter præmovens, prædeterminans et speciale : ergo. 2° Homo in statu naturæ integræ ex d. Th. indiget auxilio quo moveatur ad bene agendum : ergo quo præmoveatur efficaciter, alioquin maneret immotus et vinceretur ab homine Deus : ergo quo prædeterminetur ad hoc bonum opus, quia per prædeterminationem nihil aliud intelligitur quam præmotio efficax. 3°. Istud auxilium ulterius quod requirit s. Th. ut homo moveatur ad bene agendum, non est auxilium sine quo, illud enim supponitur : ergo auxilium quo et efficax. Item non est auxilium versatile et indifferens, quia auxilium versatile et indifferens non movet hominem ad aliquod bonum, sed potius movetur ab homine, cujus nempe consensu determinatur : ergo efficax.

Quædam ulterius opponit Berti ex d. Th. quæ putat nobis esse contraria, de quibus dicam in sol. object.

Prob. 3°. conclusio ex principiis s. Augustini. Primum principium s. Augustini ex quo probatur fuisse Adamo et angelis necessariam gratiam efficacem, nimirum nullam creaturam posse se facere meliorem, quam a Deo facta sit, jam plusquam satis expendimus. Secundum huic finitimum est non posse hominem homini esse meliorem quam Deus ipse sit homini. Ita *Enarrat. in Psal.* 58. Ex quo sic argumentor : ille melior est alteri, qui dat illi quod melius est : atqui si angelus et primus homo habuissent tantum a Deo posse perseverare, a se autem actualem perseverantiam, dedissent sibi quod est melius; melius est enim, ut jam diximus, agere quam posse agere, perseverare quam posse perseverare : ergo angelus et homo fuissent sibi meliores, quam Deus ipsis.

Tertium principium s. Augustini est neminem habere a seipso in ordine supernaturali de quo in semetipso possit gloriari et quo ab aliis se discernat : ita passim s. Doctor præsertim de *Dono perseverant.* c. 13. ex illo Apost. 1. Cor. 4. *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod principium etiam extendit ad Angelos lib. 11. *de Civit.* c. 19. ubi dicit quod « solus ille discernere potuit (angelos) qui potuit, etiam priusquam caderent, præscire casuros »: atqui in systemate Jansenii et augustinianorum unus angelus habet a se quo possit in semetipso gloriari, et ab aliis se discernat : ergo. Prob. min. Pone duos Angelos gratia versatili æque instructos, quorum unus suo assensu eam reddit efficacem et perseverat, alter suo dissensu reddit inefficacem et cadit; palam est primum se per semetipsum ab alio discernere et habere a se quod in se et non in Domino glorietur : ergo.

Neque dicas quod unus non se discernit ab alio sine gratia versatili, id quidem verum est, sed non se discernit per gratiam versatilem : « Gratia enim quæ est communis bonis et malis, non discernit bonos a malis, » inquit s. Aug. lib. *de Nupt. et concup.* c. 3. et lib. de *Prædesti. Sanctorum* c. 5. Vide plura circa hoc

argumentum de scientia media §. 3. quæ enim contra illud reponunt molinistæ pro statu naturæ lapsæ, eadem reponunt augustiniani pro statu naturæ innocentis: unde utrisque eædem solutiones sunt adhibendæ, et ea quibus dicti augustiniani impugnant evasiones molinistarum, contra ipsos sunt retorquenda.

Quartum s. Augustini principium. Creatura innocens debebat orare et petere a Deo donum perseverantiæ, et ea obtenta illi gratias inferre. « Quis enim audeat dicere aut credere, inquit S. Aug. 14. *de Civit.* c. 17. ut neque angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? » Ergo debebat hanc perseverantiam petere et pro ea obtenta gratias agere: id dictat communis pietatis sensus. Unde Gelasius Papa, doctrinæ s. Augustini approbator et vindex in libello adversus pelagianos, et Epist. 5. *ad Episcopos* per Picenum constitutos (habentur tom. 4. concil. Labb.) dicit Adamum ideo peccasse, quia sibi fidens ad Deum oratione non confugit ut gratiam sibi necessariam obtineret. Item docet s. Th. 1. p. q. 94. a. 4. ad 5. « Adæ, inquit, in tentatione non fuit subventum, quia recursum non habuit ad Deum pro obtinendo auxilio quo perseveraret »: atqui in hypothesi quod Adam et angelus essent instructi gratia versatili quacum erant perseveraturi, modo illam suo assensu redderent efficacem, nihil ultra illis erat a Deo expectandum et petendum ut perseverarent, cum jam totum ab eorum libero voluntatis assensu penderet: ergo non debebant Deum orare, ut ab eo perseverantiæ donum obtinerent: « Quid enim stultius est, inquit S. Aug. lib. *de Nat. et grat.* c. 18. quam orare ut facias quod habes in tua potestate? » neque pro hoc dono obtento gratias agere; quia, ut ait idem S. Aug. Epist. 107. *ad Vitalem;* « Non gratias agimus Deo, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, cum agere non putamus. »

Respondet Berti Adamum innocentem non debuisse orare oratione gemitus, qua nempe peteret auxilium nondum collatum, sed oratione laudis, qua de accepto auxilio grauas Deo referret et ejus conservationem peteret.

Sed contra: neque pro conservatione hujus auxilii ullatenus erat necesse ut oraret Adam, quippe nisi peccaret, certo sciebat sibi subtrahi non posse; si enim sibi negatum aut subtractum fuisset, « jam ille sine sua culpa cecidisset », inquit S. Aug. cap. 11. de *Correpl. et grat.* Gratiarum autem actio quam Berti vocat orationem laudis, non est proprie oratio, hæc quippe respicit beneficium obtinendum, illa obtentum. Insuper non fuisset in hac hypothesi locus gratiarum actioni saltem pro perseverantia; quia angelus stans non plus a Deo accepit quam angelus cadens: uterque enim accepit a Deo naturam et gratiam versatilem, quam bonus non ex Deo, sed ex se fecit efficacem. Si dicas angelum sanctum debere Deo gratias agere pro adepta corona gloriæ quam malus non obtinuit: ita est; sed saltem pro gratiis acceptis in via angelus beatus non debet Deo majores gratias agere, quam reprobus et in æternum damnatus; quod horrent piæ aures.

Quintum s. Augustini principium est inscrutabilitas hujus quæstionis: cur unus gratiæ consentiat et non alter? Cur unus in accepta justitia perseverat et salvatur, et non alter? de *Dono persev.* c. 9. et 12. *de Spirit. et litt.* c. 33. et alibi: atqui si tam homini quam angelis data sit tantum gratia versatilis, quam suo nutu redderent efficacem vel inefficacem, non est inscrutabile cur hi salvantur, illi damnantur, sed facilis solutio, scilicet homines salvari qui proprio arbitrio consenserunt gratiæ, illos damnari qui dissenserunt. Neque dicas s. Aug. hanc judiciorum profunditatem tantum agnoscere pro statu naturæ lapsæ: nam lib. 11. *de Genes.* ad litt. c. 10. loquens universaliter de omni creatura rationali, consequenter de Adamo et angelis, ait: « Sed posset Deus etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est: posset plane: cur ergo non fecit? Quia noluit: cur noluerit? penes ipsum est. »

Prob. 4° conclusio evertendo fundamentum adversariorum. Si motio per se efficax non esset necessaria in statu innocentiæ, ideo foret, ut volunt adversarii, quia juxta s. Aug. tota ejus necessitas repetitur ex sola infirmitate naturæ lapsæ ad actus supernaturales et meritorios: atqui falsum consequens: ergo et ant. Prob. min.: S. Aug. repetit necessitatem motionis efficacis non solum ex infirmitate naturæ lapsæ, sed etiam ex omnipotentia Dei, ex subordinatione et dependentia omnis creaturæ a Deo in agendo: ergo. Prob. ant. imprimis s. Doct. lib. 3. de *Trinit.* cap. 1. statuit tanquam principium constans et universale quod « divina vuluntas sit prima et suprema causa omnium corporalium et spiritualium motionum, » quæ verba profert ex s. Augustino S. Prosper sententia 58. 2° lib. 5. de *Genes. ad Litt.* c. 20. « Deus, inquit, movet occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum

angeli jussa perficiciunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti..... dum vireta pullulant..... explicat sæcula, quæ illi cum primum condita sunt tanquam implicita indiderat, quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit provido motu administrare cessaret. » et in fine cap. 23. « Ea, quæ omnia simul fecit, administratorio actu gubernans, eaque movens sine cessatione operatur. » Ibi nulla mentio aut quæstio de infirmitate naturæ ad actus supernaturales et meritorios, sed de sola subordinatione et dependentia omnis causæ creatæ etiam naturalis in agendo a Deo omnipotente ut prima causa et primo motore.

3° Lib. de *Correpl. et grat.* quem nobis opponunt adversarii, cap. 14. loquens de electione Saulis in regem, quæ erat actio mere civilis et naturalis, dicit: » Non est itaque dubitandum voluntati Dei qui in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit, et qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit; nisi forte (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro sive non subdere, (quod utique erat positum in eorum potestate) ut etiam Deo valerent resistere; qui tamen hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » Et paulo post de electione Davidis in regem: « Omnipotens Deus, inquit, adduxit illos, ut eum regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo, cum voluerit, reges in terra constituere magis habet in potestate sua voluntates hominum quam ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio, et fiat in correpti corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno. » Et lib. 1. cont. *duas Epist. Pelagii* cap. 20. loquens de mutatione regis Assueri ab indignatione ad mansuetudinem, quæ etiam fuit actus ordinis naturalis: « Deus, inquit, occultissima et efficacissima potestate cor regis convertit et transtulit ab indignatione ad lenitatem; hoc est a voluntate lædendi ad voluntatem favendi, secundum illud Apostoli: *Deus est enim qui operatur in nobis et velle.* » In his omnibus aperte sunt motiones efficaces, quarum tamen necessitatem non repetit s. Aug. ex infirmitate naturæ læsæ, sed ex omnipotentia Dei et dependentia creaturarum ab illo, ut patet tum ex terminis, tum quia, ut dixi, istæ electiones et actiones erant mere civiles et ordinis naturalis, ad quas impertinens est infirmitas naturæ læsæ in ordine ad actus supernaturales et meritorios. Imo ex necessitate motionis efficacis ad illos actus civiles, infert s. Augustinus tanquam a minori ad majus necessitatem hujusmodi motionis ad actus salutares, nempe ad correctionem cordis et morum, ut patet ex verbis secundi textus, quodque apertius repetit lib. de *Prædest. sanctorum* cap. 20. ubi defendens hanc suam illationem contra semi-pelagianos dicit: « Existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare, ad regnum vero cœleste obtinendum, Deum non inclinare quorum voluerit voluntates..... Cogitate quale sit ut credamus ad constituenda regna terrena, hominum voluntates operari Deum, et ad capessendum regnum cœlorum, homines operari voluntates suas. » Ergo s. Augustinus ex omnipotentia Dei atque creaturæ dependentia ab illo repetit necessitatem motionis efficacis et in naturalibus et in supernaturalibus.

4°. Idem probant textus sequentes in *Enchyrid.* c. 96. « Deus, inquit, non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ (consequenter neque Adami, neque angelorum) voluntatis omnipotentis impeditur effectus. » Et cap. 102. « Quantælibet sint voluntates vel angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, omnipotentis voluntas Dei semper invicta est. » Et lib. de *Grat. et lib. arbit.* cap. 20. « Scriptura divina, inquit, si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis et a se factas bonas in actus bonos, et in æternam dirigit vitam, verum etiam illas, quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari. » Et *Enarrat. in Psal.* 34. expendens illud Davidis: *Effunde frameam,* etc. « Quid est, inquit, anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat et pugnet de illa? Nam quælibet optime facta framea, nisi habeat bellatorem, jacet.... Ergo quidquid vult, facit de anima nostra: cum in manu ejus est, utatur ea, quemadmodum vult. » In his omnibus et pluribus aliis quæ longum foret referre, nihil de infirmitate naturæ, sed omnia referuntur ad omnipotentiam Dei. Et ne dicas inesse quidem Deo omnipotentiam pro omni statu, sed eam non exer-

cere in omni statu, quia non est æqua ubique eam exercendi necessitas, patet ex textibus laudatis eam exercere in omni statu, atque agere in omnes creaturas, sive rationales, sive irrationales, in angelos et homines sive sanos, sive infirmos pro despotica potestate proque supremo quo pollet in eas imperio, regendo, flectendo, movendo eorum voluntates, non secus ac alias creaturas quo vult, quando vult et quomodo vult: neque aliter fieri potest; eum enim ex s. Aug. sit omnipotens causa prima et suprema et utatur anima nostra tanquam instrumento pro nutu suo, necessario creaturæ etiam rationales ipsi subordinantur et dependent in agendo.

Confirmatur 1°. Si necessitas gratiæ per se efficacis repetenda sit ex sola infirmitate naturæ per peccatum originale læsæ, sequitur quod ubi nulla est infirmitas ex peccato originali, nulla sit gratia efficax, sed gratia tantum versatilis: ita docent adversarii: atqui falsum consequens: ergo et ant. Prob. min. In Christo Domino nulla fuit infirmitas ex peccato originali quod non contraxit. Item in B. Virgine, vel non fuit peccatum originale secundum piam opinionem, vel saltem, secundum omnes, fomes fuit ligatus in utero matris, et plene extinctus in conceptione Christi: atqui tamen et Christus et Beatissima ejus Mater, non gratia versatili tantum, sed efficaci et efficacissima fuerunt donati: ergo. Major est de fide, saltem quoad Christum: quoad B. Virginem temerarium foret negare. Minorem autem non puto etiam posse a quoquam negari: 1° quia incredibile est, imo videtur implicatorium quod Auctor et Mater gratiæ, qui quovis alio efficacius et indeclinabilius a Spiritu sancto ducebantur, regebantur et movebantur in bonum, gratia efficaci caruerint, et quod in Christo non fuerit gratia Christi, quam tot annis et tot voluminibus propugnavit s. Augustinus; 2°. quia sequeretur quod bona opera Christi et Matris ejus non fuerint a Deo prævisa in suo decreto, sed in ipso usu eorum liberi arbitrii per scientiam mediam, quodque Christi prædestinatio ad unionem hypostaticam, et B. Virginis ad maternitatis Dei dignitatem, utriusque ad gloriam, non fuerit gratuita, contra expressam s. Augustini doctrinam de *Prædestinat. Sanctorum* c. 15.

Respondet Berti diversam esse rationem creaturæ rationalis innocentis et Christi: quia Christus fuit caput Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo: in unoquoque autem corpore eadem est vita capitis et membrorum: unde gratia efficax fuit Christo collata, non ob ejus necessitatem, sed propter Ecclesiæ suæ sponsæ participationem.

Sed contra: esto verum sit assumptum Berti de corpore physico, non est tamen necessario verum de corpore morali, ad cujus capitis rationem sufficit quod aliquo modo influat vitam in membra; sive autem Christus habuerit gratiam efficacem sive non, potuisset nobis influere vitam gratiæ: unde si ex nullo alio capite ea indiguerit, non probatur illum eam habuisse. Insuper quid de B. Virgine respondebit Berti?

Confirmatur 2°. Si Adam eo quod nullam pateretur rebellionem in appetitu inferiori, non indiguerit gratia efficaci ad pia opera, puta ad diligendum Deum super omnia, sed ipsi satisfuerit gratia versatilis, sequitur quod homo regeneratus Christo pariter non indigeat gratia efficaci tunc quando nulla appetitus inferioris tentatione pulsatur, ut non raro contingit juxta s. Aug. lib. 6, *cont. Julian.* c. 19 et experientia probat. Concupiscentia enim quæ non stimulat nec tentat, non est magis impedimento ad actum virtutis, quam si non esset omnino: atqui falsum consequens etiam secundum adversarios: ergo et ant.

Prob. 5° conclusio ab inconvenientibus et antilogiis quas incurrunt adversarii. 1° Propugnant prædestinationem gratuitam in hoc statu; negant in statu innocentiæ. Dicunt equidem ita exigere differentiam statuum, ut creaturæ corruptæ eligantur ante prævisa merita, quia Deus est illa daturus per gratiam efficacem: quæ autem non sunt corruptæ, elegantur post prævisa merita, quia ea a seipsis et non a Deo sunt habituræ. Verum in Christo nulla erat corruptio, et tamen secundum s. Aug. mox citatum, ejus prædestinatio fuit gratuita. Insuper potior ratio quæ probat prædestinationem gratuitam in hoc statu, æque probat in statu innocentiæ: scilicet, quicumque ordinate agit, prius intendit finem quam media. Vide quæ hac de re dixi contra Molinam in 1 p. dissert. *de Prædestinatione.*

2°. Docent adversarii decreta divinæ voluntatis pro statu naturæ lapsæ esse ex se efficacia et prædeterminantia; negant pro statu naturæ innocentis: et tamen ea ratio qua s. Aug. horum decretorum efficaciam vindicat pro statu naturæ lapsæ militat pariter pro statu innocentiæ, nempe omnipotentissima Dei voluntas, quæ de ipsis hominum voluntatibus quod vult facit, quæ humanorum cordium, quo voluerit et quando voluerit inclinandorum supremam

et absolutam habeat potestatem, quæ magis habet in sua potestate voluntates hominum quam ipsi suas, lib. *de Correpl. et grat.* et alibi.

3° Totis lacertis impugnant adversarii scientiam mediam in præsenti statu; admittunt in statu innocentiæ : et tamen ea impugnatur pro hoc statu iis momentis quæ ejus impossibilitatem in omni statu demonstrant; inter cætera quod nullum sit ejus objectum. Vide alia plura de hac scientia in 1 p.

Solvuntur objectiones.

PRÆNOTANDA.

Unicum ex s. Augustino suæ sententiæ fundamentum petunt adversarii ex cap. 10, 11, 12 libri de *Correpl. et grat.* quem s. Aug. jam senex scripsit et direxit ad monachos Adrumetinos.

Hi cum accepissent prædicari a s. Augustino quoddam gratiæ genus, quæ ad omnia pietatis opera esset necessaria, nec tamen ullis meritis obtineretur, dixerunt neminem esse corripiendum si bonum non ageret, aut in bono non perseveraret, cum neutrum posset sine gratia, quam nec sibi dare nec a Deo mereri posset; sed orandum tantum ut Deus ipsi gratiam largiatur.

Ut hanc querelam depelleret s. Augustinus, composuit librum de *Correpl. et grat.* in quo multis argumentis probat hæc duo cohærere, scilicet hominem indigere gratia ut bene agat et tamen juste corripi si ea destitutus non bene agat; quia utrumque docet s. Scriptura. Deinde multis momentis utilitatem correptionis ostendit.

Monachis autem importunius quærentibus, cur Deus deneget justis gratiam necessariam ad perseverandum, et tamen ille culpetur quod non perseveret? Respondet s. Augustinus justis temporaneis subtrahi gratiam, «quia non sunt a massa perditionis æterna Dei prædestinatione discreti », id est, subtrahitur propter peccatum originale. At reponebant monachi gratiam perseverantiæ fuisse denegatam primo parenti innocenti et ante omnem culpam : ergo ille saltem erat excusabilis, nec corripiendus.

Hujus objectionis occasione assumit s. Augustinus tractandam quæstionem de gratia primi hominis et Angelorum cap. 10, 11 et 12. « Quæritur a nobis, inquit cap. 10, quantum attinet ad hoc donum Dei quod est in bono perseverare usque in finem (iam intellige agi dunta-xat de gratia perseverantiæ finalis) quid de ipso primo homine sentiamus, qui certe sine ullo vitio factus est rectus... si enim in illa rectitudine in qua sine vitio factus est Adam, habuit perseverantiam, procul dubio perseveravit in ea ; et si perseveravit, utique non peccavit.... Eum autem peccasse et desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, et si non habuit, utique non accepit... Porro si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit. Neque enim dici potest ideo non accepisse, quia non est discretus a massa perditionis gratiæ largitate, nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex qua tracta est origo vitiata. »

Huic difficultati s. Augustinus respondet Adamum nihilominus fuisse inexcusabilem et corripiendum, quia licet non habuerit auxilium efficax ad perseverandum, quale datur nunc prædestinatis ; habuit tamen auxilium sufficiens, quod erat permissum ejus voluntati et quocum perseverare posset si vellet, sicut boni angeli cum illo per liberum arbitrium perseverarunt : additque rationem cur auxilio efficaci, quale nunc datur, non indigeret ; quia nempe ejus natura erat sana et integra, cum nostra sit infirma et vulnerata, ideoque potentiori auxilio juvanda : hinc concludit cap. 12. « Ipsa adjutoria esse distinguenda. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium quo aliquid fit. Primo itaque homini datum est adjutorium perseverantiæ non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset : nunc vero sanctis in regnum Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis ipsa perseverantia donetur. »

Hæc est summa doctrinæ s. Aug. in his tribus famosis capitibus : ex qua infert Jansenius discrimen inter præsentem statum et statum innocentiæ in eo situm esse quod gratia propria statui innocentiæ sit auxilium sine quo, seu gratia sufficiens tantum et versatilis subdita libero arbitrio, nec ulla fuerit in eo necessaria gratia per se efficax. Gratia autem propria huic præsenti statui sit auxilium quo, seu gratia per se efficax propter infirmitatem naturæ, nec ulla detur in eo sufficiens tantum. Et hoc est, ut jam monui, venenata radix et origo illius hæresis. Theologi qui dicuntur augustiniani, idem inferunt, excepto quod agnoscant etiam pro præsenti statu gratias sufficientes.

Hanc distinctionem inter adjutorium sine quo non et adjutorium quo, quorum primum suffecerit angelis et primo homini ad perseverandum, alterum præsenti statui sit necessarium, Jansenius lib. *de Grat. primi hominis* cap. 17, dicit esse veram et immobilem basim, cui incumbat tota s. Augustini doctrina *de Gratia Christi*, qua sublata necesse est ut ruat totum ædificium : « Clavem qua ad Augustini doctrinam patet aditus sine qua qui eam molitur ingredi, velut cæcus in meridie palpabit filum », quo nisi quis regatur, tota s. Augustini doctrina merus est illi labyrinthus. Eadem cantant cardinalis Norisius, patres S. Mauri, Boudartius et alii apud Berti.

Verum non advertunt doctissimi viri inde gravem injuriam inferri non solum s. Augustino, sed coactis adversus pelagianos conciliis et universæ Ecclesiæ, ut observavit noster Massoulie dissert. 4, de *Grat. Adami*, a. 10; etenim constat, fatente Jansenio, s. Augustinum hunc lib. de *Correpl. et grat.* in quo solo hanc distinctionem duplicis adjutorii *quo et sine quo* respective ad statum innocentiæ et lapsum exprimit, composuisse sub finem vitæ. Quo posito,

Sequitur 1°. Juxta adversarios longe aberrasse s. Prosperum in præfatione *contra Collat.* dum dixit: « Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus viri (s. Augustini) ductu pugnat et vincit: vincit dico, quia non patitur respirare quod vincit: » quæ enim victoria tot annis esse poterat, cum arma quibus solis victoria comparari poterat, nondum s. Augustinus exeruisset? Quibus armis confectum est bellum, si sua hujus certaminis dux primarius s. Aug. nondum protulisset? Vanus igitur fuit de prostrata hæresi pelagiana Ecclesiæ triumphus, si in eo capite sita est s. Augustini doctrinæ basis, quod in solo lib. de *Correp. et grat.* tradidit.

Sequitur 2° s. Augustinum turpiter delusisse monachos Adrumetinos, cum, ut eorum dissentiones sedaret, eis misit librum a se editum *de Gratia et libero arbitrio,* eosque cap. 1. de *Correpl. et grat.* instanter adhortatur ut illum assidue legerent, his verbis: « Si ergo librum hunc fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum ut dilucidissime sciatis quibus et qualibus quæstionibus solvendis atque sanandis, non ibi humana, sed divina occurrat auctoritas. » Et epist. 47. *ad Valentinum abbatem et monachos Adrumetinos,* dum ad eos mitteret præfatum librum *de Grat. et lib. arbit.* « Scripsi ad vos, inquit, etiam librum quem si, adjuvante Domino, diligenter legeritis, et vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissentiones ulterius futuras. » Num quæso clausum obseratumque librum mittebat ipsis s. Augustinus, nondum missa suæ doctrinæ clavi? Num in labyrinthum conjicere volebat incautos, nondum contexto filo, cujus solius ope emergere poterant? Num falso commendabat opus in quo dilucidissime, non solum humana, sed divina auctoritas occureret solvendis de gratia quæstionibus opportuna? Nondum enim ediderat librum *de Correpl. et grat.* neque celebrem distinctionem adjutorii quo et sine quo pro variis naturæ statibus docuerat; sine qua, si adversariis credimus, necesse erat tanquam cæcos in meridie palpare, eos quos lucidissime instructos existimabat s. Augustinus.

Insuper adverte absonum hac in re Jansenii paralogismum: postquam citato capite 17. *de Gratia primi hominis,* dixit hanc auxiliorum distinctionem esse clavem, basim, ac fundamentum doctrinæ s. Aug. in fine ait: « Quæ sane ratio est cur eam insinuatam quidem sæpius, nunquam tamen aperte traditam, tandem in fine vitæ suæ luculentissime declaravit. » Ecquis, amabo, in animum unquam induxerit magnum Augustinum noluisse toto tempore vitæ aperte docere hanc distinctionem, sed ad id expectasse finem vitæ, quia est clavis, basis et fundamentum doctrinæ, quam viginti annis tradiderat: vah! stultum et præposterum ordinem s. Augustino prorsus indignum.

Hac observatione præmissa, accedamus nunc ad germanam explicationem hujus difficilis doctrinæ s. Augustini et celebris distinctionis adjutoriorum quo et sine quo non.

Imprimis prænotandum est quid s. Aug. intelligat nomine adjutorii sine quo ; an ipsam justitiam originalem , an aliquod donum habituale superadditum, non constare inter theologos ; sed quidquid sit non pertinet ad præsens institutum, cum de solo adjutorio quo agatur ; id tantum est observandum istud donum habituale, quælecumque sit, congrue vocari a theologis auxilium sufficiens, quia per illud homo redditur potens ad operandum bonum supernaturale: quo etiam nomine vocantur in natura lapsa quædam gratiæ actuales. Auxilium autem quo, de quo hic est quæstio, intelligitur ab omnibus auxilium actuale efficax. Porro thomistæ ut ostendant necessitatem omnis auxilii efficacis non fuisse a s. Augus-

tino negatam, pro statu innocentiæ, citatis capitibus *de Correpl. et grat.* duas ineunt vias, quæ tamen coincidunt.

1° Et communius observant non omne auxilium efficax esse ejusdem conditionis et virtutis; aliud est movens tantum et applicans potentiam ad agendum, aliud non solum movens et applicans, sed simul sanans et roborans. Primum dicunt necessarium fuisse et Adamo et angelis, ratione dependentiæ a Deo in agendo, non secundum; quia natura eorum cum esset sana et integra, non indigebat auxilio medicinali et sanativo, quali indiget nunc nostra natura infirma et vulnerata, cui proinde est necessarium auxilium quod sit non solum movens et applicans, sed etiam sanans et roborans: S. Augustinum vero, cum a statu naturæ innocentis excludit auxilium quo et efficax, loqui de auxilio sanante et roborante, non de adjuvante simpliciter et applicante; quod aperte colligunt ex ejus verbis cap. 11. ubi ait:

« Ille (Adam) non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti (Sancti in hac vita), cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*..... Ille vero nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. » Hac autem apposita distinctione facile explicant phrases S. Augustini quæ videntur alienæ a nostra sententia: facilius adhuc si jungas sequentia. Itaque

Alter dicendi modus est sapientissimi Patris Antonii Goudin, qui supposita et admissa præfata distinctione adjutorii quo in movens et sanans addit et observat Deum influere duobus modis in causas secundas: primo per ordinariam providentiam vires earum activas dirigendo, movendo, applicando ad effectus ipsis propriis virtutibus proportionatos; 2° causas secundas adjuvando, modo quodam supra consuetum rerum cursum et conditionem virium ac speciali auxilio, quo fit ut per virtutem Dei efficiant aliquid excedens vires suas, et quod nunquam ab ipsis fieret sub consueto tantum auxilio, ut cum per paucos infirmosque milites ingentem et fortem exercitum profligat: cum mulieri cujus gignendi facultas est infirma et impedita, juxta consuetum rerum ordinem et suarum virium conditionem vel nullam, vel non nisi admodum infirmam prolem gigneret, speciali munere confert ut vegetiorem prolem, quam quævis fœcunda mulier, pariat.

Primus Dei influxus, quia communis omnibus omnino causis, non recensetur inter auxilia gratuita proprie dicta, nec ad illum respicimus, sed cum supponimus, cum quærimus quid possit aut non possit aliqua creatura per proprias vires absque gratuito auxilio: quod enim fieri potest aut reipsa fit a creaturis, cum tali auxilio communi divinæ providentiæ, dicitur posse fieri, aut reipsa fieri per vires creaturæ: unde cum assignamus causam cur ita fiat aut non fiat, non recurrimus ad illum providentiæ influxum, sed ut propriam causam et rationem afferimus virtutes activas creatas: sic quod mulier sana et fœcunda pariat, quod miles generosus vincat hostem imbellem, quod homo sanus ambulet, loquatur, colat agros, plantet vineas, licet hæc non fiant sine generali Dei concursu, illi tamen non referimus, nec dicimus fieri ex Dei auxilio, sed per proprias vires naturæ. At quæ fiunt a causis secundis per virtutem aliquam specialem a Deo gratis ultra conditionem virium naturalium collatam et moventem, ea dicuntur proprie fieri per Dei auxilium, illique ut auctori proprie tribuuntur, non vero causis secundis: ut quod Jonathas cum suo armigero tot millia hominum profligaverit, non ipsi Jonathæ nec ejus virtuti tribuitur, sed Deo adjuvanti specialiter supra communem rerum cursum atque conditionem virium naturalium. Similiter quod mulier sterilis et infœcunda speciali Dei munere pariat prolem vegetam, ut contigit in Elisabeth, matre Joannis-Baptistæ, non virtuti propriæ sed Deo tribuitur.

Hoc duplici divini influxus modo posito, quem nemo inficiari potest, quavis tandem ratione explicetur, de quo non est nunc quæstio: dicimus S. Augustinum lib. citato *de Correpl. et grat.*, ubi agitat quæstionem de perseverantia respectu naturæ innocentis et lapsæ, seponere a sua disputatione, aut potius supponere providentiam illam generalem, ejusque motionem et directionem, solumque respicere ad auxilium illud proprie dictum, id est, ad virtutem specialem gratis datam supra naturæ conditionem qua Deus in nobis et per nos pleraque facit, quæ per insitas libero arbitrio vires alioquin minime fierent; non enim illi erat controversia circa providentiam et modum generalem quo Deus omnia in omnibus operatur, sed de gratuitis divinæ auxiliis gratiæ atque de illo adjutorio speciali quærit an ad perseverandum eo indigeat angelus et homo

innocens, uti nos in natura lapsa indigemus.

Statu questionis ita statuto, plana est s. Augustini doctrina de discrimine adjutoriorum status naturæ innocentis et lapsæ, etiam salva necessitate gratiæ per se efficacis in utroque statu. Natura enim innocens se habebat ut natura fortis et sana, instructa omni facultate ad bonum etiam supernaturale agendum : unde secundum ordinarium rerum cursum et conditionem virium suarum et bonum agere et in eo perseverare poterat ; imo effectum est ut angeli boni id præstiterint. Quod cum dicitur, non excluditur motio et directio generalis divinæ providentiæ quæ in omni agente locum habet, ut notat S. Th. tota q. 109. et alibi, et docet S. Aug. locis relatis in probationibus. Unde natura innocens cum collatis sibi viribus perinde agere ac perseverare poterat, ac mulier fœcunda et sana vegetam prolem gignere, ac miles fortis et armatus hostem ignavum et inermem vincere, et homo sanus ambulare et loqui ; quamquam cum id fit, minime fiat absque Dei motione, quam nostri Thomistæ explicant per physicam præmotionem omnibus agentibus secundis in quovis statu necessariam. Quamobrem in angelis perseverantibus habuit locum gratia per se efficax, quatenus Deus non solum eis contulit ut cum aliis facile perseverare possent, sed etiam eos præ aliis sic movit et direxit, ut reipsa perseverarent. At homo in hoc statu etiam per gratiam justificatus se habet ad bonum et ad perseverantiam ut causa infirma, innumerisque impedimentis implicata, ex quo fit ut si solum secundum consuetum cursum rerum et juxta propriæ conditionis modum ei provideretur, nemo perseveraret ; et ideo iis omnibus qui perseverant, confertur per specialissimum Dei auxilium, non solum juxta consuetum modum movens et dirigens, sed etiam specialissimo modo sanans, roborans et dirigens et, ut ita dicam, manu tenens hominem, ut, licet infirmus inter tot tentationes, perseveret per Dei virtutem ; quod minime fecit primus homo, habens virtutem liberi arbitrii sani et fortis atque instructi omnibus supernaturalibus habitibus, cui etiam aderat Deus ut primus motor, nisi ipse illi defuisset : quod totum intelligit S. Augustinus per auxilium sine quo. Hæc paucis mutatis laudatus Goudin tract. *de Gratia* q. 2. a. 5. et fusius tract. *de Prædest.* q. 2. a. 4.

Igitur juxta hunc alterutrum dicendi modum, aut potius juxta utrumque ; coincidunt neim, ut dixi, et secundus non est nisi major explicatio prioris, facilis est responsio ad ea omnia quæ adversarii nobis opponunt ex S. Aug. lib. *de Correpl. et grat.* quod nobis restat peragendum. Itaque sequuntur

Objectiones.

Opponunt S. Augustinum laudatis capitibus pluries dicere Adamo datum esse adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset, sanctis autem prædestinatis in hoc statu dari adjutorium quo perseverant.

Resp. id a nemine negari ; indubium est enim Adamo non fuisse concessum adjutorium quo perseveraret, alioquin perseverasset; sed nihil inde pro adversariis; non enim quærimus an Adam habuerit istud adjutorium, sed an illo indiguerit ?

Instant 1°. Dixit S. Augustinus gratiam Adami fuisse minorem sed lætiorem, gratiam Christi esse tristiorem sed potentiorem.

Responderi potest ut ante, S. Augustinum loqui de gratia quæ de facto fuit concessa Adamo, non de illa qua indigebat. Sed dato S. Augustinum contulisse gratiam Christi cum gratia Adami, non quam habuit, sed quam habuisset, si perseverasset, et qua illi opus erat ad perseverandum, non sequitur gratiam Adamo necessariam fuisse versatilem et non efficacem : quia inter gratias efficaces sunt aliæ aliis potentiores, eæ scilicet quæ ad plures et nobiliores et difficiliores effectus edendos ordinantur. Quis enim dubitat gratiam quæ prostravit Saulum furentem et spirantem minarum et cædis in discipulos Domini, fuisse potentiorem quam quæ convertit latronem sua crimina in cruce expiantem ? Porro gratia Christi ordinatur ad plures et difficiliores effectus, nempe ad sananda vulnera naturæ, ad vincendam rebellem concupiscentiam, etc. quam gratia Adami, in quo erat natura sana ; et ideo hæc fuit minor sed lætior, illa est tristior sed potentior.

Hinc vides nos distinguere inter adjutoria utriusque status, non solum ratione titulorum, quod natura innocens unico titulo indigeret auxilio efficaci, ob subordinationem scilicet et dependentiam ; natura vero lapsa duplici titulo, illo scilicet, et præterea titulo infirmitatis, ut putant adversarii; sed distinguimus ipsa adjutoria etiam ratione sui, quatenus unum est specialius et potentius altero.

Hinc etiam præoccupatur quod reponunt, scilicet gratiam status innocentiæ secundum

nos fuisse etiam quantum ex se sanativam et medicinalem; quia, inquiunt, hoc ipso quo fuisset per se efficax, sanasset infirmitatem si invenisset: hoc enim negamus et dicimus quod non omnis gratia efficax sit ex se sanativa, sed ad hoc requiratur specialis et fortior virtus: unde gratia primi status fuisset per se efficax respectu naturæ sanæ, non vero respectu naturæ infirmæ, nisi virtute superaddita.

Instant 2°. S. Aug. totis his tribus capitibus asserit: «Tale fuisse adjutorium Adamo datum quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet..... Deum suam gratiam dimisisse libero Adami arbitrio.... perseverare in ejus libero arbitrio fuisse relictum»; et similia: atqui hæc aperte significant gratiam versatilem, et perseverantiam ex sola Adami voluntate pependisse: ergo.

Resp. neg. min. duplici ratione: 1°. quia S. Augustinus similes loquendi formulas usurpat loquens de gratia hujus status, ex quibus tamen colligi non postet hujus status gratiam agnovisse versatilem et exclusisse per se efficacem: sic cap. 7. lib. quem expendimus, rejiciens excusationem eorum qui dicunt: « Non perseveravimus, quia perseverantiam non accepimus: » reponit: «Homo in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles.» Lib. *ad Simplic.*: « Si Esau voluisset, cucurrisset.» Lib. *de Nat. et grat.* c. 64.: « Ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire et credere. » Lib 12. *de Civit.* c. 6. de duobus adolescentibus eadem tentatione pulsat is loquens: « Si, inquit, eadem tentatione ambo tenentur, et unus ei cedat, alter idem quod fuerat perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?» Quemadmodum ergo S. Augustinus per hujusmodi loquendi formulas non adstruit gratiam versatilem pro hoc statu, nec ab eo excludit gratiam efficacem, sed tantum assignat causam immediatam boni operis seu perseverantiæ, scilicet liberum consensum arbitrii, salvo semper jure primæ causæ, a qua secunda habet quod velit et faciat, ut ipsemet S. Augustinus aperte declarat lib. 1. *Retract.* c. 10. ubi cum pelagiani similibus loquendi formulis a se prius usurpatis, scilicet quod non semel dixisset: « Homines posse bene agere, si vellent», abuterentur, monet se hoc dixisse absque præjudicio gratiæ qua Deus operatur in homnibus ut velint: « Quod vero dixi, inquit,.... quod omnes possunt (implere mandata) si velint, non existiment novi hæretici pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur voluntas a Domino»: ita quando dicit Adamum potuisse perseverare si vellet, perseverantiam positam esse in ejus arbitrio, et similia, non vult indicare gratiam versatilem et excludere efficacem, sed vult tantum assignare causam immediatam, scilicet liberum voluntatis consensum, supposita semper prima cujusque operis causa et necessitate efficacis ejus motionis. Id etsi facta paritas non probaret, evincerent formales textus ipsius S. Augustini quos recensuimus in prima probatione conclusionis versus finem, respondendo cuidam instantiæ Berti.

2°. Has loquendi formulas adhibuit specialiter de Adamo S. Augustinus; quia, ut observavimus supra, ea quæ facimus aut facere possumus ex sola communi Dei motione secundum conditionem virium nostrarum collata et movente, dicuntur juxta communem modum loquendi esse permissa nostro arbitrio, nos ea posse facere si velimus, etc. E contra quæ facimus aut possumus tantum ex specialiori auxilio Dei supra consuetum modum et conditionem virium nostrarum movente, ea non dicuntur arbitrio nostro dimissa, nec nos posse ea facere si velimus, sed Deo specialiter moventi tribuuntur: sic dicimus hominem sanum posse ambulare si velit, ambulare esse relictum aut permissum ejus arbitrio, militem fortem et generosum optimis armis præcinctum posse, si velit, vincere hostem ignavum et inernem, victoriam esse in ejus arbitrio: et ita loquimur non exclusa motione communi primæ causæ, sed ea supposita. E contra de homine infirmo non dicimus quod possit ambulare si velit, ambulare esse in ejus arbitrio: de milite timido et inermi non dicimus quod possit si velit vincere hostem generosum et strenue armatum, nec quod victoria sit in ejus arbitrio; quia licet id possit aut faciat, non tamen potest aut facit nisi ex auxilio speciali supra consuetum modum et vires collato et influente. Cum ergo Adam esset sanus et virtutibus infusis cumulatus, sufficiebat illi ad perseverandum auxilium commune et consuetum influens secundum conditionem ejus virium; nec indigebat auxilio speciali sanante et roborante vires, quali indiget homo lapsus et infirmus. Quamobrem hoc speciali titulo vere dixit de Adamo S. Augustinus potuisse perseverare si vellet, perseverantiam esse in ejus arbitrio, et similia, quæ ea ratione dici non possunt de homine lapso et infirmo.

Instant 3°. S. Augustinus dicit « angelos sanctos, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium stetisse.... malos angelos per liberum arbitrium a Domino Deo refugas factos esse, cæteros autem per ipsum liberum arbitrium in veritate stetisse » : atqui mali angeli ceciderunt per liberum arbitrium sine novo gratiæ beneficio : ergo si per idem liberum arbitrium steterint boni, steterunt sine novo gratiæ beneficio.

Resp. dist. maj. Sancti angeli steterunt per idem liberum arbitrium, per quod mali ceciderunt, per idem identitate virium ex donis habitualibus et quoad actum primum, conc. Quia omnes angeli tam boni quam mali fuerunt in sua creatione gratia sanctificante et virtutibus infusis donati : per idem identitate adjutorii actualis et quoad actum secundum, nego. Invicte enim probavimus ex S. Aug. angelos stantes fuisse amplius adjutos. Insuper certum est angelos bonos stetisse per gratiam saltem sufficientem, malos non cecidisse per gratiam : sicut ergo S. Augustinus dicens, « per liberum arbitrium », non excludit juxta adversarios gratiam sufficientem, ita juxta nos non excludit efficacem.

Addo juxta observationem factam ad majorem elucidationem, S. Augustinum verissime sic locutum fuisse absque præjudicio gratiæ ulterioris bonis angelis concessæ. Ponamus duos milites æqualibus armis et viribus instructos, quorum unus arma sponte abjiciens, somno, ludo, vino, etc. indulgens, ab hoste vincitur, alter armis et viribus recte utens hostem vincit : verissime dicimus utrumque per easdem vires potuisse vincere, hunc per hujusmodi vires vicisse, alterum cum iisdem viribus sua culpa victum esse : neque tamen ab illo qui vicit excludimus motionem communem applicantem et efficientiam causæ primæ, sed duntaxat auxilium speciale efficiens aliquid supra conditionem ejus virium.

Instant 4°. S. Aug. dixit: « Deum prius ostendere voluisse quid posset liberum arbitrium angelorum et hominum, deinde quid posset gratiæ beneficium, justitiæque judicium » ; quæ verba sic intelligunt ut Deus creando Adamum et angelos dederit illis arbitrium quod cum gratia versatili sine novo gratiæ beneficio posset perinde agere bonum et malum : deinde homini lapso dederit efficax auxilium resurgendi, demum in angelos apostatas justitiæ judicium exercuisse.

Resp. 1° me jam dixisse et probasse hæc esse dicta a S. Augustino, non in commendationem, sed in depressionem liberi arbitrii, scilicet Deum voluisse ostendere quid arbitrium se solo posset ad malum, et non ad bonum. Vide primam probationem conclusionis sub finem.

2°. Dato gratis quod S. Augustinus dixerit Deum voluisse ostendere, quid arbitrium posset ad bonum et ad malum, id etiam ostenditur in nostra sententia. Pone duos milites, unum fortem et generosum, alterum timidum et infirmum, uterque vincit hostem pariter fortem et robustum : primus sub providentia Dei ordinaria et motione communi secundum conditionem virium influente et movente, alter auxilio speciali non solum movente et applicante secundum providentiam communem, sed etiam sanante et roborante ex speciali providentia : ostenditur in primo quid valeat generosa virtus, in secundo quid valeat auxilii divini beneficium ; quia, ut dixi, quæ fiunt a nobis ex motione secundum communem providentiam et conditionem virium influente et movente, tribuuntur causis secundis ; quæ autem fiunt ex speciali motione efficiente aliquid excedens vires, tribuuntur Deo. Similiter igitur in angelis sanis et integris per motionem communem moventem tantum et applicantem secundum communem providentiam perseverantibus, ostensum est quid possit liberum arbitrium ad bonum : in homine lapso et infirmo per auxilium speciale sanans et roborans perseverante, quid valeat gratiæ beneficium.

Instant. 5°. S. Aug. in fine cap. 12. ponit casum quo Adam perseverare voluisset, et dicit in eo casu non defuturum illi fuisse adjutorium Dei sine quo perseverare non posset, defuturum tamen fuisse quo Deus operaretur ut vellet : verba ejus sunt : « Voluntas primi hominis fortis et sana non perseveravit habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei sine quo non posset perseverare si vellet : non tamen tali quo illo Deus operaretur ut vellet » : ergo aperte censet Adamum non indiguisse auxilio quo, seu efficaci ad perseverandum.

Resp. hanc intelligentiam textus S. Augustini directe contradicere Apostolo dicenti Deum operari in nobis velle et omnia. Unde dist. consequens : ergo S. Augustinus censet Adamum non indiguisse auxilio quo seu efficaci sanante et roborante, conc. Simpliciter movente et applicante, nego. Vel, quod idem est : non indiguisse auxilio speciali secundum providentiam extraordinariam movente ad

aliquid excedens vires, conc. Auxilio communi ex providentia ordinaria collato secundum conditionem virium, nego. De primo enim totis illis capitibus unice loquitur et quærit S. Augustinus utrum scilicet necessarium fuerit Adamo auxilium « quod implorant sancti in hac vita, dum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. » Utrum autem fuerit Adamo necessarium alterum commune auxilium secundum consuetam providentiam et conditionem virium simpliciter movens et applicans, non quidem hic asserit S. Augustinus, sed supponit et alibi docet, ut vidimus.

Instant 6°. S. Aug. dicit sub primo adjutorio in statu innocentiæ merita fuisse humana et propria libero arbitrio : sub secundo autem adjutorio in hoc statu merita esse propriissima dona Dei, et ideo homines nunc non posse gloriari de sua perseverantia, per quod innuit, licet expresse non dicat, perseverantes in statu innocentiæ potuisse gloriari de sua perseverantia ; quæ palam indicant primos parentes et angelos non indiguisse auxilio quo et efficaci, sed versatili subdito eorum arbitrio, alias eorum merita non possent dici humana et propria libero arbitrio, sed dona Dei ut nunc.

Resp. eadem semper solutione, merita sub primo adjutorio dici humana et propria libero arbitrio, non quod non sint a Deo movente et applicante secundum cursum communem et conditionem virium, sed quia non sunt a Deo specialiter auxiliante ultra conditionem virium, sicut, ut sistamus in exemplo jam posito, quod miles fortis et generosus vincat hostem parem aut inferiorem, dicitur proprium ejus meritum, quamvis non excludatur motio providentiæ communis ipsum moventis et adjuvantis secundum conditionem virium, indeque aliquatenus posse gloriari, tametsi hæc gloria tandem ulterius in Deum ut primam causam referenda sit. Si autem miles infirmus et timidus ex speciali Dei auxilio supra conditionem ejus virium collato vincat hostem fortem et generosum, non dicitur proprium ejus meritum, nec posse de hac victoria gloriari, sed accepta refertur Deo specialiter adjuvanti, sananti et roboranti.

Cæterum pro harum et similium instantiarum solutione, mente sunt tenenda et præ oculis semper habenda sequentia : 1° S. Augustinum præfatis et consimilibus loquendi formulis horum trium capitum de *Correpl. et grat.* præcise quærere de auxilio quo perseverantiæ ; 2° de auxilio quale implorant sancti in hoc statu naturæ lapsæ et infirmæ, consequenter de auxilio medicinali et sanante, de auxilio speciali per providentiam extraordinariam ultra cursum communem et conditionem virium præsentium collato et movente ad aliquid excedens vires habitas ; 3° nunquam s. præsulem dixisse Adamum instructum auxilio sine quo, potuisse reipsa perseverare et angelos de facto perseverasse sine aliquo ulteriori auxilio, imo contrarium asseruisse, ut probatum est ; 4° S. Augustinum dum repetit necessitatem gratiæ efficacis ex infirmitate naturæ, vel non assignare causam totalem et adæquatam, sed partialem et inadæquatam tantum : vel intelligere de gratia medicinali et per specialem providentiam collata, non de simpliciter movente et applicante juxta conditionem virium ; 5° tandem S. Thomam quem Jansenius aliquando vocavit Augustinum contractum, intelligere s. Augustinum sicut nos intelligimus : unde Estius, in S. Augustini doctrina versatissimus, dicit in 1. d.41. §. 4. « Sane nisi hanc a S. Thoma insinuatam intelligentiam verborum Augustini recipiamus, difficillimum erit ac ne possibile quidem Augustinum sibi conciliare. »

Non me fugit quasdam ex adversariis Laurentium Berti et Aurelium Piette tentare D. Thomam in suas partes trahere, sed irrito plane conatu.

« Liquet, inquit Berti, D. Thomam nullibi statuisse prædeterminationem necessariam ex capite dependentiæ. » Pace doctissimi viri, liquet ipsum errore manifesto laborare, quem ut deponat, legat S. Thomam q. 3. *de Potent.* a. 7. 1. p. q. 105. a. 5. 1. 2. tota q. 109. centies alibi. Legat Thomistas quotquot hac de re scripserunt, præsertim P. Anton. Massoulie toto opere *de Motione divina*, et specialiter dissert. 1. q. 4. a. 5. 6. 7. et 8. in quibus invicte probat S. Thomam statuisse prædeterminationem necessariam ex capite dependentiæ, et, quod majus est, illam statuisse ex S. Augustino.

Proferunt insuper s. Thomam in hac parte q. 109. a. 10. et 2. 2. q. 137. a. 4. In utroque loco S. Doctor quærit utrum homo justificatus indigeat auxilio ad perseverandum, et postquam resolvit affirmative, proponit sibi hoc argumentum : donum Christi est majus quam nocumentum illatum ex peccato Adæ : atqui Adam accepit unde posset perseverare : ergo homo habens gratiam Christi potest perseverare, sicque non eget alia gratia ad perseverandum. Huic argumento respondet his verbis

q. 137. cit. « Ad secundum, dicendum quod, sicut Augustinus dicit in lib. de *Correpl. et grat.*, primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio erat in humana natura quæ perseverandi difficultatem præberet; sed nunc prædestinatis per gratiam Christi non solum datur ut perseverare possint, sed ut perseverent : unde primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate : isti autem sæviente mundo ne starent, steterunt in fide. » Idem q. 109. cit. Arguunt ergo adversarii in his responsis S. Thomam non dicere Adamo fuisse ad perseverandum necessarium aliquod ulterius auxilium, sed quod facilius poterat perseverare quam nos, quo aperte indicat quod licet nos indigeamus ultra gratiam sanctificantem novo auxilio ad perseverandum, ipse tamen non indiguerit.

Resp. equidem S. Thomam indicare his responsionibus Adamum non indiguisse aliquo ulteriori auxilio, sed quo ? Quali nos indigemus, scilicet sanante ; quia, ut dicit, « nulla corruptio tunc erat in humana natura. » At non negat indiguisse ulteriori auxilio movente et applicante. Sed quid dico non negat? imo formalissimis terminis ipsum eo indiguisse asserit tota ferme q. 109. cit. « Sic igitur, inquit a. 2. o., virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ, quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale. Sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur. » Qui hæc non intelligit, solem non videt in meridie. Confer quæ dixi probatione secunda sub finem

Instant denique. Si S. Augustinus censuisset Adamo ultra auxilium sufficiens et sine quo necessarium fuisse ad perseverandum aliquo alio quod non habuit, non satisfecisset objectioni sibi factæ a monachis Adruametinis : hi namque dicebant : esto homines qui in hoc præsenti statu non perseverant, sint inexcusabiles et corripiendi, quamvis dono perseverantiæ careant, quia eo carent culpabiliter propter peccatum originale, Adam saltem non pervererans fuit excusabilis, cum illo dono caruerit ante omnem culpam : quod enim respondeat S. Agustinus Adamum non fuisse excusabilem, quia habuit auxilium quo poterat perseverare, insufficiens est, si ut reipsa perseveraret, indiguerit aliquo alio auxilio quo sine culpa caruit : hinc enim est excusabilis.

Resp. S. Augustinum objectionem factam solvisse, non quidem qua late patet per se, sed quantum satis erat ad suum propositum, scilicet ad probandum Adamum non fuisse excusabilem, et aliunde lapsum ejus non posse trahi in exemplum ad eximendos homines hujus status non perseverantes a correptione quod erat summa disputationis inter S. Augustinum et monachos. Quæstio enim erat, ut jam sæpe monui, de auxilio medicinali, quale nunc datur prædestinatis ad perseverandum : ostendit autem S. Augustinus quod quamvis Adam illo caruerit, non sit tamen excusabilis; quia, cum non esset infirmus, illo non indigebat et habebat auxilium quocum facillime poterat perseverare, nulla infirmitate, aut ignorantia, aut concupiscentia, aliave simili difficultate impeditus : unde quod non perseveraverit, non ideo fuit quia non potuit, sed quia noluit; per quod soluta manet objectio. Cæterum utrum si voluisset Adam perseverare, sicut voluerunt boni angeli, eguisset ulteriori auxilio, et qua de causa fuerit illi denegatum, non hic discutit S. Augustinus ; tum quia id non erat necesse pro depellendis scrupulis monachorum, quippe cum eorum status esset longe diversus a statu Adami, hujus lapsum non poterant trahere in exemplum ; tum quia ista quæstio non spectat medicinalem gratiam Christi Redemptoris, de qua sola agebatur, sed alteram profundiorem disputationem de providentia generali et motione Creatoris a quo omnia bona descendunt ; tum tandem quia si hanc altiorem disputationem hic discutere agressus fuisset, difficultates multiplicasset et novos nodos quæstioni injecisset. Familiare autem fuit S. Augustino in materiis controversis et agendo partes disputatoris polemici suam disputationem intra certos terminos coercere, nec plus dicere quam sit necesse solvendis objectionibus aut dubiis interrogantium, missis reliquis quæ impræsentiarum videntur minus necessaria. Id constat variis exemplis in S. Augustino : potissimum habetur opusc. de *Sex quæstionibus* paganorum epist. 49. ubi ethnico quærenti, « cur Christus celerius non advenisset ? » respondet simpliciter Augustinus : «Tum voluisse hominibus apparere Christum et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. » Hæc autem resu-

mens lib. de *Prædest. Sanctorum* cap. 9. fatetur se in primo loco non attigisse graviorem difficultatem, « utrum nempe prædicato sibi Christo a seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi? » Hancque de industria omisisse, quia nihil ad propositæ quæstionis resolutionem pertinebat, et ne novas disputationi ambages necteret: « Sed quoniam, inquit, si ita diceretur lectorem faceret intentum ad ea requirenda quæ nunc ex admonitione pelagiani erroris necesse est copiosius et laboriosius disputari: visum mihi est quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, excepta, ut dixi, altitudine sapientiæ et scientiæ Dei et sine præjudicio aliarum causarum de quibus non tunc, sed alias opportunius disputandum putavi. » Alia ejusdem œconomiæ exempla habes lib. 1. *Retract.* c. 9. lib. 2. de *Peccat. merit.* c. 17. et alibi.

Dices: juxta thomistas gratia efficax supponit potentiam per gratias sufficientes completam et expeditam, eamque tantum applicat ad agendum: ergo non sanat nec roborat, sed sanatam et roboratam supponit.

Resp. 1°. hoc argumentum non posse nobis serio opponi ab augustinianis, qui agnoscunt nobiscum gratiam efficacem Christi esse medicinalem, et præbere vires efficacissimas voluntati, ut loquitur S. Augustinus.

Resp. 2°. dist. conseq. Ergo non sanat nec roborat potentiam in ratione potentiæ simpliciter et præcise seu solitarie sumptæ, transeat; in ratione potentiæ conjungendæ cum actu, nego. De quo plura alibi. Vide art. seq. n. 6.

Neque tamen existimandum est per hanc gratiam actualem medicinalem hominem lapsum ita sanari, ut ad statum originalis justitiæ redeat et pristinæ sanitati restituatur, quia vires illæ quas confert non sunt ad modum habitus permanentis, sed instar virtutis alicujus vialis et transitoriæ.

Solvuntur objectiones Tournely.

Honoratus Tournely qui passim in suis prælectionibus Jansenium acriter insectatur et impugnat, ejus partes hic suscipit q. 1. *de Grat.* a. 1. §. *Quod gratiæ*, contenditque cum ipso Adamum non opus habuisse ad perseverandum auxilio quo seu efficaci, sed satis fuisse ipsi auxilium sine quo permissum ejus libero arbitrio et inter varias opiniones theologorum quas refert circa discrimen adjutorii utriusque status, thomisticam de necessitate præmotionis physicæ in statu innocentiæ, pro suo solito more specialiter vellicat: sed quæ profert adeo levia sunt, ut vix difficultatis nodum attingant et facillime ex dictis solvantur: quapropter succincte illa perstringam. Itaque

Opponit 1°. Ex assertione necessitatis præmotionis physicæ pro statu innocentiæ ruit discrimen S. Augustino statutum inter gratiam utriusque status naturæ innocentis et lapsæ: ergo. Prob. ant. Juxta thomistas posita præmotione actio sequitur, ea non posita non sequitur: at in mente S. Augustini opus non habuit tali auxilio: ergo. Prob. ant. S. Aug. lib. *de Correpl. et grat.* c. 12. ait: « Primo homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. »

Resp. neg. ant. Ad prob. nego ant. Ad probationem dico S. Augustinum his verbis exprimere adjutorium quod de facto habuit Adam non quo indiguit ad perseverandum, de quo hic quærimus.

Opponit 2°. Stante præmotione physica et in sensu composito illius liberum non est creatæ voluntati eam rejicere: at S. Augustino teste, adjutorium Adæ non fuit ejusmodi: ergo.

Resp. majorem esse plus quam falsam et veram calumniam scholæ S. Thomæ illiberaliter impactam; dicunt enim thomistæ de præmotione, ea stante et in sensu composito illius cum concilio Trid. quod voluntas creata « eam abjicere possit. » Insuper loquitur S. Augustinus loco citato a Tournely de auxilio sine quo non, quod habuit Adam, non de auxilio quo, quod non habuit.

Opponit 3°. Prædeterminatio physica nusquam a creata voluntate deseritur: at tale profecto non fuit adjutorium Adami innocentis; « tale quippe erat adjutorium, inquit S. Augustinus, quod desereret cum vellet. »

Resp. ut ante dist. min. Tale non fuit adjutorium Adami quod habuit, conc. Quod non habuit et quo indiguit, nego. De primo loquitur S. Augustinus in verbis citatis.

Opponit 4°. Si Adamo innocenti ad perseverandum necessaria fuisset præmotio physica, a culpa excusari potuisset, quod non perseveraverit; quia nempe absque ullo præcedente peccato caruisset auxilio quod plane necessarium supponitur ut quis bene agat et perseveret: quo dicto, quasi certus de palma et in hostem prostratum insurgens, «dicant, inquit, adversarii, cur Deus Adamo innocenti et ante

omne ejus peccatum, tale auxilium subtraxerit? » etc.

Resp. hoc argumentum rimas undequaque pati. 1°. Ut quis sit inexcusabilis, non requiritur quod habeat auxilium quo perseveret, alioquin nemo unquam foret culpandus; sed sufficit quod habeat auxilium quo plane et facile potest perseverare et non perseveret; tale habuit Adam. 2°. Denegatum fuit Adamo auxilium quo seu efficax propter culpam tempore concomitantem, natura præcedentem. Vide quæ abunde dixi circa hanc difficultatem dissert. 8. *de Volunt. Dei* a. 4. §. 3. 3°. Nullus catholicus negat aut negare potest Deum potuisse lapsum Adami impedire: dicat doctor Sorbonicus, cui solutiones nostræ non sufficiunt, quare non impedivit? Et ipsum non pigeat respondere cum S. Augustino l. 11. *de Genes. ad litt.* cap. 10. « Quia noluit; cur noluerit? penes ipsum est. » Et *de Dono perseverant.* cap 12. « Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget: O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus et investi gabiles viæ ejus. Et hoc adjiciamus, altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. »

Opponit 5°. Necessitatem auxilii, quo creata voluntas ad bonum indeclinabiliter inclinatur, unice repetit S. Augustinus cap. 12. ex infirmitate naturæ lapsæ; non ergo ex necessitate physicæ præmotionis.

Resp. S. Augustinum loqui de necessitate auxilii sanantis: et medicinalis, non simpliciter moventis et applicantis: patet ex supra dictis. Alibi autem agens generaliter de auxilio seu motione Dei, ejus necessitatem etiam repetit ex dependentia creaturæ a Deo, ut probavimus.

Et hæc plus quam satis de ista quæstione.

DISSERTATIO III.

De necessitate gratiæ.

D. Th. q. 109.

ARTICULUS I.

QUID INTELLIGATUR NOMINE GRATIÆ.

I. Relictis variis gratiæ acceptionibus hic sumitur generaliter pro quocumque dono seu beneficio gratis, hoc est, ex mera Dei benignitate, non ex justitia, aut ex meritis nostris concesso. Sub hac generali gratiæ acceptione omnia dona naturalia, scilicet ipsa natura et omnes ejus potentiæ possunt dici gratiæ; gratis enim Deus nobis contulit esse, vivere, sentire, intelligere, velle, etc. Hæc tamen etsi isto lato sensu dicantur gratiæ, non possunt dici auxilia gratiæ, quia auxilium supponit eum qui adjuvatur et potentias activas quas adjuvat.

II. Gratia proprie et communi S. Scripturæ atque Ecclesiæ sensu accipitur dono gratuito sive habituali sive actuali naturæ superaddito: unde Pelagius decepit episcopos Palestinos, dum ab eis interrogatus an admitteret necessitatem gratiæ, respondit se admittere, intelligens per gratiam liberum arbitrium et facultates naturales: « Nullam enim illi episcopi aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, inquit S. Aug. Epist. 95, nisi quam in libris Dei legere et populis Dei prædicare consueverunt. »

III. Gratia hæc tam habitualis quam actualis est duplicis ordinis, naturalis scilicet et supernaturalis: naturalis quæ movet ad bonum intra sphæram naturalium, ut si Deus infundat lumen scientiæ naturalis, aut moveat specialiter ad rerum naturalium cognitionem. Supernaturalis, quæ vel habitu vel motione adjuvat ad ea quæ excedunt vires naturæ, ut dum

Deus infundit habitum fidei vel charitatis, aut movet ad alterutrius actum. Inter utrumque hoc auxilium potest adhuc distingui alterum quasi medium, quod de utroque aliquid participat, scilicet ut sit naturale quoad substantiam et supernaturale quoad modum, et hoc vel ex parte principii, vel ex parte termini: ex parte principii, ut v. g. dum Deus cæcum natum illuminavit, modus namque operandi hunc effectum fuit supra vires naturæ, quamvis effectus, consequenter ipsa gratia, substantialiter sit intra ordinem naturæ; non enim iste visus fuit alterius rationis quam visus cæterorum hominum. Ex parte termini, ut si Deus ex providentia supernaturali imperans naturali, dirigat et moveat res, naturales in ordine ad salutem supernaturalem.

IV. Verum quia gratia dividitur contra naturam, gratia præcise sistens in bono naturali minus proprie dicitur gratia: unde propriissime dicitur gratia vel habitus supernaturalis infusus ut gratia sanctificans et virtutes infusæ vel motio supernaturalis qua nos movet Deus ut primus motor in ordine gratiæ ad actus supernaturales, vel etiam ea Dei operatio qua res naturales dirigit ad salutem nostram.

V. Gratia sumpta pro motione supernaturali est duplex, moralis et physica: moralis fit per ostensionem boni, quandoque adjuncta infusione luminis ad illud percipiendum: pertinet ad causam finalem: physica fit per influxum effective et intrinsece reducentem facultatem ad actum; pertinet ad causam efficientem. Deum utroque modo movere voluntatem docet Auctor 1. p. q. 105. a. 4. et alibi.

VI. Motio physica quandoque est mera applicatio potentiæ et virtutis præexistentis, ut cum Deus voluntatem justi movet ad actum charitatis: quandoque licet sit applicatio potentiæ, non est tamen applicatio virtutis, quia non præexistit, sed eam secum adfert per modum transeuntis, ut dum Deus voluntatem peccatoris movet ad actum attritionis aut contritionis: cum enim iste actus sit supernaturalis et in illo peccatore nullus adhuc habitus supernaturalis existat, necesse est ut illa motio conversionem inchoans secum adferat aliquam virtutem supernaturalem, non per modum habitus permanentis, sed per modum passionis transeuntis.

VII. Motio illa physica quæ est mera applicatio potentiæ et virtutis præexistentis, iterum est duplex: una generalis, qua Deus ut primus et universalis motor applicat facultates secundum exigentiam et modum earum ad actus sibi proportionatos. Altera specialis, qua Deus quandoque mentem hominis applicat ad cogitanda vel volenda, quæ licet non excedant ejus vires, tamen secundum consuetum cursum et dispositionem subjecti, homo ea non cogitaret nec vellet, et hoc tam in naturalibus, quam in supernaturalibus, ut dum hominem justum nihil cogitantem movet subito et sine prævia dispositione ad aliquid supernaturale cogitandum aut volendum, qua motione sic movetur homo ut non se moveat, sicut dum movetur ad primam volitionem finis; de qua motione dixi dissert. 3. de *Actibus humanis* a. 3. ut dissiparem hallucinationem quorumdam, qui ex responsione S. Th. ad 3. a. 6. q. 9. arbitrantur eum hanc solam præmotionem physicam ad bonum in communi docere. Hæc autem motio specialis potest dici propriissime auxilium gratiæ.

Observatio singularis.

VIII. De altera motione generali qua Deus ut primus et universalis motor tam in ordine naturæ quam in ordine gratiæ applicat potentiam et virtutem præexistantem secundum ejus exigentiam et consuetum rerum cursum ad actus ipsi proportionatos, primo aspectu videtur non pertinere proprie ad auxilium speciale gratiæ, quia non datur gratuito, sed ex connaturali quadam exigentia; sicut enim supposita collatione virtutis naturalis, illi debetur motio seu concursus generalis ipsam præmovens ad actum proprium, ut igni ad comburendum, soli ad illuminandum, ita quod sine miraculo non possit illi denegari; sic quamvis justo data sit gratis virtus elevans ad bonum supernaturale, ea tamen supposita debetur quodam modo juxta leges communis providentiæ, generalis motio illam applicans ad actus ipsi proportionatos.

Attamen si rem altius consideremus, hæc motio generalis potest et debet aliquo vero sensu dici speciale auxilium gratiæ. Pro cujus intelligentia observandum est hanc motionem generalem non eodem modo se habere in agentibus naturalibus et voluntariis. Agentia naturalia habent naturalem formam qua determinantur necessario ad unum actum sibi convenientem, ut ignis ad comburendum, sol ad illuminandum, et sic exigunt motionem generalem determinantem ad actum sibi proprium. Agentia autem voluntaria non habent formam naturalem qua determinentur necessario ad unum actum sibi convenientem, sed vertibilia

sunt ad opposita et defectibilia a bono sibi connaturali : sic licet objectum intellectus sit verum, voluntatis secundum se bonum naturale, voluntatis ut instructæ virtutibus infusis bonum supernaturale, tamen intellectus ad verum et voluntas ad bonum sive naturale, sive supernaturale feruntur flexibiliter et sunt ab illo defectibiles : unde quamvis istis potentiis debeatur motio generalis, qua aliquando attingant suum objectum, non tamen ut attingant semper et indefectibiliter : quod ergo hic et nunc isti detur potius quam alteri, est ex speciali gratia.

Quapropter si ista motio generalis consideretur respective ad naturam secundum se aut ut instructam virtutibus infusis, dicenda est motio generalis et non auxilium speciale gratuitum ; quia ad providentiam generalem pertinet movere unumquodque agens secundum modum suum ; et cum in homine sit inclinatio attenuata licet et defectibilis, non tamen totaliter corrupta ad bonum, illi debetur motio qua aliquando moveatur ad actum bonum sibi convenientem et non semper ad malum : unde quod moveatur aliquando ad bonum, non est auxilium pure gratuitum, quia quodammodo debetur ; neque speciale, quia non est ex speciali benevolentia et providentia, sed secundum leges communis providentiæ quæ naturas defectibiles quandoque movet ad bonum suæ naturæ, quandoque permittit deficere : idem dic de voluntate informata charitate respectu boni supernaturalis. Sed si ista motio consideretur respective ad hominem cui datur præ alio, tunc respectu hujus hominis potest et debet dici speciale auxilium gratiæ ; quia quamvis natura, ut dictum est, exigat quandoque moveri in bonum, non tamen hic homo præ altero exigit ut hic et nunc potius quam alter moveatur in bonum : unde quod moveatur in bonum a quo alter deficit et a quo ipse deficere poterat, est ex auxilio speciali gratiæ, id est gratis collato.

Hanc observationem, quæ cuique mature attendenti pervia est, expendit et tradit S. Th. q. 24. *de Verit.* a. 14. his verbis : « Quamvis, inquit, bona naturæ suæ proportionata homo possit facere sine gratia gratum faciente, non tamen sine Deo, cum nulla res possit in naturalem operationem exire nisi virtute divina, et hoc verum est tam in naturalibus agentibus quam in voluntariis : tamen hoc alio modo habet necessitatem in utrisque : operationis enim naturalis in rebus naturalibus Deus est causa in quantum dat et conservat id quod est principium naturalis operationis in re, ex quo de necessitate determinata operatio sequitur » , supposita semper generali motione, quam licet hic non exprimat, supponit tamen et alibi exprimit. Hanc autem generalem motionem non sufficere homini ut agat bonum sibi connaturale, sed indigere speciali motione et directione explicat sic prosequendo : « Sed voluntas hominis non est determinata ad unam aliquam operationem, sed se habet indifferenter ad multas (id est bonas et malas) et sic quodammodo est in potentia nisi moveatur per aliquod activum, vel quod ei exterius repræsentatur, vel quod in ea interius operatur. Omnes autem exteriores motus (idem dic de interioribus) a divina providentia moderantur secundum quod judicat aliquem esse excitandum ad bonum his vel illis actionibus. Unde si gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, sed misericordiam Dei per quam interius motum mentis operatur, et exteriora ordinat ad hominis salutem ; sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei: » ergo juxta S. Th. homo propter indifferentiam humani arbitrii, ut bonum potius quam malum agat, indiget divina providentia, quæ secundum quod judicat convenire, moderatur motus ad bonum, et misericordia Dei per quam interius motum mentis operatur et exteriora ordinat ad bonum. Nemo autem dicere potest hoc auxilium esse huic homini præ altero debitum : ergo est gratuitum, quia non datur ex merito, sed ex misericordia ; est et speciale, quia non omnibus datur , quantumvis respective ad naturam secundum se sit et debitum et generale.

Hæc observatio quam ante nos fecerunt doctissimi Bancel et Goudin, omnino necessaria est ad enodandas difficultates, alioquin intricatissimas, hujus dissertationis : tollit namque ambiguitates et æquivocationes propter quas multi cespitant et deluduntur, conciliatque opiniones thomistarum apparenter contrarias, ut patebit ex dicendis.

Totam suam quæstionem concludit S. Th. decem articulis : 1°. Utrum absque gratia possit homo aliquod verum cognoscere ? 2°. Utrum absque gratia possit aliquod bonum facere vel velle ? 3° Utrum absque gratia possit diligere Deum super omnia ? 4°. Utrum absque gratia possit per sua naturalia, præcepta legis servare ? 5°. Utrum absque gratia possit mereri vitam æternam ? 6°. Utrum ad gratiam possit se præparare sine gratia ? 7°. Utrum possit resurgere a peccato sine gratia? 8° Utrum

sine gratia possit non peccare ? 9°. Utrum homo gratiam consecutus possit absque alio divino auxilio bonum facere et vitare peccatum ? 10°. Utrum possit perseverare per seipsum ? Quas difficultates pro modulo explicare conabimur articulis sequentibus. Unde sit

ARTICULUS II.

UTRUM HOMO ABSQUE GRATIA POSSIT ALIQUOD VERUM COGNOSCERE ?

Suppono tanquam principium ab omnibus receptum, quo omnes difficultates de necessitate gratiæ debent dirimi, in quovis bono opere, nihil gratiæ auxilio esse subtrahendum. Ita definivit Cœlestinus, aut quivis alius pontifex auctor capitulorum quæ ipsi adscribuntur cap. 12. his verbis: « Gratiæ operi et dignationi nihil penitus substrahendum est. » Hoc principium in S. Scripturis, conciliis, patribus et communi sensu fidelium fundatum omnes admittunt, sed diversimode explicant. Pelagiani dicebant Deum esse auctorem omnis boni operis quatenus dedit facultatem bene agendi. Semi-Pelagiani omnia bona opera Deo referebant, sed aliquod initium bonæ voluntatis et perseverantiam libero arbitrio reservabant. Molina initium et progressum boni operis Deo concurrenti simultanee tribuit, sed partialiter, nostrumque consensum ad illum minus referre videtur. Jansenistæ et qui dicuntur augustiniani totum bonum opus, etiam bonum usum gratiæ in hoc præsenti statu Deo tribuunt : at in statu innocentiæ bonum usum gratiæ libero arbitrio referunt. Vides in his omnibus modis aliquid subtrahi operi gratiæ : unde thomistæ cum suo Doctore 1. q. q. 103. a. 3. et in hac q. a. 1. et sequentibus et alibi sic istud principium explicant, quod Deus non solum homini dedit et conservat virtutes bene agendi, sed etiam eas movet et applicat ad agendum : his enim duobus continetur quidquid est entis et boni in opere.

Hoc generali principio statuto, quærimus 1°. de necessitate gratiæ ad cognitionem veri. Veritates autem sunt duplicis generis ; aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales. De prioribus sequenti §., de posterioribus subsequenti. Unde sit

§. I.

Utrum homo lapsus possit absque gratia cognoscere veritates naturales ?

Nota quasdam esse veritates naturales quæ pro hoc statu conjunctionis animæ ad corpus sunt intellectui nostro proportionatæ, ut sunt quæ ex sensibilibus vel ex principiis per se notis deducuntur. Aliæ sunt quæ captum nostrum pro hoc statu superant, vel quia sunt sensibus imperviæ, ut sunt quæ latent in visceribus terræ, aut in orbibus cœlestibus ; vel quia sunt puræ spirituales, ut substantia angeli; vel quia non habent conexionnem cum principiis naturaliter notis, ut sunt cogitationes cordium et futura contingentia. Constat has posteriores non posse cognosci sine extraordinario Dei auxilio ; unde de his non est quæstio, sed de primis tantum.

Item inter veritates naturales quædam sunt pure speculativæ, quæ scilicet nullo modo spectant praxim, ut : quodlibet est vel non est, totum est majus sua parte, bis tria sunt sex, etc. Quædam sunt practicæ, quæ ordinantur ad praxim, ut : bonum est faciendum, Deus est colendus, parentes sunt honorandi, etc.

Dico 1°. Homo lapsus sine gratia speciali naturæ superaddita, sed cum solo concursu generali prævio, qui tamen aliquo sensu debet dici specialis et gratuitus, potest cognoscere quasdam veritates naturales. [1] Est contra quosdam antiquos et Vasques.

Prob. prima pars : [2] unaquæque forma seu virtus indita rebus creatis a Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati in quem potest secundum suam proprietatem : de ratione enim virtutis activæ est, ut sit effectiva proprii actus : sic sol ratione luminis naturalis potest illuminare, ignis ratione caloris sibi naturaliter inditi calefacere : atqui intellectus noster etiam in præsenti statu habet aliquam formam veri cognoscitivam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod licet sit per peccatum aliquousque obscuratum, non est tamen penitus extinctum : ergo potest ex se aliquam veriatem naturalem cognoscere. Adde quod alioquin potentia intellectiva, quæ est omnium potentiarum perfectissima, foret imperfectissima.

Confirmatur. Visus non indiget speciali auxilio naturæ superaddito ad videndum coloratum illuminatum : ergo nec intellectus ad cognoscendum verum sibi proportionatum.

[1] Hic q. 109. a 1. o. [2] Ibid.

Nec refert quod potentia intellectiva sit læsa per peccatum et non visiva : esto sit læsa, non tamen omnino extincta.

Prob. secunda pars, nempe requiri concursum generalem prævium. [1] Omnes motus tam corporales quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus : et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo ; quæ quidem motio est secundum suæ providentiæ rationem, non secundum necessitatem naturæ, sicut motio corporis cœlestis.

Attamen, et est tertia pars conclusionis, hæc motio quam dicimus generalem, potest et debet, juxta observationem art. præcedentis, dici aliquo vero sensu specialis et gratuita : cum enim intellectus noster sit defectibilis et flexibilis ad assentiendum vero vel falso, illi debetur secundum leges communis providentiæ ut aliquando moveatur in verum, et non semper in falsum : et hoc sensu motio est generalis et quodammodo debita, ideoque non debet dici gratia. At quod ille potius moveatur ad verum quam alter qui ab eo deficit et a quo ipse deficere poterat, id ipsi non debetur ; sed est ex speciali providentia et benevolentia ; et hoc sensu potest et debet dici motio et gratia specialis.

Hac explicatione evertitur fundamentum Vasquesii petitum ab indifferentia nostri intellectus ad assensum veri vel falsi. Etiam juxta illam exponenda sunt quæ opponuntur ex S. Scripturis, Patribus et conciliis, vel intelligenda de cognitione supernaturalium, vel naturalium quidem, sed ad veram justitiam et sanctitatem per se conducente. Item solvitur argumentum petitum ab oratione quam sæpe fundimus ad intelligendas veritates naturales: hoc ipso enim quod ista motio non sit debita uni potius quam alteri, sed tantum naturæ secundum se, subest unicuique legitima causa eam oratione implorandi et pro obtenta gratias agendi.

Si dicas S. Aug. contra pelagianos ex oratione inferre necessitatem specialis gratiæ supernaturalis, resp. S. Aug. ex oratione facta pro rebus excedentibus vires naturæ inferre quidem necessitatem gratiæ supernaturalis ; non autem ex oratione facta pro rebus ordinis naturalis, de quibus hic agimus. Hæc enim oratio probat equidem necessitatem gratiæ specialis, sed non supernaturalis.

Dico 2°. Homo lapsus absque gratia speciali superaddita non potest, potentia saltem morali, cognoscere sive collective sive divisive omnes veritates naturales tam speculativas quam speculativo-practicas, a fortiori practice-practicas.

Dixi 1°. Potentia saltem morali : duplex enim distinguitur potentia: physica scilicet, quæ habet ex se debitam proportionem cum objecto, abstrahendo ab impedimentis illud attingendi : et moralis, quæ præter debitam cum objecto proportionem nullis impedimentis irretitur aut retardatur, ne in actum exeat et objectum attingat. Plures non improbabiliter tenent hominem lapsum absque speciali gratia posse potentia physica cognoscere omnes veritates ex sensibilibus cognoscibiles, non solum divisive, sed etiam collective; quia, inquiunt, non excedunt capacitatem hominis ingenio acuto pollentis : sed quidquid sit de ista sententia, quæ probabilior est quoad cognitionem divisivam, quam quoad collectivam, dicimus id saltem non posse potentia morali.

Dixi 2°. Veritates speculativo-practicas, etc. Voco veritates speculativo-practicas quæ, quamvis spectent praxim, ad actum tamen non movent, ut sunt principia generalia syndereseos, et propositiones universales quæ pertinent ad philosophiam moralem, v. g. bonum est faciendum, Deus est colendus, parentes sunt honorandi, etc. Voco practice-practicas quæ movent in particulari ad actum, ut parentes hic et nunc sunt honorandi, hoc furtum hic et nunc non est faciendum. Cum autem has veritates practice-practicas semper consequatur actus bonus, eadem est ratio de illis ac de operatione boni, quod spectat articulos sequentes, in quibus ostendemus hominem lapsum non posse absque gratia speciali operari quodcumque bonum. Unde hic est quæstio tantum de veritatibus speculativis et speculativo-practicis.

Prob. prima pars de cognitione omnium veritatum naturalium collective. 1°. Potentia infirma et læsa non potest producere actum excellentissimum potentiæ sanæ et integræ: atqui cognoscere collective omnes veritates naturales, est actus excellentissimus intellectus sani et integri; intellectus autem humanus est per peccatum læsus et infirmus : ergo.

Unde S. Th. 4. *Cont. Gent.* cap. 52. loquens de pœnis spiritualibus peccati originalis, dicit: «Inter spirituales potissima est debilitas rationis, ex qua contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem et de facili labitur in errorem, et appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis.» Ubi ponit vulnus ignorantiæ, 1°. in intellectu

[1] Ibid.

speculativo, deinde in practico, quatenus non potest superare appetitus bestiales, a quibus obnubilatur. Et hic a. 2. ad 3. « Magis natura humana corrupta est quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri. » Ergo etiam corrupta est quantum ad cognitionem veri, licet minus. Et inde convellitur præcipuum fundamentum adversæ sententiæ Cajetani, qui ponit ex S. Th. solum intellectum practicum et non speculativum fuisse vulneratum.

2°. Facultas intellectiva in homine lapso multis impedimentis irretitur, ne possit omne verum collective sumptum sine errore attingere. Primum, est brevitas vitæ ex una parte, et ex altera infinita prope veritatum naturalium multitudo. Secundum, infirmitas corporis et sensuum a quibus pendet cognitio, qui diuturno et acri studio debilitantur. Tertium, vitæ civilis officia, curæ domesticæ, necessitates naturæ, quibus maxima pars vitæ absumitur, et a studio veritatis mens avocatur. Quartum, deordinatio passionum, quibus ratio obnubilatur, torpet amor veritatis et delectatio contemplationis. Ergo.

Prob. secunda pars de cognitione quarumcumque veritatum naturalium divisive, iisdem ferme rationibus. 1°. Voluntas, quæ est vulnerata, non potest absque gratia speciali quodcumque opus bonum morale facere, ut dicemus infra: ergo similiter intellectus vulneratus non potest sine gratia speciali quodcumque verum cognoscere. Neque obstat quod voluntas sit vulnerata in ipso principio operandi per aversionem a fine ultimo; finis enim est voluntati primum operandi principium : intellectus autem non sit vulneratus in intrinseco lumine, sed in extrinsecis tantum, propter scilicet quædam impedimenta ex enumeratis : non obstat, inquam, quia hæc disparitas probat ad summum remanere in intellectu potentiam physicam ad cognitionem cujuscumque veri, non moralem de qua procedit conclusio : unde.

2°. Sunt veritates naturales difficillimæ, ad quas certo et integre intelligendas requiritur diuturnum et acre studium, consequenter voluntas constanter bona, ardens amor veritatis, delectatio contemplationis, quies passionum, firmitas et bona dispositio sensuum, et otium curis vacuum : atqui hæc omnia non habentur in præsenti statu, ut dixi in probatione primæ partis : ergo.

Confirmatur : inter veritates naturales sunt quædam adeo arduæ et difficiles, ut nullus hominum certam earum cognitionem huc usque adipisci potuerit; v. g. reciprocatio fluctuum maris, sensatio animæ, natura luminis solaris, productio arboris ex minuto grano, et sexcenta alia : quis enim audebit certo asserere id aut sic esse, et non aliud aut aliter : atqui id quod hactenus factum non est, merito judicatur fieri non posse secundum naturam : et ex hoc principio s. Hieron. dialogo 1. *contra Pelag.* probat hominem non posse propriis naturæ viribus vivere sine peccato.

Dices : difficillima veritatum naturalium cognitio ea est quæ habetur de existentia Dei, utpote entis immaterialis ex effectibus naturalibus : atqui potest haberi sine gratia speciali, ut patet ex illo *ad Rom.* 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur :* ergo.

Resp. neg. maj. Ex effectibus enim visis quisque facile potest assurgere ad cognitionem existentiæ causæ, etiamsi immaterialis : sed si ulterius velit progredi ad cognitionem perfectiorem et quidditativam causæ, nego eam posse haberi sine speciali gratia.

Petes : utrum gratia quam dicimus necessariam ad omnium veritatum naturalium cognitionem, sit supernaturalis, aut naturalis?

Resp. esse entitative naturalem; quia cognitio ad quam datur, est entitative naturalis : esse autem supernaturalem quoad modum, quia datur ex speciali providentia et supra cursum communem viresque naturæ; sic resurrectio Lazari fuit naturalis entitative, supernaturalis quoad modum.

§ II.

Utrum homo lapsus veritates supernaturales seu quæ sunt fidei, possit absque speciali gratia cognoscere et amplecti?

Dico 1°. Homo lapsus, supposita prædicatione seu revelatione externa, potest cum solo prævio concursu generali, sine speciali gratia superaddita, cognoscere et amplecti veritates supernaturales assensu imperfecto ex aliquo motivo humano. Est communis.

Primam partem, scilicet supponendam et necessariam esse externam revelationem docet Apost. Rom. 10. dicens : *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Et patet : quia nihil possumus cognoscere pro hoc statu, nisi quod cadit sub sensibus per se vel per aliud : verum autem supernaturale, cum nullam habeat connexionem cum operibus naturæ, non cadit sub sensibus per se nec per aliud.

Patet etiam secunda pars : quia verum supernaturale prout subest motivo humano seu naturali, licet entitative sit supernaturale, in ratione tamen objecti formaliter non est supernaturale; quia objectum in ratione objecti formaliter constituitur per motivum seu rationem formalem, sub qua attingitur : ergo supposita revelatione externa, potest ex motivo humano propriis viribus credi. Idque patet in hæreticis qui fide humana credunt quædam mysteria fidei, non ex motivo supernaturali divinæ revelationis, alias omnia crederent, sed vel ex proprio judicio, vel quia hujusmodi fidem sibi honorificam aut utilem existimant. Sic etiam videmus quandoque homines ex aliquo motivo humano credere firmiter et pertinaciter defendere quæ superant eorum captum, quantumvis mira et extraordinaria, ut sunt v. g. Mahumetani.

Dico 2°. Homo non potest credere veritates supernaturales ex motivo supernaturali divinæ revelationis sine gratia speciali interna tam ex parte intellectus quam ex parte voluntatis. [1]

Est 1°. contra Pelagium qui in primis statibus suæ hæreseos non requirebat ad assensum fidei nisi revelationem externam. 2°. Contra semi-pelagianos, qui volebant pium affectum credulitatis esse a nobis. 3°. Contra quosdam theologos qui dicunt hominem lapsum posse propriis viribus assentiri assensu naturali veritatibus supernaturalibus ex motivo divinæ revelationis, et cum edoctus fuerit requiri fidem seu assensum supernaturalem, posse illum optare et petere, sicque faciendo viribus naturæ quod in se est, se ad supernaturalia disponere, eaque infaillibiliter consequi, non quidem merito illarum actionum naturalium, sed ex pacto inter Deum et Christum inito, quo facienti ex viribus naturæ quod in se est, gratia semper datur : quæ sententia nobis videtur non satis recedere ab errore semi-pelagianorum : non enim hi dicebant assensum supernaturalem posse elici viribus naturæ, id implicat in terminis; neque istum assensum naturalem proprie mereri dona gratiæ, sed esse tantum occasionem quam Deus arriperet ut conferret gratiam : ut jam alibi dixi.

Prob. prima pars, 1°. ex S. Scriptura Math. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* cap. 16. Petro suam fidem in Christum profitenti, dicit Christus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Et ne forte dicas hæc esse intelligenda de gratia externæ revelationis, attende sequentia. Apost. ad Ephes. 1. orat ut *Deus det illis Spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis eorum, ut sciant quæ sit spes vocationis ejus.* Act. 16. Deus *aperuit cor Lydiæ intendere his quæ a Paulo dicebantur.* 1. Thess. 1. *Evangelium nostrum non fuit in sermone tantum, sed in virtute et spiritu sancto.* 1. Cor. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ezech. 11. Deus promittit se daturum cor novum et spiritum novum. Apost. Rom. 11. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Porro dare Spiritum sapientiæ, illuminare oculos cordis, aperire cor, Evangelium annuntiare non sermone tantum sed in virtute et Spiritu sancto, dare incrementum, cor novum et spiritum novum et omnia, procul dubio non solum externam revelationem, sed internam gratiam dicunt.

Prob. 2°. ex concil. Araus. 2. can. 5 « Si quis augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum.... non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius probatur. » Et can. 6. « Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, petentibus misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem et inspirationem Spiritus sancti in nobis fieri confitetur, resistit Apostolo dicenti : *Quid habes quod non accepisti?* » Idem habet concil. Trid. sess. 6. can. 3. Neque te moveat hæc clausula sicut oportet; ille enim qui credit ex motivo supernaturali divinæ revelationis, credit ut oportet.

Prob. 3°. ex S. Aug. qui ante episcopatum aliter senserat, et cap. 3. de *Prædest Sanct.* se retractat maxime convictus hoc Apostoli testimonio : *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* « Quo præcipue testimonio, inquit, etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter et juste et pie vivamus in hoc sæculo. »

[1] Ibid. a. 1. o.

Prob. 4°. ratione : actus fidei quo assentimur veritatibus surpernaturalibus ex motivo divinæ revelationis, est supernaturalis : ergo intellectus non potest illum elicere nisi adjutus auxilio supernaturali. Prob. ant. Objectum hujus actus seu assensus est formaliter et in ratione objecti supernaturale : objectum quod enim, nempe ipsa veritas, est in se supernaturale : objectum quo, scilicet motivum seu ratio formalis sub qua, est etiam supernaturale, scilicet divina revelatio : atqui objectum supernaturale formaliter qua tale non potest attingi nisi ab actu supernaturali : ergo. Et hinc evertitur fundamentum Molinæ, qui dicit assensum fidei ex motivo divinæ revelationis esse quoad substantiam natural m et supernaturalem tantum quoad modum.

Prob. secunda pars, scilicet etiam requiri gratiam supernaturalem ex parte voluntatis. Ad credendum veritates supernaturales ex motivo surpernaturali divinæ revelationis, requiritur pia motio voluntatis, quæ efficaciter moveat intellectum ad talem assensum : atqui voluntas non potest suis viribus sine auxilio supernaturali movere efficaciter ad actum supernaturalem, qualis est assensus veritatibus fidei ex motivo divinæ revelationis : ergo. Prob. maj. In hoc differunt veritates naturales a supernaturalibus, quod naturales possint esse vel ex seipsis vel ratione medii evidentes, sicque convincunt intellectum et ejus assensum extorquent absque motione saltem libera voluntatis ; at veritates supernaturales revelatæ neque ex seipsis, neque ratione revelationis sunt evidentes, proinde non convincunt intellectum, nec ejus assensum obtinent, nisi ad hunc specialiter a voluntate moveatur.

Dices 1°. Sola ratio naturalis sufficit ad ea firmiter credenda, quæ per naturale lumen fide digna esse censentur : atqui solo lumine naturali possumus convinci mysteria fidei esse fide digna, dum nempe sufficientibus argumentis et evidentia signorum, eorum credibilitas ostenditur : ergo.

Respondet Goudin *Tract. de Grat.* q. 3. a. 2. majorem esse veram de ratione naturali sana et non impedita, non vero de ratione jam corrupta et impedita, qualis est in peccatore infideli : ut enim homo propositam sibi fidei doctrinam pie et fideliter amplectatur, oportet ejus intellectum bene disponi et voluntatem pie affici ad veritates illas cœlestes : cum enim veritas fidei sua evidentia mentem non cogat, requirit mentem docilem et voluntatem pie affectam erga Deum illam revelantem : atqui homo nisi per gratiam Christi sanetur, non modo caret his duobus, sed etiam contrariis dispositionibus afficitur, nempe cæcitate in intellectu et duritia ac malitia in voluntate : unde 1. Cor. 2. dicitur : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Quod variis aliis S. Scripturæ testimoniis probat. Hæc responsio vera est : attamen inhærendo principiis positis.

Resp. dist. maj. Sola ratio naturalis sufficit ad ea firmiter credenda quæ per naturale lumen fide digna esse convincuntur, ad firmiter credenda fide innixa soli evidentiæ signorum, conc. Hæc enim fides est humana, nec ita certa sicut fides divina. Fide innixa motivo supernaturali divinæ revelationis, qualem asserunt theologi, contra quos disputamus, nego. Hæc est enim fides divina et supernaturalis, ut probavimus, ad quam proinde requiritur auxilium supernaturale.

Inst. 1°. Dæmones credunt, Jacob. 2. ; credunt autem sine gratia : atqui credunt ex motivo divinæ revelationis : ergo.

Resp. neg. min. Sed credunt coacti signorum evidentia.

Inst. 2°. Juxta S. Aug. *de Dono persev.* c. 14. inest infidelibus quædam naturalis credendi facultas, si fides eis congrue proponatur ; reddens enim rationem cur Tyrii credidissent, si Christi mira signa vidissent, non assignat auxilium supernaturale, sed lumen naturale : « Apparet, inquit, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant : » ergo.

Resp. S. Aug. his verbis nihil aliud significare quam quod quædam signa magis congruant quibusdam quam aliis, quod nemo negat : non autem dicit id sufficere ut quis fidem amplectatur ; imo expresse negat paulo post subjungens : « Audiunt enim hæc et faciunt, quibus datum est : non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus datum non est. » Et explicans quomodo illis datur ut credant, id refert non ad meliorem dispositionem naturalem, sed ad gratiam cordis et spirituales aures juxta illud prophetæ, quod ibidem laudat : *Dabo eis cor cognoscendi me et aures audientes.* Unde lib. *Conf.* 10. c. 6. dicit : « Nisi Deus altius misereatur, omnia forinsecus testimonia surdis loquuntur. »

Inst. 3°. Veritates supernaturales sunt intra objectum specificativum nostri intellectus :

ergo potest propriis viribus illas attingere.

Resp. dist. ant. Sunt intra objectum specificativum, improportionatum nostri intellectus, conc. intra objectum proportionatum et connaturale, nego. Objectum enim proportionatum et connaturale intellectus humani est ens intelligibile per species haustas a sensibus; veritates autem supernaturales divinitus revelatas non cognoscit intellectus humanus per species haustas a sensibus : unde debet medio lumine elevari et constitui in eodem ordine supernaturali.

Inst 4°. Actus fidei potest fieri propter malum finem, puta vanam gloriam, ut docet S. Aug. lib. *de Catechisandis rudibus* c. 27: atqui ad talem actum fidei non requiritur gratia supernaturalis : ergo.

Respondent quidam hanc fidem esse humanam : attamen si supponatur actum elici ex motivo divinæ revelationis et simul referri ad vanam gloriam, erit ex parte supernaturalis : in qua suppositione, resp. hunc actum fidei ex parte qua est supernaturalis et in esse physico, esse a gratia speciali, non quatenus est malus et in esse morali : sicut qui consecrat propter vanam gloriam aut sortilegium, actio ejus ut consecrativa et in esse physico est ex auxilio speciali, non ut relata in finem malum et in esse morali.

Dices 2°. Id ad quod homo tenetur, debet esse in ejus potestate : atqui infidelis cui proponitur sufficienter Evangelium, tenetur credere : ergo.

Resp. dist. maj. Id ad quod homo tenetur, debet esse in ejus potestate cum divino auxilio, conc. Secluso divino auxilio, nego, « Ad multa enim tenetur homo, inquit Auctor 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum et proximum, similiter ad credendum articulos fidei; sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ » : quod nulli deest sine sua culpa, ut in prima parte probavimus.

Plura de hac quæstione tam quoad probationes quam quoad argumenta recurrent art. sequenti.

ARTICULUS III.

Utrum homo lapsus possit facere vel velle al'quod bonum absque gratia?

Bonum upernaturale non posse fieri absque auxilio supernaturali constat ex art. præcedenti et ex terminis: hoc ipso enim quod est supernaturale, superat vires naturæ, consequenter indiget auxilio superaddito viribus naturæ. Quæstio est itaque de bono morali ordinis naturalis, circa quam est triplex difficultas hic discutienda. Prima, an sine gratia justificante et charitate possit fieri aliquod bonum opus morale? secunda, an sine fide? Tertia, an sine gratia speciali actuali?

§. I.

An possit fieri in hoc statu bonum opus morale sine gratia sanctificante et charitate?

Dico : potest fieri in hoc statu bonum opus morale sine gratia sanctificante et charitate, proindeque non omnia peccatorum opera sunt peccata. [1]

Conclusio est de fide contra hæreticos nostri temporis decisa : 1° in conc. Constantiensi sess. 15. adversus Wicleffum et Hus, quorum iste articulus damnatur: « Ex principiis fidei est per se notum quod quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter. »

2° In conc. Trid. contra Lutherum et Calvinum sess. 6. can. 7. sic definiente : « Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata.... anathema sit. » Et can. 8. « Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus.... peccatum esse, anathema sit.» Et sess. 14. cap. 4. definit attritionem « non solum non facere hominem magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat et ad gratiam Dei per sacramentum obtinendam disponit. » Et can. 5. idem sub anathemate definit.

3° A sumnis pontificibus, S. Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. et Clemente XI. quorum tres primi damnarunt sequentes propositiones in Baio, « Omne quod agit peccator aut servus peccati, est peccatum » ; est 35. « Omnis amor creaturæ rationalis est aut vitiosa cupiditas, aut laudabilis charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur» ; est 38. « In omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati» ; est 40. Clemens XI. has sequentes in Quesnello : « Non sunt nisi duo amores unde volitiones et actiones nostræ nas-

[1] 1. 2. q. 65. a. 2. et 4. — 2. 2. q. 10. a 4. q. 2. *de Malo* a. 5. ad 7.

cuntur, amor Dei qui omnia agit propter Deum quemque Deus remuneratur, et amor nostri quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus» ; est 44. «Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque ejus actiones corrumpat» : est 45. Ejusdem furfuris sunt sequentes usque ad 59.

His omnibus præivit S. Th. præsertim q. 2. *de Malo* a. 5. ad 7. ubi inter cætera decretorie resolvit «esse simpliciter falsum quod omnis actus qui est ex voluntate non informata charitate sit demeritorius: alioquin illi qui sunt in peccato mortali, in quolibet suo actu peccarent, nec eis esset consulendum quod interim quidquid boni possent, facerent; nec opera ab eis facta, quæ sunt de genere bonorum, disponerent eos ad gratiam: quæ omnia sunt falsa.»

Ex quibus formatur duplex argumentum. Primum: S. Scriptura hortatur peccatores ad conversionem et bona opera, Ezech. 18. *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime:* atqui S. Scriptura non hortatur ad peccatum: ergo.

Secundum: opera quæ disponunt ad justificationem, non sunt peccata; per hæc enim magis homo removetur a justificatione : atqui in adultis peccatoribus gratiam sanctificantem præcedunt opera quæ ipsos ad justificationem disponunt, ut actus fidei, spei, timoris, doloris etc. quos recenset Trid. sess. 6. cap. 6: ergo. Hæc autem opera sunt bona non solum bonitate morali naturali, sed etiam supernaturali: tum quia dispositiones debent esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam disponunt: tum quia procedunt ex principio supernaturali, vel habituali, puta habitu fidei vel spei, vel actuali auxilio gratiæ.

Prob. alia ratione: principium malum in agente non inficit ejus actionem nisi agat ex illo, sicut principium bonum non cohonestat ejus actionem nisi agat ex illo : atqui peccator non semper agit ex malo principio cupiditatis, sicut justus non semper agit ex principio bono charitatis, ut dum peccat venialiter : ergo.

Et hinc inferes quod quamvis non detur medium inter charitatem et cupiditatem respectu personæ, est enim homo justus vel peccator ; datur tamen respectu ejus actionis, quatenus procedit a principio bono naturæ, quod non est neque charitas neque cupiditas.

Dices : Proverb. 15. dicitur : *Victimæ impiorum abominabiles Domino;* Matth. 7 : *Non potest arbor mala bonos fructus facere;* Joan 9 : *Deus peccatores non audit;* Ad Tit. 1: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia:* Ergo.

Resp. ad primum, victimas impiorum esse abominabiles Deo, non præcise quia offeruntur ab impiis, sed quia offeruntur ex malo fine, qualia erant sacrificia Judæorum, qui contemptis præceptis legis et cultu interno, totam suam religionem reponebant in ritibus externis, quos ex hypochrisi et inani gloria scrupulose observabant.

Ad secundum, resp. peccatorem non esse arborem malam ex omni parte: bonum enim rationis non est in eo totaliter extinctum. Item potest retinere fidem et spem, ex quibus principiis potest agere, et tunc non agit ut arbor mala, sed ut bona. Igitur dist. ant. Arbor mala qua mala est et agit ex malitia non potest bonos fructus facere, conc. Agens non qua mala sed qua bona, non potest, etc. nego.

Ad tertium, respondet S. Aug. lib. 2. *contra Epist. Parmeniani* id dictum fuisse a cæco nato, qui nondum erat sufficienter imbutus lumine fidei. Insuper agebatur tunc de miraculo quod fecerat Christus hunc cæcum illuminando in confirmationem suæ doctrinæ: non audit autem Deus peccatores ad patranda miracula ut probent suam doctrinam esse a Deo, sicut audiebat Christum: audit tamen in aliis rebus, si non agant ut peccatores et ex perverso fine.

Ad quartum, resp. non illic agi de actionibus, sed de rebus: arguit enim ibi Apostolus Judæorum superstitionem, qui putabant esse immundum ex se aliquod genus ciborum a quo si abstinerent, peccabant ex superstitione; si uterentur, peccabant ex conscientia erronea; et sic sive uterentur sive non, nihil erat ipsis mundum, sed utrinque peccabant.

Plura redibunt §. sequenti : si namque nec fides ipsa requiratur ad bonum opus morale, a fortiori nec ipsa gratia habitualis et charitas ei annexa. Plura etiam argumenta quæ impugnant defectum fidei, pariter impugnant defectum gratiæ et charitatis. Unde sit

§. II.

Utrum sine fide possit fieri aliquod opus moraliter bonum?

Dico : Homo sine gratia fidei potest aliquod

opus moraliter bonum facere: [1] unde non omnia infidelium opera sunt peccata.

Est contra Jansenium lib. 3. de statu naturæ lapsæ et contra Baium, cujus hæc propositio 25. «Omnia infidelium opera sunt peccata et philosophorum virtutes vitia.» est damnata a ss. pontificibus.

Prob. ex principiis jam positis. 1°. S. Scriptura hortatur infideles ad bona opera: sic Daniel cap. 4. alloquens regem Nabuchodonosor dicit: *Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime.* S. Scriptura autem non hortatur ad male operandum, nec peccata peccatis redimuntur.

Item S. Scriptura quædam facta infidelium laudat et ea a Deo fuisse remunerata testatur: sic Exodi 1. laudat benignitatem obstetricum Ægyptiarum, quæ noluerunt pueros Hebræorum interficere secundum iniquum Pharaonis mandatum, quam ob causam *Deus eis bene fecit, et quia timuerunt Deum, ædificavit eis domos,* id est, prolem copiosam concessit. Josue 2. et 6. Hospitalitas Rahab meretricis quæ viros a Josue missos prodere noluit, laudatur et remuneratur. Ezech. 29. Deus dedit regi Nabuchodonosor terram Ægypti, eo quod feliciter gesserat bellum adversus Tyrios, sicut Deus mandaverat. Et S. Aug. lib. 5. *de Civit.* c. 15, dicit Deum Romanis concessisse amplum imperium in mercedem temporalem eorum virtutum ac bonorum operum. Subsumo: atqui Deus nec laudat nec remunerat peccata, sed punit: ergo.

Adde egregium in hanc rem testimonium Rom. 2. *Gentes,* inquit Apostolus, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quæ verba licet S. Aug. quandoque intelligat de gentibus ad fidem conversis: attamen de gentibus adhuc incredulis intelliguntur a Tertulliano lib. *de Corona milit.* cap. 6. S. Ambrosio epist. *ad Iræneum,* S. Hieronymo *in Commentario* in c. 24. Isaiæ: et a pluribus aliis Patribus; imo ab ipso S. Aug. de *Spiritu et litt.* cap. 27, ut mox referam.

Prob. 2° ex S. Aug. de cujus mente potissimum disputatur, S. Doctor *de Spiritu et litt.* cit. explicans textum mox laudatum Rom. 2. de infidelibus ait: «Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius virorum etiam impiorum nec Deum veraciter justeque colentium: quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus: quanquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.» Palam est s. Augustinum his verbis agnoscere in infidelibus quædam bona opera, non solum ex objecto, ut contendit Jansenius, sed etiam spectato fine: qui enim dicit «vix inveniri», concedit aliquando inveniri, etsi raro. Neque solum id asserit s. Aug. sed etiam probat. «Quia, inquit, non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum defectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint. Unde merito dici posset etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.» Et paulo infra hæc Apostoli verba, *Habentes opus legis scriptum in cordibus suis,* sic exponit: «Id est, non omnino deletum est quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est.... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis sentit et facit.» Addit tamen ob illa recte facta eos a damnatione non liberandos, sed solum mitius puniendos, scilicet propter alia peccata. Nam, inquit, «sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.»

Item Epist. 130. laudat temperantiam Polemonis, quam gratiæ Dei adscribit: si autem ex aliquo capite esset peccatum, non gratiæ Dei adscriberet. Similiter lib. 4. *cont. Jul.* cap. 3, ex quo adversarii argumenta contra nos desumunt, agnoscit in infidelibus quasdam veras virtutes, ut volebat Julianus, sed contendit eas esse a Deo, et non a solo arbitrio, quod negabat Julianus. «Quanto ergo tolerabilius, inquit, illas quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius quam eorum tribueres tantummodo voluntati.» Et infra: «Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis.» Plura alia proferunt auctores ex S. Aug., sed hæc sufficiunt. Idem censuisse alios ss. patres non negat Jansenius. S. Thomam non refero, quia nemini non notum ipsum ex professo docere nostram conclusionem loco citato.

Prob. 3°. ratione utriusque ss. doctoris Augustini et Thomæ. Ille potest facere aliquid

[1] 2. 2. q. 10, a. 4. o.

boni naturalis, in quo non est plene extinctum bonum naturæ : atqui bonum naturæ, scilicet naturalis inclinatio ad bonum rationis, principia synderesis et æquitatis naturalis, seu, ut dicit S. Aug., imago Dei, licet sit attenuatum et obscuratum in infidelibus, non est tamen totaliter destructum aut per malitiam consummatam penitus absorptum, ut in dæmonibus : ergo.

Confirm. 1°. Fidelis justus in via nondum in bono confirmatus, non semper agit ex habitu dominante fidei et justitiæ, sed aliquando in levioribus peccat : ergo pariter infidelis in via nondum confirmatus in malo, non semper agit ex habitu dominante infidelitatis, sed potest quandoque in levioribus bene agere. Patet consequentia ; quia sic se habet voluntas infidelis ad malum, sicut voluntas fidelis justi ad bonum.

Confirm. 2°. Omne peccatum meretur pœnam, et eo homo fit deterior : atqui infidelis qui ex naturali pietate honorat parentes, aut ex naturali æquitate solvit debita, non meretur pœnam, nec eo fit deterior : ergo.

Si dicas has actiones non esse quidem malas ex objecto, sed defectu relationis in Deum, resp. opus ex objecto bonum, quod propter intrinsecam honestatem eligitur, sufficienter referri in Deum, ut non sit peccatum, ut dicam alibi.

Prob. 4° ab absurdis. Si omne opus ante fidem et sine fide sit peccatum, sequitur 1°. quod infidelibus non esset consulendum, ut quidquid boni possunt faciant, ut supra arguebamus cum Auctore de peccatoribus, et quod melius sit eis abstinere a cultu parentum, ab eleemosynis faciendis, et aliis bonis operibus, dum non urget præceptum ; quia faciendo peccabunt, omittendo non peccabunt, quod est absurdum et contrarium S. Scripturæ citatæ in prima probatione. Sequitur 2° quod urgente præcepto de istis actibus cogantur peccare ; si enim abstineant, peccant, quia urget præceptum ; si faciant, peccant, quia non referunt ad verum Deum. Sequitur 3°. infidelem nihil posse facere, quo sibi viam paret ad fidem.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1° .ex s. Scriptura : Rom. 14. dicitur : *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Opponitur etiam ex Epist. ad Tit. *Omnia munda mundis,* etc. Et Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Sed hæc duo ultima explicata sunt §. præced. Unde

Ad 1. resp. 1°. juxta ss. patres, Chrysost. Oecumenium, Theophilactum, et communius hunc textum intelligi non de fide theologica, sed de persuasione seu conscientia ; ita ut sensus sit, omne quod non fit ex conscientia dictante id esse licitum, peccatum est: et hæc interpretatio est omnino conformis scopo Apostoli : agit enim illic de ciborum delectu, et dicit quod qui manducat cibum quem credit illicitum, peccet, quia agit contra conscientiam : *Qui discernit,* inquit, *id est qui judicat esse illicitum, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Perinde ac si diceret, quia non est secundum conscientiam ; omne autem quod non est secundum conscientiam, peccatum est.

Verum quia S. Aug. intelligit hunc textum de fide theologica, juxta ejus sensum, resp. 2°. cum Auctore τo *non ex fide,* non sumi negative, sed contrarie, pro eo quod est contra fidem. [1] Addo vel S. Augustinum in hac interpretatione intelligere peccatum large sumptum pro opere mortuo et sterili ad salutem, ut patebit ex mox dicendis.

Ad. 2. dist. Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad salutem æternam, conc.; in ordine ad honestatem moralem operis, subdistinguo : sine fide impossibile est placere Deo, id est, opus honestum factum sine fide non placet Deo, nego, id est, persona infidelis operans non placet Deo, conc. Non enim quia infidelis facit bonum opus morale, ideo est justus et gratus Deo ; ad id deberet referri in Deum propter se dilectum, quod sine fide fieri non potest : attamen ipsum opus non displicet Deo ; non enim Deo displicuit obstetricum Ægyptiarum benevolentia, nec Rahab hospitalitas.

Obj. 2°. et potissimum ex S. Aug. qui toto cap. 3. lib. 4. *contra Julian.* aperte docet et probat 1°. nullum opus sine fide esse bonum ; 2°. omnia infidelium opera esse peccata, et philosophorum virtutes esse vitia : ergo.

Resp. ad 1. sensum S. Augustini esse quod sine fide nullum opus sit complete bonum et conducens ad vitam æternam : quo sensu intelligimus ipsam S. Scripturam, dum Ezech. 2. præcepta antiquæ legis dicuntur « non bona» ; non quod essent mala, sed quia non erant perfecta, neque hominem ad perfectionem legis evangelicæ perducebant, juxta illud Apos-

[1] In cap 14. ad Rom. lect. 3.

toli ad Heb. 7 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.*

Ad 2. resp. omnia infidelium opera a S. Augustino dici peccata duplici sensu: 1°. quatenus sunt infidelium ut infidelium, seu fiunt propter pravum finem. Ita interpretatur S. Augustinum S. Th. 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. his verbis : « Augustinus dicit in 4. *contra Julianum*, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel aliquid hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis», vel ad alium pravum finem. Ita etiam Estius in S. Augustini doctrina versatissimus in 2. d. 41. § 2. Qui addit quod cum S. Aug. loqueretur respiciens ad id quod in pluribus accidit, nimirum homines fide destitutos ita servire dominanti cupiditati, ut vix generalem boni instinctum sequantur, dixit omnia infidelium opera esse peccata, sumendo omnia prout significat quod ut plurimum et sæpissime accidit : quo sensu dicitur Genes. 5. *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore.* Et cap. 6. *Omnis caro corruperat viam suam,* id est, pro majori et maxima parte, non omnino universaliter : certum est enim quod cogitatio Noe non erat intenta in malum, nec ipse corruperat viam suam.

Attamen quia ipse etiam S. Augustinus agnoscebat infideles aliquando, etsi raro, agere ex bono fine, ut patet ex secunda probatione, censet nihilominus hæc eorum opera etiam esse peccata, sumendo peccatum lato sensu, juxta quem id omne dicitur peccatum et vitiosum quod a fine deficit et cui deest plenitudo suæ perfectionis ; virtutibus enim et bonis operibus infidelium, etiam recto fine factis, deerat illa perfectio, qua prodesse poterant ad salutem æternam.

His sensibus concludi mentem S. Augustini constabit, si exponamus quis fuerit error Juliani, contra quem disputat S. Augustinus toto illo cap. 3.

1°. Ita desipiebat Julianus, ut assereret virtutes et opera ex officio bona, licet ex pravo fine facta, esse veras virtutes et opera vere laudabilia, ut castitatem esse veram virtutem, opera misericordiæ esse vere bona, etiam cum fiunt ex pravo fine, puta ob vanam gloriam. Ita censuisse Julianum probat S. Augustinus ex ipsiusmet Juliani verbis. « Hæc ubi didiceris, inquit alloquens Julianum, nescio : jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse, ut vera sit virtus avarorum qua excogitant genera lucellorum... Ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes : et ideo nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen veræ videntur et pulchræ, ut (verba sunt Juliani) nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium. » Deinde statim hanc Juliani dementiam impugnat verbis sequentibus: « Noveris itaque non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est : finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur : quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti ; et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam etiam cujus dominam reperis avaritiam.» Merito itaque negat S. Augustinus ad sensum Juliani virtutes infidelium esse veras virtutes, et eorum opera ex officio bona esse vere bona, sed et hæc esse peccata et illas esse vitia, quia nempe pravo fine exercentur.

2°. Deinde dicebat Julianus virtutes infidelium processisse ex eorum bona natura, iis abundasse, iis constitutos fuisse simpliciter et perfecte justos, iis effugere æternam damnationem ; non valere tamen, sed esse steriles ad regnum consequendum. An de virtutibus ex solo officio, an etiam ex fine bonis hæc intelligeret Julianus, incertum est : forte ad fucum et illusionem ita loquebatur. Cæterum s. Augustinus ipsum in his arguit falsitatis, absurditatis et contradictionis.

1°. Negat quæ tantopere Julianus laudabat in antiquis Romanis fuisse bona opera et veras virtutes, quia plerumque ex pravo fine agebant, et sic falsum esse eos abundasse virtutibus.

2°. Ostendit absurdum esse veram perfectamque justitiam constitui sine fide per dilectionem operante;

3°. Quod si iis virtutibus infideles constituerentur simpliciter et perfecte justi, non solum valerent ad effugiendam damnationem æternam, sed etiam ad acquirendum regnum cœleste ; sicque Julianum sibi contradicere, dum eas diceret steriles ad regnum cœlorum.

Cæterum, ne quæstio solis verbis hæreret, totam disputationem concludit S. Augustinus his verbis : « Breviter, inquit, accipe, ne forte, cum in rebus ipsis tantum erres quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis... Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non eos ad salutem sempiternam, regnum-

que perducere : scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci : omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi veræ virtutes, videantur opera bona et sine ullo peccato facta, dicantur secundum te hujusmodi voluntates arbores bonæ ; sufficit quod apud Deum steriles sint, ac per hoc non bonæ. » Quibus verbis luce clarius patet S. Augustinum hoc unum contendere opera et virtutes infidelium non esse hoc sensu bona, quia ab ordine vitæ æternæ deficiunt, eodemque sensu dici peccata et vitia, quia eis deest hæc suæ perfectionis plenitudo ; hoc uno concesso, permittere ut secundum alium sensum dicantur bona et virtutes.

Ex his mature perpensis et recte intellectis solvuntur aliæ instantiæ quæ fieri possunt ex S. Aug. et quas quidam prolixe referunt. Hoc unum addo, S. Aug., si intelligeretur sicut intelligit Jansenius, nimium probare; probaret enim non solum sine fide, sed etiam sine charitate nullum opus bonum fieri posse, consequenter non solum omnia infidelium, sed etiam fidelium peccatorum opera esse peccata, quod non admittit Jansenius. Patet, quia S. Augustinus requirit non qualemcumque fidem, sed fidem quæ per dilectionem operatur, ut opus non sit peccatum. « Disce, inquit in fine sæpe cit. cap., eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi opus..... tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum. »

Obj. 3°. et simul subsumes : atqui infidelis in omni suo actu agit propter finem pravum : ergo. Prob. subsumptum : homo in omni actu agit propter suum ultimum finem, ut diximus de ultimo fine : atqui finis ultimus hominis infidelis est malus; est enim aversus a Deo, et conversus ad bonum commutabile ut ad ultimum finem : ergo.

Resp. 1°. hoc argumento etiam nimis probari pro Jansenio : eo enim probatur non solum infidelium, sed cujusvis peccatoris, etiam fidelis, omnia opera esse peccata, quod negat Jansenius; qui finis ultimus cujusvis peccatoris est etiam bonum commutabile.

Resp. 2°. neg. subsumptum : ad prob. dist. maj. Homo in omni suo actu agit propter ultimum finem in communi, qui est beatitudo ut sic, conc. maj. Propter ultimum finem determinatum ad aliquod particulare, quod sit verum vel apparens bonum, nego maj. Similiter, dist. min. Finis ultimus hominis infidelis spectatus in communi, est malus, nego. Ut determinatus reduplicative ad aliquod apparens bonum, conc. Finis ergo ultimus quem homo in omni suo actu appetit, est bene esse, seu beatitudo in communi : hanc autem beatitudinem in communi unusquisque sibi determinat ad aliquod particulare objectum, justus ad Deum, infidelis et quivis peccator ad bonum proprium sine subjectione ad Deum. At sicut justus non semper agit ex amore boni in communi reduplicative ut determinati ad Deum, ut dum peccat venialiter ; ita infidelis seu peccator non semper agit ex intentione boni ut sic reduplicative determinati ad bonum proprium et commutabile, ut quando aliquod bonum opus facit propter ejus honestatem.

Inst. Nullum est bonum opus, si non referatur ad Deum propter se dilectum : atqui id fieri non potest sine fide : ergo.

Resp. dist. maj. Nullum est bonum opus, si non referatur ad Deum, relatione actuali vel virtuali explicita, nego. Relatione virtuali implicita, conc. Ad hanc autem non requiritur fides, sed sufficit quod opus sit ex objecto honestum, nulla prava circumstantia vitiatum, et quod operans illud agat motus ejus honestate ; sic enim refert et refertur virtualiter implicite in Deum, honestatis hujus auctorem, finem et consummatorem. De quo alibi.

§ III.

Utrum homo lapsus possit facere aliquod bonum morale sine speciali gratia actuali?

Suppono quod jam non semel supposui in decursu hujus articuli, [1] nullum bonum supernaturale conducens ad salutem posse fieri sine auxilio supernaturali gratiæ, quæ datur per Christum. Patet ex ipsis terminis : supernaturale enim dicitur quod superat vires naturæ : ergo ad id indiget homo elevari per virtutem superadditam suæ naturæ. Item omne opus ad salutem pertinens, vel est dispositio ad gratiam sanctificantem, vel est meritorium vitæ æternæ : atqui dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit, et meritum cum præmio ; et de istis operibus pietatis et salutis præsertim intelliguntur S. Scripturæ, patres et concilia, quæ dicunt nos

[1] Q. 109 a. 2. o.

non posse ex nobis sine Deo et ejus auxilio quidquam boni facere, seu gratiam ad quodlibet opus bonum esse necessariam.

Quæstio est itaque de bono morali ordinis naturalis, circa quam dissentiunt etiam thomistæ : quidam docent sine speciali gratiæ auxilio nullum omnino bonum fieri posse : ita Capreolus quem sequitur Contenson. Alii dicunt cum solo concursu generali sine speciali auxilio posse fieri aliquod bonum opus morale : ita Cajetanus, Conrardus, Medina, Godoy, quos sequitur Gonet. Hoc idem dicunt molinistæ, sed sensu diverso a thomistis : illi enim docent sufficere generalem concursum indifferentem, quem voluntas suo nutu determinet ad bonum : thomistæ vero requirunt concursum prævium determinantem et efficientem ut homo bonum potius quam malum faciat : quod et dicunt priores thomistæ, sed vocant hunc concursum specialem, quem posteriores thomistæ vocant generalem.

Nos, juxta observationem singularem factam in primo art. hujus dissert. et dicta art. 2. § 1. concl. 1, hunc concursum dicimus generalem et specialem sub diverso respectu ; et per hoc fit plana et expedita hæc difficultas, aliunde intricatissima. Igitur,

Dico : [1] homo lapsus cum solo concursu generali, sine aliquo alio superaddito gratiæ auxilio, potest facere aliquod bonum opus morale naturalis ordinis : iste tamen concursus generalis potest et debet dici aliquo sensu speciale auxilium gratiæ.

Prob. prima pars : [2] natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur : ergo potest per virtutem relictam suæ naturæ sub concursu Dei generali aliquod bonum opus morale facile facere ; sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, sed non potest perfecte moveri nisi sanetur.

Prob. et explicatur secunda pars, repetendo et instaurando ea quæ jam dixi locis citatis. Auxilium gratiæ specialis latius sumptæ, secundum scilicet quod habet locum in bonis operibus ordinis naturalis, duo importat, sicut ipsa gratia stricte dicta in ordine supernaturali : primum, quod gratis detur et non ex debito ; alioquin si ex operibus, secundum Apostolum, jam non foret gratia ; secundum, quod non detur omnibus, sed aliquibus præ aliis ex speciali benevolentia Dei, alioquin non foret specialis. Hoc posito,

Generalis Dei motio potest considerari dupliciter : 1°. respective ad naturam secundum se ; 2°. respective ad hoc vel illud individuum hujus naturæ, cui præ alio datur.

Considerata respective ad naturam secundum se non debet dici auxilium speciale nec gratuitum, sed generale quo Deus movet unumquodque secundum suum modum : cum enim bonum rationis in natura non sit totaliter corruptum, nec voluntas sit confirmata in malo sicut in dæmonibus, sed attenuata tantum et vertibilis in bonum et in malum, non exigit influxum communem quo semper moveatur in malum, sed quandoque in bonum rationi conforme : et ideo quod quandoque moveatur in bonum, non est auxilium mere gratuitum, quia quodammodo debetur ; neque speciale, quia non est ex speciali gratia et providentia, sed secundum leges communis providentiæ, quæ naturas defectibiles et vertibiles in bonum et malum quandoque movet ad bonum suæ naturæ, quandoque permittit deficere.

Considerata vero respective ad individuum cui præ altero datur, debet dici auxilium speciale et gratuitum ; quia quamvis naturæ debeatur ut aliquando moveatur in bonum, quod tamen hic homo moveatur hic et nunc in bonum præ altero, non debetur illi potius quam alteri, qui permittitur deficere, sicut ipse deficere poterat : unde est illi gratuitum, quia non debitum ; et speciale, quia ex speciali benevolentia et providentia.

Hac distinctione posita, quam non puto ullum thomistam posse inficiari, quamque ostendimus supra fundatam in D. Th., conciliatur discordia thomistarum, quæ non potest esse nisi de nomine. Nam qui negant requiri auxilium speciale gratiæ, sed sufficere concursum generalem, non intelligunt concursum indifferentem et versatilem molinistarum, determinabilem a voluntate hominis, sed motionem ordinariæ providentiæ, quam tamen non negant non eamdem omnibus dari, sed aliam iis qui bene agunt, quam iis qui male agunt, et hoc gratis. Qui vero requirunt auxilium speciale gratiæ, non intelligunt virtutem superadditam et supra cursum naturæ collatam, sed ipsam motionem uni præ alio gratis et ex speciali benevolentia ad bene agendum datam, sicque non re, sed voce tantum differunt.

Eodem modo conciliantur varii textus S. Scripturæ, conciliorum, ss. patrum, præsertim S. Thomæ, apparenter contrarii, ita ut supervacaneum sit illos exponere. Indeque habemus vere dictum esse a conciliis et patribus, singulariter a S. Augustino, quæcumque bona fiunt, sive ab

[1] Ibid. [2] Ibid.

infidelibus, sive a fidelibus, sive a peccatoribus, sive a justis, tam magna quam parva, tam supernaturalia quam naturalia, esse dona Dei, atque ejus auxilio speciali et gratuito esse referenda, consequenter necessitatem orationis et gratiarum actionis in his omnibus habere locum, et de omnibus posse vere dici cum Apostolo : *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?*

Una restat difficultas : quomodo hæc propositio, « liberum hominis arbitrium sine gratia et adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet, » damnata sit in Baio; et hæc : « Nemo habet de suo nisi peccatum et mendacium, » sit asserta a concilio Arausicano can. 22, cum videatur utriusque propositionis idem sensus ?

Resp. neg. esse eumdem sensum utriusque propositionis : magis late patet propositio concilii quam propositio Baii. Sensus igitur propositionis concilii est, neminem habere de suo, sic nimirum ut nullatenus acceperit a Deo, nequidem primo motore, nisi peccatum et mendacium, quod est verum; illud enim dicitur homo habere de suo, quod ei sic proprium est et a semetipso habet, ut nullo modo habeat a Deo : et ideo titulus canonis laudati est : « De his quæ hominum sunt propria. » Sic autem homo solum habet peccatum, quia illud tantum est ab homine, sed non a Deo : quamvis enim Deus concurrat ad entitatem peccati, non tamen concurrit ad peccatum : omnia autem alia sive naturæ sive gratiæ bona non a se habet, sed a Deo : propositio autem Baii minus late patet, maxime in sensu Baii, non solum quia nomine gratiæ simpliciter et proprie dictæ intelligitur gratia supernaturalis data per Christum, sed maxime quia Baius per gratiam intelligebat gratiam sanctificantem et charitatem : contendebat enim, ut vidimus, omnia opera sine gratia sanctificante et charitate facta, esse peccata. Sensus ergo ejus propositionis est : liberum arbitrium sine gratia proprie dicta, imo sine gratia sanctificante et charitate, nonnisi ad peccandum valet : quod est falsum, ut probavimus.

ARTICULUS IV.

UTRUM HOMO POSSIT DILIGERE DEUM SUPER OMNIA EX SOLIS VIRIBUS NATURALIBUS SINE GRATIA ?

Ante omnia suppono cum Auctore [1] contra Baium et Jansenium distinctionem duplicis amoris Dei, naturalis scilicet et supernaturalis. Naturalis, quo Deus per lumen naturale cognitus ut auctor bonorum naturalium amatur ; supernaturalis, quo Deus per fidem cognitus ut auctor gratiæ et gloriæ diligitur. Cum enim amor sequatur apprehensionem boni, sicut Deus potest dupliciter cognosci, scilicet per lumen naturale ut auctor boni naturalis, et per fidem ut auctor boni supernaturalis; ita potest duplici amore diligi, naturali et supernaturali. Adde quod dilectio Dei super omnia sit primum præceptum legis naturalis et decalogi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* :lex autem naturalis non extinguitur per peccatum, nec datur per gratiam, quia naturaliter imprimitur: ergo est possibilis dilectio Dei super omnia tanquam finis ultimi in ordine naturali et secundum legem naturalem. Hujus oppositum damnaverunt ss. pontifices, S. Pius V. Greg. XIII. et Urbanus VIII. in propositionibus 34 35 et 38 Baii. Vide dissert. 2. a 2. object. 2. Quæstio hic est de amore Dei naturali ; constat enim ad amorem Dei supernaturalem requiri auxilium gratiæ supernaturalis.

Nota : Amor naturalis est duplex, scilicet innatus, qui est veluti naturale pondus, in bonum cuique proprium : elicitus quo vivens ex apprehensione boni ad illud prosequendum se movet. Elicitus iterum duplex; necessarius, qui ex boni apprehensione sine deliberatione procedit, qualis reperitur etiam in brutis; alius liber, quo natura rationalis ex deliberatione et ponderatis rei meritis se in illam inclinat. Quæstio hic non est de amore innato ; [2] quia certum est omnem creaturam magis Deum quam seipsam pro suo modo amare, hoc est, fortius inclinari in bonum divinum quam in bonum proprium, sicut pars magis inclinatur naturaliter in conservationem totius quam sui ipsius ; sic manus naturaliter se exponit ictui ut servet caput. Neque etiam est quæstio de amore elicito indeliberato et necessario : nam et hoc amore omnis creatura rationalis amat Deum præ omnibus quasi in confuso et sub ratione summi boni et beatitudinis ut sic, quam in omnibus quærit ; quia tamen rationem summi boni in Deo contineri distincte non cognoscit nisi per discursum, ideo Deum distincte cognitum illo amore necessario et indeliberato naturaliter non amat super omnia. Itaque quæstio est solum de amore deliberato, quo homo Deum distincte cogni-

[1] Q. 109 a. 3. ad 1. 2. 2. q. 26. a. 3. et in cap. 13. 1. cor. lect. 4. et alibi.

[2] 1. p. q. 60. a. 5. o.

tum amat ut ultimum finem suum et summum bonum.

Sed iterum iste amor deliberatus est duplex: unus imperfectus et inefficax, quia est solum complacentia de Dei bonitate, non inferens media ad placendum Deo, neque removens impedimenta peccatorum: alter est perfectus et efficax, vi sua inferens media ad placendum Deo, et removens omnia quæ repugnant ejus amicitiæ. Et iterum duplex: unus efficax quoad affectum tantum, alter efficax quoad affectum et effectum. Amor efficax affective tantum, est simplex actus voluntatis quo homo se et omnia refert in Deum ut ultimum finem, cum proposito ipsi per omnia placendi et removendi omnia quæ ipsi displicent, quod est Deum super omnia appretiative amare. Amor efficax effective non est singularis actus, sed est executio dicti propositi, seu actualis observantia mandatorum naturalium; si omnium, dicitur effectivus simpliciter; si aliquorum tantum, effectivus secundum quid.

Certum est, ex dictis art. præcedenti, hominem lapsum cum solo concursu generali, sine speciali gratia superaddita, posse diligere Deum dilectione imperfecta et inefficaci; quia, ut diximus §. ult. cum bonum naturæ non sit penitus extinctum per peccatum, potest homo propriis viribus cum solo concursu generali; qui tamen sit specialis respectu individui, ut explicatum est, facere aliquod bonum morale facile, qualis est ille amor inefficax et imperfectus Dei cogniti per lumen naturale in ratione summi boni.

Quantum ad amorem efficacem effective saltem simpliciter, patebit ex art. sequenti hunc non posse esse sine speciali gratiæ auxilio; quia complectitur actualem totius legis naturæ observantiam, ad quam requiritur specialis gratia, ut probabimus.

Finaliter itaque quæstio nunc est de amore Dei ut auctoris naturæ efficaci affective, hoc est, de illo simplici actu voluntatis quo Deum distincte cognitum amat appretiative super omnia, se et cætera ad eum ut ultimum finem referens, et proponens absolute illi per omnia placere et fugere omnia quæ illi displicent.

Omissa opinione erronea Baii et Jansenii, qui non agnoscunt amorem Dei naturalem, de qua initio articuli, quidam theologi existimant hominem lapsum posse viribus naturalibus sine gratia reparante diligere Deum super omnia amore naturali affective efficaci, qui tamen non sit gratiæ aut gloriæ meritorius. Pro hac sententia citantur Scotus, Gabriel, et quidam alii, sed præsertim Molina qui docet hominem lapsum non solum posse viribus naturalibus diligere Deum super omnia ut naturæ auctorem, sed etiam postquam imbutus fuerit doctrina fidei, posse pariter viribus naturæ ipsum diligere ut auctorem gratiæ quoad substantiam, licet non quoad modum supernaturalitatis quem dat charitas; at dum se ad hunc amorem determinat et conatur, Deum infundere charitatem, qua iste amor fit supernaturalis quoad modum. Pro explicatione verioris et communioris sententiæ,

Dico: Homo lapsus non potest solis naturæ viribus sine gratia reparante diligere Deum super omnia dilectione affective efficaci. [1]

Prob. 1°. auctoritate. 1°. S. Aug. Epist. 107. dicit: « Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. » Serm. 15. *de Verbis Apost.* c. 11. « Deus non amatur nisi de Deo. » Ita centies alibi.

Neque responderi potest cum adversariis S. Augustinum loqui de dilectione Dei supernaturali: non enim pelagiani contra quos agit S. Aug. adeo erant hebetes ut assererent dilectionem Dei supernaturalem posse elici solis viribus naturæ, cum id implicet in terminis: intelligebant ergo illi, consequenter S. Augustinus, de amore Dei super omnia casto et sincero, non supernaturali; at de illo dicit S. doctor lib. *de Grat. et Lib. Arb.* c. 18. quod si hunc asseramus viribus liberi arbitrii, vicerunt pelagiani: si gratiæ Dei, vicimus pelagianos. Mens S. Doctoris adhuc magis elucescit ex lib. 11. *de Civit.* c. 25. ubi laudat Platonem quod castum Dei amorem a Deo nobis infundi dixerit. Certum est autem Platonem non intellexisse de amore Dei per fidem cogniti, aut habente modum supernaturalitatis. 2°. Concilium Arausicanum. II. can. 25. sic definit contra pelagianos: « Credere debemus quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea diligere Deum, sicut oportuit, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiæ prævenerit.» Non contendebant autem pelagiani, ut modo dicebam, Deum posse diligi sine gratia amore supernaturali, sed naturali.

Neque te moveat hæc clausula, « sicut oportuit »: quia 1°. qui casto et sincero amore diligit Deum ut auctorem naturæ super omnia, eum diligit sicut oportet in eo ordine: hæc ergo clausula excludit a naturæ viribus amorem

[1] Hic q. 109 a. 3. c.

Dei affective efficacem, et relinquit illis aliquos affectus inefficaces, quibus non amatur Deus sicut oportet; 2°. quia concilium repetit impotentiam amandi Deum sine gratia, non ex supernaturalitate actus, sed ex infirmitate naturæ per peccatum : ergo intelligit etiam de amore naturali, quia impotentia ex supernaturalitate actus jam erat ante peccatum; 3°. concilium Trid. sess. 6. can. 3. explicans hanc particulam, « Sicut oportet », subdit, « ut justificationis gratia conferatur. » — « Si quis, inquit, dixerit sine prævenientis Spiritus S. operatione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. » Atqui fieri non potest ut diligenti Deum super omnia ut naturæ auctorem, justificationis gratia non conferatur; alioquin quo iret iste homo, si in hoc statu moreretur? Non in vitam æternam ; quia non datur nisi justificatis per gratiam : non in damnationem æternam; quis enim credat Deum diligentes se ex toto corde et super omnia, æternis addicere suppliciis? Vel ergo fingenda est cum pelagianis beatitudo naturalis inter regnum cœleste et damnationem, quod est reprobatum ab Ecclesia : vel admittendum sic diligenti Deum ex toto corde, conferri gratiam justificationis, proindeque diligere Deum sicut oportet. Insuper ex principiis Molinæ, quocum res nobis est, facienti quod in se est ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam; ille autem faceret quod in se est : ergo consequeretur gratiam.

3°. Est expressa sententia S. Th. loco jam cit. his verbis : « Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus donis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis. »

Respondent quidam S. Thomam loqui de amore efficaci effective simpliciter.

Sed contra. 1°. De amore efficaci effective agit S. Doctor art. seq. ubi quærit, utrum mandata Dei possint impleri sine gratia? 2°. Ex toto contextu articuli evidens est ipsum loqui de actu simplici voluntatis, quo quis ita amat Deum, ut ad ipsum sui et cæterorum dilectionem referat, et quo adimpletur præceptum charitatis : adimpletur autem præceptum charitatis per simplicem actum voluntatis, etsi postea contingat violari. 3°. Ratio ejus quæ sequitur, probat de actu amoris efficacis affective. Unde

Prob. 2°. ratione. [1] Potentia infirma, corrupta et curvata in bonum proprium contrarium divino non potest exercere erga Deum actum præstantissimum potentiæ sanæ, nisi sanetur : atqui voluntas hominis lapsi est infirma et curvata in bonum proprium contrarium divino, et amare Deum super omnia amore efficaci affective est actus præstantissimus potentiæ sanæ; continet enim virtualiter totius legis naturalis impletionem, et voluntatem efficit rectam circa omne appetibile : ergo.

Dices hac ratione probari duntaxat pro amore Dei efficaci effective, seu pro ipsa adimpletione legis requiri gratiam, sed non pro voluntate adimplendi : sic quamvis gratia supernaturalis requiratur ut consecrem, non tamen ut velim consecrare : similiter licet requiratur speciale donum ad actu perseverandum, non tamen ut velim efficaciter perseverare : ergo similiter.

Resp. neg. assumptum. Ad primum exemplum disparitas est quod consecratio non sequatur vi meæ intentionis, sed vi verborum supposita intentione; quia non intentio consecrandi, sed verba consecrationis elevantur ad hunc effectum : at actualis impletio legis sequitur vi volitionis efficacis adimplendi; unde pari bonitate gaudent et eadem gratia indigent. Ad secundum exemplum disparitas est quod donum speciale non requiritur ad posse perseverare, sed tantum ad actu perseverandum : unde possum velle perseverare sine tali dono; quia volitio efficax supponit quidem actum possibilem, sed non semper necessario conjunctum : gratia autem est necessaria non solum ad adimpletionem actualem totius legis, sed etiam ad potentiam adimplendi : unde non possum velle efficaciter adimplere sine gratia, quia non datur volitio efficax ad impossibile.

Si petas in quo consistat hæc infirmitas et corruptio naturæ, qua voluntas fit incapax assurgere propriis viribus ad amorem Dei super omnia?

Resp. ex dictis supra de statibus naturæ, consistere in aversione a Deo ut ultimo fine, non solum supernaturali, sed etiam naturali; peccatum enim offendit Deum etiam ut auctorem naturæ et legis naturalis : item in deordinatione concupiscentiæ quam diabolus auget et inflammat in suis mancipiis.

Obj. 1°. S. Th. in 2. d. 33. q. 2. a. 2. ad 5. agnoscit in pueris sine baptismo decedentibus aliquem Dei amorem; item in dæmonibus 1. p. q. 60. a. 5. ad 5.

Resp. S. Th. loqui de amore innato aut elicito

[1] Ibid.

necessario, quo quis se amando necessario amat id a quo pendet in esse et conservari, non de amore libero et amicabili, de quo hic est quæstio. Aut si loquatur de amore libero in infantibus, intelligit de amore imperfecto, scilicet de quadam complacentia circa Deum ut principium boni naturalis. Neque fas est de mente S. Th. dubitare, cum conclusio et ejus probatio sint ex ipso.

Obj. 2. Intellectus hominis lapsi potest propriis viribus apprehendere et judicare Deum ut summum bonum et super omnia amabilem : atqui amor sequitur judicium : ergo potest naturaliter amare Deum super omnia.

Resp. 1°. dist. maj. Intellectus potest propriis viribus judicare Deum esse super omnia amabilem, judicio speculativo et in communi, conc. Judicio practico et movente ad actum, nego. Amor autem sequitur judicium practicum, non speculativum : unde illud Medeæ apud poetam : « Video meliora proboque, deteriora sequor. » [1] 2°. Neg. conseq. quia homo magis est vulneratus in voluntate, per quam peccatur quam in intellectu.

Inst. Potest homo lapsus naturalibus viribus sic amare aliquod bonum particulare, puta castitatem, patriam, amicum, ut etiam vitam fundat pro ipso, ut pluribus exemplis constat : ergo a fortiori propter Deum summum bonum.

Resp. 1°. ad ant. eos qui pro aliquo bono particulari mortem appetiere, plerumque ad id mundano motivo, puta famæ aut gloriæ fuisse inductos : quod si puro virtutis particularis motivo ita se gesserint, tribuendum est speciali Dei auxilio : unde S. Aug., ut jam vidimus, bona gentilium opera inter dona Dei reputat.

Resp. 2. neg. conseq. Quia plus est Deum amare super omnia, quam diligere honestatem alicujus virtutis supra vitam : ad primum enim requiritur quod homo non unam virtutem, sed omnes virtutes super omnia sensibilia diligat, et quod habeat appetitum rectum ex omni parte et circa omne appetibile : at quod quis sit ita bene affectus erga unam virtutem ut vitam fundat pro illa, non sequitur quod sit æque bene affectus circa omnes : contingit enim ut qui mortem oppetit pro patria, pro fide amico servanda, etc., nolit aut pellicem dimittere aut inimico parcere : sic Lucretia, parata mori pro servanda castitate, passa est eam in se violari metu infamiæ.

Petes 1°. Quæ sit gratia quam requirimus in homine lapso ad diligendum Deum super omnia; an sit ordinis naturalis, an supernaturalis?

[1] Q. 109 a. 2. ad 3.

Resp. per se et attenta præcise ratione objecti directi esse naturalis ordinis; quia dilectio Dei ut auctoris naturæ est entitative naturalis, sicut ipsum objectum : sed per accidens et indirecte ratione elevationis ad ordinem supernaturalem est supernaturalis. 1° Quia, ut loquitur S. Th. hic, debet esse gratia reparans et sanans corruptionem peccati, scilicet aversionem a Deo : non potest autem sanare aversionem a Deo ut auctore naturali, quin simul sanet aversionem a Deo ut auctore snpernaturali : foret enim monstrum quod homo esset conversus ad Deum ut auctorem naturalem, et maneret aversus a Deo ut auctore supernaturali : ad conversionem autem ad Deum ut auctorem supernaturalem requiritur gratia supernaturalis. Unde Apost. Rom. 7. *Quis me liberabit,* etc.? *Gratia Dei per Jesum Christum.*

2° Amor Dei ut auctoris naturalis super omnia importat voluntatem implendi totam legem naturalem, lex naturalis præcipit obedire cuivis superiori legitime præcipienti, et Deus ut auctor supernaturalis præcipit quædam supernaturalia : ergo amor Dei ut auctoris naturalis indirecte includit voluntatem adimplendi præcepta supernaturalia, ut non displiceat Deo ut auctori naturali : atqui ad hujusmodi voluntatem requiritur gratia supernaturalis : ergo.

Ex hac ultima ratione videtur sequi quod homo, etiam postquam est justificatus, indigeat gratia supernaturali ad diligendum Deum ut auctorem naturæ.

Neque tamen inde inferas omnem Dei amorem fore supernaturalem, nullum pure naturalem : quia gratia supernaturalis quam requirimus ad amorem Dei ut auctoris naturæ, non se habet ut principium elicitivum illius, sed ut removens ejus impedimenta et quæ displicerent Deo ut auctori naturæ, sicque non impedit quin sit actus mere naturalis, cujus nempe principium elicitivum et objectum directum et primarium sint quid naturale.

Dices : Saltem inde sequitur quod homo in statu innocentiæ, in quo etiam erat elevatus ad finem supernaturalem, indigebat gratia supernaturali, superaddita ad diligendum Deum super omnia, eadem enim utrobique est ratio, quod tamen est aperte contra S. Th. diserte pronunciantem hic a. 4. o. « Homo in statu naturæ integræ (per naturam integram certo intelligit naturam innocentem, qualis fuit in Adamo) non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. »

Resp. neg. illationem; ad prob. dist. Eadem utrobique est ratio quoad supernaturalitatem gratiæ, conc. Quoad superadditionem gratiæ viribus naturalibus, nego. Homo enim in statu naturæ justitiæ originalis non indigebat, juxta S. Th., gratia superaddita donis naturalibus ad diligendum Deum super omnia, sed tantum auxilio Dei moventis : istud autem auxilium fuit Dei moventis naturaliter et supernaturaliter et hoc non negat S. Thomas; et sic quamvis amor Dei ut auctoris naturalis, ratione elevationis importet per accidens et indirecte aliquid supernaturale, ad illud sufficiebat istud auxilium Dei moventis sub utraque ratione auctoris et naturalis et supernaturalis.

Petes 2. utrum homo in natura pura indiguisset gratia speciali ordinis naturalis ad diligendum Deum super omnia ut naturæ auctorem?

Resp. probabilius hominem in natura pura potuisse Deum ut naturæ auctorem diligere super omnia cum solo concursu generali, qui tamen respective ad hunc hominem fuisset specialis et gratuitus, ut explicuimus : quia in natura pura voluntas hominis non esset per peccatum corrupta et a Deo aversa, sicque posset suis viribus sub generali Dei motione actum sibi proportionatum et suæ formæ conformem elicere, qualis est dilectio Dei ut auctoris naturalis. Ita censet S. Th. Quodlib. 1. a. 8. et hic in arg. sed contra. Et quamvis mens s. Doctoris non semper certo eruatur ex argumento sed contra; ita tamen, quando illud non solvit, aut nihil contrarium docet, in corpore articuli.

ARTICULUS V.

UTRUM HOMO LAPSUS POSSIT SINE SPECIALI GRATIA OMNIA LEGIS NATURALIS PRÆCEPTA IMPLERE ?

Quamvis hujus quæstionis resolutio ex præcedentibus habeatur : diximus enim a. 3. §. 3. hominem lapsum posse sine speciali gratia superaddita aliquod bonum morale facere ; et art. præcedenti non posse sine gratia speciali mandatum de dilectione Dei implere : ex quibus sequitur quod homo lapsus sine gratia speciali possit aliquod legis naturalis præceptum implere, sed non omnia. Quidam tamen dicunt hanc quæstionem procedere abstrahendo a præcepto dilectionis. Quidquid sit, ut necessitas gratiæ ad servanda præcepta magis innotescat, specialiter cum Auctore præsentem instituimus quæstionem. Pro cujus intelligentia,

Nota præcepta legis posse dupliciter impleri, scilicet quantum ad substantiam et quantum ad modum. [1] Quantum ad substantiam, quando actus qui præcipitur totus quidem fit, non tamen eo modo quo intendit legislator, sicut qui eleemosynam facit aut aliena reddit, non ex charitate aut intuitu Dei ad salutem, sed ex aliquo alio fine, vel malo vel impertinente ad ista opera. Quantum ad modum, quando actus qui præcipitur fit ex charitate et fructuose ad salutem. Hanc distinctionem esse cum Auctore admittendam, et non esse commentitiam et explodendam, ut dixit Baius, constat ex ejus propositione 58. damnata a ss. Pontificibus. Hoc notato, ut certa ab incertis seponamus,

Suppono 1° nullum præceptum sive supernaturale sive naturale posse impleri quoad modum, ut scilicet fiat ex charitate et meritorie ad vitam æternam, sine gratia supernaturali ; quia iste modus est supernaturalis, actusque præceptorum etiam naturalium elevat ad ordinem supernaturalem.

Suppono 2° nullum præceptum supernaturale in quovis statu posse impleri etiam quoad substantiam sine gratia supernaturali ; dicuntur enim præcepta supernaturalia, quia præcipiunt actus qui superant vires naturæ.

Si dicas cum quibusdam id esse verum de præceptis supernaturalibus præcipientibus actus internos, ut credere, sperare, diligere, non vero de præcipientibus actus externos ; quia hæreticus confitens exterius fidem mysterii Trinitatis, urgente præcepto, implet præceptum de confessione externa fidei quoad substantiam, nullo auxilio supernaturali adjutus : similiter qui in peccato mortali suscipit baptismum, adimplet præceptum de suscipiendo baptismate quoad substantiam, idque sine gratia supernaturali, cum peccet : ergo.

Resp. nego assumptum : quia actus externus præceptus, vel est supernaturalis, vel non: si sit supernaturalis, ergo supra vires naturæ ; si non sit supernaturalis, ergo non est præceptum supernaturale. Dicitur enim præceptum supernaturale quod aliquid supernaturale præcipit. Ad primum casum, nego hunc hæreticum adimplere quoad substantiam præceptum de confessione externa fidei, quia non confitetur fidem divinam quam non habet, et de qua est præceptum, sed humanam tantum. Ad 2. resp. suscipientem baptismum in peccato mortali adjuvari auxilio supernaturali : velle enim suscipere baptismum, est

[1] Q. 109 a. 4. o. et q. 24. de verit. a. 11. c.

credere in Christum, est velle induere Christum, velle fieri ejus et Ecclesiæ membrum, quæ fides et intentio, cum sint supernaturales, requirunt gratiam supernaturalem. Neque obstat quod peccet; non enim adjuvatur ad peccandum, sed ad id quod est materiale et physicum in peccato, scilicet ipsa susceptio sacramenti; sicut qui actum fidei supernaturalis elicit ad vanam gloriam, non adjuvatur ad peccandum, sed ad ipsum actum supernaturalem fidei.

Suppono 3°. [1] hominem in statu innocentiæ potuisse cum sola Dei motione generali sine gratia speciali superaddita implere omnia legis naturæ præcepta quoad substantiam; quia natura sana et integra potest id omne quod est intra limites naturæ, ut patet in omnibus rebus. Confir. Ideo juxta concilia et patres, id non potest homo in hoc statu, quia ejus natura est infirma et attenuata: ergo.

Quidam existimant idem dicendum de homine in puris naturalibus constituto: id quidem verum arbitror de observatione totius legis pro aliquo tempore, non pro longiori aut tota vita; quia ad hoc opus est firmitate voluntatis in bono contra insurgentes tentationes, quam ex se non habuisset homo in puris naturalibus constitutus.

Suppono 4°. [2] in omni statu ad observantiam alicujus præcepti opus esse auxilio generali Dei moventis. Patet ex præcedentibus; tum quia nullum est in homine bonum quod non sit a Deo movente; tum quia omnes motus reducuntur in Deum ut in primum movens.

Superest itaque quæstio, utrum præter hanc generalem motionem requiratur in hoc statu aliqua alia gratia specialis superaddita ad impletionem totius legis naturalis? Pro cujus resolutione,

Dico: Homo lapsus non potest sine gratia sanante adimplere totam legem naturalem quoad substantiam. [3].

Prob. 1°. ex conciliis et patribus. Conc. Milevitanum can. 5. et Cœlestinus in epist. *ad Episcopos Galliæ* cap. 10. damnant pelagianos, quia dicebant, quod si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen absolute possemus sine illa servare divina mandata. Concil. Arausicanum 2. can. 25. definit quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, « ut nullus postea.... operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum divinæ misericordiæ prævenerit. » S. Aug. conc. 5. *in Psalm.* 118. « Mandatis ejus rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas. » Serm. 148 *de Temp.* cap. 5. « Hæc decem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adjutus gratia Dei. » Totus est s. Doctor in asserenda hac veritate, signanter *de Spiritu et litt., de Peccatorum meritis, de Grat. Christi, de Lib. arb.* etc. Unde *I. de hæresibus*, hæresi 88. loquens de pelagianis: « Hi dei gratiæ, inquit, tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. »

Respondent adversarii hæc intelligenda esse de præceptis supernaturalibus, vel de observatione naturalium quoad modum supernaturalem et fructuosum ad vitam æternam.

Sed contra 1°. Pelagiani, ut jam observavimus, non negabant gratiam requiri pro adimpletione præceptorum supernaturalium aut naturalium quoad modum supernaturalem, cum id implicet in terminis; quin imo fatebantur hujusmodi bona opera facta sine gratia esse sterilia ad regnum cœlorum, ut diximus in anterioribus: ergo concilia et patres agentes contra illos non loquebantur de præceptis supernaturalibus aut naturalibus quoad modum, sed de naturalibus quoad substantiam.

2°. Concilia et ss. patres repetunt impotentiam adimplendi mandata sine gratia ex infirmitate naturæ per peccatum vulneratæ; impotentia autem petita ex supernaturalitate sive præcepti sive modi, est independens a peccato et fuisset sine illo: ergo.

Prob. 2°. ex principiis jam positis: 1°. Homo infirmus non potest ex se præstare opus præstantissimum hominis sani, nisi sanetur: atqui adimplere totam legem naturalem est opus præstantissimum hominis sani: ergo.

2° Voluntas aversa a fine non potest esse recta circa omnia media; ordo enim mediorum pendet ex ordine ad finem; atqui voluntas hominis peccatoris est aversa a fine, nempe a Deo, ut auctore naturali: ergo.

3°. Sunt quædam præcepta quæ homo lapsus servare non potest sine gratia, ut primum et maximum mandatum de dilectione Dei super omnia, ut constat ex art. præcedenti; item confessio fidei inter atrocissima tormenta: item continentia inter gravissimas tentationes, juxta illud *Sap.* 8. *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum:* unde S. Aug. lib. 10. *Confess.* c. 29.

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ibid.

« Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis » : item plura alia quæ vel ex objecto, vel ex circumstantiis, aut urgentibus tentationibus in contrarium specialem habent difficultatem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. ab auctoritate : 1° Deut 3°. dicitur: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non est supra te, neque procul positum.* 2°. Eccl. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* 3° Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea que legis sunt faciunt.* 4°. Ad Philipp. 3. Apostolus dicit quod sub lege et non sub gratia constitutus, *secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sit sine quærela.* 5°. Isa. 44. Cyrus etsi infidelis dicitur totam legem servasse; Deus enim ipsum alloquens dicit : *Omnem voluntatem meam complebis.* 6° Quidam audiens ex Christo: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata :* postquam Christus illi explicuisset quæ essent ista mandata, respondit : *Omnia hæc custodivi, a juventute mea.* 7° Tandem S. Hilarius in *Psal.* 68. ad illud, *deleantur de libro viventium,* distinguit duplicem librum, alterum viventium in quo scribuntur « qui sine ulla Christi cognitione..... omnia præscripta legis impleverunt » ; alterum justorum in quo scribuntur ii quibus « justitia Christus factus est : ergo.

Resp. ad primum, sensum horum verborum esse quod Dei mandatum non sit supra te quantum ad cognitionem, quia manifestabatur per legem Moysi datam : hunc sensum aperte indicant verba sequentia immediate : *Nec in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad cœlum ascendere ut deferat illud ad nos et audiamus atque opere compleamus?... sed juxta te est sermo valde in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.* Cæterum, si contendas id esse intelligendum quoad executionem, sensus erit : mandatum non est supra te mediante gratia, quæ non deest : unde supra dicitur, *Circumcidet Dominus Deus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.*

Ad secundum, his verbis manifestari liberum arbitrium, sed non cum exclusione gratiæ; sicut cum alibi asseritur gratiæ necessitas, v. g. Joan. 5. *Sine me nihil potestis facere,* non excluditur liberum arbitrium : « Certum est nos mandata servare si volumus, inquit S. Aug. lib. *de Gratia et Lib arbit.* cap. 16, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus quantum sufficit, volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum. »

Ad tertium, juxta S. Augustinum quem sequuntur Prosper, Fulgentius et Auctor, hæc verba intelliguntur de gentilibus conversis ad fidem atque operantibus ex gratia, et τὸ *naturaliter* non sumitur prout opponitur gratiæ et prout idem valet quod viribus naturæ, sed prout opponitur legi mosaicæ, ita ut sensus sit : gentes quæ legem scriptam non habent, ea quæ legis sunt faciunt naturaliter, id est, sine lege Moysis et cum sola Christi gratia. Quod si juxta alios velis intelligere de gentilibus infidelibus, et τὸ *naturaliter,* de viribus naturæ, sensus est quod quædam legis opera faciant propriis viribus, sed non omnia.

Inst. S. Chrysost. hom. 5. *in Epist. ad Rom.* interpretatur de gentilibus infidelibus, et dicit esse admiratione dignos, quod nec lege ipsis opus fuerit, et tamen omnia quæ legis erant præstiterint.

Resp. omissis quorumdam solutionibus, neg. S. Chrysost. interpretari de gentilibus infidelibus ; præmittit enim in eadem homilia quod « Apostolus intelligat Græcos non idololatras, sed Deum colentes, qui legi naturæ videlicet obtemperantes, quæ ad pietatem attinent etiam ante judaicas observationes servabant omnia, quales erant qui vivebant cum Melchisedech, qualis erat Job, quales Ninivitæ, qualis denique erat Cornelius. » Porro Melchisedech, Job, Ninivitæ pœnitentiam agentes et Cornelius fuerunt fideles. Insuper constat S. Chrysostomum agnovisse necessitatem gratiæ ad observantiam legis, nam hom. 13. *in eamdem Epistolam,* ad hæc Apostoli verba : *Miser ego homo,* docet legem sine gratia non sufficere.

Ad quartum, Apostolus his verbis significat duntaxat se exterius vixisse sine querela, abstinendo scilicet a criminibus manifestam injuriam in proximum continentibus, ut sunt homicidia, furta, adulteria et alia quæ lex scripta expressis verbis prohibet, non autem quod abstinuerit ab omnibus lege naturæ prohibitis et omnia prava desideria represserit: fatetur enim 1. Timoth. 1. se fuisse *blasphemum et contumeliosum* ; Ephes. 2. se conversatum fuisse *in desideriis carnis*; Tit. 3. se fuisse *insipientem, incredulum, errantem, servientem desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia,* etc.

Ad quintum, Cyrus dicitur complevisse omnem Dei voluntatem, non implendo legem ;

fuit enim idololatra et injustus alienorum regnorum invasor, sed liberando populum Israeliticum a captivitate et fundando templum Jerosolymitanum.

Ad sextum, is de quo ibi est sermo erat Judæus, proindeque fidelis. Insuper eo quod dixerit se omnia implevisse, non sequitur quod ita sit, et forte impleverat more judaico abstinendo se a manifestis injuriis contra proximum.

Ad septimum, certo constat S. Hilarium requirere gratiam ad legis observationem : dicit enim *in Psal.* 51. quod « nemo ex se faciat bonitatem » ; et *in Psal.* 118, quod « ad justificationum Dei custodiam, nisi a Deo dirigamur, infirmi simus per naturam. » Dicendum itaque per « librum viventium » ipsum intelligere librum eorum qui exterius moraliter bene vivunt, abstinentque a gravioribus criminibus quibus tranquillitas publica turbatur, et quæ in sæculo morte puniuntur.

Obj. 2°. a ratione. Observatio totius legis naturalis non superat vires naturæ; dicitur enim lex naturalis quæ est proportionata viribus naturæ : ergo.

Resp. dist. ant. Observatio totius legis non superat vires naturæ sanæ et integræ, conc. ant. Naturæ infirmæ et corruptæ, nego. Solutio patet ex probationibus conclusionis.

Inferes : Ergo quædam Dei præcepta sunt homini lapso impossibilia ; quod est error Lutheri, Calvini et Jansenii.

Resp. dist. illatum : quædam Dei præcepta sunt homini lapso impossibilia sine gratia, transeat illat. [1]. Quidam enim distinguunt et concedunt illat. de impotentia morali, negant de impotentia physica : non enim, inquiunt, homo lapsus est impotens ad observanda mandata sine gratia, sicut cæcus ad videndum, aut homo fractis viribus ad incedendum ; habet enim semper liberum arbitrium, quo est physice potens ad quæcumque mandata observanda, et fit tantum impotens moraliter ratione quorumdam impedimentorum occurentium. Quædam Dei præcepta sunt homini lapso impossibilia cum gratia quæ nulli, nisi sua culpa, deest, ut probavimus in prima parte, nego illat. Quod autem possumus cum auxilio divino, non est nobis impossibile, quia quod possumus per amicos juvare paratos, nos ipsi possumus.

Porro error Lutheri et Calvini hac in parte is erat, quod dicerent Christum venisse, non ut legis observatores faceret, sed ut fideles ab obligatione servandæ legis redimeret, et firmiter credentes se esse gratis electos propter Christum salvaret, etiamsi usque ad mortem in sceleribus et transgressione legis perseverent; ideoque illis non dari gratiam ad observantiam præceptorum, sine qua remanent ipsis impossibilia. Hujus execrabilis doctrinæ ita puduit Lutheri et Calvini discipulos, ut eam a se amoliri conati sint.

Opponebant præcipue isti hæretici illud Act. 15. *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Christi credimus salvari.* Verum S. Petrus hic non loquitur de lege naturali, sed de lege cæremoniali, neque vult esse absolute impossibilem, cum constet ex S. Scriptura plures eam observasse, sed valde difficilem ; et cum aliunde post Christum esset inutilis, ex his duobus, difficultate scilicet et inutilitate, probat non esse imponendam fidelibus.

Quantum ad Jansenium, in hoc errabat quod diceret, non solum homini lapso, sed etiam justo quædam mandata Dei esse impossibilia, illi quoque deesse gratiam qua possibilia fiant: cujus contrarium docemus. Hunc Jansenii errorem in prima ex quinque famosis propositionibus proscripsit Innocentius X. Cui præiverat concil. Trid. sess. 6. can. 18. his verbis: « Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit. » Quod uberius explicat cap. 11. ejusdem sessionis.

Opponebat Jansenius plura testimonia ss. patrum, præsertim S. Augustini qui docet in pluribus locis justis plerumque minorem esse gratiam quam ut difficilia quædam præcepta implere valeant, sicque esse ipsis impossibilia secundum præsentes quas habent vires. Sed S. Aug. intelligit de potentia consequente, non de antecedente ; vel de potentia proxima et immediata, non de remota et mediata per gratiam orationis quæ nulli deest, juxta illud Trid. cap. cit. desumptum ex. S. Aug. « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » His occasione data prælibatis circa dictos errores, ut redeamus ad argumentum,

Inst. Deus non potest præcipere cæco ut videat, quamvis posset videre per miraculum : ergo nec homini lapso ut legem observet, quamvis posset per gratiam.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1°. quod

[1] Hic a. 4. ad 1. et a. 8, ad 2.

cæcus sit impotens physice ad videndum, non homo lapsus gaudens libero arbitrio, ad observationem legis; 2°. et præcipue disparitas est quod cæco non offeratur miraculum quo sanetur, homini autem lapso offeretur gratia qua possit legem observare, eamque reciperet, nisi obicem voluntarie poneret.

Petes quæ gratia requiratur in homine lapso ad observationem totius legis : an naturalis, an supernaturalis ?

Resp. ut art. præcedenti, per se et attenta præcise ratione objecti, sufficere gratiam naturalis ordinis, quia objectum est naturale ; per accidens tamen et ratione elevationis ad finem supernaturalem requiritur gratia supernaturalis, quia in hoc statu homo non potest converti ad Deum ut auctorem naturalem sine conversione ad Deum ut auctorem supernaturalem, ut dictum est. Imo ad diu et semper servandam totam legem non sufficit secundum providentiam ordinariam gratia actualis, sed requiritur habitualis, quia ad hoc necesse est quod homo sit firmiter bene dispositus circa omnia præcepta, qualis non potest esse, nisi sit firmiter bene dispositus circa finem, scilicet Deum, quod præstat gratia habitualis. Dixi secundum providentiam ordinariam; quia negari non potest quin Deus possit abolute per continuas gratias actuales firmare voluntatem hominis circa observantiam omnium præceptorum, quam tamen observantiam et maxime observantiam præcepti dilectionis Dei super omnia comitatur gratia sanctificans.

An autem homini justo et jam habenti gratiam habitualem sit ulterius necessaria actualis specialis? Videtur necessaria ad diu et semper observandam totam legem; quia licet gratia habitualis sanet mentem tollendo ejus aversionem a Deo, detque posse per virtutes infusas, non tamen tollit rebellionem appetitus sensitivi contra rationem, ex qua exurgit maxima difficultas pro observatione diuturna totius legis, ad quam ideo actu superandam requiritur gratia actualis specialis.

ARTICULUS VI.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VITANDA PECCATA ET VINCENDAS TENTATIONES.

Materiam hanc tractat Auctor articulo 8. hujus quæstionis. Eam hic propono propter connexionem cum præcedenti, et quia partim sequitur ex dictis ; peccare enim est legem transgredi. Duplex est difficultas ; altera de peccatis mortalibus, altera de venialibus, quam duplici §. resolvemus.

§. I.

Utrum homo lapsus possit sine gratia vitare omnia peccata mortalia et vincere omnes tentationes ?

Suppono hominem lapsum cum sola Dei motione generali posse aliquandiu non peccare et vincere leves quasdam tentationes ; [1] tum quia non est necesse quod continuo peccet actu ; tum quia cum bonum rationis non sit in eo penitus extinctum, potest sub motione Dei generali aliquod bonum morale facile facere et leves tentationes superare, sicque non peccare. Ista tamen motio, quæ, ut jam pluries observavimus, respectu naturæ est generalis et debita, respectu hujus individui cui præ altero datur ad bonum, est specialis et gratuita dicique potest auxilium speciale gratiæ : atque hac distinctione solves plura ex conciliis et patribus, quibus quidam tentant probare ne minimam quidem tentationem posse vinci sine speciali gratia. Adde quod patres et concilia non dicant hominem sine Dei gratia semper et omnibus etiam levissimis tentationibus succumbere, sed quod homo sine Dei gratia non possit in genere resistere tentationibus, id est, ita se gerere quin pluribus succumbat etiam levibus ; quod concedimus.

Dico : [2] Homo lapsus et in peccato mortali existens sine speciali Dei gratia supperraddita non potest diu vitare omnia peccata mortalia contra legem naturalem et omnes tentationes vincere.

Auctor videtur tenuisse oppositum in 2. d. 28. q. 1. a. 2. o. Quidam ipsum interpretantur de potentia physica ; sed textu attente inspecto verius dicitur cum aliis quod se retractaverit hic in sua Summa, cui, utpote ultimo ejus operi, standum est.

Conclusio sequitur ex art. præcedenti; quia, sicut dictum est, homo lapsus non potest sine gratia observare omnia præcepta : ergo nec vitare omnia peccata mortalia ; peccatum mortale enim nihil est aliud quam transgressio præcepti. Sed et insuper

Prob. 1°. ex S. Scriptura : Psal. 17: *In te eripiar a tentatione.* Psal. 117: *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* Rom. 7: *Infelix ego homo, quis me liberabit de cor-*

[1] Hic. a. 8. [2] Ibid.

pore mortis hujus, id est de concupiscentiæ tentationibus? *Gratia Dei per Jesum Christum.* I. Cor. 10: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Prob. 2°. ex conciliis et patribus. Concil. Diospolit. cap 11. damnat hunc Pelagii articulum: « Victoria nostra non est ex Dei adjutorio. » Innocent. I. in Epist. *ad concil. Carthag.* « Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. »

Prob. 3°. [1] ratione, quam art. præcedenti jam innuinus. Ut homo diu vitet omnia peccata mortalia et vincat omnes tentationes, debet habere cor conversum ad ultimum finem, scilicet Deum, et ita firmiter illi inhærens ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari velit: atqui homo in peccato existens, non solum non habet cor firmiter Deo adhærens, sed est ab illo aversum et ad bonum commutabile ut ad finem conversum: ergo.

Confirmatur: [2] Quamvis homo in peccato possit ex præmeditatione rationis aliquid agere præter ordinem finis præconcepti et præter inclinationem habitus, quia tamen non potest semper esse in tali præmeditatione, non potest contingere ut diu permaneat quin operetur secundum convenientiam voluntatis deordinatæ a Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur: ergo.

Ex qua ratione inferes, ad diu vitanda peccata mortalia contra graves tentationes, præter gratiam actualem, requiri gratiam habitualem sanantem; quia per eam homo firmiter bene disponitur circa finem a quo pendet firma dispositio circa media. Non quod Deus non possit absolute per gratias actuales præservare hominem ab omni peccato contra quasvis tentationes; sed quia secundum providentiæ ordinariæ leges unumquemque movet secundum ejus dispositionem; unde ut semper moveat hominem ad bonum, sic ut vitet omnia peccata et vincat omnes tentationes, connaturaliter requiritur quod sit habitualiter bene dispositus per gratiam sanctificantem.

Obj. 1° Quædam exempla gentilium qui contra gravissimas tentationes steterunt pro virtute.

Resp. ut ante, illos vel non amore virtutis, sed gloriæ, vel alio motivo humano has tentationes superasse: vel si amore virtutis, id non fuisse absque speciali Dei auxilio: et ideo S. Aug lib. 4 *cont. Jul.* c. 3. et *epist.* 130. hæc gentilium bona opera Dei dona reputat.

Obj. 2°. Homo in quovis statu et casu potest non peccare, libere enim peccat, alioquin foret excusabilis: ergo etiam in statu et casu in quo non habet gratiam.

Resp. etiam ut ante dist. conseq.: [1] potest non peccare in statu et casu in quo non habet gratiam potentia physica, conc. Potentia morali, subdistinguo. Per gratiam quam non habet, sed quam potest habere et quæ ipsi offertur, conc. Potest sine gratia omnino tam recepta, quam oblata, nego. Potentia physica est libertas arbitrii qua homo potest peccatum eligere vel respuere; et hanc potentiam habet homo in quovis statu, quia non extinguitur per peccatum. Potentia moralis est quæ dat facultatem bene utendi potentia physica seu libero arbitrio, removendo impedimenta ex quibus sequeretur abusus potentiæ physicæ: hanc non habet peccator nisi sanetur per gratiam, gratia autem illi offertur nec deest nisi sua culpa. Pro ampliori solutione hujus argumenti quod sæpe redit in præsenti materia, consule quæ dixi in tract. de Deo, dissert. 7. a. 8. et dissert. 8. a. 4. §. 3.

Obj. 3°. Ex nostra sententia sequitur quod homo existens in peccato mortali, teneatur statim pœnitere, quia alioquin semper erit in periculo novum peccatum committendi: falsum consequens secundum s. Th. et thomistas: ergo et ant.

Resp. neg. sequelam: quia tunc tantum tenetur homo vitare periculum peccandi orando vel pœnitendo, quando est certum et determinatum; secus quando est vagum et indeterminatum, qualis est in præsenti casu; tum quia non semper occurunt occasiones peccandi et graves tentationes; tum quia incertum est et indeterminatum quandiu homo peccator possit subsistere sine novo peccato; tum tandem quia Deus hujusmodi peccatores subinde juvat ne peccent. Cæterum, si appareret certum et proximum periculum peccandi, puta ex gravi tentatione, non nego tunc peccatorem teneri ad pœnitendum.

§. II.

Utrum homo justus possit sine speciali privilegio vitare omnia peccata venialia?

Dico: [1] Homo justus cum ordinariis gratiæ auxiliis sine speciali privilegio potest vitare

[1] Ibid. — [2] Ibid.

[1] Hic a. 4. ad 2. et a. 8. ad I. — [2] Q. 109. a. 2. o.

singula peccata venialia, non potest tamen diu vitare omnia.

Prima pars est certa : [1] quia si homo non posset vitare singula peccata venialia sine speciali privilegio, quod nec datur nec offertur, ista peccata non haberent rationem voluntarii, nec peccati, aut homo obligaretur ad impossibile.

Prob. secunda pars : 1° ex S. Script. 3 Reg. 8: *Non est homo qui non peccet.* Eccle. 7: *Non est homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet.* Jacob. 3 : *In multis offendimus omnes.* I. Joan. 1 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est.*

Prob. 2°. ex concilis et patribus : Concil. Milevit. can. 6, sic habet : « Placuit quod ait S. Joannes Apostolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est*, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. » Et can. 7: « Quicunque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos : *Dimitte nobis debita nostra,* ut non pro seipsis hoc dicant... sed pro aliis qui sunt in populo peccatores... anathema sit.» Quo duplici decreto perstringitur duplex evasio pelagianorum, qui dicebant justos se fateri peccatores, non rei veritate, sed humilitatis causa, aut quia sunt pars populi qui est in peccato.

Concil. Trid, sess. 6, can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. »

Totus est S. Augustinus in asserenda ista veritate contra pelagianos, præsertim lib. 2. *de Peccat. meritis*, et lib. *de Nat. et gratia*, ubi cap. 36. dicit : « Excepta S. Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem... si omnes illos Sanctos et Sanctas cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato , quid fuisse responsuros putamus?.. Nonne una voce clamassent ? Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decepimus, et veritas in nobis non est. »

Prob. 3°. ratione : [2] quamvis gratia sanctificans sanet hominem quantum ad mentem, remanet tamen corruptio appetitus sensitivi, unde exurgunt frequentissime inordinati motus contra rationem : atqui ratio licet possit reprimere singulos (ex quo habent, ut dictum est, rationem peccati et voluntarii), non potest tamen reprimere omnes, quia dum uni resistere nititur, sæpissime alius insurgit, neque ratio potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos et coercendos : ergo.

Si ergo consideretur quodlibet peccatum veniale seorsim et secundum se, potest homo cum auxiliis ordinariis gratiæ illud vitare, et cum sic occurrant vitanda, de illis sic vitandis datur præceptum : at si consideretur unum post aliud et sic diu continuando, et simul attendatur ex una parte, vis multitudo et frequentia tentationum, ex alia parte infirmitas potentiarum naturalium quæ ex continua pugna fatigantur, fieri non potest, moraliter loquendo, quin homo in aliquo indeterminate deficiat : hæc enim continuatio summam importat difficultatem, ad quam vincendam requiritur specialissima gratia qua arbitrii instabilitas firmetur, sanetur infirmitas, recreetur fatigatio et liniatur fastidium. Et quia hæc impotentia non respicit aliquod peccatum determinate, sed aliquod indeterminate et in confuso, dicitur quod homo possit omnia vitare divisive, id est, quodlibet secundum se et seorsim consideratum, non omnia collective, id est unum post aliud continuando usque ad ultimum. Ex his solvuntur argumenta a ratione.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. ex S. Scriptura Joan. 3. dicitur : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit... et non potest peccare.* Ad Philipp. 3. et Psalm. 118, quidam commendantur ut perfecti et immaculati. Matth, 5: *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est :* ergo possibilis est ista perfectio.

Resp. ad primum, sensum esse justum nec peccare nec posse peccare venialiter, quatenus agit ut justus, seu ex gratia qua justus est. Vel secundum S. Augustinum lib. 2. *de Peccat. merit.* c. 7 et 8, intelligenda est sententia Apostoli de illo qui natus est ex Deo nativitate seu regeneratione consummata et perfecta in patria.

Ad secundum, dicuntur immaculati et perfecti, non qui nullam omnino habent maculam, sed qui nullam lethalis criminis maculam habent, et sic vivunt ut quamvis leves quasdam maculas contrahant, cito tamen ab eis mundantur. Responsio est S. Aug. lib. *de Perfect. justitiæ.*

[1] Ibid. [2] Ibid.

Ad tertium, Deus præcipit his verbis ut perfecti simus eo perfectionis genere, cujus homo in hac mortali vita est capax. Proponit ergo perfectionem Patris cœlestis non ut assequendam, sed pro modulo nostro imitandam.

Obj. 2°. Si homo non possit omnia peccata venialia vitare sine speciali privilegio, quod Deus non est paratus dare, ergo ad aliquod committendum necessitatur : ergo illud committendo non peccat : nemo enim peccat in eo quod vitare non potest, ut ait S. Aug. lib. 3. *de Lib. arbit.* cap. 18.

Resp. dist. primum consequens : ergo ad aliquod peccatum veniale committendum vage et indeterminate necessitatur, conc; ad aliquod particulare et determinatum, nego; unde pariter, nego secundum consequens : ut enim homini imputetur peccatum, sufficit quod possit quodlibet determinate secundum se et prout se offert hic et nunc vitare, licet ad aliquod vage et indeterminate necessitetur, seu ut communiter dicitur, licet non omnia collective possit vitare. Sic Christus dixit: necesse est ut veniant scandala; sed quia hæc necessitas est vaga, nec quemquam determinate afficit, meritoculpatur qui scandalum præbet.

Inst. 1°. Deus præcipit vitare omnia peccata venialia : ergo homo potest omnia vitare.

Resp. dist. ant. Deus præcipit vitare omnia peccata venialia præcepto indistincto a præceptis singulorum, conc.; præcepto distincto, nego. Cum enim omnia simul non occurrant, nec omnia vitentur nisi vitando singula, frustra adhiberetur præceptum vitandi omnia, distinctum a præceptis vitandi singula.

Inst. 2°. Si homo necessitetur ad aliquod peccatum veniale indeterminate, quantumvis sit liber circa hoc vel illud determinate, non potest illi præcipi ut vitet omnia : ergo. Prob. sequela : ex hoc quod homo necessitetur existere in aliquo loco indeterminate, quamvis sit liber ad existendum in hoc vel illo loco determinate, non potest illi præcipi ut nullibi existat : ergo similiter.

Resp. neg. ant. Ad probat. nego conseq. Disparitas est quod homo ratione corporis necessario semp er existat in aliquoloco determinato : at homo non semper necessario existit in exercitio alicujus peccati venialis ; unde est perfecte liber circa singula peccata venialia, non autem circa quemlibet locum.

Inst. 3°. Homo potest vitare singula peccata venialia : ergo omnia; non enim plus dicit singula quam omnia.

Resp. neg. conseq. et ejus probationem : «omnia» enim plus importat difficultatis quam singula seorsum et secundum se, ut ostendimus. Sic non valet : nullus est lapis in acervo quem homo non possit ferre: ergo potest omnes: nulla est hora diei in qua infirmus non possit abstinere a cibo : ergo potest abstinere tota die : nullum est vectigal quod non possit solvere pauper : ergo potest omnia : quia non valet consequentia a sensu distributivo ad collectivum, quando in collectione importatur specialis difficultas quæ non reperitur in singulis seorsim, ut contingit in proposito. Ut autem valeret consequentia, deberet sic formari antecedens : homo potest vitare singula peccata venialia, et hoc et illud et istud, etc., continuando usque ad ultimum : ergo et omnia. Sed tunc negandum est antecedens : ista enim continuatio est difficultas difficultatum.

Inst. 4°. Oramus quotidie « ut ad nullum declinemus peccatum » : ergo possumus vitare omnia.

Resp. neg. conseq. Sic enim oramus, quia nullum est determinate quod non possumus vitare; unde petimus vitare omnia quantum possibile est.

Inst. 5°. Si homo non posset vitare omnia peccata venialia, posset velle non vitare omnia; potest enim velle id quod ei necessarium est : falsum consequens : ergo.

Resp. neg. maj. Quia non vitare omnia, est aliquod præceptum determinatum violare, quod est ex se malum et turpe. Ad probationem nego illam universaliter sumptam; quando enim id quod est necessarium, est aliunde ex se malum, ut v. g. homicidium casuale, non licet illud velle, quia non excusatur nisi ratione impotentiæ : possum autem non velle, et sic prout stat sub velle, stat sub potentia.

Inst. 6°. Omnia peccata venialia etiam collective sumpta quæ justus committit, libere committit : ergo potest omnia collective vitare.

Resp. dist. ant. Omnia peccata venialia etiam collective sumpta libere committit, committendo libere singula seorsim, conc.; committendo collectionem omnium independenter a singulis, nego. Ista enim collectio omnium ut distincta a singulis ex quibus exurgit, est chymera.

Inferes : ergo neque per speciale privilegium possunt vitari omnia peccata venialia collective, siquidem ista collectio ex dictis sit chymerica.

Resp. neg. illationem : dum enim dicimus omnia peccata venialia collective posse vitari per speciale privilegium, non intelligimus col-

lectionem omnium ut distinctam a singulis, sed sensus est quod ex specialissima gratia homo possit sic vitare et hoc et illud et istud et ita continuando tempore vitæ, non obstantibus undequaque hostibus prementibus, ut in nullo deficiat et sic omnia vitet.

Inst. ultimo : Quamdiu homo facit totum quod potest, non peccat etiam venialiter : atqui homo potest semper facere totum quod potest, ut patet ex terminis : ergo potest nunquam peccare venialiter.

Resp. dist. min. Homo potest semper potentia antecedente et in sensu diviso facere totum quod potest, conc. ; potentia consequente et in sensu composito, nego. Præter enim gratias sufficientes quæ homini justo tribuunt posse facere totum quod potest, quod quidam vocant potentiam physicam, ut de facto faciat, seu possit facere potentia consequente totum quod potest, in tanta hominis corruptione, fragilitate et instabilitate, in tot ac tantis tentationibus ex parte mundi, carnis et diaboli, quæ specialissimam important difficultatem, requiritur specialissima gratia.

Petes 1°. utrum conclusio debeat intelligi de omnibus peccatis venialibus, non solum quæ sunt ex imperfecta deliberatione, ut sunt motus secundo-primi, sed etiam quæ perfecte deliberata sunt venialia ex genere suo, ut mendacium jocosum deliberate dictum ?

Resp. in hoc dissentire theologos utrinque rationibus probabilibus, sed non cogentibus : quapropter unumquemque hac in parte in suo sensu abundare per me licet : id solum pro certo habendum esse arbitror, viros sanctitate eminentes, dato quod propter multitudinem tentationum et occasionum peccandi ex humana fragilitate, aliquid quandoque remittant de suo fervore qui difficile servatur diu in summo gradu intensionis, et inde in quædam levia peccata ex objecto incidant, hæc tamen raro ipsis obrepere et multo rarius quam peccata ex indeliberatione.

Petes 2°. an justus cum auxiliis communibus gratiæ sanctificanti annexis possit, saltem aliquo parvo tempore, esse sine peccato veniali?

Resp. affirmative. Ita S. Doctor qui expendens illud : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, etc.,» dicit quod « illud verbum non est ita intelligendum quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus.» [1] Idem docet S. Hieron. lib. 3. *adversus Pelag*. c. 1 et 4. S. Aug. lib. *de Nat. et grat*. c. 62. Ratio etiam suadet: cum enim non semper occurrant occasiones peccandi, nec continuo insurgant motus inordinati, nihil vetat quin, v. g. recenter baptizati, aut recenter justificati per alia sacramenta, aliquo tempore maneant in hoc statu, piis et honestis exercitiis intenti. Quanto vero tempore? difficile est determinare : quidam assignant tres aut quatuor horas, quidam integrum diem, quidam plus, quidam minus, secundum fervorem charitatis plus minusve intensæ.

Petes 3°. utrum sit de fide justos sine speciali privilegio non posse esse diu sine peccato veniali ?

Resp. equidem concilium Trid. non dixisse « diu,» sed « in tota vita ; » at per totam vitam videtur intellexisse non tempus qualiscumque vitæ, sed aliquod notabile tempus : nam potest contingere quod adultus recens baptizatus paulo post moriatur absque eo quod ab instanti justificationis aliquod peccatum veniale commiserit, ut modo dicebam ; neque verisimile est quod, qui diceret hunc semel justificatum in tota vita vitasse omnia peccata venialia, incurreret anathema concilii : videtur ergo quod concilium per totam vitam intellexerit aliquod notabile tempus, consequenter quod sit de fide semel justificatum non posse diu vitare omnia peccata venialia sine speciali privilegio. Hæc tamen sub correctione sanius sapientis.

Petes 4°. an et cui concessum sit istud speciale privilegium ?

Resp. Certo concessum fuit B. M. Virgini : probabilius nulli alteri. Prima pars constat ex Trid. et S. Aug. citatis in conclusione.

Neque obstat quod B. Virgo, in recitatione Orationis Dominicæ, diceret *dimitte nobis debita nostra :* sic enim orabat nomine Ecclesiæ; vel quia dimissa reputabat ea a quibus præservabatur : sicut dicit S. Aug. Lib. 2 *Confess*. c. 7 : « Omnia dimissa mihi esse fateor, et quæ mea sponte feci, et quæ te duce non feci.»

Non etiam obstat opinio contraria quorumdam veterum, præsertim S. Chrysostomi qui *Hom*. 45. *in Matth*, dicit B. Virginem ex vana gloria petiisse a Christo miraculum in nuptiis Cana Galileæ. [1] Respondet enim S. Thom. S. Chrysostomum excessisse quantum ad hoc, vel hoc dixisse secundum aliorum sententiam. Idem dic de aliis qui opponi possunt, cum a communi Ecclesiæ doctrina in hac parte recedant.

Secunda pars suadetur; quia sine sufficienti

[1] 3. p. q. 79. a. 4. ad 2.

[1] 3. p. q. 27. a. 2. ad 3.

fundamento nullus est excipiendus a regula generali S. Scripturæ: *Nec est homo, qui non peccet:* nullum autem habemus fundamentum, neque in ss. patribus, neque in conciliis, neque in S. Scripturis, aliquem ab hac generali regula excipiendi præter B. Virginem : ergo.

Si dicas : de Zacharia et Elisabeth legitur Luc. 1: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus sine querela.* Et de Joanne Baptista canit Ecclesia: *Ne levi saltem maculare vitam crimine posset.*

Ad primum, respondet S. Aug.Lib. *de Grat. Christi* cap. 48: « Hoc dictum esse secundum quamdam conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juste posset in accusationis et criminationis querelam vocare.... non autem dictum est secundum illam perfectionem justitiæ, in qua vere et omnimode immaculati perfectique vivemus», nempe in patria.

Ad secundum, Ecclesia canit Joannem Baptistam ea intentione petiisse desertum ut ab omni culpa se redderet immunem, sed id eum adeptum fuisse non dicit. Insuper Ecclesia non dicit, « a levi crimine» simpliciter, ut fert argumentum, sed « a levi famine,» seu ut habet Breviarum Romanum «a crimine linguæ.» Non negamus autem plures sanctos immunes fuisse ab omni peccato veniali in certo genere, ut S. Joannem Baptistam a peccato linguæ; S. Thomam a peccato superbiæ, de quo canit Ecclesia, « pestiferæ superbiæ nunquam persensit stimulum; » S. Josephum a peccato contra castitatem, a tempore quo junctus fuit purissimæ Virgini.

Inst. Matth. 11. dicit Christus: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.*

Resp. sensum esse Joannem Baptistam esse maximum, non omnium sanctorum, sed omnium prophetarum antiquæ legis. Patet ex Luc. 7: *Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.* Adde : licet Joannes Baptista sit inter sanctos maximus, excepta B. Virgine, non sequitur ideo ipsum hoc singulare privilegium, de quo agitur, fuisse consecutun.

Articulo 5 hujus quæstionis resolvit Auctor hominem sine gratia non posse mereri vitam æternam, tum ex illo Rom. 6: *Gratia Dei vita æterna*; tum quia actus perducentes ad finem, debent esse fini proportionati; nullus autem actus naturalis est proportionatus vitæ æternæ, quæ est finis supernaturalis. Hanc difficultatem resumit S. Doc. q. 114. a. 2; de qua etiam nos ibidem.

ARTICULUS VII.

UTRUM HOMO POSSIT SE PRÆPARARE AD GRATIAM SINE GRATIA ?

Circa præsentem quæstionem duplex fuit error, scilicet pelagianorum et semi-pelagianorum. Pelagiani, negantes peccatum originale, dicebant hominem propriis viribus posse bona opera facere quibus promereretur primam gratiam, sicque gratiam dari secundum merita; quem errorem ipse Pelagius, ne damnaretur, damnavit in concilio Diospolitano. Semi-Pelagiani, qui admittebant peccatum originale et per illud attenuatas esse vires naturæ, fatebantur hominem non posse sine gratia bona opera facere, attamen contendebant vires naturæ, non ita esse profligatas, quin posset propriis viribus aliquod boni operis initium efficere, scilicet petendo, desiderando, pulsando, quærendo, aut quovis alio modo, quo, non quidem gratiam mereretur, sed se ad illam disponeret, Deo illud initium tanquam occasionem arripiendo conferendi nobis gratiam, ne esset personarum acceptor, si uni præ altero sine ulla ratione ex parte illius gratiam conferat. Utrumque hunc errorem Ecclesia damnavit in variis conciliis, sed præsertim in Aurausicano 2 variis canonibus, quorum aliquos mox referemus.

His non obstantibus, non defuerunt inter catholicos qui dixerunt hominem posse sine gratia se præparare ad gratiam; pro hac opinione citantur Durandus, Scotus, Gabriel, etc., quamvis quidam eos intelligant de præparatione ad gratiam sine gratia habituali : sed apertissime Ludovicus Molina in Concordia disp. 10, ubi docet bene utenti facultate naturali Deum nunquam denegare gratiam, non quidem ex merito operis naturalis, sed ex pacto inter Deum et Christum inito, ut facienti quod in se est ex viribus naturæ, infaillibiliter detur gratia.

Suppono [1] quod ut homo se præparet ad gratiam habitualem, non indigeat alia gratia habituali ; quia ad hanc pariter opus esset altera habituali, et sic procederetur in infinitum : quæstio est ergo de necessitate gratiæ actualis ad se præparandum ad gratiam, sive actualem, sive habitualem.

Dico: [2] Homo lapsus nihil prorsus facere potest quod ipsum quovis modo disponat ad gratiam sive actualem, sive habitualem, nisi auxilio gratiæ actualis præveniatur.

[1] Hic q. 109, a. 6. o. — [2] Ibid et q. 112. a. 3.

Prob. 1°. ex S. Script. Prov. 8. dicitur: *Præparatur voluntas a Domino;* quod passim urget S. Aug. cont. pelagianos et semi-pelagianos. Joan 6 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum :* si autem homo se ipsum præparare posset, inquit Auctor, [1] non oporteret quod ab alio traheretur; jam enim ex se venire contenderet. Joan. 15: *sine me nihil potestis facere :* ergo nec ad gratiam se præparare ; nam hoc est aliquid. « Si sine illo nihil possumus facere, inquit S. Aug. Lib. 2. *ad Bonifac.* 9, profecto nec incipere nec perficere.» Apostolo interroganti Rom. 11: *Quis prior dedit illi et retribuetur ei ? quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia,* posset homo respondere secundum oppositam sententiam: ego prior dedi illi conatum et dispositionem meam, quæ est ex me et non ex illo. Item interroganti : *Quis te discernit ?* I. Cor. 4, posset respondere : Conatus et dispositio mea : *Quid habes quod non accepisti ?* diceret: Conatum et dispositionem meam : item Christo dicenti : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* Joan. 15, responderet: Prior te elegi me disponendo ad gratiam. Et nota hæc omnia et similia dicta esse in ordine ad salutem, et præparationem ad gratiam, sive actualem, sive habitualem, esse in ordine ad salutem.

Prob. 2°. Ex. conciliis præsertim Arausic. 2. can. 3. ubi sic habetur : « Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.* Isa. 65. et Rom. 10. » Can. 4: » Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto dicenti per Salomonem, Prov. 8: *Præparatur voluntas a Domino,* et Apostolo salubriter prædicanti Philipp. 2 : *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* » Can. 5, » Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum.... non per gratiæ donum.... sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur, B. Paulo dicente, Philipp. 1 : *Confidimus, quia qui cœpit in nobis bonum opus. perficiet.* » Vide insuper can. 6. 7. 8. 10. 14. 16. 20. 22. et 25.

Neque dicas hæc decreta spectare semi-pelagianos, qui dicebant nos per initium bonæ voluntatis mereri gratiam : id namque ultimum prorsus falsum est. Is quidem fuit error pelagianorum, at non semi-pelagianorum, qui dicebant gratiam dari conatui humano ex occasione tantum : « Ante omnia, dicebat Faustus Lib. I. *Lib. arbit.* c. 17. arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quidquam de ejus meritis vindicemus.» Et Cassianus, *Collat.* 13. cap. 14: « Præsto namque est Deus, occasione sibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda » : unde inferebat S. Prosper *cont. Collat.* c. 3, id esse aliquale meritum : « Nec enim, inquit, nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia » : quod si positive asseruisset Cassianus, arguendo non inferret S. Prosper. Ita etiam intellexit semi-pelagianos S. Hilarius scribens *in Epist. ad S. Aug.* ipsos asserere, « nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat. »

Concil. Trid. sess. 6, cap. 5: « Justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse..... neque homo sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » Et cap. 6: « Disponuntur autem, inquit, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. »

Prob. ex S. Aug. S. Doctor passim urget contra pelagianos et semi-pelagianos principia sequentia : primum, quod est etiam omnium aliorum patrum, ut notavimus initio dissertationis, in negotio salutis dignationi gratiæ nihil penitus esse subtrahendum ; subtraheretur autem aliquid si dispositio ad gratiam non esset ex gratia; secundum, Ecclesiam orare Deum non tantum ut volentes et conantes adjuvet, sed etiam ut ex nolentibus volentes fiant; tertium, minimam præparationem ad gratiam esse bonam cogitationem, quam nec homo habere potest sine gratia præveniente, juxta illud 2. Cor. 3 : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis;* et plura alia quæ longius foret referre. Sed nemini non notum est, quam acriter S. Doctor exagitaverit ubique semi-pelagianos, contendentes initium boni operis esse a nobis et ejus intuitu Deum nobis conferre gratiam.

Prob. 4° auctoritate et rationibus D. Thomæ. 1°. S. Doct. Quodlib. 1. a 7. o. dicit : « Ad errorem pelagianum pertinet dicere quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio divinæ gratiæ : et est contra Apost. qui dicit

[1] Ibid. in arg. s. c.

Philipp. 1: *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet.* » Idque probat duplici ratione. 2°. Super cap. 10. ad Rom. lect. 3: « Hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, Thren. 5 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* »

3°. Lib. 3. cont. gent. cap. 149: « Non propter hoc datur nobis auxilium divinum, quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio prævenimur.... prævenitur igitur anima divino auxilio ad bene operandum magis quam divinum auxilium præveniat quasi merendo illud, vel se præparando ad illud. » Quod probat quinque rationibus.

4° Q. de verit. a. 15: « Ex divina misericordia contingit quod homo se ad gratiam præparet..... Liberum arbitrium non potest se ad gratiam præparare, nisi ad hoc divinitus dirigatur. » Quod probat duplici ratione.

5° In hac q. 109. a. 6, ex professo quærens utrum homo se possit præparare ad gratiam sine gratia? resolvit negative his verbis : « Potest intelligi præparatio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum : ad hoc autem quod præparet se homo ad susceptionem hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale, quia sic procederetur in infinitum, sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis sive inspirantis bonum propositum. » Idque probat ratione quam modo referam.

6°. Ibidem ad 2, respondens huic veteri axiomati : « Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam », dicit : « Ad secundum dicendum quod nihil homo potest facere, nis a Deo moveatur, secundum illud Joan. 15 : *Sine me nihil potestis facere* ; et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo.»

7°. Infra q. 112. a. 3, iterum ex professo quærens utrum necessario detur gratia se præparanti vel facienti quod in se est ? respondet sic : « Potest præparatio dupliciter considerari, uno quidem modo secundum quod est a libero arbitrio, et secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo potest considerari secundum quod est a Deo movente, et tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non potest. »

Hanc constantem doctrinam probat S. Doctor in locis assignatis plusquam decem rationibus. Tres aut quatuor hic subjicio, ne longior sim.

Primam habet in præsenti q. a. 3 cit. Principium et finis alicujus effectus debent sic proportionari, quod sint ejusdem ordinis; secundum enim ordinem agentium est ordo finium: atqui finis dispositionis ad gratiam est supernaturalis, scilicet finis proximus est ipsa gratia, finis remotus ipse Deus, ad quem ut auctorem supernaturalem gratia ordinatur: ergo.

Secunda desumitur ex q. 112. a. 3. cit. Omnis dispositio tam remota quam proxima debet habere quamdam proportionem cum forma ad quam disponit, alioquin quomodo ad eam disponeret? Atqui actus mere naturales nullam habent proportionem cum gratia supernaturali: ergo. Confirmatur: omnis dispositio approximat subjectum formæ ad quam disponit, et eam quodammodo exigit : atqui actus naturales non approximant animam gratiæ, neque eam ullatenus exigunt, cum sit ordinis superexcedentis omnes vires naturæ: ergo.

Tertia habetur *Quodlibet* 1. cit. Per hoc ad gratiam præparamur per quod ad Deum convertimur : sed ad hoc indigemus auxilio divinæ gratiæ; dicitur enim Thren, 4: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur :* ergo.

Quarta ibidem, quæ est etiam S. Augustini supra. Ad nihilum potest homo se præparare nisi cogitando; sed ad hoc ipsum indiget homo auxilio gratiæ: dicitur enim 2. Cor. 3: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.*

Sensus vulgati axiomatis :

Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Ex dictis colliges quomodo hoc vulgatum et vetus axioma debeat intelligi.

I. Sensus non est quod operi moraliter bono, solis naturæ viribus elicito, debeatur gratia tanquam merito sive de condigno, sive de congruo ; hoc enim est damnatum in variis conciliis et sufficienter impugnatum ex dictis.

II. Non est sensus quod facienti quod in se est ex viribus naturalibus, Deus non denegat gratiam ex pacto inito inter Deum et Christum, ut bene utenti facultate naturali Deus infallibiliter conferret gratiam, ut finxit Molina : hunc enim sensum impugnant argumenta huc usque facta : siquidem in eo systemate opus bonum

morale foret dispositio ad gratiam, si non ex se, saltem ex lege statuta, ex eaque haberet aliquam proportionem et aliquod jus ad auxilia gratiæ. His adde sequentia:

1°. Concilium Arausicanum II, can. 6, damnat eum qui dixerit « sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus misericordiam conferri » : conferretur autem supposito præfato pacto. Neque dicas concilium damnare semi-pelagianos qui contendebant gratiam dari initio boni operis tanquam merito et ex justitia; id enim plane falsum esse paulo ante ostendimus. Insuper concilium damnat eos qui dicunt bonis operibus sine gratia conferri misericordiam : ergo et eos qui dicunt iis conferri gratiam ex misericordia.

2°. Quæro quodnam sit istud bonum opus naturæ, cui ea lex annexuit gratiam ? An observantia totius legis ? Sed eam non posse præstari sine gratia probavimus. An observantia aliquorum præceptorum ? Sed ut S. Aug. probat lib. 1. *de Peccat. merit.* c. 22 et experientia constat, sunt inter infideles et peccatores qui plura legis præcepta observant, suntque minus mali, magis modesti, temperantes, misericordes, quos tamen gratia præterit, dum flagitiosissimos convertit.

3°. Juxta S. Augustinum, inscrutabile est Dei judicium, cur unum trahat, alterum non trahat: at supposita dicta lege, id non foret inscrutabile, sed ratio facile redderetur, nempe quia iste facit quod in se est ex propriis viribus, non ille.

4° Repugnat Christum meruisse fieri a Patre legem qua destruatur ratio gratiæ, qualis foret ista lex. Ea enim posita, gratia datur ex operibus, et sic non est gratia; prævenitur a libero arbitrio, cum debeat liberum arbitrium prævenire; et partes priores dantur homini, posteriores Deo : quæ subvertunt totum systema gratiæ a S. Aug. propugnatum.

5°. In hac hypothesi currunt inconvenientia de quibus supra, scilicet: homo haberet id quo se discerneret, in quo gloriaretur, et quod non accepisset in ordine ad salutem, et cui infallibiliter adesset gratia.

6° Tandem istud pactum nullum habet fundamentum, neque in S. Scriptura, neque in conciliis, neque in patribus; ergo est plane fictitium.

P. Valentia actor pro Societate in congregationibus de Auxiliis, in congregatione habita coram Clemente VIII, ultima septembris 1602, hoc pactum probare voluit ex S. Aug. lib. 19. *de Civit.* cap. 13, cujus textum sic legebat: «Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua..... EO PACTO ÆQUISSIMO, ut quicumque mortalis talibus bonis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ET ipsam immortalitatis pacem. » Sed P. Lemos actor pro dominicanis, e vestigio ostendit, assumpto codice, textum non fuisse fideliter relatum et in eo non legi : « Bona ampliora atque meliora ET ipsam immortalitatis pacem, » sed « Bona ampliora atque meliora, *scilicet* ipsam immortalitatis pacem » : qua suppositione particulæ « ET PRO SCILICET, » totus invertebatur sensus S. Augustini : nam ponendo « ET » significatur quod homo bene utens bonis naturalibus sine gratia, accipiat gratiam et gloriam : restituendo autem «SCILICET », significatur quod homo bene utens naturalibus ex gratia, accipiat meliora, scilicet ipsam gloriam ; certum est enim usui naturalium sine gratia non dari gloriam. Vide Serry lib. 3. Hist. cap. 5. *Thom. Triumph.* §. 20.

Merito igitur clerus gallicanus anno 1700, in comitiis generalibus damnavit duas propositiones sequentes:

Prima: « Axioma theologicum: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, non solum verissimum est, verum etiam per illud significatur obligatio quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est, nec solum facienti quod est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui, cum non habeat gratiam, facit quod in se est viribus naturæ.»

Secunda: «Dicimus obligationem quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod in se est viribus naturæ, seu viribus gratiæ pure naturalis, sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sive condigno, sive congruo, quod insit in illis operibus in ordine ad gratiam, sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum et Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem.

Censura cleri gallicani in has duas propositiones hæc est: « Hæ duæ propositiones, qua parte causam discernendi inter justos et non justos, in opera mere naturalia referunt, semipelagianismum instaurant mutatis tantum vocibus. Pactum autem quod inter Deum et Christum asseritur, commentum est temera-

rium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante S. Scriptura et ss. patrum traditione prolatum. »

III. Neque sensus esse potest quod Deus facienti quod in se est ex solis viribus naturæ, conferat infallibiliter gratiam, non respiciendo ad illa opera, neque ad legem a Deo positam, sed ex mera liberalitate et misericordia.

1°. Quia implicat in terminis quod Deus sic operanti ideo gratiam conferat, quia facit quod in se est, et non respiciat ad opera. Item quod det gratiam, quia facit quod in se est, et simul det pure liberaliter et misericorditer.

2° Hæc sententia videtur in terminis damnata can. 6. concilii Arausicani, numero superiori relato.

3°. Recurrunt omnia quæ modo dicebam contra pactum Molinæ, scilicet nullum posse assignari opus naturæ, cui Deus infallibiliter det gratiam; non esse inscrutabile cur Deus unum trahat, alterum non trahat; posse unum præ alio se discernere et gloriari in negotio salutis; priores partes dari homini, posteriores Deo; tandem nullum esse fundamentum asserendi Deum infallibiliter conferre gratiam ex misericordia et liberalitate facienti quod in se est ex viribus naturæ.

IV. Tandem non est sensus quod facienti quod in se est ex viribus naturæ negative, hoc est non ponenti obicem gratiæ, Deus infallibiliter conferat gratiam.

1° Quia vel intelligitur de non ponente obicem ex omni parte, observando scilicet totam legem et vitando omnia peccata, et hoc non posse fieri sine gratia probavimus : vel de non ponente obicem ex aliqua parte tantum, observando scilicet aliquod præceptum et vitando aliquod peccatum. Ostendimus vero secundum S. Augustinum et ipsam experientiam, quosdam observare plura præcepta, et vitare plura peccata, quibus tamen denegatur gratia, cum perditissimus nullam legem curantibus et in omnia flagitia prorumpentibus aliquando concedatur.

2°. Juxta hunc sensum recurrunt omnia inconvenientia de quibus supra, scilicet non esse inscrutabile cur Deus uni conferat gratiam, non alteri; unum præ alio se posse discernere, gloriari; non esse solius Dei miserentis, sed etiam hominis volentis, etc.

3°. Non ponere obicem, vel juvat ad consequendam gratiam, vel non juvat: si juvat, ergo gratia datur ex meritis, et contra militant quæ hucusque diximus: si non juvat, ergo perperam dicitur Deum infallibiliter sic facienti quod in se est, conferre gratiam; quæ enim infallibilitas formæ introducendæ haberi potest ex eo quod ad istam formam habendam nihil juvat?

4°. Tandem nullibi est fundatum non ponenti obicem gratiæ ex solis naturæ viribus, Deum infallibiliter conferre gratiam.

Restat ergo præfatum axioma non posse aliter intelligi quam intelligit S. Thomas, nempe facienti quod in se est ex gratia, Deum gratiam ulteriorem non denegare. Quovis enim alio modo intelligas vel opus naturale erit meritum de condigno aut de congruo ipsius gratiæ, vel erit Deo motivum, aut regula, aut occasio, aut conditio ad cujus positionem Deus movebitur ad conferendam gratiam, sicque erit aliquo modo dispositio ad illam; quod impugnatum manet.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Ex S. Scriptura Zach. 1, dicitur: *Convertimini ad me, ait Dominus, et convertar ad vos.* Luc 11 : *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis:* ergo.

Resp. his et aliis S. Scripturæ locis liberum arbitrium nostramque liberam gratiæ cooperationem commendari, sed gratiæ prævenientis necessitatem non excludi. Responsio est S. Aug. Lib. *de Gratia et lib. arbit.* cap. 5, et concilii Trid. sess. 6. cap. 5 : « Cum dicitur, inquit, *Convertimini et ego convertar ad vos,* libertatis nostræ admonemur: cum respondemus, *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur,* Dei gratia nos præveniri confitemur. »

Inst. 1°. Proverb. 16, dicitur: *Hominis est præparare animam, et Domini gubernare linguam.* Et infra: *Cor hominis disponet viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus;* atqui non potest intelligi nisi de præparatione animæ et cordis per solum hominem sine gratia, alioquin non subsisteret antithesis quam facit S. Scriptura, siquidem gubernare linguam et dirigere gressus (quod dicitur esse Domini), sit etiam hominis gratia adjuti; ergo.

Resp. neg. min. Quamvis enim homo non nisi per gratiam præparet cor et animam, subsistit nihilominus antithesis; quia licet in locutione aut executione interveniat actio hominis, ut tamen ad exitum in anima et corde præmeditatum perveniat, solius est Domini dirigere verba et opera; quasi dixisset S. Scriptura : Non sufficit meditari quid dicturus aut facturus es, nisi Deus dirigat linguam et opus, ut bene succedas. Et hoc est quod etiam

vulgo dicitur : homo proponit, sed Deus disponit.

Inst. 2°. In S. Scriptura plures referuntur qui per bonum opus naturale pervenerunt ad gratiam, ut obstetrices Egyptiæ per naturalem commiserationem erga pueros Hæbreorum, Rahab meretrix excipiendo et non prodendo exploratores populi Dei, Zachæus recipiendo Christum in domo sua, latro in cruce dicens: *Domine memento mei,* Cornelius per orationes et eleemosynas antequam in Christum crederet, S. Paulus 1. Tim. 1, quia « *ignorans* » peccaverat : sic etiam videmus plures converti ex aliquo motivo pure naturali, puta ex morbo gravi, ex amici morte, ex periculo instante, etc. Ergo.

Resp. et illa bona naturalia et has occasiones et ista motiva esse insufficientia, nisi Deus cor interius per suam gratiam disponat, sicque non excludere necessitatem gratiæ interioris : « Nisi Deus altius misereatur, inquit S. Augustinus, cœlum et terra surdis loquuntur. » Idque vel ex eo constat, ut jam non semel advertimus et notat S. Aug. lib. 1. *ad Simplic.* q. 2, quod plerique sint inter infideles et hæreticos quibus insunt plura bona moralia, qui sunt casti, æqui, misericordes, etc. qui tamen ad gratiam non perveniunt, dum confertur aliis longe pejoribus. Hinc concilium Arausic. 2. can. 25 : « Manifestissime, inquit, credendum est quod illius latronis quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis ad quem angelus Domini missus est, et Zachæi qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides, non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum. » Neque tamen negandum est ista motiva et occasiones quibus aliqui videntur pervenisse ad gratiam, fuisse illis procurata ex speciali beneficio providentiæ, sic res exterius disponentis, ut congruebat ad illos præ alliis perducendos ad gratiam.

Si dicas : S. Petrus missus est ad Cornelium ut illum de fide instrueret : ergo Cornelius non habebat fidem.

Resp. Cornelium antea habuisse fidem implicitam, quæ ut explicita evaderet, S. Petrus ad eum missus fuit [1].

Plus difficultatis habet textus Apost. 1. Tim. 1.; videtur enim adferre ignorantiam suam tanquam causam motivam cur Deus ei fecerit misericordiam. Sed

Resp. in his Apostoli verbis : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate,* ignorantiam adferri, non ad extenuationem peccati et ad movendum Deum hac ratione ut misericordiam faciat, sed tanquam rationem objecti maxime convenientis circa quod Deus exerceat suam misericordiam. Nam objectum seu materia misericordiæ est miseria ; unde quanto major est miseria, tanto magis est objectum conveniens misericordiæ et tanto magis nata est eam commovere : quamvis autem omne peccatum sit miseria quædam, magis tamen miseria significatur nomine ignorantiæ quam peccati, quia miseria, ut talis, est involuntaria sicut ignorantia, atque hac ratione misericordiam commovet ; peccatum autem est voluntarium, ideoque, ut tale, misericordiam non provocat; sed iram et tanto majorem quanto gravius est. Sensus igitur Apostoli hic est : ideo misericordiam consecutus sum, quia magna erat mea miseria, hæc nimirum quod tanta mala facerem per ignorantiam et incredulitatem, instar ægroti qui per insaniam medicum cædit. Ita explicat, S. Aug. Serm. 8. 9. et 10. *de Verbis Apostoli*: hoc etiam sensu intelligendus est Christus dum Luc. 23, dicit : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt;* hoc, inquam, sensu quo dicitur Psal. 24: *Propitiaberis peccato meo, multum est enim;* Psal. 4 o : *Sana animam meam, quia peccavi tibi;* Rom. 5: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* His igitur S. Pauli verbis : *Quia ignorans feci in incredulitate,* non significatur in eo ratio meriti aut dispositionis provocans Deum ad misericordiam et gratiam illi præstandam, magis quam in Scripturis mox citatis, sed tantum, ut dictum est, magnitudo miseriæ significatur velut objectum conveniens maxime divinæ misericordiæ ; quæ miseria, quia peccati erat, (nam et ignorantia et incredulitas in eo erat peccatum), non poterat secundum rationem meriti aut dispositionis misericordiam Dei provocare, sed iram. Hæc interpretatio quæ est Estii videtur inter alias probabilior.

Obj. 2°. Ex ss. patribus : Cyrillus Jerosolym. Chrysostomus, Clemens Alexandr. et quidam alii videntur docere gratiam non prævenire voluntates nostras, sed eas expectare.

Resp. 1°. hos et alios plerumque loqui de gratia habituali, aut de augmento gratiæ actualis ad perfectiora opera, non de prima gratia per quam habetur initium bonæ voluntatis : unde cum dicunt Deum voluntatem nostram expectare, intelligunt voluntatem non nudam, sed adjutam gratia.

[1] 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3.

Resp. 2°. Dum negant gratiam antecedere voluntatem nostram, intelligunt de antecedentia necessitante, qualem manichæi, contra quos agunt, docebant [1]. Ita Auctor interpretatur Damascenum.

Resp. 3°. Variis aliis locis docent dogma catholicum : S. Chrysostomus Hom. *de Adam et Eva;* Hom. 12. in 1. Cor. ad illa verba : *Quid habes quod non accepisti?* et alibi; Clemens Alexand. lib. 2. *Stromat.* p. 273. lib 5. p. 396, et lib. 6, p. 502; S. Cyrillus *Catechesi* 5. et 6.

Resp. 4° et finaliter, non esse mirum hos et alios patres, nondum palam erupta hæresi pelagiana, minus circumspecte de gratiæ prævenientis necessitate scripsisse ; præsertim cum tunc maxime incumberent defendendo contra manichæos libero arbitrio : quapropter si quid minus castigatum circa gratiam ipsis exciderit, benigne adduci debet ad sensum catholicum quem alibi exprimunt; securi enim loquebantur, cum tunc nullus esset gratiæ hostis. Ita respondet S. Aug. *de Prædest. Sanct.* cap. 14: « Quid igitur opus est, inquit, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari ? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attingerent. » Horum patrum testimonia pro et contra non refero, quia non vacat; legi poterunt apud auctores.

Obj. 3° ex D. Th. S. Doctor in 2, d. 5. q. 1. a. 1, ubi quærit, utrum angeli indiguerint gratia ad hoc quod converterentur in Deum, postquam dixit esse quorumdam opinionem qui ad actum conversionis requirunt duplicem gratiam : unam gratum facientem quæ informat actum conversionis et meritorium reddit, aliam gratis datam a qua elicitur substantia actus; sic prosequitur : « Sed istam (scilicet secundam) gratiam ponere non videtur necessarium, nisi ipsa libertas arbitrii gratia dicatur, quæ procul dubio nobis a Deo est. » Et concludit sic : « Et ideo aliter dicendum quod ad eliciendum actum conversionis, sufficit liberum arbitrium quod se ad habendam gratiam per hunc actum præparat et disponit ». Et ibid. d. 28. q. 1. a. 4, quærens ex professo, utrum homo possit se præparare ad gratiam sine aliqua gratia? similiter resolvit posse sine gratia gratis data : idque probat hac ratione : « Quia præparatio quæ est ad gratiam, non est per actus qui sint adæquandi ipsi gratiæ æqualitate proportionis, sicut meritum adæquatur præmio, et ideo non oportet ut actus quibus homo se ad gratiam præparat, sint naturam humanam excedentes. » Quod videtur peremptorium et directe contra probationes nostras : ergo.

Resp. 1°. Esto S. Thomam locis citatis censuisse, ut prætendit argumentum : id unum respondendum foret ipsum seniorem et doctiorem factum mutasse sententiam in operibus posterioribus, ut evidenter apparet ex probationibus conclusionis. Notandum enim S. Th. scripsisse *in Sententias*, cum cœpit docere Parisiis annos natus tantum viginti quinque circiter : « Scripsit, inquit Guillelmus Tocco apud Echard, in Baccellaria et in principio sui magisterii super quatuor libros Sententiarum » : fuit autem renuntiatus magister anno ætatis 25. Ad hoc tamen responsum non redigimur : unde

Resp. 2° S. Thomam mutasse duntaxat modum loquendi, at non sententiam, adeoque in locis objectis non aliter censuisse quam in *Summa* et aliis locis quæ laudavimus pro conclusione.

Ad cujus intelligentiam observandum est tempore S. Thomæ duplicem currere opinionem : quidam dicebant ad hoc ut homo se præpararet ad gratiam, requiri aliquod donum habituale gratis datum, quod vocabant lumen supernaturale gratiæ sanctificanti præambulum : alii negabant hujusmodi donum habituale supernaturale requiri. Et hæc est gratia cujus necessitatem negat S. Doctor subscribendo huic secundæ sententiæ ut communiori. Et ne videar hæc gratis dicere, en ejus verba secundo loco citata : « Si accipiatur gratia pro aliquo munere habituali animæ infuso, sic est duplex opinio : quidam enim dicunt quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem præparare, nisi per aliquod lumen menti infusum, quod est donum gratiæ gratis datæ : istud autem videtur inconveniens » ; quod probat ratione posita in argumento, et etiam quia secundum hoc esset abire in infinitum. Manifestum est igitur quod quando S. Doctor dicit cum communiori opinione sui ævi, hominem posse se præparare ad gratiam per virtutes naturales sine gratia, intelligat sine illo habituali dono, non excludens gratiam per modum motionis transeuntis, quam quidem ibi non exprimit, sed quam in operibus posterioribus expressit; quia vidit hunc loquendi modum suo

[1] 1. p. q. 23. a 1. ad 1.

ævo communem non satis recedere ab errore pelagiano, ut dicit *Quodlib.* 1.

Neque obstat quod eodem loco probet non requiri gratiam ut homo se disponat ad gratiam, quia non est necesse quod actus disponentes ad gratiam sint adæquandi gratiæ et excedant naturam : non enim dixit simpliciter quod actus disponentes ad gratiam non sint illi adæquandi, sed quod non sint illi adæquandi « sicut meritum adæquatur præmio ». Unde cum addit non esse necesse quod sint excedentes naturam, sub eadem limitatione debet intelligi, scilicet sicut illam excedit meritum. Et hoc est verum, quia meritum petit naturam elevatam ad participationem divinæ naturæ per gratiam sanctificantem; actus autem disponens ad gratiam, non petit naturam elevatam ad participationem divinæ naturæ, sed petit tantum eam constitutam in ordine supernaturali per gratiam actualem.

Non etiam obstat quod ibidem in fine articuli dicat quod « ad gratiam gratum facientem habendam ex solo arbitrio se homo potest præparare » : quia, ut ait, *Quodlib.* 1. a. 7. ad 1, quando dicitur hominem posse se præparare ad gratiam ex se seu ex solo libero arbitrio, non excluditur necessitas auxilii divini, sicut cum dicitur ignis ex se calefacere, non excluditur necessitas motus cœlestis. Vult ergo tantum per has particulas, « solo libero arbitrio », excludere istud donum habituale luminis infusi, de quo solo erat ibi quæstio.

Inst. 1°. S. Doct. in 1. d. 41. q. 1. a. 3. o. dicit : « Opus bonum præcedens gratiam non est causa meritoria gratiæ, sed solum dispositio ad illam » : ergo.

Resp. ipsum loqui de gratia habituali ad quam bonum opus ex gratia actuali factum non est meritum, sed dispositio tantum.

Inst. 2°, Ibid ad 2, dicit quod prædestinatio respectu gloriæ habeat rationem justitiæ distributivæ, sed respectu primi effectus, scilicet gratiæ, habet rationem magis liberalitatis quam justitiæ, quia gratia datur gratis et non redditur meritis; « unde ex parte recipientis, non est assignare causam quare dignus sit gratia, sed solum dispositionem quamdam » : atqui id intelligi non potest de gratia habituali, cum loquatur de primo effectu prædestinationis, qui non est gratia habitualis, sed actualis; ergo.

Resp. neg. min. Loquitur enim S. Doctor de primo effectu prædestinationis, qui scilicet sit primus inter præcipuos, qui sunt gratia habitualis et gloria, quorum primus est gratia habitualis : quia, cum gratia habitualis sit proprie gratia et gratia actualis distinctam speciem non constituat, sed reducatur ad habitualem ut motio ad terminum et dispositio ad formam, nomine gratiæ simpliciter dictæ intelligitur gratia habitualis, juxta regulam dialectices : « Analogum per se sumptum, stat pro famosiori analogato. »

Inst. 3°. S. Th. in suppl. desumpto ex 4. sentent. q. 14. a. 4, docet opera bona extra charitatem facta, non esse quidem meritoria alicujus boni, valere tamen ad tria, scilicet ad consecutionem temporalium, ad dispositionem gratiæ, et ad assuefactionem bonorum operum : ergo.

Resp. opera bona extra charitatem facta esse duplicis generis : quædam fiunt ex solo dictamine rationis sine ulla gratia : quædam fiunt cum auxilio gratiæ, qualia fiunt a pœnitentibus per Spiritum Sanctum nondum inhabitantem sed moventem, de quibus Trid. sess. 6. can. 3. Quæ sunt primi generis, non sunt meritoria de condigno alicujus boni; possunt tamen dici meritoria de congruo boni temporalis, quatenus divinam liberalitatem decet eorum intuitu quædam temporalia concedere : quæ sunt secundi generis, non sunt etiam meritoria saltem de condigno gratiæ justificationis, sunt tamen dispositio ad illam : et de illis bonis operibus loquitur Auctor, quando dicit opera extra charitatem facta valere ad dispositionem ad gratiam. Quod si contendas ipsum loqui de operibus sine gratia actuali factis, intelligendus est de dispositione ad gratiam, non positiva, neque negativa infallibili et ex omni parte, sed negativa fallibili et ex aliqua parte tantum, excludente aliquod impedimentum gratiæ, sed non omnia; quatenus exercendo quædam bona opera, removentur quædam peccata, quæ impedirent gratiam.

Inst. 4°. S. Th. 1. p. q. 62. a. 6, docet Deum contulisse gratiam et gloriam angelis proportionate ad eorum temporalia : ergo nihil repugnat quod conferat gratiam hominibus facientibus quod in se est ex viribus naturæ, secundum opera eorum naturalia.

Resp. ex ipso S. Th. ibid. ad 2. neg. conseq. Disparitas est quod naturalia angelorum sint a solo Deo, ideoque nullo motivo naturali, sed a sola sua voluntate motus est ad dandam illis gratiam. Sed opera naturalia hominis facientis quod in se est, sunt ab ipso homine, adeoque Deus in conferenda gratia secundum illa, ab alio moveretur.

Inst. 5°. S. Doct. hic q. 114. a. 3, docet quod opus hominis justi secundum substantiam et

secundum quod procedit a libero arbitrio, mereatur de congruo gloriam : ergo a fortiori gratiam.

Resp. S. Thomam loqui de opere hominis justi secundum substantiam et secundum quod procedit a libero arbitrio, abstrahendo a gratia habituali, non actuali : absurda plane est ista cogitatio S. Thomam somniasse unquam opus mere naturale et sine ulla gratia factum, esse aliquo sensu meritorium gloriæ; id namque est plusquam pelagianum. Loquitur ergo S. Doct. de opere justi secundum substantiam et ut procedit a libero arbitrio sub influxu gratiæ actualis, etsi non habitualis.

Inst. 6°. S. Doct. eodem cit. art. 3, paulo infra, dicit opus justi esse meritorium gloriæ ex condigno, ex duplici titulo : 1° quia est ex gratia Spiritus Sancti moventis nos; 2° quia procedit a gratia habituali : ergo prius loquebatur de opere secundum quod est a libero arbitrio sine gratia.

Resp. neg. conseq. Quia hic loquitur de opere secundum quod procedit a gratia habituali et actuali, prius de opere secundum quod procedit a gratia actuali tantum : porro opus est meritorium gloriæ secundum quod est a gratia actuali movente sub influxu gratiæ habitualis, seu secundum quod est a Spiritu Sancto simul inhabitante et movente : mirum profecto tantam absurditatem a quibusdam urgeri, quasi S. Th. qui ipsa q. præcedente 109. a. 5 et 6 et alib., ipsum opus naturale nequidem vult esse dispositivum ad gratiam, vellet esse meritorium gloriæ, quod, ut dixi, est plusquam pelagianum.

Inst. 7°. S. Doct. 3. contra gentes cap. 159. dicit : « Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni » : et loquitur de libero arbitrio gratia habituali et actuali destituto; quia de ipso dicit quod divinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit : liberum autem arbitrium gratia actuali adjutum potest gratiam mereri de congruo, aut saltem illam impetrare : ergo homo sine gratia potest se disponere saltem negative ad gratiam.

Resp. non impedire receptionem gratiæ posse intelligi dupliciter, ut jam dixi : 1° secundum quid et ex parte tantum, sic non impedit qui aliquod præceptum observat, et peccatum aliquod vitat, quo gratiæ receptio impediretur; 2° simpliciter et ex omni parte; sic non impedit qui observat omnia præcepta et vitat omnia peccata. Homo lapsus potest sine gratia primo modo non impedire receptionem gratiæ, at non secundo modo, ut probavimus supra : id enim solum competit naturæ integræ, ut in terminis dicit ipsemet S. Th. initio cap. sequentis 160, explicans quod in præcedenti dixerat : « Quod autem dictum est, inquit, in potestate liberi arbitrii esse, ne impedimentum gratiæ præstet : competit his in quibus naturalis potentia integra fuerit. Si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, non erat omnino in potestate ejus, nullum impedimentum gratiæ præstare : etsi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu possit abstinere propria potestate, si tamen diu sibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præstatur. » Eodem sensu dixit *lect.* 3. *in cap.* 12. *Hebr*: « Hoc ipsum quod aliquis non ponit obstaculum gratiæ, ex gratia procedit. » Itaque dato S. Thomam locutum fuisse de libero arbitrio gratia non adjuto, tam pro non impedire quam pro impedire, dist. consequens : ergo homo potest sine gratia se disponere saltem negative ad gratiam, dispositione ex parte et fallibili, conc.; dispositione absoluta et infallibili, nego. Videmus enim, ut jam pluries observavi, gratiam minoribus peccatoribus denegari, quæ pejoribus conceditur. Hunc D. Th. textum in tract. de Deo, dissert. 8. a. 4. § 3, paulo aliter exposuimus : sed re attentius inspecta, præsenti solutioni stamus.

Inst. 8°. S. Th. q. 14. *de Verit.* a. 11. ad 1, dicit : « Si quis enutritus in sylvis ductum naturalis rationis sequatur in appetitu boni et fuga mali, certissime tenendum est, quod ei Deus vel per inspirationem revelaret ea quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit S. Petrum ad Cornelium. » Idem docet q. 24. *de Verit.* a. 1 ad 2. et in 2. d. 28 q. a. 1. 4. o. Ergo.

Resp. neg. conseq. Intelligit enim S. Doct. de faciente quod in se est ex auxilio gratiæ, ut palam ostendimus in probationibus conclusionis : et patet insuper, tum quia adfert exemplum Cornelii, quem ipsemet 2. 2. q. 10. a. 4. ad. 3, docet fecisse quod in se est ex auxilio gratiæ, tum quia loquitur de faciente quod in se est per totius legis observantiam, quam etiam ipse superius docuit non esse possibilem sine gratia. Si dicas hunc hominem, de quo loquitur, carere fide, quod est primum auxilium gratiæ, resp. ipsum carere fide explicita, sed non implicita. Confer quæ dixi in tract. de Deo, dissert. 7. a. 8. obj. 5.

Obj. ultimo : Qui plura opera moraliter bona facit, magis dignus est accipere gratiam quam qui pauciora : atqui homo potest ex se sine gratia facere quædam opera moraliter bona : ergo. Confirmatur : Magis congruum est dare gratiam minus indignis, seu pauciora impedimenta ponentibus, quam magis indignis et plura impedimenta ponentibus : atqui homo potest ex se quædam impedimenta non ponere : ergo.

Resp. neg. maj. Opera enim moraliter bona ex solis naturæ viribus facta, neque condignitatem, neque proportionem ullam habent cum gratia, cum sint diversi et inferioris ordinis ad illam. Ad confirmationem, nego maj. Cum enim collatio primæ gratiæ pendeat ex mero Dei beneplacito, quamvis qui minora impedimenta ponunt, sint minus indispositi, non possunt tamen dici magis digni aut magis idonei, neque quod sit magis congruum illis dari quam aliis, cum contrarium non raro contingat, ut jam pluries observavimus.

Petes quomodo intelligatur istud definitum contra pelagianos : « Gratia non datur secundum merita ? »

Resp. sic intelligi ut gratia sive actualis, sive habitualis cujuscumque boni operis ad salutem pertinentis, non detur propter ullum meritum, sive de condigno, sive de congruo, quod ex viribus nostris sine Dei gratia habeamus.

Loquendo autem de meritis nostris quæ sunt ex gratia, dicendum est aliquam gratiam secundum merita nostra dari : justis enim secundum meritum stricte sumptum datur et augmentum gratiæ et gloria. Item omnis gratia post primam actualem datur secundum meritum nostrum saltem de congruo : neque tamen gratia sic secundum meritum data desinit esse gratia, quia in sua radice est semper gratuita. Et hinc verum est illud S. Augustini Deum sua dona coronare, dum merita nostra coronat.

ARTICULUS VIII.

Utrum homo possit resurgere a peccato sine gratia ?

Dico : Homo non potest resurgere a peccato sine gratia. [1]

Est de fide definita in concilio Arausic. 2. can. 14, ubi dicitur : « Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur ». Et can 19 : « Cum natura humana sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit ? » Est etiam ita aperta et certa, ut ipse Pelagius infensissimus gratiæ inimicus eam non negaverit, quamvis in hoc erraverit quod voluerit hanc gratiam nostris meritis dari.

Prob. 1°. [2] Apost. ad Galat. 2. dicit quod si data est lex quæ potest justificare : *Ergo Christus gratis mortuus est ;* id est sine causa : pari ergo ratione, si homo habet naturam per quam potest justificari, Christus gratis, id est sine causa mortuus est.

Prob. 2°. [3] Resurgere a peccato non est tantum cessare ab actu peccandi, ut volunt sectarii, sed est hominem reparari ad ea quæ peccando amisit, consequenter liberari a malis quæ per peccatum incurrit : atqui homo non potest sine gratia liberari a malis et detrimentis quæ per peccatum incurrit : ergo. Prob. min. Incurrit homo triplex detrimentum peccando, scilicet maculam, corruptionem naturalis boni et reatum pœnæ : maculam incurrit in quantum privatur decore gratiæ, et hoc non potest reparari nisi per ipsam gratiam. Bonum rationis corrumpitur, in quantum natura hominis deordinatur, voluntate ejus Deo non subjecta ; hoc enim ordine sublato, consequens est ut tota natura hominis peccantis inordinata maneat ; iste autem ordo reparari non potest nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente, sicut dictum est. Tandem reatus pœnæ est per quem homo peccando mortaliter meretur damnationem æternam ; iste autem reatus remitti non potest nisi a Deo, in quem est offensa commissa et qui est hominum judex : ergo.

Observandum esse aliquam imperfectam resurrectionem et vivificationem ad quam licet non requiratur gratia habitualis, requiritur tamen actualis, eam scilicet qua peccator priusquam remissionem et gratiam sanctificantem recipiat, dolet de peccatis propter Deum, ipsum diligere incipit et ad ejus reconciliationem aspirat ; et de illa resurrectione imperfecta potest intelligi illud cap. 5. ad Ephes : *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus :* unde jure damnata est hæc 64 propositio Baii. « Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia et vitæ novæ propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur ; alterius qua vivificatur, qui vere justificatur et palmes vivus in Christo efficitur,

[1] Q. 107 a. 7. o. — [2] Ib. in arg. s. c. — [3] Ibid. o.

commentitia est et Scripturis minime congruens ».

ARTICULUS IX.

Utrum homini justificato necessaria sit gratia actualis ad singulos pietatis actus?

Quantum ad actus moraliter bonos dixi. a. 3, §. 3 hujus dissertat., hominem peccatorem posse aliquos facere cum solo concursu generali, qui tamen aliquo sensu, scilicet respectu hujus hominis cui præ alio datur, sit gratuitus et specialis. Idem a fortiori dicendum est de homine justo.

Articulo 5. et 6 ejusdem præsentis dissert., dixi hominem peccatorem non posse sine gratia servare omnia legis naturalis præcepta, vitare omnia peccata et vincere omnes tentationes contra eamdem legem; et in fine articuli 5, addidi homini etiam justo esse necessariam gratiam specialem ad diu servanda omnia præcepta moralia et vitanda omnia peccata contra legem naturalem; quia, ut ratiocinatur hic Auctor, [1] licet gratia sanctificans sanet naturam quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati; remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu. Ex quibus exurgit specialis difficultas ad diu standum in bono, pro qua vincenda requiritur specialis gratia. Conformiter ad hæc, proportione servata, resolvanda est præsens difficultas de actibus supernaturalibus pietatis et salutis: unde

Dico: [2] Homini justificato, præter gratiam habitualem et virtutes infusas ei annexas, necessaria est ad singulos pietatis actus generalis motio Dei ut Auctoris supernaturalis, eaque sufficit ad aliquos, quæ tamen debet dici aliquo sensu specialis et gratuita: ut autem diu homo justificatus in illis perseveret, requiritur gratia specialis superaddita.

Prob. prima pars ex principio generali Auctoris: [3] quantacumque natura aliqua corporea vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo ut secundum movens motum a primo: sicut ergo potentiæ naturales, scilicet voluntas et intellectus, etiam ut informatæ virtutibus acquisitis quæ dant posse facere actus moraliter bonos, ut de facto faciant, indigent applicari et moveri per motionem generalem Dei ut Auctoris naturalis; ita eædem potentiæ ut informatæ gratia et virtutibus infusis quæ dant posse facere bonos actus supernaturales, ut de facto faciant, indigent motione generali Dei ut Auctoris supernaturalis.

Prob. secunda pars: sic se habent gratia sanctificans et virtutes infusæ ei annexæ ad supernaturales actiones, sicut natura et naturales potentiæ ad actiones naturales: atqui natura etiam corrupta potest aliquod opus bonum morale facere cum solo concursu generali ordinis naturæ absque speciali gratia superaddita, ut dictum est art. 3. superiori: ergo gratia et virtutes infusæ cum solo generali auxilio supernaturali possunt aliquod bonum opus supernaturale facere.

Tertia pars patet ex dictis a. 1. et 3. §. 4 hujus dissert. Quia quamvis concursus generalis ordinis supernaturalis ad aliquod bonum supernaturale sit debitus naturæ informatæ gratia et virtutibus infusis, sicut concursus generalis ordinis naturalis ad aliquod bonum naturale est debitus naturæ secundum se, quia nempe Deus secundum leges communes providentiæ movet unumquodque secundum suum modum et suam dispositionem: attamen cum natura etiam ut elevata per gratiam et virtutes supernaturales feratur in bonum variabiliter et ab illo sit defectibilis, (non enim ut suppono est firmata in bono) hinc fit quod quamvis illi sic elevatæ debeatur generalis motio qua aliquando eliciat actus sibi proportionatos, non tamen ut semper et indefectibiliter eliciat; quod ergo illi individuo detur hic et nunc, et non alteri, est ex speciali gratia. Unde, ut ibidem observavimus, hæc motio generalis considerata respectu naturæ ut elevatæ, non est specialis nec gratuita: non gratuita, quia debetur aliquo modo naturæ sic dispositæ: non specialis, quia datur secundum leges communes providentiæ supernaturalis, quæ naturam defectibilem movet quandoque ad bonum suæ dispositioni proportionatum, quandoque permittit deficere. At considerata respective ad hunc hominem justum, cui præ altero datur, est specialis et gratuita; quia quamvis natura elevata secundum se exigat quandoque moveri in bonum supernaturale, ut dictum est, id tamen non exigit iste homo potius quam alter; quod ergo iste moveatur in bonum a quo alter deficit, et a quo ipse deficere poterat, est ex speciali et gratuito auxilio. Confer quæ dixi locis citatis.

Prob. quarta pars. 1° [1] Quia propter infec-

[1] Hic. a. 9. o. — [2] Ibid. — [3] Ibid et I. a.

[1] Ibid.

tionem quantum ad carnem, et ignorantiam quantum ad intellectum, quæ remanent in homine justificato, ut dictum est, difficillimum est illi inter continuos conflictus et tentationes, atque in tanta obscuritate, diu perseverare in bono supernaturali, nisi speciali gratia, viribus jam habitis superaddita, roboretur et adjuvetur.

2°. [1] Quia cum liberum arbitrium de se sit vertibile, et hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate ejus, quod hoc eligat : plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio : ergo ad hoc requiritur specialis gratia superaddita.

Et ita eruitur ex concilio Arausic. 2. can. 10 in quo sic definitur : « Adjutorium Dei in renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono possint opere perdurare ». Ubi pro utraque perseverantia finali et diuturna requiritur specialis gratia. Similiter Trid. sess. 6. can. 2, de perseverantia indefinite loquens, statuit sic : « Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit ».

Conclusio sic explicata et probata, præsertim quoad secundam et tertiam partem, conciliat sententias apparenter contrarias, ut jam notavimus sæpe dicto art. 3; habemus enim ex una parte gratiam specialem esse necessariam ad singulos pietatis actus, quod prætendit una sententia. Ex alia parte habemus non esse necessariam gratiam specialem superadditam, sed sufficere motionem generalem ordinis supernaturalis, quæ sit tamen respectu personæ specialis et gratuita, quod negare non potest altera sententia : sicque solvuntur objectiones quæ fiunt ex utraque parte.

Dices contra quartam partem : Ad diu observanda præcepta supernaturalia et vincendas contra illa tentationes quovis tempore sufficit minima charitas : ergo non requiritur gratia specialis superaddita, ut justus diu perseveret in bono.

Resp. dist. ant. Sufficit minima charitas in actu primo et per modum habitus, quo quis utitur cum vult, conc. Sufficit in actu secundo et ut semper velit, nego. Cum enim homo, non obstante charitate, sit, ut dictum est, vertibilis et defectibilis, continuisque impugnetur hostibus et tentationibus, ut semper actu velit perseverare et diu perseveret in bono, indiget speciali gratia actuali.

Subsumes : Atqui hæc gratia et motio specialis atque protectio qua velit actu perseverare et de facto perseveret, est debita justo secundum ordinarium providentiæ cursum : ergo non debet dici specialis, sed generalis. Prob. ant. Justus est Dei amicus : atqui Deus debet amicis hanc amicabilem motionem et protectionem : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. min. Deus debet amicis hanc amicabilem motionem et protectionem, quamdiu non desunt ejus gratiæ et amicitiæ, conc.; si desint, nego. Deus autem non debet etiam amicis ut nunquam desint ejus gratiæ ; quia justi in hac vita sunt vertibiles et defectibiles, et Deus unicuique providet secundum suum modum ; unde non debet eis auxilium præservans a propria defectibilitate, sed quibus datur misericorditer datur.

[1] 3. Cont. Gent. c. 155. et 2. 2. q. 137. a. 4.

ARTICULUS X.

UTRUM HOMO IN GRATIA CONSTITUTUS INDIGEAT SPECIALI AUXILIO GRATIÆ AD FINALITER PERSEVERANDUM ?

Non agimus hic de perseverantia sumpta pro virtute seu habitu inclinante ad eligendum et proponendum perseverare, neque de ipso proposito perseverandi, sed de ipso actuali exercitio perseverantiæ in bono usque ad finem vitæ.

Perseverantia sic sumpta potest accipi dupliciter : 1° pro diuturna continuatione in gratia et bonis operibus usque ad finem vitæ, ut plerumque contingit in adultis ; 2° pro conjunctione gratiæ cum morte sine diuturna continuatione, ut contingit in pueris post baptismum morientibus ; aut etiam in adultis paulo post adeptam, sive per baptismum sive per aliud sacramentum, justificationem decedentibus.

Dico : [1] Ad perseverantiam finalem sive diuturnam sive brevem et brevissimam requiritur speciale auxilium.

Prima pars de perseverantia finali diuturna patet ex quarta parte conclusionis artic. præced. Restat ergo difficultas de secunda parte : et quantum ad adultos currit secunda ratio dictæ conclusionis præcedentis desumpta ex vertibilitate liberi arbitrii : sed generaliter de omnibus et parvulis et adultis.

Probatur secunda pars : 1° ex canone lau-

[1] Q. 109 a. 10. o.

dato concilii Arausic. qui distinguit perseverantiam sumptam pro assecutione finis et sumptam pro diuturna continuatione in bono, et ad utramque requirit auxilium speciale quod est semper implorandum a sanctis. Similiter Trid. cit. ad perseverantiam simpliciter et indefinite requirit auxilium speciale.

2°. auctoritate S. Augustini, qui toto libro de dono perseverantiæ hanc veritatem adversus semi-pelagianos propugnat.

3° Juxta eumdem S. Aug. ibid. cap. 2, omnes justi dum in Oratione Dominica dicunt: «Adveniat regnum tuum», petunt perseverantiam talem, sive diuturnam, sive brevissimam, quæ conjungat gratiam cum morte, ad quam scilicet conjuctionem sequatur assecutio regni; « Cur autem, inquit ibid. S. Doct., perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? Nonne ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur ipsum non dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate? » Ergo.

4°. Qui etiam brevissimo tempore perseverat usque ad finem vitæ, habet vere et proprie donum perseverantiæ: atqui donum perseverantiæ secundum definitiones conciliorum et patrum est ex speciali gratia: ergo. Min. patet ex conciliis cit.; item ex eodem concil Trid. sess. 6. can. 16, et ex S. Aug de *Dono perseverant.* c. 2, a quibus perseverantia vocatur « magnum Dei donum »: et cap. 17. « Videte, inquit, quantum sit a veritate alienum negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum faciet hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis.... datur hæc gratia. » Major est etiam expressa ejusdem S. Aug. sententia ibid. cap. 1: « Hanc certe, inquit, de qua nunc agimus, perseverantiam qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est qui non perseveravit usque in finem; potiusque hanc habuit unius anni fidelis, et quantum infra cogitari potest, si donec moriatur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit. » Ergo juxta S. Aug. ille habet donum perseverantiæ qui usque ad finem perseverat per unum annum, « vel quantum infra cogitari potest », id est, vel etiam per unum diem, aut unam horam; eaque est notio perseverantiæ finalis, per quam nihil aliud intelligimus quam conjunctionem gratiæ cum morte ex efficaci intentione gloriæ, sive continuatio in bono diu vel parum duraverit.

5° Conjunctio gratiæ cum morte est proprius effectus specialis providentiæ, nempe prædestinationis; solis enim prædestinatis convenit et nulli alteri: ergo habetur per speciale auxilium?

Petes in quo consistat istud speciale auxilium?

Suppono donum perseverantiæ includere non solum auxilium sufficiens quo homo potest perseverare, sed etiam efficax quo de facto perseverat: « De illa perseverantia loquimur, inquit S. Aug. *de Dono persev.* cap. 6. qua perseveratur usque in finem; quæ si data est, perseveratum est usque in finem; si autem non est perseveratum usque in finem, non est data » Et lib. *de Correpl et grat.* cap. 12: «Datur sanctis donum quo non nisi perseverantes sint » Ibidem: « Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. » Hoc supposito,

Resp. ad petitionem hoc auxilium non consistere in aliquo indivisibili, neque eodem modo omnibus dari, sed plura includere et intrinseca et extrinseca. Cum enim donum perseverantiæ finalis formaliter consistat in conjunctione gratiæ cum fine vitæ ex efficaci gloriæ intentione imperata, illam Deus singulari providentia variis modis procurat: quibusdam accelerando mortem, ne cadant; aliis prorogando vitam, ut resipiscant; aliis subtrahendo pericula et tentationes, aut eas temperando; quæ omnia pertinent ad auxilia extrinseca; aliis in periculis et tentationibus constitutis vires augendo, ut vincant et insuperabiliter atque indeclinabiliter stent in bono usque ad finem; et hæc pertinent ad auxilia intrinseca.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Perseverantia finalis est conjunctio gratiæ cum morte: atqui homo justus potest cum auxiliis communibus gratiæ annexis se aliquandiu conservare in bono, saltem si isto brevi intervallo nulla aut levis tentatio occurrat; et interim potest mors contingere ex causis naturalibus; hæc enim non est Dei donum, sed pœna peccati: ergo sine gratia speciali potest homo justus perseverare finaliter.

Resp. dist. maj. Perseverantia finalis est conjunctio gratiæ cum morte, casualis et per

accidens contingens, nego. Est conjunctio per se volita ex efficaci gloriæ intentione, conc. Nemo enim dicet salutem et prædestinationem hominis esse casualem et fortuitam: admittenda est ergo aliqua causa per se hujus conjunctionis, quæ non est alia quam intentio Dei efficax conferendi prædestinato gloriam et inde manans auxilium efficax ad conjungendam gratiam cum morte: unde cum dicitur in minori, quod interim mors accidat ex causis naturalibus et non sit donum Dei, distinguo. Mors considerata secundum rationem communem qua convenit hominibus et brutis, est ex causis naturalibus, nec est donum Dei, conc.; considerata ut conditio requisita ad habendum statum immobilem in gratia, nego: sub ista enim ratione providetur a Deo per singularem curam, juxta quod dicitur Sap. 4: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum.*

Inst. 1°. Justus habet virtutem perseverantiæ infusam, sicut alias virtutes infusas gratiæ annexas: ergo cum illa perseverare potest.

Resp. dist. conseq. Ergo cum illa perseverare potentia antecedente, conc.; potentia consequente, nego. Alioquin et omnes justi perseverarent, et qui non perseverarent non haberent virtutem perseverantiæ, et quisquis non ageret non haberet virtutem agendi: quæ omnia sunt falsa. Hic autem non est quæstio an ad posse perseverare requiratur auxilium speciale, sed an ad perseverandum actu, ut notavimus ex S. Aug.

Inst. 2°. et subsumes: Atqui habenti virtutem perseverantiæ debetur secundum communem providentiam auxilium ad perseverandum actu: ergo.

Prob. subsumptum: unicuique formæ debetur auxilium ad ejus operationem: ergo.

Resp. neg. subsumptum. Ad prob. dist ant. Unicuique formæ debetur auxilium ad ejus operationem secundum conditionem subjecti, in quo est, conc.; præter conditionem subjecti, nego. Est autem virtus perseverantiæ in subjecto vertibili et defectibili; unde quod non permittatur deficere, est ex speciali auxilio.

Inst. 3°. Habenti gratiam debetur gloria: ergo a fortiori debetur auxilium pro continuatione gratiæ cum gloria.

Resp. neg. conseq. Quia quamvis homini habenti gratiam debeatur gloria, quandiu manet in gratia, non tamen ei debetur ut invariabiliter conservetur in gratia usque ad mortem, quia est naturæ vertibilis et defectibilis.

Obj. 2°. Deus semel justificatum non deserit nisi prius ab eo deseratur, ut definit Trid. sess. 6. cap. 11. Atqui si necesse foret auxilium speciale justo ad perseverandum, quod Deus pluribus justis denegat, desereret illum priusquam ab eo desereretur: ergo.

Resp. 1° juxta illos qui illam desertionem intelligunt per subtractionem gratiæ habitualis, Deum illam non subtrahere priusquam homo ipsum offendat mortaliter, sicque non deserere justum priusquam ab eo deseratur.

Resp. 2°. juxta alios qui illam desertionem intelligunt per subtractionem gratiæ actualis, etiam Deum non deserere justum priusquam ab eo deseratur; quia non subtrahit auxilium efficax gratiæ, nisi homo gratiis sufficientibus, quæ dant posse, prius sua culpa desit, juxta illud Trident. sess. 6. cap. 13, ubi agit de dono perseverantiæ: « Deus nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficiet operans velle et perficere. » Sed si quæras quare non dat omnibus justis gratiam efficacem qua non desint sufficienti? Resp. ex dictis, quia homo quantumvis justus est vertibilis et defectibilis, et Deus unumquemque movet secundum modum suum. Si ulterius quæras quare dat isti et denegat illi, resp. cum S. Aug. *de Dono persever.* cap. 9, « inscrutabilia esse ejus judicia ».

Petes 1°. Utrum angelis et primo homini in statu innocentiæ necessarium fuerit auxilium speciale ad perseverandum?

Resp. affirmative [1]; idque probat principium D. Th. scilicet omne defectibile et variabile reducendum esse ad aliquid invariabile et indefectibile, a quo habeat ut non deficiat, sed permaneat in bono; liberum autem arbitrium in statu innocentiæ erat variabile et defectibile: ergo ut non deficeret sed permaneret in bono, ad aliquid invariabile et indefectibile debebat reduci, nempe ad voluntatem Dei auxiliantem. Igitur non erat quidem in Adamo et angelis infirmitas sananda, sed erat instabilitas regenda et firmanda: nulla erat agendi difficultas, sed erat magna cadendi facilitas, ut eventus probavit. Verum de hac gravi difficultate plusquam satis dixi dissert. 2. præambula hujus tract. a. 4.; require ibi.

Petes 2°. Utrum donum perseverantiæ finalis sit idem ac donum confirmationis in gratia?

Resp. negative: quia donum confirmationis in gratia dat non posse peccare sive mortaliter sive venialiter, secundum modum quo datur: at donum perseverantiæ finalis, rema-

[1] Cont. Gent. c. 155, et 2-2. q. 137 a. 4.

nente potentia peccandi, dat tantum non peccare mortaliter usque ad mortem : unde est commune omnibus prædestinatis, non donum confirmationis in gratia.

DISSERTATIO IV.

De essentia gratiæ.

D. Th. Q. 110.

Quæstio est præcipue de gratia habituali et sanctificante, quæ per antonomasiam appellatur gratia, per quam scilicet constituimur filii Dei et hæredes regni, et ad quam reducitur gratia actualis sicut dispositio ad formam et motus ad terminum, ut jam dictum est, quæque ideo non constituit speciem distinctam a gratia habituali.

ARTICULUS I.

UTRUM GRATIA SIT DONUM ANIMÆ INTRINSECUM?

Negant lutherani et calvinistæ qui volunt hominem etiamsi peccatorem et in peccatis perseverantem esse Deo gratum et amicum denominatione extrinseca, nempe per imputationem justitiæ Christi, cujus intuitu Deus ipsum diligit, ejus peccata dissimulat, eumque habet filium et hæredem; modo tamen per fidem internam veluti per conditionem firmiter credat et confidat Deum sibi, propter merita Christi, peccata, etiamsi usque ad finem vitæ continuata, condonaturum. Quam pestifera, quam horrenda sit hæc doctrina, nemo non videt, utpote patentissimam omnibus flagitiis viam aperiens. Contra quos,

Dico [1] : Gratia habitualis gratum faciens est Dei donum animæ intrinsecum. Est de fide, decisa in concil. Trid. sess. 6. can .11, his verbis : « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit. »

[1] Hic q. 110. a. 1. o.

Hanc veritatem passim clamat S. Scriptura, et ut ex innumeris pauca seligam : Ezech. 36 : *Effundam super vos aquam mundam ;* postea : *Dabo vobis cor novum et spiritum novum in medio vestri.* 2. Pet. 1: *Maxima et pretiosa promissa nobis donavit, ut per hæc efficiamini consortes divinæ naturæ.* Rom. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* 1. Timot. 4: *Noli negligere gratiam quæ est in te.* 2. Timot. 1: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te.* Quid expressius ?

Insuper 1. Joan. 3 : *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* 2. Cor. 1 : *Signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Joan. 4 : *Qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam :* porro semen insitum, pignus commissum, sigillum impressum, fons aquæ e corde scaturiens, importat aliquid animæ intrinsecum. Hinc S. Aug. lib. 1. *de Peccat. merit.* cap. 9. « Deus, inquit, dat sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis. »

Prob. ratione : [1] Gratia est qua Deo grati sumus et ab ipso diligimur; non enim hic per gratiam quodvis beneficium gratis datum intelligimus, sed id quo homo est Deo gratus et acceptus atque ab ipso dilectus, seu est ipsa divina dilectio ex parte Dei et terminus illius ex parte hominis : atqui hujusmodi gratia non dicit solum amorem Dei extrinsecum, sed importat aliquid in anima intrinsecum : ergo. Prob. min. Amor humanus et divinus in hoc conveniunt quod respiciant bonum; sed in hoc differunt, quod amor humanus cum sit sterilis et affectivus tantum, non efficiat bonum

[1] Ibid.

quod diligit, sed supponit : at vero amor Dei cum sit potentissimus et efficacissimus, neque solum affectivus, sed effectivus (est enim causa totius bonitatis creaturæ, quæ a se bonum habere non potest) bonum non supponit, sed efficit : ergo fieri non potest ut Deus hominem diligat et gratum habeat, quin ipsum bonum efficiat secundum modum quo ipsum diligit : ita ut si diligat ipsum in ordine naturali, faciat ipsum bonum naturaliter, conferendo ipsi bona naturalia, esse, vivere, etc. Si in ordine supernaturali, faciat ipsum bonum supernaturaliter conferendo ipsi bonum supernaturale, quo fit ipsi gratus et amicus in ordine ad finem supernaturalem.

Dices contra hanc rationem Auctoris : Isa. 43. dicitur : *Ex quo honorabilis factus es et gloriosus in oculis meis, ego dilexi te:* ergo dilectio Dei non facit sed supponit bonitatem in homine.

Resp. neg. conseq. [1] Quia τὸ *ex quo* ibi non significat causam aut prioritatem, sed concomitantiam tantum et effectum dilectionis Dei, ita ut sensus sit : ex quo feci et reputavi te honorabilem, etc.

Inst. Deus diligit prædestinatos : atqui tamen non semper ponit in eis aliquid supernaturale, scilicet dum sunt in peccato : ergo.

Resp. neque Deum diligere amore efficaci prædestinatum, quando est in peccato.

Repones : Esto amor Dei sit efficax; inde sequitur tantum quod causet in homine aliquod auxilium supernaturale, non necessario gratiam habitualem : ergo.

Resp. neg. sequelam : hic est enim quæstio de amore Dei non qualicumque, sed perfecto, quo vult homini beatitudinem supernaturalem tanquam filio et hæredi; ex quo amore debet causari talis gratia per quam participet naturam divinam, cui debetur beatitudo ut hæreditas.

Pro cujus et aliarum difficultatum elucidatione, observandum est triplicem distingui in Deo dilectionem : primam mere naturalem, qua diligit omnes creaturas in ordine naturali, juxta illud Sap. 11: *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti,* et per eam communicat homini bona naturalia, esse, vivere, intelligere, etc. Alteram supernaturalem, sed imperfectam, qua hominem diligit imperfecte et inchoative in ordine ad æternam beatitudinem, et per eam ei communicat virtutes quasdam, fidem, spem et auxilia transeuntia, quæ possunt compati cum peccato et odio Dei. Tertiam tandem perfecte supernaturalem, qua simpliciter et perfecte diligit hominem in ordine ad æternam beatitudinem, et per eam ipsi communicat gratiam habitualem, qua fit simpliciter Deo gratus et amicus, particeps divinæ naturæ et hæres regni cœlestis.

[1] In cap. 43. Isa.

De hac materia iterum redibit sermo contra hæreticos, dum de justificatione.

ARTICULUS II.

UTRUM GRATIA SIT QUALITAS ANIMÆ?

Posito quod gratia sit aliquid creatum animæ intrinsecum, quærimus modo quid sit, et ad quod prædicamentum entis creati pertineat?

Quantum ad gratiam actualem, qua Deus adjuvat hominem movendo ipsum ad aliquid vel cognoscendum, vel volendum, vel agendum, resolvit Auctor non esse qualitatem, sed motum quemdam animæ; [1] quia actus moventis in moto est motus.

Observandum tamen quod ille actus, si consideretur in facto esse tanquam terminus productus a potentia vitali, Deo operante, possit dici qualitas incompleta habens se per modum passionis transeuntis. Dixit autem Auctor absolute non esse qualitatem, quia hunc actum Dei moventis consideravit in fieri, et quia non est quid fixum et permanens, prout intelligitur qualitas, quando loquimur de illa secundum quod distinguitur a passione.

Verum inde colliges juxta S. Th. gratiam actualem qua Deus movet ad agendum, esse aliquid a Deo distinctum et ab ipso causatum : dicit namque esse effectum gratuitum divinæ voluntatis, et motum seu motionem animæ quam Deus tribuit potentiis ut exeant in actum.

Colliges item esse etiam aliquid distinctum ab operatione hominis; quia datur ad hoc ut homo eliciat suas operationes, estque earum principium effectivum. Insuper gratia est a solo Deo, operatio autem est a Deo et homine.

His occasionaliter dictis, ut redeamus ad gratiam habitualem, de qua, ut dixi, præcipue est hic quæstio,

Dico : Gratia sanctificans est quædam animæ qualitas seu donum habituale permanens in anima.

Prob. 1°. ex. S. Scripturis a præcedenti laudatis, in quibus gratia dicitur semen, pignus, sigillum, fons; hæc enim significant donum permanens. Et Joan. 14 : *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

[1] Hic q. 110. a. 2. o.

Prob. 2° ex concil. Trid. etiam citato, definiente gratiam cordi inhærere : et cap. 16: « Justitia, inquit, nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur.» Hanc doctrinam quam Trid. hic definit tanquam de fide, concil. Viennense jam elegerat probabiliorem Clement. de fide, his verbis : « Opinionem secundam quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem et virtutes, tamquam probabiliorem..... duximus eligendam.»

Prob. ratione Auctoris : [1] Non est conveniens quod Deus minus provideat his quos diligit ad bonum supernaturale habendum, quam creaturis quos diligit ad bonum naturale habendum : atqui creaturis naturalibus sic providet ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quæ sunt principia tam radicalia quam proxima actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi motus; et sic motus quibus a Deo moventur sint creaturis connaturales et faciles, secundum illud Sap. 8: *Disponit omnia suaviter :* ergo multo magis illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad æternum consequendum : istæ autem formæ supernaturales sunt gratia et virtutes infusæ, gratia ut principium radicale operationum supernaturalium, virtutes ut principium immediatum.

Petes utrum sit de fide gratiam sanctificantem esse rigorose et philosophice qualitatem seu habitum ?

Resp. negative : ita tamen esse, est certo tenendum.

Prima pars patet : quia concilia tam Trid. quam Viennense, consulto abstinuerunt a vocibus « qualitatis et habitus », ne quæstionem de nomine inter theologos controversam definirent. Unde videtur quod ille fidei satisfaceret, qui teneret gratiam sanctificantem esse donum habituale internum distinctum ab actu, animæ permanenter inhærens, sive sit proprie et philosophice qualitas seu habitus, sive quidquid aliud.

Secunda pars etiam patet : quia habitus proprie est qualitas permanens, difficile mobilis, disponens subjectum ut bene vel male se habeat in suo esse vel operari : atqui gratia sanctificans est permanens, ut patet ex dictis; est difficile mobilis quantum est ex se et suis principiis, nempe innixa influxu divino, et ex se importans inclinationem contrariam peccato quod est ejus destructivum, licet per accidens ratione status et subjecti possit facile moveri; et tandem hominem de se indifferentem ad bonum et malum disponit ut bene se habeat circa divina : ergo.

[1] Ibid.

Neque obstat Auctorem, q. 27. de verit. a. 2 ad 7, dicere gratiam non esse proprie habitum; intelligit enim habitum immediate operativum, prout communius usurpatur a philosophis, qui in prima specie qualitatis reponebant tantum habitus proxime operativos : gratia autem proxime ordinatur ad tribuendum esse supernaturale, et mediate, per virtutes scilicet infusas, ad operandum supernaturaliter. Hanc esse mentem S. Thomæ patet ex ratione quam subjungit : « Quia, inquit, non immediate ordinatur ad actum, sed ad quoddam esse spirituale quod in anima facit.» Insuper dicit ibidem gratiam esse in prima specie qualitatis.

ARTICULUS III.

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS SIT FORMALIS ET PHYSICA PARTICIPATIO NATURÆ DIVINÆ ?

Gratiam esse aliquam naturæ divinæ participationem nullus negat propter expressa S. Scripturæ et patrum testimonia. Sed quæ et quomodo sit intelligenda dubitatur. Quidam dicunt esse tantum moralem, consistentem in rectitudine voluntatis et imitatione sanctitatis et justitiæ Dei in suis operibus; eo sensu quo qui imitantur fidem Abrahæ, dicuntur ejus filii, qui imitantur malitiam diaboli, dicuntur ejus filii, quamvis physice non sint ex iis nati. Alii et communius dicunt esse participationem physicam; at non sic intelligenda est ista participatio physica, quasi per gratiam natura divina quoad essentiam communicetur homini, sicut in humanis natura parentis communicatur filio; hoc enim modo solum communicatur natura divina intra Deum divinis personis, sed intelligenda est accidentaliter per similitudinis participationem, seu per donum aliquod ab ipsa natura divina distinctum, eam analogice et imperfecte imitans ac exprimens. Quo sensu

Dico : [1] Gratia est formalis et physica participatio divinæ naturæ.

Prob. 1° ex illo celebri et expresso testimonio principis Apostolorum epist. 2. c. 1: *Per ipsum* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Item S. Scriptura passim

[1] Hic q. 110. a. 3. et 4. et q. 112. a. 1.

testatur justos per gratiam ex Deo generari, nasci, renasci et filios Dei fieri. Jacob. 1 : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Joan. 1 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* I. Joan. c. 3 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et peccare non potest, quoniam ex Deo natus est.* Et cap. 5 : *Qui natus est ex Deo non peccat : sed gratia Dei conservat eum.* Et plura alia similia : atqui per generationem et nativitatem natura communicatur, isque solus filius dicendus est qui patris naturam refert : ergo.

Si dicas hæc omnia posse intelligi de participatione morali,

Contra : Verba quibus Deus dona sua commendat, non sunt exaggerativa neque hyperbolica, quasi plus exprimant quam reipsa sint, sed potius sunt infra magnitudinem donorum: non enim Deus est ut homines, qui parva dona magnificis verbis extollere solent, sed ejus dona ac promissa verborum expressionem superant, juxta illud Apost.1. Cor. 2: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum :* atqui si gratia non sit propria et physica participatio divinæ naturæ, sed moralis tantum, verba quæ illam participationem exprimunt, quod scilicet simus consortes divinæ naturæ, nati ex Deo et filii Dei, erunt exaggerativa et hyperbolica, nec proprio sensu vera, sed improprio et diminuto ; qui enim rem moraliter tantum participat, illam improprie et diminute participat : ergo. Adde juxta regulam S. Augustini, S. Scripturam proprio et obvio sensu intelligendam esse, ubi nullum occurit inconveniens : atqui nullum est inconveniens quod gratia sit physica et propria participatio divinæ naturæ : ergo.

Prob. 2°. Per naturam divinam intelligimus id quod in Deo concipitur ut radix divinarum perfectionum et principium radicale divinanarum operationum, scilicet seipsum intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, omnia extra se propter se faciendi : atqui gratia sanctificans hanc fontalem et primitivam Dei perfectionem physice imitatur et exprimit: ergo. Prob. min. Homo justus vi gratiæ sanctificantis radicaliter disponitur et propendet in Deum intuitive videndum, in ipsum amore beato diligendum et ad omnia propter ipsum facienda : insuper est radix virtutum infusarum quæ sunt divinorum attributorum imagines et participationes : ergo.

Confir. 1°. Sic gratia participat naturam divinam, sicut alia dona participant divina attributa : atqui alia dona participant proprie et physice divina attributa : sic charitas proprie participat divinum amorem ; lumen gloriæ, divinum lumen ; gloria sanctorum, ipsam Dei gloriam et beatitudinem, Joan 17 : *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis :* ergo.

Confir. 2°. Effectus et finis gratiæ, quatenus est participatio divinæ naturæ, sunt reales et physici : ergo et ipsa participatio : causa enim cujus effectus et finis sunt reales et physici, est realis et physica. Prob. ant. Effectus gratiæ sanctificantis, ut est participatio divinæ naturæ, sunt virtutes supernaturales, quæ ad illam sequuntur ut proprietates ; finis est visio beatifica : atqui hæ virtutes et ista visio sunt reales et physicæ : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Natura divina, cum sit actus purus, ens a se, ens infinitum, plenitudo essendi, etc, non est communicabilis, neque participabilis a creatura ; alioquin creatura deberet dici actus purus, ens a se, ens infinitum, etc.

Resp. dist. ant. Natura divina non est communicabilis per essentiam creaturæ, conc.; accidentaliter per donum creatum quod naturam divinam analogice imitetur et exprimat, nego. Solutio patet ex prænotamine.

Utrum autem gratia participet ipsam rationem actus puri et infiniti, dissentiunt theologi. Quidam negant et dicunt sufficere si participet naturam divinam secundum quod est radix operationum divinarum, quibus nempe seipsum diligit, seipsum intuetur, seipsum beat et omnia propter seipsum operatur. Alii dicunt gratiam participare etiam rationem actus puri et infiniti, non adæquate, sed inadæquate, quia participat id quod est Deo proprium ut est actus purus et infinitus, nempe ut sit suo modo radix operationum quæ Deo conveniunt ex hoc quod sit actus purus et infinitus. Sed videtur dissentio quoad vocem potius quam quoad rem ; utrique enim conveniunt quod gratia in hoc solum participet naturam divinam, quod sit radix operationum quæ tendunt in Deum modo excedente naturam creaturæ et Deo proprio secundum quod est ens a se et infinitum : dissentiunt autem an ob id debeat

dici participare rationem entis a se, actus puri et infiniti.

Obj. 2°. Res inanimatæ dicuntur generari a Deo : Job. 38: *Quis est pluviæ pater, aut quis genuit stillas roris?* Atqui tamen illæ non participant naturam Dei : ergo ex prolatis S. Scripturæ testimoniis, quibus dicimur nasci seu generari a Deo, non probatur efficaciter quod gratia sit participatio propria naturæ divinæ.

Resp. S. Scripturam phrasi poetica, quæ frequens est in libro Job, ibi ponere patrem pro auctore, et sumere generationem lato et improprio sensu pro creatione seu quacumque productione.

Inst 1°. S. Scriptura eos, qui bene vivunt et faciunt Dei voluntatem, vocat filios Dei; Matth. 5 : *Benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri.* Et Luc. 6: *Diligite inimicos vestros, et eritis filii Altissimi.* Et Matth. 12, Christus vocat fratres suos qui faciunt Patris sui voluntatem : atqui his significatur solum morale consortium cum Deo, nosque effici ejus filios moraliter seu imitatione morum : ergo ex testimoniis in probatione allatis quibus dicimur per gratiam filii Dei, non evincitur participatio propria et physica naturæ divinæ, sed moralis tantum.

Resp. equidem nos etiam morali quodam modo effici filios Dei per imitationem morum; at illa filiatio non excludit alteram qua etiam sumus per gratiam filii Dei, naturam divinam physice participando, sed supponit : Deus enim primo infundit gratiam qua divinam naturam physice participamus et ipsi grati atque ejus filii efficimur : deinde homo sic Deo gratus et ejus filius,per proprios actus gratia informatos, fit etiam sensu morali filius Dei, paternos mores imitando : sicut filius alicujus insignis viri, si mores patris sequatur, dicitur adhuc effici ejus filius : et hoc innuunt verba Christi : *ut sitis filii Patris vestri :* supponunt enim jam aliunde esse Patrem quam ex dilectione inimicorum.

Obj. 3°. Per gratiam efficimur duntaxat filii Dei adoptivi : atqui adoptio in humanis non communicat naturam, sed tantum jus ad hæreditatem : ergo similiter in divinis.

Resp. neg. conseq. Disparitas est : 1° quod in humanis adoptio supponat in adoptato eamdem specie naturam quæ est in adoptante, secus in adoptione divina ; 2° quia amor quo adoptans fertur in adoptatum, est sterilis et affectivus tantum, non effectivus et efficax physice ; unde nihil physicum in eo producere potest, sed tantum aliquid morale et civile, scilicet jus ad hæreditatem : amor autem Dei quo adoptat per gratiam hominem, est effectivus et efficax, et in eo efficit bonum quod diligat, scilicet participationem suæ naturæ.

Inferes : Ergo justus non solum est filius Dei adoptivus, sed naturalis. Prob illatio : Communicatio physica naturæ facit filium naturalem : ergo.

Resp. neg. illationem. Ad prob. dist. ant. Communicatio physica naturæ facit filium naturalem, si communicetur essentialiter, ita ut natura illius cui communicatur sit eodem modo ac in generante, conc. Si communicetur accidentaliter seu per donum accidentale et diverso modo ab eo qui est in generante, nego. Sic est autem in nostro casu, ut patet ex dictis.

Consectaria.

Ex dictis colliges 1° gratiam habitualem esse entitative supernaturalem. Pro cujus intelligentia

Observandum est quod supernaturalitas simpliciter dicta sit elevatio super totam naturam creatam et creabilem : sicut enim v. g. natura angelica dicitur supernaturalis secundum quid, quia elevatur super aliquam naturam creatam scilicet corpoream, ita supernaturalitas absoluta, qualis est divina, est elevatio super omnem naturam creatam et creabilem.

Duplex distinguitur supernaturalitas : una ex parte causæ efficientis seu quoad modum, et est entitas naturalis supernaturali modo producta, ut resurrectio mortuorum, illuminatio cæci nati. Altera est supernaturalitas ex parte causæ formalis et entitative. Et de ista quæstio est.

Observandum insuper Deum non excedere naturam creatam et creabilem præcise in esse, vivere et intelligere, quia ista sunt dispersa in creaturis, sed in modo ea habendi sine admixtione potentialitatis et imperfectionis. Excedit autem omnem naturam creatam et creabilem in ratione actus puri, entis a se, infiniti, etc. ; sed juxta quosdam theologos istæ perfectiones non sunt participabiles a creaturis, ut dixi supra. Tandem excedit omnem naturam creatam et creabilem in ratione principii radicalis divinarum operationum, quæ habent ipsum Deum pro objecto specificativo et connaturali atque ultimo fine : hoc autem, ut dictum est, participatur per gratiam a creatura rationali, quatenus per illam gratiam elevatur homo ad connaturaliter amandum Deum, ipsum viden-

dum, eoque beate fruendum, finito tamen modo, cum hæc Deo competant infinito modo; participare enim est partem capere et partem relinquere.

Igitur supernaturalitas gratiæ consistit in ista participatione principii radicalis divinarum operationum, seu, ut alii dicunt, in habitudine ad Deum ut objectum connaturale specificativum istarum operationum, quod ferme idem est : consequenter gratia est entitative supernaturalis.

Colliges 2° Gratiam esse nobiliorem omni alio ente creato : quia bonum creatum eo nobilius est et excellentius quo perfectius participat bonum divinum : atqui gratia perfectius participat bonum divinum quam quodlibet ens creatum ; per eam enim homo fit consors divinæ naturæ, ut dictum est. Et hinc Auctor, [1] « Bonum, inquit, gratiæ unius, majus est quam bonum naturæ totius. »

Confir. Illud est melius quod plus a Deo diligitur : atqui Deus plus diligit justum quam omnes creaturas ordinis naturalis, sicut pater plus diligit filium quam domum, agros, pecudes : unde dicit Apostolus ipsum omnia fecisse propter electos.

Nec refert substantiam esse nobiliorem accidente : id quidem verum est quoad modum essendi ; quia substantia est ens per se, accidens ens in alio ; at non quoad speciem et essentiam : possunt enim accidentia superioris ordinis esse nobiliora quoad speciem quam substantiæ inferioris ordinis : sic intellectus est nobilior lapide.

ARTICULUS IV.

UTRUM GRATIA DISTINGUATUR A CHARITATE?

Durandus tenet distingui nomine tantum, Scotus formaliter, quidam virtualiter ratione diversorum officiorum ; thomistæ cum Auctore [2] et pluribus extraneis realiter. Cum quibus

Dico : Gratia probabilius distinguitur a charitate.

Prob. 1°. ex S. Scripturis, conciliis et patribus, qui diversis nominibus gratiam et charitatem appellant, et de illis ut de duabus rebus loquuntur : 2. Cor. 13 : *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei.* Rom. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* per Spiritum autem intelligitur gratia per quam Spiritus habitat in nobis. 1. Timoth. 1 : *Superabundavit gratia Domini cum fide et dilectione.* Concil. Viennense Clement. de sanctissima Trinitate, dicit baptizatis infundi « gratiam et virtutes. » Moguntinum anno 1549. c. 7 : « Gratia, inquit, cum venia peccatorum accipitur, et per Spiritum Sanctum cum fide charitas. » Trid. sess. 6. cap. 7 : « Renovatio interioris hominis fit per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum » : can. 11, definit hominem non justificari « exclusa gratia et charitate » : et hoc sensu mentem concilii intellexit ejus Catechismus parte 2. *de Baptismo,* ubi cum cap. 38. dixit hominis animam in baptismo divina gratia repleri, eamque descripsit, cap. 39. immediate subjungit : « Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia infunduntur. » S. Aug. *de Dono persev.* cap. 16. « Gratia prævenit charitatem » ; et *in Psal.* 103. v. 15, definit gratiam quod sit « nitor animæ sanctum concilians amorem. » Porro nulla ratio adferri potest cur S. Scriptura, concilia et patres loquentes in re dogmatica semper unam et eamdem rem intelligant sub diversis nominibus gratiæ et charitatis seu virtutum ; ad minus inutilis esset repetitio, incongrua et vitiosa battologia, præsertim id tam frequenter repetendo : inde igitur eruitur si non certitudo, saltem magna probabilitas nostræ sententiæ.

Prob. 2°. Charitas supponit gratiam : ergo realiter distinguitur ab illa. Prob. ant. Virtus supponit naturam sibi proportionatam : virtus enim est perfectio potentiæ congruens naturæ, seu ut dicitur communiter ex philosopho, « est dispositio perfecti ad optimum » ; id est, dispositio naturæ jam constitutæ ad operandum in ordine ad finem ipsi naturæ convenientem : ergo sicut virtus humana supponit naturam humanam quam disponit in ordine ad finem naturalem consequendum, ita virtus supernaturalis supponit naturam elevatam ad esse supernaturale quam disponit congruenter in ordine ad finem supernaturalem consequendum. Subsumo : atqui charitas est virtus supernaturalis, et esse supernaturale communicatur per gratiam, ut dictum est : ergo charitas supponit gratiam.

Dices eamdem formam posse præstare hunc utrumque effectum, scilicet elevationem ad esse supernaturale et dispositionem ad operandum ; quia licet virtus debeat esse distincta a natura, quando natura est substantia quæ non est per se operativa, secus tamen si ipsa natura

[1] Infra q. 113. a. 9. ad 2. — [2] Hic a. 3. o. et q. 27. de verit. a. 2. o.

sit accidentalis, ut est gratia; tunc enim nihil obest quin eadem forma tribuat esse et reddat operativum : sicut idem calor tribuit ligno esse calidum et calefactivum.

Sed contra 1°. Elevatio naturæ est in essentia animæ, virtus operativa in potentia animæ; non potest autem eadem forma subjectari in duobus subjectis realiter distinctis ex philosophia. 2°. Si una et eadem forma propter sui eminentiam posset tribuere elevationem in anima et operationem in potentia, poterit pariter una et eadem forma præstare effectus omnium virtutum infusarum et donorum, sicque perperam distingueremus septem dona, tres virtutes theologicas, etc. : non enim est ratio cur una forma propter sui eminentiam possit tribuere elevationem et operationem, et non possit tribuere plures effectus virtutum in potentiis. 3°. Esto id fieri posse de potentia Dei absoluta, connaturalius tamen est ut id fiat per diversas formas; quia cum in quolibet ordine esse præsupponatur ad operari, ita principium essendi debet præsupponi ad principium operandi; unde ut idem sit principium essendi et operandi, requiritur maxima eminentia quæ non est connaturalis nec secundum cursum ordinarium.

Ad exemplum caloris in ligno, disparitas est quod non sit virtus respectu ligni, sed requiritur tantum ad illud alterandum et ad diffundendum similem virtutem extra se: virtus autem non disponit subjectum præcise ad agendum extra illud, sed ad agendum conformiter ad suam naturam; est enim, ut dictum est, dispositio perfecti ad optimum : ergo debet supponere naturam in tali subjecto, qua fiat sibi conveniens operari per talem virtutem : non est autem conveniens naturæ secundum se et non elevatæ operari per virtutem supernaturalem, quia non est sibi proportionata, sed excedens.

Confir. conclusio multipliciter. 1°. Gratia est effectus et terminus dilectionis Dei, ut diximus superius; charitas est qua diligimus Deum, seu dilectores Dei efficimur : atqui Deus prius nos diligit quam ipsum diligamus; nam *prior dilexit nos*, 1. Joan. 4.

2°. Gratia est participatio divinæ naturæ, charitas participatio divinæ voluntatis : atqui istæ participationes sunt naturaliter distinctæ : ergo. Prob. min. Tum quia natura et voluntas in Deo virtualiter distinguuntur; quæ autem virtualiter in Deo distinguuntur, participata in creaturis realiter distinguuntur : tum quia plus differt natura a voluntate quam voluntas ab intellectu; sed participatio voluntatis differt a participatione intellectus : ergo.

3° Omnis inclinatio sequitur ad formam; sed charitas est inclinatio ordinis supernaturalis : ergo supponit formam supernaturalem ad quam sequitur.

4° Deus non minus providet naturæ in ordine supernaturali quam in ordine naturali : atqui in ordine naturali rem ita constituit, ut primo det formam essentialem seu naturam cui competat talis finis, deinde potentias in ea radicatas ad operandum pro assecutione finis: ergo similiter in ordine supernaturali.

Dices : Ex doctrina huc usque tradita sequitur quod virtutes infusæ non magis possint esse sine gratia quam proprietates sine essentia a qua dimanant, v. g. quam potentiæ naturales sine anima rationali : atqui falsum esse consequens patet in fide et spe, quæ remanent in peccatore sine gratia : ergo.

Resp. dist. min. Fides et spes remanent in peccatore secundum nudam entitatem et ut in subjecto præternaturali, conc. Secundum rationem virtutis perfectæ et formatæ et ut in subjecto connaturali, nego. Sunt autem proprietates gratiæ secundum rationem virtutis perfectæ et formatæ et ut existunt in subjecto connaturali; secus sumptæ secundum substantiam et ut existunt in subjecto præternaturali, qualis est peccator : sic v. g. calor in igne in quo est secundum perfectum esse, est proprietas ignis; at calor in aqua ubi habet esse imperfectum et in qua est ut in subjecto præternaturali et violento, non est proprietas aquæ.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. cum Honorato Tournely : Non sunt realiter habitus distinguendi, quorum iidem sunt effectus : atqui charitatis et gratiæ iidem sunt effectus : ergo. Prob. min. Sex sunt effectus gratiæ sanctificantis. Primus, gratia sanctificans nos filios Dei efficit : at id de charitate affirmat S. Joannes 1. Epist. 4: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Secundus, gratia nos Deo gratos et acceptos reddit : id efficit charitas, Joan. 4 : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Tertius, gratia vitam spiritualem nobis confert : at de charitate dicitur I. Joan. 3: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit manet in morte.* Quartus, gratia nos Deo conjungit : at id quoque præstat charitas, 1. Joan. 4: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Quintus, gratia est radix omnium bonorum operum : at Apost. 1. Cor. 13 omnium fere virtutum actus charitati tribuit; *Charitas patiens est, benigna est,* etc. Sextus denique, gratia est semen vitæ æternæ ac salutis nostræ causa : at de charitate id ipsum dicitur Jacob. 1: *Coronam vitæ repromisit Deus diligentibus se :* ergo. Potuisset addere objiciens quæ communiter opponuntur, scilicet illud 1. Joan. 3: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus ;* et illud Christi Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* esse enim filius Dei et peccata dimitti, sunt effectus gratiæ.

Resp. 1° generaliter ad hæc omnia, eosdem effectus tribui gratiæ et charitati, non quod sint unus habitus, sed quia sunt inter se connexæ et ex natura sua inseparabiles : unde fit ut quæ gratiæ formaliter conveniunt, tribuantur charitati, ut præcipuæ ejus proprietati; et vicissim ea quæ charitati propria sunt, tribuantur gratiæ, ut ejus radici. At vero quam imbelle sit istud argumentum, inde patet quod non solum charitati, sed etiam fidei eosdem effectus tribuat S. Scriptura, nempe quod justificet, quod peccata remittat, quod Deo uniat, quod nos Deo gratos reddat, etc. et tamen nullus catholicus hinc infert gratiam sive charitatem et fidem non distingui realiter. Dicendum itaque quod cum gratia, fides et charitas simul concurrant ad justificationem, quælibet suo modo, ideo justificatio singulis tribuitur, sed cuilibet suo modo absque alterius exclusione.

Resp. 2° etiam generaliter charitatem sæpe sumi in S. Scripturis et patribus non pro solo habitu charitatis nos inclinante ad diligendum Deum, sed pro vinculo amicitiæ quæ est inter nos et Deum, quo scilicet et diligimus Deum et diligimur a Deo, quo sensu charitas includit gratiam, omnesque effectus gratiæ tribuuntur charitati et vicissim.

Resp. 3° ad singula. Ad primum, omnis qui diligit, ex Deo natus est, id est, quia est ex Deo natus, diligit, at non ideo natus est ex Deo, quia diligit [1]. Ad secundum, revera qui diligit Deum, diligitur a Deo, non tamen ejus dilectio est causa cur Deus ipsum diligat, sed potius e converso : ipse enim prior dilexit nos, ut dictum est; et quia nos dilexit, dedit nobis gratiam et charitatem qua diligeremus ipsum. Ad tertium, sensus est quod ex dilectione fraterna tanquam ex signo habeamus certitudinem moralem quod simus in gratia; quia dilectio proximi et condonatio injuriarum est effectus et fructus indubitatus gratiæ : ita Tirinus post SS. Basil. et Leon. Ad quartum, charitas nos jungit Deo ut amico dilecto formaliter, gratia autem nos jungit Deo ut amico diligenti; prior autem diligit nos, quam ipsum diligamus. Vel qui manet in charitate in Deo manet et Deus in illo; quia qui manet in charitate, habet gratiam per quam primo Deus est in nobis. Ad quintum, non est sensus quod charitas sit radix omnium bonorum operum et omnium virtutum, sed quod actus omnium virtutum efficiat, non eliciendo, sed imperando, eisque ea ratione perfectionem et meritum tribuat. Ad sextum, vita æterna promittitur ut corona et merces actibus charitatis, gratiæ autem promittitur ut hæreditas. Vel vita æterna promittitur charitati ut principio proximo actus meritorii, gratiæ ut principio radicali. Ad primum additum : non agitur ibi de charitate qua nos diligimus Deum, sed qua Deus nos diligit, seu de dono et effectu divinæ dilectionis qui est gratia, quem S. Scriptura vocat charitatem Dei, eo sensu quo voluntas Dei dicitur id quod vult Deus; ut cum dicimus : *fiat voluntas tua,* unde ex hoc textu potius confirmatur conclusio quam infringatur. Ad secundum additum : sensus est quod remissio peccatorum tribuatur charitati, ut dispositioni comitanti gratiam, quæ est formaliter remissio peccati : unde illi qui plus diligit, plura peccata remittuntur, quia majorem gratiam habet.

Obj. 2° cum eodem : Causa formalis qua justificamur, est gratia sanctificans; hinc enim justificans etiam appellatur : atqui charitas est causa formalis qua justificamur : ergo. Prob. min. Concil. Trid. sess. 6. cap. 7, ait nos effici formaliter justos per justitiam, qua donamur a Deo, et paulo post ait id fieri in nobis, dum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur : ergo.

Resp. neg. min. Ad prob. Concilium non dicit nos effici formaliter justos per infusionem charitatis, sed per justitiam qua donamur a Deo, quod fit, inquit, dum infunditur charitas, quia cum charitate simul infunditur gratia, neque solum gratia, sed etiam fides et spes, ut subjungit ibidem concilium : hæc enim omnia et gratiam et virtutes complectitur justitia qua donamur et justificamur, ita ut omnia concurrant in ratione unius formæ completæ justificationis, quodlibet suo modo; gratia dignificando et rectificando animam, virtutes ordinando potentias in operationes et

[1] Q. 27. de verit. cit.

finem. Id aperte significat concilium ibid. initio capitis dum dicit justificationem esse « sanctificationem et renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum »: et postea subjungit quod « in ipsa justificatione cum remissione peccatorum (quæ fit formaliter per gratiam) hæc omnia simul infusa accipit homo..... fidem, spem et charitatem »: unde neminem movere debet quod in verbis objectis non exprimat gratiam; illam enim expresserat initio capitis, ut distinctam a virtutibus, et in verbis sequentibus illam innuit per remissionem peccatorum, quæ, ut dixi, est effectus formalis gratiæ. Insuper can. 11 ejusdem sess. hanc distinctionem exprimit, dum dicit homines non justificari « exclusa gratia et charitate. » Si forte dicas concilium in hoc ultimo loco prosequi in singulari numero sic : « quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhæreat » ; quod signum est ipsum loqui de gratia et charitate tanquam de una et eadem re.; resp. concilium locutum fuisse in numero singulari, non quia gratia et charitas sunt unus habitus, sed quia sunt unum in ratione causæ formalis justificationis; loquitur enim de illis quatenus constituunt unam causam completam justificationis.

Obj. 3°. Si gratia et charitas realiter distinguerentur, possent saltem de potentia Dei absoluta separari, sicut proprietates naturales possunt de potentia Dei absoluta separari ab essentia, ut calor ab igne : atqui falsum consequens : ergo. Prob. min. Si gratia esset in aliquo sine charitate, ille esset Deo gratus et amicus, quia eum esse talem efficeret gratia ; et non esset, quia non diligeret Deum. Item iste salvaretur, cum per gratiam esset filius Dei adoptivus et consequenter hæres regni; et non salvaretur, quia non haberet charitatem, sine qua nemo salvatur. Similiter si esset in eo charitas sine gratia, esset gratus Deo, quia ipsum diligeret; et non esset gratus, quia careret gratia per quam fit gratus. Item posset salvari, quia nullum haberet peccatum, quod est incompossibile cum charitate; et non posset, quia carens gratia, non esset filius et hæres, et ideo non haberet jus ad regnum : ergo.

Resp. dato ant. neg. min. Ad 1. inconveniens, resp. quod iste foret formaliter Deo gratus et a Deo dilectus per gratiam, ex qua natus est sequi habitus charitatis qua fieret etiam Dei dilector, si non impediretur; et ideo non obstaret quin Deus ipsum diligeret, præsertim cum in occasione posset etiam diligere Deum ex motione Spiritus sancti. Ad 2, resp. quod iste salvaretur, non jure meriti, sed jure hæreditatis : quod autem nemo salvetur sine charitate, id verum est secundum cursum ordinarium, non extraordinarium. Ad 3, multi negant possibilitatem hypothesis ; quia, inquiunt, impossibile est dari proprietatem præsertim vitalem in aliquo subjecto sine essentia a qua dimanat; sic non potest esse intellectus aut voluntas sine anima rationali : charitas autem est potentia vitalis ordinis supernaturalis, unde non potest existere sine gratia quæ est radix vitæ supernaturalis. Sed data possibilitate hypothesis, resp. quod iste homo foret gratus Deo dispositive, non formaliter, et quod salvaretur non jure hæreditatis, sed jure meriti, non quidem omnino de condigno, propter defectum dignitatis personalis, sed aliquo modo inferiori: vel, ut alii volunt, pertineret ad Dei providentiam de aliquo alio fine ei providere.

Obj. 4°. Si gratia distinguatur a charitate, ut essentia a proprietate, sequitur quod gratia non possit augeri, quia essentia rei non suscipit magis et minus: falsum consequens : ergo.

Resp. neg. sequelam. Ad probat. dist. Essentia rei secundum perfectionem specificam considerata non suscipit magis et minus essentialiter, conc: si enim ei aliquid essentiale addas aut subtrahas, jam non erit eadem essentia ; sicut si numero ternario demas aut addas unitatem, desinit esse ternarius. Essentia rei individualis non suscipit magis et minus accidentaliter, nego: in his enim rebus quæ suscipiunt magis et minus, qualis est gratia, dum augentur aut minuuntur, earum essentia individualis pariter augetur aut minuitur : patet in ipsis virtutibus, v. g. charitate, quæ dum augetur, ejus essentia individualis augetur.

Petes quomodo virtutes dimanent a gratia?

Resp. quosdam opinari quod dimanent tantum moraliter, quatenus simul infunduntur cum gratia, si non præextiterint. Alii existimant dimanare non tantum moraliter, sed physice, seu saltem modo quodam ad fluxum physicum accedente, quatenus scilicet gratia ita est radix illarum, ut juxta dignitatem status et capacitatem subjecti illas exigat: idque videtur conformius modo loquendi S. Thomæ, qui dicit virtutes a gratia fluere, derivari, oriri, etc. Et alioquin accidens commune quod naturaliter comitatur subjectum, posset dici pariter dimanare et fluere a substantia rei; quod tamen non solet dici nisi de proprietatibus.

ARTICULUS V.

UTRUM GRATIA SIT IN ESSENTIA ANIMÆ TANQUAM IN SUBJECTO, AN IN ALIQUA POTENTIA ?

Dico: Gratia [1] est in essentia animæ tanquam in subjecto, et non in aliqua potentia. Sequitur ex articulo præcedenti.

Prob. [2] Omnis perfectio potentiæ rationalis est virtus, potentia enim est ad operandum, et virtus est habitus operativus, ut patet ex dictis in q. 55. et 56. Atqui gratia non est virtus sed quid prius virtute, ut probatum est art. præcedenti: ergo debet ei assignari subjectum prius potentiis animæ, quod non potest esse aliud quam essentia animæ, ut scilicet sicut homo participat per intellectum cognitionem divinam mediante virtute fidei, et per voluntatem participat amorem divinum mediante virtute charitatis, ita etiam per naturam animæ participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem et recreationem.

Confir. 1°. [3] Per gratiam regeneramur in filios Dei: atqui generatio prius terminatur ad essentiam quam ad potentias: ergo.

Confir. 2°. Inconveniens foret quod essentia animæ minus perficeretur donis supernaturalibus quam ejus potentiæ: ergo debet in ea reponi aliquod donum supernaturale ipsam elevans ad ordinem supernaturalem, ut totus homo sit supernaturaliter perfectus et quoad esse et quoad operari: atqui nullum aliud potest assignari quam gratia habitualis: ergo.

Obj. 1°. Gratia et gloria sunt in eodem subjecto: atqui gloria non est in essentia animæ, sed in ejus potentiis, est enim ipsa beatitudo formalis, scilicet visio clara Dei: ergo. Prob. maj. Gloria nihil est aliud quam gratia consummata: ergo.

Resp. hoc argumento probari, si quid probet, gratiam esse actum et non habitum, siquidem gloria sumpta pro beatitudine formali, sit actus, scilicet visio Dei: igitur, nego. maj. Ad Prob. dist. ant. Gloria sumpta pro beatitudine formali, quæ est Dei visio, est gratia consummata, nego. ant. alias, ut dixi, gratia consummata foret actus; gloria sumpta pro radice hujus beatitudinis formalis, est gratia consummata, conc.; et hæc gratia quidem consummatur per beatitudinem formalem, sicut quælibet res consummatur per assecutionem finis; at non est ipsa beatitudo formalis.

Obj. 2°. Opposita sunt in eodem subjecto: atqui peccatum quod opponitur gratiæ, est in voluntate: ergo.

Resp. dist. min. Peccatum quoad actum et habitum vitiosum est in voluntate, conc.; peccatum quoad reatum, offensam et maculam, quæ est ipsa privatio gratiæ, nego. Sic enim est in essentia animæ.

Obj. 3°. Gratia est principium et forma meriti: atqui meritum est actus potentiæ: ergo.

Resp. dist. ant. Gratia [1] est principium radicale meriti, conc.; principium proximum, nego. Dicitur autem forma meriti, quatenus reddit personam Deo gratam, et consequenter ejus actum gratum; unde debet residere in essentia personæ.

DISSERTATIO V.

De Divisione gratiæ.

D. Th. Q. III.

ARTICULUS I.

VARIÆ DIVISIONES GRATIÆ.

Gratia ut sic theologice sumpta, prout de ea hic agimus, est « Donum supernaturale gratis a Deo concessum creaturæ rationali intuitu meritorum Christi in ordine ad salutem æternam. »

Dicitur « donum », quod tenet locum generis. Dicitur « supernaturale », ut distinguatur a donis naturalibus, quæ non nisi lato sensu

[1] Q. 110. a. 4. 0. — [2] Ibid. — [3] Ibid in arg. s. c.

[1] Ib. ad. 2

gratiæ dicuntur : non tamen inde excluditur certa dispositio rerum naturalium ex singulari providentia in ordine ad salutem : hæc namque est supernaturalis ex parte finis et principii. Dicitur « gratis concessum », id est, nullo modo debitum, alioquin non foret gratia, ut dicit Apostolus. Dicitur « creaturæ rationali a Deo concessum intuitu meritorum Christi in ordine ad salutem »: per primas particulas designatur subjectum seu causa materialis gratiæ; per sequentes causa efficiens; per subsequentes causa meritoria; per ultimas causa finalis.

Gratia sic descripta dividitur 1° in externam et internam : externa est quæ hominem intrinsece non afficit, sed extrinsece tantum, ut sunt lex divina, prædicatio Evangelii, miracula, exempla Christi et Sanctorum, occasiones bene agendi providentia supernaturali præparatæ, occasiones peccandi eadem providentia remotæ ; uno verbo omnis effectus providentiæ supernaturalis ad salutem nostram ordinatus. Hanc gratiam eleganter ex parte describit S. Aug. lib. 50. Homiliarum, Hom. 23. inducens Deum sic loquentem: « Regebam te mihi, servabam te mihi: ut adulterium non committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci : locus et tempus defuit ; ut deesset, ego feci. Agnosce ergo gratiam. »[1] Ad hanc speciem potest reduci amor quo nos Deus ab æterno dilexit in ordine ab beatitudinem; et dicitur gratia increata, ex qua in tempore effluunt omnes gratiæ creatæ : de qua gratia increata abunde dixi, tract. de Deo, dissert. de voluntate Dei et de prædestinatione ; nunc autem agitur de gratia creata. Gratia interna est quæ hominem intrinsece afficit, sive hærendo ut gratia habitualis et virtutes infusæ; sive interius movendo, ut sunt gratiæ actuales intellectus et voluntatis.[2]

2°. Gratia interna dividitur in gratiam gratis datam, et gratiam gratum facientem : non quod gratia gratum faciens non sit etiam gratis data, sed quia cum primum membrum careat proprio nomine, illi ut ignobiliori tribuitur nomen generis, sicut brutum dicitur animal. Gratia gratis data, est quæ per se primo ordinatur ad salutem aliorum, et definitur donum Dei gratis collatum ad procurandam aliorum salutem ; juxta illud 1. Cor. 12 : *Datur unicuique manifestatio spiritus ad utilitatem,* scilicet aliorum. Gratia gratum faciens est quæ per se primo ordinatur ad salutem recipientis, et definiri potest, donum gratuitum quo homo justus et acceptus Deo constituitur : dixi de utraque « per se primo» ; quia et gratia gratis data potest secundario conducere ad salutem recipientis, si bene, id est ex charitate Dei et proximi, ea utatur; et gratia gratum faciens potest etiam secundario conducere ad salutem aliorum per exempla virtutum; sed neuter iste finis est primarius.

Gratiæ gratis datæ enumerantur novem species ab Apostolo loco cit. 1 Cor. scilicet sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetiæ donum, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum.

Hanc gratiæ gratis datæ divisionem esse bonam et sufficientem probat Auctor hoc eleganti discursu.[1] Gratia gratis data ordinatur ad ædificationem corporis Ecclesiæ et aliorum salutem, non quidem interius movendo, hoc enim solius Dei est proprium, sed exterius docendo et persuadendo : atqui ad hoc tria requiruntur : primum, quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc alios possit instruere; secundum, ut possit confirmare et probare quæ dicit, alias non esset efficax ejus doctrina; tertium, ut ea quæ concipit, possit auditoribus convenienter proferre.

Quantum ad primum tria sunt necessaria, sicut etiam patet in magisterio humano; 1° oportet enim quod ille qui debet alium instruere in aliqua scientia, sit ita dispositus ut principia illius scientiæ sint ei certissima, et quantum ad hoc ponitur fides. 2°. Oportet quod doctor recte se habeat circa principales conclusiones scientiæ, et sic ponitur sermo sapientiæ, cujus ex altioribus principiis concludere possit. 3°. Oportet ut abundet exemplis et cognitione effectuum naturalium, quia invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; et quantum ad hoc ponitur sermo scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum.

Quantum ad secundum, confirmatio et probatio rerum fidei per argumenta fieri non potest, quia excedunt rationem; unde adhiberi debent quæ sunt divinæ virtuti propria, et hoc dupliciter : uno modo faciendo quæ sola Dei virtus efficere potest in operibus miraculosis, sive particularibus ad salutem corporum, et ad hoc ponitur gratia sanitatum; sive generalibus operando supra totius naturæ ordinem ad divinæ potestatis manifestationem, sicut quod sol stet, aut tenebrescat, etc., et ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundo modo ea cognoscendo et revelando quæ solus Deus cognoscere

[1] Hic q. 110. — [2] Hic q. 111. a. 1. o.

[1] Ibid. a. 4. o.

potest, et hæc sunt vel futura contingentia et ad hoc ponitur prophetia, vel occulta cordium, et ad hoc ponitur discretio spirituum.

Quantum ad tertium, scilicet facultatem convenienter proponendi conceptus suos de rebus fidei, duo requiruntur : primum, ut qui docet calleat linguam illorum quos instruit, et ad hoc ponitur donum linguarum ; secundum, ut sensum verbi Dei qui quandoque est occultus, explicet, et ad hoc ponitur interpretatio sermonum : ergo.

Dices 1°. Fides est virtus theologica, sapientia et scientia numerantur inter dona Spiritus sancti : atqui hæc pertinent ad gratiam gratum facientem : ergo. 2°. Operatio virtutum seu miraculorum continet sub se gratiam sanitatum : ergo non debent distingui. 3°. Character sacerdotalis jurisdictio in foro interno, assistentia Spiritus Sancti data Ecclesiæ et ss. pontifici sunt gratiæ gratis datæ, et tamen non continentur in prædicta divisione : ergo non est adæquata.

Resp. ad primum, fidem hic non sumi pro virtute theologica qua simpliciter credimus ea quæ Deus revelat, sed pro speciali intelligentia et eminenti certitudine quæ mentem interius firmat circa principia fidei, et quæ exterius in verbis se manifestans ipsis conciliat auctoritatem ut sint efficacia ad alios instruendos et confirmandos in fide. Sapientia et scientia sunt dona Spiritus Sancti, et pertinent ad gratiam gratum facientem, quatenus reddunt hominem aptum ut ad propriam utilitatem moveatur a Spiritu Sancto circa veritates fidei : at sermo sapientiæ et scientiæ important habilitatem ad explicanda mysteria fidei prout expedit ad aliorum utilitatem, quæ facultas non est in omnibus justis, nec spectat habentis utilitatem, et ideo pertinet ad gratiam gratis datam.

Ad secundum, quamvis gratia sanitatum et operatio virtutum, seu miraculorum, sint inter se affines, differunt tamen ; tum quia sæpe separantur ; tum quia in gratia sanitatum relucet præcipue Dei benignitas erga miseriam hominis, in operatione autem virtutum relucet magis omnipotentia Dei toti naturæ imperans ; tum quia gratia sanitatum allicit ad fidem per modum beneficii, operatio virtutum per modum prodigii ; et his de causis Apostolus posuit ut gratias distinctas.

Ad tertium, character sacramentalis, jurisdictio in foro interno et specialis assistentia Spiritus Sancti Ecclesiæ concessa, non pertinent ad gratias gratis datas, sed ad ministrationem et operationem quas Apostolus ibidem distinguit a gratiis gratis datis : *Divisiones gratiarum sunt*, inquit, *idem autem spiritus ; divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus ; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus :* [1] hæc autem distinguuntur, quatenus gratia gratis data solum importat actum manifestativum fidei : ministratio vero seu ministerium dicit auctoritatem exercendi aliquem actum in ordine ad alios, ut apostolatus, episcopatus, presbyteratus et quæcumque prælatio : operatio autem est executio ministerii.

Si petas quæ gratia sit excellentior, an gratis data, an gratum faciens ?

Resp. gratiam gratum facientem esse excellentiorem ; [2] tum quia Apost. cap. 12. cit. 1. Cor. post enumeratas gratias gratis datas dicit : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro :* et, ut patet ex sequentibus, loquitur de charitate, quæ pertinet ad gratiam gratum facientem ; tum quia gratia gratum faciens immediate conjungit Deo hominem cui inest : gratia vero gratis data deservit tantum ut alii disponantur ad conjunctionem cum Deo.

3°. Gratia gratum faciens dividitur in habitualem et actualem. Habitualis duplex : una formaliter sanctificans et est gratia habitualis residens in essentia animæ, ut dictum est : altera est sanctificans complete, et sunt virtutes infusæ. Gratia actualis est quæ concurrit efficienter ad justificationem, quatenus per eam Deus movet ad vitam pie instituendam et ad opera salutaria efficienda, quibus vel disponimur ad gratiam habitualem, vel eam conservamus, vel ejus augmentum meremur : de gratia actuali quædam scitu necessaria dixi a. 1. dissert. 3 : relege.

4°. Gratia actualis dividitur in operantem et cooperantem. [3] Hæc divisio fundatur in S. Scriptura, conciliis et patribus. S. Scriptura duo tribuit gratiæ : primum, quod operatur aliquid in nobis præveniendo operationem nostram ; Act. 16 : *Aperuit cor Lydiæ purpurariæ intendere his quæ dicebantur a Paulo,* et Philip. 2 : *Operatur velle.* Secundum, quod nobiscum jam operantibus cooperetur, 1. Cor. 15 : *Non ego, sed gratia Dei mecum,* et Marc. 16 : *Prædicaverunt ubique Domino cooperante.*

Concil. Arausic. 2. can. 9 : « Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum operatur » : quibus verbis utraque gratia operans et cooperans significatur. Et can. 20 : « Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo : » en gratia operans prout explicabitur infra. « Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstat ut faciat homo » : en gratia cooperans.

[1] In c. 12. 1. cor. lect. 1. [1] Hic a. 5. o. [1] Ib. a. 2. o.

S. Aug. lib *de Grat. et lib. arbit.* cap 17, a quo theologi hanc divisionem sumpserunt : « Cooperando Deus, inquit, in nobis perficit, quod operando incepit : quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur ; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. » S. Greg. lib. 16. *Moral.* c. 10. » Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut, subsequente nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus, agat nobiscum. »

Si autem Auctor hanc divisionem intelligit et explicat : [1] operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi : in illo ergo effectu in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo tribuitur, et secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum tribuitur Deo, sed etiam animæ, et secundum hoc dicitur gratia cooperans.

Deinde docet quod respectu primi actus voluntatis quo incipit bonum velle, sive sit primus simpliciter, sive in aliquo particulari negotio, de quo non cogitabat, aut cum prius malum volebat, voluntas nostra sit mota et non se movens, consequenter respectu primi illius actus dicatur gratia operans ; respectu autem aliorum actuum a voluntate operatorum ex illo primo actu, voluntas sit movens et mota : et ideo respectu illorum dicitur gratia cooperans. Et quia ille primus actus est principium ad alios, vocat illum interiorem, actum autem ab illo causatum vocat exteriorem, quasi extra illum priorem.

Difficultas superest quomodo voluntas se habeat ad illum actum primum seu interiorem, qui est effectus gratiæ operantis ?

Et 1°. Certum est quod non se habeat passive, est enim vitalis volitio boni, consequenter actus elicitus a voluntate. Hoc supposito,

Quidam existimant quod voluntas non se habeat libere ad illum effectum gratiæ operantis, ideoque quod ista prima volitio finis sit actus indeliberatus, quo voluntas, posita in actu, se moveat deliberate ad alios actus, et etiam, cum sit reflexiva supra seipsam, ad hunc primum suum actum admittendum vel rejiciendum, respectu quorum actuum sequentium dicitur gratia cooperans. Unde illud dictum concilii et Patrum : « Deus sine nobis operatur ut velimus » intelligunt, sine nobis libere operantibus.

[1] Ibid.

Alii putant hanc primam volitionem boni supernaturalis, quæ est effectus gratiæ operantis, esse liberam ; quia, inquiunt, ad hoc quod voluntas libere agat, non est necesse quod ex præcedenti actu se moveat, sed sufficit quod objectum proponatur sub indifferentia judicii ; tunc enim intervenit virtualis deliberatio : confer quæ dixi dissert. 3. de act. hum. a. 3. et tract. de angel. dissert. 4. a. 6. et dissert. 5. a. 4. Idque aliunde videtur conforme Auctori qui hic a. 2. o. loquens de gratia quæ dividitur in operantem et cooperantem, dicit esse auxilium quo « Deus nos movet ad bene volendum et agendum » : bene velle autem est libere velle, quia volitio necessaria neque bona est neque mala, cum non sit moralis. Et infra q. 113. a. 3. o. dicit, quod in eo qui habet usum liberi arbitrii, non sit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii. Juxta hanc sententiam, illud dictum « sine nobis », intelligitur sine nobis nos moventibus, et illud Gregorii, « ut subsequente nostro libero arbitrio, » etc. intelligitur de libero arbitrio se movente. Utraque sententia potest sustineri.

Quæ hucusque dixi de præsenti divisione gratiæ in operantem et cooperantem, spectant gratiam actualem. Observat autem S. Th. [1] hanc divisionem etiam pertinere ad gratiam habitualem ratione diversorum officiorum. Ut enim exercet rationem causæ formalis sanando et justificando, dicitur gratia operans; ut autem est principipium radicale actus meritorii in genere causæ efficientis, mediantibus scilicet virtutibus infusis, dicitur gratia cooperans.

5° Dividitur gratia in prævenientem et subsequentem, [2] juxta illud Psal. 58 : *Misericordia ejus præveniet me*, et Psal. 21 : *Misericordia ejus subsequetur me.* Unde orat Ecclesia : « Tua nos gratia et preveniat et sequatur. »

Hanc divisionem exponit hic Auctor [3] per ordinem ad effectus priores et posteriores. Sunt enim quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus est ut anima sanetur ; secundus ut bonum velit ; tertius ut bonum quod vult, efficaciter operetur ; quartus ut in bono perseveret ; quintus ut ad gloriam perveniat : igitur gratia secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus;et prout causat secundum, vocatur subsequens respectu primi, et sic de cæteris.

Alio modo potest intelligi gratia præveniens

[1] Ibid. — [2] Ib. a. 3. o. [3] — Ibid.

et subsequens respective ad hominem quem movet, [1] ita ut dicatur gratia prævenienS, quæ facit ut homo bene velit ; subsequens, quæ facit ut homo exequatur bonum quod volebat : « Nolentem prævenit ut velit;» inquit S. Aug. *Enchyrid.* c. 32, « volentem subsequitur ne frustra velit. »

Nota tamen omnem gratiam esse hoc sensu prævenientem, quod Deus in omni bona volitione et omni bono opere prius prioritate causalitatis operetur quam nostra voluntas. Quidquid enim boni volumus, ipse facit ut velimus, et quidquid boni facimus, ipse facit ut faciamus, ut perpetuo docet S. Aug. Unde nunquam potest dici gratia subsequens, quasi sequatur opera naturæ ut conatus naturales, vel in aliquo opere sit posterior libero arbitrio ; id namque pertinet ad errorem Pelagii, ut constat ex præcedentibus : sed, ut dictum est, dicitur subsequens, vel quia sequitur aliam gratiam seu alium gratiæ effectum, vel quia datur ad exequendum quod per gratiam prævenientem est volitum.

6° Gratia dividitur a quibusdam in excitantem et adjuvantem. Excitans dicitur quæ a somno peccati ad pœnitentiam nos movet ; adjuvans quæ jam excitatos et de nolentibus volentes factos adjuvat ad perficiendum quod volebamus. Sed, ut patet, excitans reduci potest ad operantem et prævenientem ; adjuvans ad cooperantem et subsequentem.

7°. Tandem dividitur gratia in sufficientem et efficacem. Sufficiens ad aliquid dicitur dupliciter : 1° simpliciter et ex omni parte, ita ut nihil aliud requiratur in quovis alio genere; 2° secundum quid et in certo genere, ita ut nihil ulterius requiratur in isto genere, licet aliquid aliud requiratur in alio genere, ut fusius explicabitur infra. Per gratiam sufficientem hic non intelligimus eam quæ simpliciter et ex omni parte sufficit ; sed eam quæ in suo genere, hoc est in ratione potentiæ agendi, sufficit : per gratiam autem efficacem intelligimus eam quæ hanc potentiam applicat ad actum. Huic notioni conveniunt variæ definitiones quæ de utraque circumferuntur. Gratia sufficiens est quæ confert facultatem bene agendi, efficax quæ præbet bonum usum hujus facultatis. Item gratia sufficiens est quæ dat bonum posse si velimus ; efficax quæ facit ut velimus. Item gratia sufficiens est gratia possibilitatis ; efficax gratia actionis. Et tandem juxta S. Aug. gratia sufficiens est auxilium « sine quo non » ; gratia efficax auxilium « quo » Omnes coincidunt. Hæc est celeberrima gratiæ divisio, circa quam moventur gravissimæ difficultates, quas in sequentibus articulis elucidare conabimur. Sed ante omnia propono quot et quæ sint opiniones seu systemata circa illam. Unde sit

[1] Q. 27, de verit. a. 5. ad. 6.

ARTICULUS II.

VARIA SYSTEMATA CIRCA GRATIAM SUFFICIENTEM ET EFFICACEM.

Quænam fuerint systemata pelagianorum et semi-pelagianorum circa necessitatem, naturam et proprietates utriusque gratiæ exposuimus dissert. 1. præambula hujus tractatus. De lutheranismo et calvinismo circa eamdem materiam dixi tract. de Deo dissert. 8. a. 8. §. 4. Item de prædestinatianismo dixi ibid. digress. histor. ad dissert. 9. Quapropter tria hic tantum systemata proponam, scilicet Jansenii, thomistarum et theologorum Societatis Jesu, ad quæ cætera possunt reduci.

§ I.

Systema Jansenii

I. Radix unde profluit tota hæresis Jansenii, est distinctio quam finxit inter statum innocentiæ et statum naturæ lapsæ, in eo sitam quod in statu naturæ innocentis non essent nisi gratiæ sufficientes pendentes a voluntate Adami, in statu autem naturæ lapsæ non sint nisi gratiæ efficaces absolute dominantes hominis voluntati. Ita Jansenius in toto suo opere, præsertim lib. *de Grat. primi hominis*, cap. 14. et lib. 2. *de Gratia Salvatoris*, cap. 1. 2. 3. et 4.

II. Ex hoc falso principio non agnoscit aliam causam necessitatis gratiæ efficacis pro hoc præsenti statu quam infirmitatem naturæ vulneratæ et corruptæ per peccatum. « Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi, inquit Tom. 3. l. 8 c. 2. funditus evertitur, dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia et omnium causarum naturali subordinatione sub altiore, suspenditur. »

III. Hæc gratia juxta Jansenium nihil est aliud quam delectatio spiritualis, seu motus indeliberatus delectationis cœlestis quæ nos movet ad bonum, sicut cupiditas est motus indeliberatus delectationis terrenæ quæ nos

, movet ad malum. Ita Jansenius lib. 4. *de Grat. Christi*, cap. 1. 2. 3. 4. et sequentibus.

IV. Si delectatio cœlestis sit gradu aliquo superior cupiditate, gratia fit victrix et nos rapit necessario ad bonum : si e contra delectatio terrena sit superior, cupiditas fit pariter victrix nosque necessario rapit ad malum; sicut majus pondus in bilance necessario elevat minus: tum quia, ut centies repetit Jansenius, secundum id quod magis delectat necesse est ut operemur; tum quia juxta ipsum hæc delectatio relative victrix sive gratiæ, sive cupiditatis, diametraliter opponitur indifferentiæ agendi vel non agendi : « Vigente delectatione carnali, inquit lib. 4 *de Grat. Chr.* cap. 9. impossibile est ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat. » Et cap. 14: « Effectus igitur gratiæ est, delectando voluntatem facere ut actu velit et faciat..... et ita diametraliter repugnat philosophicæ libertati seu indifferentiæ libertatis. »

Neque tamen id obstat, inquit, quin homo sit liber et mereatur aut demereatur in electione boni vel mali; quia juxta ipsum hæc indifferentia agendi et non agendi non est essentialis libertati; cum enim in ejus principiis, libertas nihil sit aliud quam voluntas, hoc ipso quo vult est libera; ita ut sola coactio non necessitas saltem mutabilis repugnet libertati. Ita Jansenius lib. 6. *de Grat Chr.* a capite 6. ad 38.

Dixi : « necessitas saltem mutabilis » ; quia Jansenius distinguit duplicem necesssitatem ; unam fixam et immutabilem, quæ in nullis circumstantiis vinci potest : talis est necessitas qua Deus seipsum diligit, qua generat Filium, qua Beati Deum diligunt. Hanc necessitatem dicit repugnare, non quidem libertati essentiali, sed libertati status viatoris. Altera est necessitas mutabilis, transitoria, relativa, quæ stantibus præsentibus circumstantiis relative ad vim oppositam superiorem vinci non potest, licet absolute et in aliis circumstantiis vinci possit : sic a terrena delectatione superante cœlestem movemur ad malum necessario necessitate mutabili et relativa, quia licet stante hac superioritate delectationis vinci non possit a gratia, potest tamen absolute vinci, si nempe delectatio cœlestis evadat superior : et hanc necessitatem contendit Jansenius non repugnare libertati hominis in hac vita, sed stare cum illa, nec impedire quin bene aut male agat, mereatur aut demereatur; ita ut tota libertas hujus status sita sit juxta Jansenium in vertibilitate de una ad alteram necessitatem, subalternante delectatione terrena vel cœlesti. Et in hoc potissimum situm est virus hæresis jansenianæ: pro quo vide quæ dixi in tract. de act. hum. dissert. 2. a. 1. §. 2. a. 2. 3. et 4. sed præsertim in digressione histor. ad calcem ejusdem dissert. 2; ibi enim hæc late exposuimus ex ipso Jansenio et impugnavimus.

V. Ex eadem radice seu posito primo principio contendit voluntatem antecedentem in Deo salvandi omnes homines, quam vocant « primam et bonitatis », non fuisse nisi pro statu innocentiæ et non pro statu naturæ lapsæ, pro quo agnoscit tantum voluntatem consequentem, quam vocat « secundam et justitiæ. » Ita lib. 3. *de Grat. Salvat.* c. 20: unde infert quod vi hujus voluntatis antecedentis Adam quidem receperit gratias sufficientes, sed quod nunc sit sterilis erga homines lapsos, nec ex illa eis obveniat ulla gratia, nequidem mors Christi pro omnibus. « Postquam, inquit lib. cit. c. 29. peccata jam ab hominibus inducta considerantur : antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate, nihil gratiæ causante, consistere potest. » Quantum ad mortem Christi ibid. cap. seq. et ultimo.

VI. Attamen non negat Jansenius dari in hoc statu naturæ lapsæ parvas gratias, quæ hominem utcumque moveant ad bonum, quæ illius desideria imperfecta in eo excitent, et quibus resistit. Verum (et id diligentissime notandum est) hæ parvæ gratiæ juxta Jansenium et in ejus systemate nec sunt nec esse possunt sufficientes. Quod palam evinco.

Duplici sensu gratia dicitur sufficiens. 1°. Quia sufficit in omni genere et modo, ita ut præter illam ad agendum actualiter nihil aliud requiratur ex parte Dei ; sed eam voluntas pro nutu consentiendo vel dissentiendo reddat efficacem vel inefficacem : et ita Jansenius intelligit gratiam sufficientem, nec ullam aliam agnoscit quæ debeat vocari hoc nomine. Hujusmodi autem gratia sufficiens, juxta ipsum, ut vidimus, est propria soli statui naturæ sanæ et integræ : ergo parvæ gratiæ quas agnoscit pro hoc præsenti statu non sunt hoc et suo sensu sufficientes.

Alio sensu gratia dicitur sufficiens, quæ sufficit in suo genere, hoc est, quæ dat posse sufficiens et expeditum, sed ultra quam ad actu agendum requiritur altera ex parte Dei : sic thomistæ intelligunt gratiam sufficientem, sed neque hoc sensu parvæ gratiæ Jansenii sunt sufficientes ; quia, ut dixi, juxta ipsum vis gratiæ est relativa ad cupiditatem, ita ut si cupiditate sit inferior, sicut reipsa sunt istæ parvæ

ratiæ, non dat verum et expeditum posse ad
perandam cupiditatem superiorem, sicut
ondus quatuor librarum in bilance non potest
ere et expedite elevare pondus decem libra-
m, sed remanet in vera impotentia vincendi
nc cupiditatem, quamdiu est superior, et
c cupiditate victrici homo necessario rapitur
malum, quia secundum id quod magis de-
ctat necesse est ut operemur.

Unde Jansenius non agnoscit pro hoc statu
iam gratiam sufficientem quam efficacem,
iæ dando agere det simul posse, quinimo
t posse quia dat agere, ut fuse probavi in
sa digressione citata; ita ut juxta ipsum tam
npossibile sit homini absque hac gratia vic-
ice bene agere quam impossibile sit cæco vi-
ere in luce meridiana, surdo audire inter fra-
res, vel fracto tibiis recte gradi : sunt ejus
rba et exempla l. 3. *de Grat. Chr.* cap. 30.
Cujus medicinali gratia et adjutorio, inquit,
si vires pristinæ restaurentur, tam esse im-
ssibile voluntati ut bene velit et operetur,
iam homini cæco ut videat, vel surdo ut au-
at, vel tibiis fracto ut gradiatur, quantumvis
s et lux et species et scipiones et omnia cæte-
sanitatis adjumenta suppetant. »

Ulterius hæ parvæ gratiæ quas admittit Jan-
nius, juxta ipsum non conferuntur a Deo
si ad hunc effectum quem re ipsa operantur,
ut in intentione Dei ad hoc solum dentur,
imperfecte hominem moveant ad bonum,
illius aliquam velleitatem seu complacen-
m excitent, non ut re ipsa faciat, se conver-
t et salvetur; alioquin deberet agnoscere in
o pro hoc statu sinceram voluntatem sal-
ndi omnes, ex qua hæ gratiæ salutis pro-
ierent, quam tamen negat, ut vidimus.

Evidens est itaque parvas gratias quas ad-
ittit Jansenius, non dare verum, sufficiens
expeditum posse agendi bonum, legem im-
endi, se convertendi, etc. ideoque non esse
fficientes sensu thomistico. Unde l. 3 *de Gra-
Salvat.* c. 3, habet gratiam thomistice suf-
ientem tanquam absurditatem et monstrum
multiplicanda peccata et facilius rigorosius-
ie damnandos homines excogitatum. « Ita-
ie, inquit, illud a recentioribus gratiæ suffi-
entis genus, quo adjuvante nullum unquam
us factum est, aut fiet unquam, si est verum
stinctumque a gratia efficace membrum,
detur monstrum quoddam singulare gratiæ,
lummodo peccatis faciendis, majorique
mnationi accersendæ serviens, ideoque lap-
s hominibus citra Dei invidiam damnandis
cogitatum. »

Ex his facile detegere poteris fraudes, cavil-
lationes, subterfugia, quæ solent adhibere
janseniani ut et Jansenium ab errore excusent,
et seipsos a censuris Ecclesiæ subducant. Di-
cunt enim 1°. Jansenium agnoscere passim in
homine lapso libertatem arbitrii. 2°. Lib. 6 *de
Grat. Chr.* c. 34. et l. 8. c. 20 agnoscit, indif-
ferentiam contrarietatis et contradictionis.
3° Ibid. admittit sub cupiditate dominante ve-
ram potentiam ad bene agendum et sub gratia
victrice veram potentiam ad peccandum.

Equidem Jansenius agnoscit in homine lap
so libertatem arbitrii, nomine, non re : repo-
nit enim libertatem arbitrii in homine lapso
in solo voluntario cum perfecta advertentia
rationis, seu in immunitate a coactione et a
necessitate immutabili, non a necessitate mu-
tabili, ut dictum est. Vide dissert. 2 de act.
hum. a. 3 et 4. Agnoscit indifferentiam contra-
rietatis et contradictionis, non quæ sit vera po-
tentia activa ad agendum vel non agendum,
ad agendum bonum vel malum, sed quæ sit
mera flexibilitas in bonum vel malum per de-
lectationem gratiæ et concupiscentiæ alterna-
tim voluntatem captivantis et necessitantis.
Vide digress. citatam in fine dissert. 2. de act.
hum. Agnoscit tandem sub cupiditate domi-
nante veram potentiam bene agendi, et sub
gratia victrici veram potentiam peccandi; po-
tentiam scilicet absolutam et abstractam, non
relativam ad delectationem superiorem domi-
nantem; vel potentiam in sensu diviso delec-
tationis dominantis, non in sensu ejus com-
posito; vel potentiam ligatam et vinculatam,
non expeditam et liberam. Vide digress. cit.

Ex toto igitur hoc systemate sponte fluunt
quinque famosæ propositiones damnatæ, quæ
sunt veluti succus et alixirium totius operis
Jansenii.

Prima, « Aliqua Dei præcepta hominibus
justis volentibus et conantibus secundum præ-
sentes quas habent vires, sunt impossibilia,
deest quoque illis gratia qua possibilia fiant » :
quia sola gratia efficaci redderentur ipsis pos-
sibilia; deest autem certo ipsis dum illa trans-
grediuntur, alioquin observarent : hanc pro-
positionem in terminis habet Jansenius lib. 3
de Gratia Christi cap. 13.

Secunda, « Gratiæ interiori in statu naturæ
lapsæ nunquam resistitur » : quia in hoc statu
non sunt gratiæ nisi efficaces. Hanc etiam tra-
dit Jansenius lib. *de Grat. Adami* c. 14 et lib. 2.
de Grat. Chr. cap. 1. 2. 3. 4. 24. 25. 27 et alibi.

Tertia, « Ad merendum et demerendum in
statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine

libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » : quia necessitas mutabilis non est contraria libertati. Aliunde hujus propositionis doctrinam a Jansenio tradi multis momentis invicte probavi in digressione jam sæpe laudata. Vide.

Quarta, « Semi-pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare » : quia, juxta Jansenium, non dantur nunc gratiæ nisi efficaces, quibus voluntas necessario trahitur in bonum. Item hanc propositionem expresse docet lib. 8 *de Hæres. pelag.* c. 6. et lib. 2. *de Grat.* Chr. c. 15.

Quinta, « Semi-pelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse » : quia non est in Deo sincera voluntas salvandi omnes. Insuper hanc propositionem esse Jansenii evidenter demonstravi in tract. de Deo, dissert. 1. ad dissert. 7.

§ II.

Systema S. Thomæ et thomistarum.

Schola thomistica post suum Doctorem agnoscit 1° necessitatem duplicis gratiæ sufficientis et efficacis pro omni statu; 2° gratiam sufficientem omnibus dari aut saltem offerri, gratiam efficacem aliquibus tantum conferri; 3° utramque esse absolute gratuitam; 4° gratiam efficacem esse talem per se et ex intrinsecis, hoc est, ex omnipotentissima Dei voluntate; 5° ex hac efficacia nullum inferri præjudicium libertati. Singula cum principiis S. Thomæ quibus innituntur compendiose explicantur.

Necessitas duplicis gratiæ.

1. Deus est prima et immediata causa omnium entium naturalium et supernaturalium.

2. Homo est causa secunda subordinata primæ in agendo, ex se indifferens et indeterminata ad agendum vel non agendum, et insuper ex se incapax, præsertim viribus peccato debilitatis, efficiendi ullum actum supernaturalem et meritorium salutis.

3. Actio et potentia agendi sunt duo entia distincta, tam in ordine supernaturali quam naturali, quorum primum est nobilius et perfectius secundo.

Ex his principiis quæ locum habent in omni statu inferunt thomistæ necessariam esse tam in statu innocentiæ quam in statu naturæ lapsæ duplicem gratiam in ordine ad salutem; alteram minus perfectam et minus validam, quæ dat tantum posse, elevat et reddit hominem aptum actui supernaturali; vocatur « sufficiens » : alteram perfectiorem et validiorem, quæ potentiam determinat et confert actionem, vocatur « efficax » ; ita ut nunquam contingat quod hæc potentia quam confert gratia sufficiens, agat aut obtineat suum principalem et ultimum effectum nisi ope gratiæ efficacis, alioquin Deus desineret esse causa prima et immediata actionis, et creatura quæ non obstante potentia et elevatione collata per gratiam sufficientem est semper indifferens, sibi ipsi daret determinationem quam non habet, fieretque prima causa suæ salutis; sic tamen quod sua culpa careat gratia efficaci quam Deus præsto est illi dare, et quam offert in sufficienti, nisi mala voluntate peccando cursum gratiæ sufficientis interciperet et efficaci impedimentum apponeret. Hæc ex S. Th. in cap. 3. ad Ephes. Lect. 2. 1. 2. q. 109. a. 1. et 2. 0. Ibid. a. 9. et 10. 2. 2. q. 137. a. 4. 3. cont. gent. c. 88. et 159. 1. 2. q. 113. a. 7. et 10. et alibi.

Quantum ad ordinem moralem docent quod cum vires naturales quas homo in sua creatione accepit, non sint per peccatum destructæ, sed imminutæ tantum, possit adhuc viribus propriis aliquod bonum morale saltem facilius facere, et, ut actu faciat, opus sit tantum concursu generali, qui tamen aliquo sensu sit specialis et gratuitus, ut explicatum est. Ita S. Th. q. 24. de verit. a. 14. 1. 2. q. 85. a. 1. et 2. 0. 2. 2. q. 10. a. 2. et 5.

Distributio gratiæ.

Est in Deo duplex voluntas super salutem hominum, una antecedens, conditionata et inefficax, vera tamen et sincera salvandi omnes. Altera consequens, absoluta et efficax salvandi aliquos tantum, ut in salvandis eluceat misericordia, in reprobandis justitia, cæteraque in utrisque Dei attributa; ut explicuimus in tract. de Deo, dissert. 7.

Qui vero vult finem, vult media necessaria ad illum assequendum, et eo modo vult media quo vult finem. Cum ergo Deus velit sincere sed inefficaciter salvare omnes, debet dare omnibus auxilia sufficientia quibus possint salvari, ita ut si non salventur, non sit quia

non possunt, sed quia nolunt, et voluntarie peccando, ponunt obstaculum gratiæ efficaci, quæ dedisset velle et agere. Ex altera parte cum velit efficaciter salvare aliquos, debet illis dare auxilia efficacia, quibus reipsa salventur. Hæc ex S. Th. super cap. 12. Heb. Lect. 3. in 1. d. 46. q. 1. a. 1. Ibid. d. 40. q. 4. a. 2. 2. 2. q. 137. a. 4. 1. p. q. 109. a. 6. et alibi.

Gratuitas seu independentia gratiæ.

Utraque voluntas in Deo super salutem hominum est merus effectus ejus infinitæ misericordiæ prorsus independens ab eorum meritis; consequenter gratiæ quæ ex ea promanant, sunt pariter mere gratuitæ. Unde Apost. Rom. 11: *Non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.*

Insuper homo nihil ex se habet quod ipsi conferat jus ad gratiam, aut Deum astringat eam illi dare. Quidquid habet ex se homo est vel peccatum, vel meritum humanum : peccatum ipsum reddit gratia indignum; meritum humanum, cum sit inferioris ordinis ad gratiam, non est illi sufficienter proportionatum, ut sit illius meritum, imo nec dispositio ad illam; dispositio enim debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit. Ita ex S. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. et 6. q. 114. a. 5. 0. q. 109. a. 6. et alibi.

Efficacia gratiæ.

Suppositis quæ primo dixi, Deum per gratiam esse primam et immediatam causam nostræ salutis, omnium actionum nostrarum supernaturalium et meritoriarum ; hominem vero non esse nisi causam secundam primæ subordinatam, eamque ex se semper indifferentem et indeterminatam, sequitur necessario quod hæc gratia non fiat efficax seu non habeat efficaciam ex consensu liberi arbitrii, quandoquidem in his principiis iste consensus quovis modo consideretur, sive in instanti quo datur, sive ut prævisus futurus in congruis circumstantiis, sit semper effectus et nunquam causa hujus efficaciæ, et semper sit verum dicere arguendo a priori, ideo hominem consentire quia gratia est efficax, nunquam vero ideo gratiam esse efficacem quia homo consentit; alioquin, ut jam observavi, Deus non esset causa prima et immediata hujus consensus, consequenter nec salutis, et creatura hanc sibi prærogativam arrogaret. Igitur ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo ejus dominio super voluntates nostras, hæc gratia habet suam vim et infallibilem efficaciam. Et hoc est quod exprimitur et intelligitur hac phrasi : « Gratia per se efficax. » Ita S. Th. q. 6 de malo. 1. p. 19. a. 8. 0. et ad 2. in 2. d. 25 q. 1. a. 2. 1. 2. q. 10. a. 4. Item iis omnibus locis et ferme innumeris, in quibus docet Deum ut primum movens et primam causam movere et applicare voluntates nostras. Vide plura tract. de Deo dissert. 8. a. 3. præsertim § 4.

Libertas perfecta sub gratia per se efficaci.

Tandem cum hæc Dei omnipotentia non sit minus universalis quam efficax, et se extendat ad omnia entia et omnes differentias ac modos entium, motio quæ ex illa profluit non solum confert actionis substantiam, sed etiam modum quo fieri debet conformiter ad naturam causæ secundæ; ita ut si sit causa necessaria, moveat ut necessario agat; si sit causa libera, movet ut libere agat, et sublata duntaxat indifferentia passiva relinquit integram indifferentiam activam, hoc est veram et completam potentiam iisdem stantibus circumstantiis non agendi, illi resistendi, oppositum faciendi, non secus ac si ipsa voluntas sola se determinaret. Quod ut clarius intelligas, attende motionem seu gratiam efficacem ad actum supponere utramque potentiam agendi et non agendi, neutrum conferre, sed actum duntaxat; positio autem actus non destruit potentiam ad oppositum, sicut homo stando non destruit in se potentiam sedendi : intellige tamen potentiam antecedentem et in sensu diviso. Hæc ex S. Th. Quodlib. 1. a. 7. ad 2. 1. Perhierm. Lect. 14. 1. p. q. 19. a. 8. q. 83. a. 1. ad 3. et alibi. Require quæ abunde dixi circa hanc gravissimam materiam, tract. de Deo, dissert. 8. a. 4. §. 2.

Varia discrimina inter systema thomisticum et jansenianum.

Confer modo præsens systema cum janseniano, facile et palam intelliges hæc tantum inter se distare tam in principiis quam in conclusionibus, quantum distat ortus ab occidente, lux a tenebris, verum a falso. Id breviter oculis subjicio.

1°. Jansenius negat pro hoc statu voluntatem antecedentem in Deo sinceram et activam salvandi omnes : thomistæ illam admittunt. 2° Jansenius non agnoscit pro hoc statu aliam gratiam nisi efficacem : thomistæ ultra effica-

cem agnoscunt sufficientem. 3° Jansenius non agnoscit aliam causam necessitatis gratiæ quam infirmitatem naturæ lapsæ : thomistæ ulterius eam repetunt ex dignitate et prærogativa primæ causæ et primi motoris, præsertim in ordine salutis, ex subordinatione causarum secundarum ad primam, ex earum indifferentia et indeterminatione, atque ex improportione ad opera supernaturalia. 4° Jansenius sub gratia efficaci non agnoscit veram, expeditam et relativam potentiam ad oppositum, thomistæ eam agnoscunt. 5° Jansenius docet solam gratiam efficacem dare verum et completum posse : thomistæ docent gratiam efficacem supponere verum et completum posse per gratiam sufficientem collatum, eamque istud posse tantum applicare ad actum. 6° Jansenius reponit libertatem essentialem in sola immunitate a coactione, libertatem hujus status requisitam ad merendum et demerendum in immunitate a necessitate invariabili, non variabili : thomistæ utramque reponunt in immunitate ab omni necessitate tam invariabili quam variabili. 7° Jansenius non agnoscit in homine lapso veram et activam potentiam agendi vel non agendi pro nutu, sed meram flexibilitatem ab una necessitate ad aliam sub gratia et cupiditate alternatim dominante : hoc figmentum nunquam somniarunt thomistæ, sed abhorrent, veram activam et relativam potentiam ad quodlibet sub utraque profitentes. 8° tandem, quinque damnatis Jansenii propositionibus, quinque contradictorias ex S. Th. opponunt.

Contra primam, docent cum S. Th. q. 24. *de Verit.* a. 14. ad 1 : « Illud quod præcipit Deus non esse impossibile homini ad servandum » : et *Quodlib.* 2. a. 6. « Nullum teneri ad hoc quod est supra vires suas nisi per modum quo fit sibi possibile » : et cum eodem in 2. d. 28. a. 3. in arg. s. c. ex S. Hieronymo, « ei qui Deum dicit præcipere impossibilia, anathema » dicunt.

Contra secundam, agnoscunt cum S. Th. in cap. 5. 1. Thessal. lect. 2. in cap. 6. 2. Cor. lect. 1. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. et alibi, gratiam interiorem cui resistitur in hoc statu naturæ lapsæ.

Contra tertiam, vide quæ dixi in tract. de actibus human. dissert. 2. a. 3.

Contra quartam, vide quæ modo dicebam de libertate sub gratia in systemate thomistarum et locis ibi citatis.

Contra quintam, vide quæ dixi in tract. de Deo, dissert. 7. a. 7.

Verum audiamus ipsum Jansenium sese a thomistis secernentem.

1°. Lib. *Proœm.* ad 2. tom. cap. 9. multum deblaterat et invehit in scholasticos eorumque methodum, et, dicit eos in explicandis Scripturis, patribus et conciliis esse minus idoneos; « quod, inquit, in S. Thoma et Cajetano demonstratum est. » *Epist.* 16: « Audeo dicere mihi compertum esse, quod si utraque tum jesuitarum, cum thomistarum schola, usque ad extremum judicii diem disputatura sit, tantum a veritate sit aberratura, in quantum utraque ab ipsa centum leucis distat. » Ibid. « Cum Augustinum degusto, fastidit Thomas. »

2°. Lib. 8. *de Grat. Chr.* cap. 2, statuit septem discrimina inter suam et thomistarum sententiam, quorum tertium est specialiter notandum: « Prædeterminatio physica, inquit talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantiis collocetur, semper faciat facere et operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam: Christi adjutorium nullo modo: nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est: tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si alteram ardentiorem esse contingat in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum est. » Verissimum sane discrimen, verissima jansenismi tessera, in qua fere tota ejus medulla continetur. Quintum et sextum discrimen in hoc reponit quod gratiæ thomisticæ necessitas ex subordinatione causarum secundarum ad primam et ex earum indifferentia repetatur; adjutorium autem Christi ex vulnere naturæ per peccatum inflicto. Septimum quod gratia efficax secundum thomistas sit necessaria etiam statui innocentiæ; secundum vero S. Augustinum, ipsi capitaliter repugnat. Deinde loquens de thomistis: « Magis profecto, inquit, sunt aristotelici quam augustiniani: nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus (Augustini) probari potest, sed potius universam doctrinam ejus innumeris locis traditam, inexplicabili confusione perturbat. » Et infra: « Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus evertitur, dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia et omnium causarum naturali subordinatione sub altiore suspenditur. » Et cap. 5, loquens de modo quo thomistæ conciliant libertatem cum gratia efficaci, quatenus nempe sub gratia determinante voluntatem ut velit et agat, simul manet potestas ut non velit et non agat, dicit

nullum hujus doctrinæ vestigium reperiri in S. Augustino et « quod nusquam talem sententiam, nec per transennam insinuat. » Eant modo doctrinæ thomisticæ osores, eamque ut jansenianam traducant.

Merito sane dixit P. Stephanus Dechamps Societatis scriptor, lib. 2. *de Hæresi jansenia* disp. 6. c. 9, apud Gonetum in apologia: « Nullos huic doctrinæ infensiores reperiri, quam qui, post natam calvinismi hæresim, ex S. Dominici ordine, cæterisque ejusdem sacramenti theologis majoris eruditionis et ingenii laude floruerunt. » Et disp. 3. cap. 3, redarguens eos qui thomistas cum jansenianis confundunt, addit: « At istud falsitatem omnem superat, et ad iis cum sthomaco ridetur, quibus utraque opinio nota est atque perspecta. »

§. II.

Systema theologorum Societatis.

I. Societatis theologi, qui dicuntur congruistæ, admittere videntur tria prima capita systematis thomistici, scilicet duplicem gratiam sufficientem et efficacem; sufficientem omnibus saltem offerri; utramque esse omnino gratuitam, sed cum quartum rejiciant, scilicet gratiam efficacem esse talem per se et ex intrinsecis, seu ex omnipotentissima Dei voluntate, tria priora sensu a thomistis diverso intelligunt.

II. Itaque Ludocivus Molina celebris Societatis scriptor, et a quo dicuntur vulgo molinistæ, cadente sæculo decimo sexto, docuit non dari gratias nisi sufficientes ex se, eas autem fieri efficaces ex consensu voluntatis humanæ, Deumque sæpe conferre iis qui non convertuntur gratias fortiores et abundantiores quam iis qui re ipsa convertuntur: prædestinasse autem ad regnum quos per scientiam mediam præscivit ex innata libertate gratiæ omnibus oblatæ consensuros et in ea perseveraturos.

III. Hæc doctrina multis nova apparuit et displicuit; eam inter alios impugnarunt insignes ejusdem Societatis theologi: Bellarm. lib. 1. *de Grat. et lib. arbit.* c. 12. Henricus Henriques in duplici censura data anno 1594. et 1597. Mariana *de Regim. Societ.* c. 4. Eam Patres ordinis nostri coram ss. pontificibus Clemente VIII. et Paulo V pelagianismi aut semi-pelagianismi postularunt, suamque accusationem per plures annos in famosis disputationibus *de Auxiliis* prosecuti sunt, ut latius dixi in tract. de Deo. art. de scientia media §. 8.

IV. Societas quæ Molinæ defensionem iis in congregationibus susceperat, re maturius inspecta, hujus auctoris systema temperavit et secundum quid deseruit, indicens, lege lata omnibus suis alumnis, ut gratiæ congruæ systema a P. Suares traditum tenerent atque defenderent; ita solemni decreto toti Societati transmisso 14 Decembris 1613, sancivit Claudius Aquaviva præpositus generalis; quod decretum confirmavere septima congregatio generalis anno 1616, et nona anno 1651. « Hæc sententia (Molinæ) inquit Tannerus tom. 2. disp. 6. *de Grad.* q. 2, dub. 5. postdiuturnam et diligentem hujus rei discussionem, peculiari decreto reverendissimi Patris nostri Claudii Aquavivæ Societatis nostræ præpositi generalis anno 1613 improbata est, cum ista ad societatem nostram rescripsit » : subjungit decretum quod mox referam.

V. In hoc igitur systemate Patres jesuitæ agnoscunt duplicem gratiam; unam incongruam, alteram congruam. Prima dicitur incongrua, quia non est satis accommodata indoli, inclinationibus, passionibus, habitibus, tempori, loco, aliisve circumstantiis in quibus versatur is qui eam recipit, ut ab illo consensum obtineat, et ideo non est nisi sufficiens. Altera dicitur congrua, quia est accomodata indoli, inclinationibus et aliis circumstantiis illius qui eam recipit, et in quibus Deus per scientiam mediam ab æterno præscivit infallibiliter ipsum consensurum, ita ut hæc gratia congrua sit semper efficax, alias non foret congrua et Deus in sua præscientia falleretur: at hanc infallibilem efficaciam non habet ex se et intrinsecis, seu ex omnipotentissima Dei voluntate, ut volunt thomistæ, sed, juxta aliquos sui assertores ex, sua congruitate; juxta alios ex ipsa præscientia divina, aut ex utroque; juxta vero rei veritatem ex ipsa voluntate consentiente, ut in systemate Molinæ, sicut attente consideranti patet et probavi dum de scientia media, moxque paucis repetam.

VI. Juxta hoc systema quamvis gratia congrua in esse physico nihil amplius habeat ex parte Dei quam gratia incongrua, habet tamen aliquid amplius in esse morali, quatenus Deus ex speciali benevolentia et providentia eam huic confert in iis circumstantiis in quibus certo prævidit ipsum consensurum, cum posset aliter conferre, et reipsa conferat alteri in iis circumstantiis in quibus prævidit eum non consensurum. Hinc fit quod hæc

gratia congrua, juxta suos assertores, sit majus beneficium quam gratia incongrua, et ab hac distinguatur, non solum quantum ad actum secundum et per consensum creaturæ, sed etiam quantum ad actum primum et ex parte Dei. Ita fert laudatum decretum Generalis Claudii Aquaviva his verbis: « Statuimus et mandamus ut in tradenda divinæ gratiæ efficacitate.... nostri in posterum omnino doceant inter eam gratiam quæ effectum reipsa habet atque efficax dicitur, et eam quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur altera non item, sed in ipso actu primo; quod posita scientia conditionalium ex Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media selegit, atque eo modo et tempore confert quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci quam in sufficienti gratia et in actu primo contineri: atque hac ratione efficere Deum ut reipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia, quæ procul dubio donum Dei est.»

Septima congregatio generalis anno 1616, in qua Mutius Vitellescus fuit electus Præpositus generalis, hoc Aquaviva decretum confirmavit et explicavit transmissoriis epistolis datis 7 Junii ejusdem anni. « Cum difficultas aliqua, scribebat congregatio, inter viros doctos super decreto, R. P. N. piæ memoriæ anni 1613, decembris 14, de efficacia gratiæ nata esset, variis varie id interpretantibus; R. P. Præpositus generalis et qui tunc assistentes erant et secretarius qui decreto illi præsentes interfuerant, et mentem R. P. Claudii probe perspectam habebant; itemque Patres ad id a congregatione generali deputati, censuerunt non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere, Deum sua voluntate prædeterminasse, seu prædefiniisse aliquod opus nostrum bonum independenter a cooperatione liberæ nostræ voluntatis; nec etiam quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis, aut aliquis modus physicus in actu primo qui non sit in gratia sufficienti; sed hoc tantum quod fuerit speciale beneficium Dei, dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore et loco, quo scientia conditionalium præscivit illum ea gratia bene usurum; quod beneficium non contulit alteri, v. g. Joanni, cui dedit gratiam eo tempore et loco quo præscivit illum sua culpa ea non usurum. »

VII. Scio quidem non omnes Societatis theologos huic systemati scrupulose hærere, sed quosdam ad systema Molinæ et Lessii redire; ipsi viderint: ego propono systema quod est aut saltem esse debet proprium Societati juxta suas leges, et quod revera communius in ea recipitur et defenditur; neque video sat fundatum quod dicit Jacobus Platel recens Societatis scriptor, cap. 4. de voluntate Dei num. 174, Claudium Aquaviva postea dispensasse in suo decreto et liberum reliquisse suis Patribus, utramvis sententiam eligere; siquidem hoc Claudii decretum fuerit postea confirmatum in septima congregatione, ut vidimus, item et in nona anno 1651, sub Generali Picolominio, ubi in statutis de ratione studiorum ad universas provincias directis sic sancitur: « In materia de efficacia gratiæ servetur decretum P. Claudii Aquaviva conditum 14 decembris 1613.»

VIII. Cæterum in hoc conveniunt omnes Societatis theologi, quod non repetant efficaciam infallibilem gratiæ ex ejus intrinsecis, seu ex omnipotentissima Dei voluntate bonum actum decernente et determinante, sed puri molinistæ eam repetunt ex consensu creaturæ, scilicet ideo gratiam esse efficacem, quia illi consentit voluntas; congruistæ ex ejus congruitate et præscientia. Verum cum neque congruitas, neque præscientia ullam vim intrinsecam conferant gratiæ, et fateantur ipsi congruistæ nihil reale aut physicum habere quod non habeat gratia incongrua et sufficiens, palam est in eorum systemate hanc efficaciam infallibilem gratiæ etiam haberi et repetendam esse ex consensu voluntatis ut in systemate Molinæ, atque in hoc tantum ab illo discrepare, quod ipsi scilicet congruistæ dicunt Deum ex speciali benevolentia atque intentione boni operis in nobis efficiendi, nos constituere in iis circumstantiis in quibus per scientiam mediam prævidit nos concursui indifferenti oblato ex innata libertate consensuros, quam specialem benevolentiam non requirunt nec agnoscunt puri molinistæ, sed dicunt Deum æquali et generali voluntate gratiam omnibus offerre, quam quilibet pro innata libertate reddit efficacem vel inefficacem. Confer tract. de Deo, dissert. 8. a. 3. §. 4.

Mantissa.

Circa hæc systemata observandum est 1° theologos qui dicuntur augustiniani. quan-

tum ad statum naturæ integræ consentire puris molinistis, thomistis vero quantum ad statum naturæ lapsæ, excepto quod necessitatem gratiæ per se efficacis repetant ex sola infirmitate naturæ, thomistæ eam insuper repetant ex dependentia causæ secundæ a causa prima et ex ejus indifferentia.

Observandum 2° omnes theologos qui systema vel Molinæ, vel congruistarum, seu scientiam mediam non admittunt, stare pro systemate gratiæ per se efficacis quoad substantiam, dissentire autem inter se duntaxat, quoad modum explicandi hanc efficaciam: quidam enim eam explicant per sympathiam, quidam per motiones morales, quidam per delectationem, quidam per actus indeliberatos, quidam per solum divinum decretum, quidam per multiplicationem auxiliorum, quidam tandem per præmotionem physicam, et ita scholæ nostræ.

Observandum 3° esse aliud singulare systema olim propugnatum ab Alphonso Le Moine, et nostris temporibus ab Honorato Tournely suscitatum de gratia sufficienti sensu moliniano ad facilia opera præsertim ad orationem: quasi vero oratio christiana omnibus suis conditionibus stipata, qualis debet esse ut sit impetratoria, non sit opus difficile et præstantissimum salutis, possitque subtrahi dignationi gratiæ. Hoc ergo systema revocari debet ad molinismum, iisdemque argumentis impugnatur : ut patebit ex infra dicendis.

ARTICULUS III.

UTRUM DETUR IN HOC STATU NATURÆ LAPSÆ GRATIA SUFFICIENS ?

Dico præter gratiam efficacem datur in statu naturæ lapsæ gratia sufficiens. Est contra Jansenium ut vidimus in ejus systemate, nec videtur salva fide posse negari.

Prob. 1°. Gratia sufficiens est quæ dat posse facere bonum salutare etiam in iis qui illud non faciunt, seu quæ dat facultatem sancti operis, sed effectu carentem culpa voluntatis creatæ : atqui datur hujusmodi gratia in statu naturæ lapsæ: ergo. Major est notio gratiæ sufficientis prout eam intelligimus. Probatur minor multipliciter. 1° ex S. script. Isa. 5, dicit Deus: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas ?* Prov. 1: *Vocavi et renuistis.* Matth. 23 : *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti ?* Apoc. 3 : *Ego sto ad ostium et pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum.* Act. 7, Stephanus alloquens Judæos: *Dura cervice,* inquit, *et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* 1. Thessal. 5 : *Nolite Spiritum extinguere.* 2. Cor. 6 : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* His omnibus constat plures gratiæ deesse, illi resistere, illam extinguere, eam in vacuum recipere: talis autem gratia non est efficax, sed sufficiens : ergo.

Dum vero respondet Jansenius, lib. 2. *de Grat. Christi* c. 32, hæc omnia intelligi debere de gratia externa, non interna; non recordatur se alibi agnoscere gratias internas tametsi parvas et insufficientes. Insuper proprius effectus Spiritus Sancti est gratia interior: unde S. Th. in c. 5. 1. Thessal. lect. 2, dicit quod extinguere Spiritum Sanctum et ipsi resistere, sit repellere bonum pietatis motum. Item si Deus vineæ suæ, hoc est creaturæ rationali, contulisset auxilia exteriora tantum, nullum interius, non ei fecisset totum quod debuisset facere, ut expectaret uvas.

Prob. 2° eadem min. argumento peremptorio deducto ex definitionibus Ecclesiæ. De fide est mandata Dei esse possibilia justis, qui tamen illa non implent, ut definitum est a Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. et can 18, et a ss. pontificibus in condemnatione primæ propositionis Jansenii : ergo datur eis gratia qua possibilia fiant; non enim eis sunt possibilia viribus naturæ, præsertim cum inter ea sint supernaturalia; et hæc gratia non est efficax; quia, ut suppono, ea non implent : ergo sufficiens.

Prob. 3° eadem min. ex. SS. Aug. et Th. Augustinus, lib. *de Nat. et gratia,* cap. 43, docet Deum non præcipere impossibilia : ergo supponit dari gratiam qua possibilia fiant, etiam in iis qui ea non servant: ergo gratiam sufficientem. Toto libro *de Grat. Christi,* observat hæc tria a Pelagio distincta, possibilitatem, voluntatem et actionem, et cap. 47, dicit: « Si consenserit nobis Pelagius non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem et actionem.... divinitus adjuvari... nihil de adjutorio gratiæ Dei quantum arbitror inter nos controversiæ relinquetur. » Quamvis enim Pelagius reponeret possibilitatem in natura, fatebatur tamen eam gratia adjuvari, et hoc in eo probat S. Aug. Ergo agnoscit S. Doctor gratiam possibilitatis seu sufficientem distinctam a gratia voluntatis et actionis seu efficaci. Lib. *de Corrept. et grat.* cap. 7. refellens excu-

sationem eorum qui dicunt, «non perseveravimus, quia perseverantiam non habuimus», dicit: «Homo in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles.» Et lib. *de Nat. et grat.* cap 67, refellens itidem eos qui peccatis excusationem obtendunt, dicit: «Recte fortasse quererentur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret: cum vero (Deus) ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum avocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.» S. Th. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2: «Gratia novi testamenti, inquit, etsi hominem adjuvet ad non peccandum, non tamen ideo confirmat in bono ut peccare non possit; et ideo si quis post acceptam gratiam novi testamenti peccaverit, majori pœna est dignus, tanquam auxilio sibi dato non utens: nova lex enim quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.» Item in cap. 3. Ephes. 2. hic q. 109. a. 1. 2. 9. et 10; textus infra referam. Omitto alios patres, ne in re tam aperta sim prolixior.

Prob. 2°. conclusio ab absurdo: si non daretur homini justo gratia qua possit facere bonum quod non facit, sequeretur quod nihil boni facere posset præter illud quod reipsa facit; si enim adsit gratia efficax, illud facit; si absit, non potest illud facere: atqui absurdum consequens: ergo. Prob. min. Quis enim credat justum qui difficillima virtutum opera facit, v. g. inimicos diligit, urgentissimas tentationes superat, flagella et alia supplicia sustinet pro fide, non posse observare facile mandatum supernaturale quod transgreditur: ergo.

His omnibus adde hanc secundam Jansenii propositionem damnatam: «Interiori gratiæ nunquam resistitur»: ergo datur gratia interior quæ non est efficax, sed sufficiens tantum.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1° janseniani plures S. Script. textus; sed quibus probatur duntaxat dari gratiam efficacem et esse in Deo voluntatem, scilicet absolutam et consequentem, cui non resistitur, quod ultro concedimus; at non excludunt gratiam sufficientem et voluntatem Dei antecedentem, quibus resistitur. Vel probant omnem gratiam habere aliquem effectum; at modo ostendam non ideo posse dici simpliciter efficacem.

Objiciunt 2° plures textus S. Augustini quibus requirit gratiam efficacem ut homo possit velle et facere bonum.

Resp. S. Augustinum intelligendum esse de potentia consequente et conjuncta cum actu, non de potentia antecedente et meræ possibilitatis.

Inst. 1°. S. Aug. lib. *de Prædest. SS.* c. 8. ait «eos qui non credunt, foris tantum audire, non intus»: et lib. *de Grat. Chr.* cap. 13: «Qui novit quod fieri debeat et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram»: ergo deficiente gratia efficaci quæ dat credere et facere, non est alia interior secundum S. Augustinum.

Resp. 1° ista esse solvenda a Jansenio: ipse enim admittit parvas gratias interiores in eis qui non credunt nec faciunt.

Resp. 2° sensum S. Augustini esse eos qui non credunt nec faciunt, foris tantum et secundum legem audire quantum ad effectum; quia non magis credunt aut faciunt quam si foris tantum et secundum legem audirent et discerent; non vero quantum ad sufficientiam gratiæ, quasi nullam interiorem haberent: constat enim ex probationibus conclusionis S. Augustinum agnovisse gratias interiores in iis qui nec credunt nec faciunt.

Inst. 2°. S. Aug. *de Correpl. et grat.* c. 10. 11. 12, in hoc statuit discrimen inter gratiam status innocentiæ et gratiam status naturæ lapsæ, quod gratia sufficiens esset propria statui innocentiæ; gratia vero efficax sit propria statui naturæ lapsæ: ergo juxta Augustinum nulla datur gratia sufficiens tantum in statu naturæ lapsæ.

Resp. neg. ant. Equidem docet S. Augustinus Adamo datam fuisse tantum gratiam sufficientem ad perseverandum, et nunc dari prædestinatis efficacem; at non dicit hanc esse propriam huic statui, et illam propriam statui innocentiæ; in hoc autem inter utriusque status gratiam ponit discrimen, quod homo in hoc statu ad perseverandum actu indigeat non solum gratia secundum communem cursum movente et applicante, sed gratia speciali sanante et roborante ejus infirmitatem: Adam vero cujus natura erat sana et robusta, indiguerit tantum gratia secundum communem cursum applicante et movente, non altera spe-

ciali præter communem cursum sanante et roborante. Vide quæ de ista difficultate plusquam satis dixi dissert. 2 hujus tract. a. 4.

Obj. 3°. Juxta thomistas omnis gratia interior, etiam illa quam vocant sufficientem, habet effectum: ergo omnis gratia interior est efficax et nulla mere sufficiens.

Resp. dist. ant. Omnis gratia habet effectum imperfectum et minus principalem, conc.; perfectum et principalem ad quem datur, nego. Unde dist. conseq. Ergo omnis gratia est efficax secundum quid et cum addito minuente, conc.; simpliciter et absolute, nego. Explicatur.

Equidem docent thomistæ nullam esse gratiam actualem intrinsece receptam, etiam illam quam vocant sufficientem, quæ non habeat aliquem effectum, idque a nullo posse negari arbitror, cum id sola ratio naturalis, seposita nunc auctoritate, evincat: fieri namque imo concipi non potest quod Deus interius illuminet intellectum meum, et intellectus meus non illuminetur; quod moveat voluntatem meam, et mea voluntas non moveatur: sicut nec fieri nec concipi potest quod sol illuminet terram, et terra non illuminetur; quod ignis comburat stupam, et stupa non comburatur; quod moveam lapidem, et lapis non moveatur: actio enim causæ est effectus inchoatus, et, ut dicit Auctor, actio moventis in moto est motus: [1] jure ergo dicunt thomistæ omnem gratiam actualem, quæ est Dei motio, hoc ipso quo recipitur in anima, semper operari aliquem effectum.

Verum quia effectus quem producit gratia quæ remanet sufficiens, non est principalis quem intendit et ad quem datur, (etenim et ex voluntate Dei illam dantis et ex propria natura tendit ad ulteriorem et perfectiorem effectum, puta vel conversionem, vel actum meritorium quem non obtinet, siquidem ad eum disponat et potentiam conferat), ideo non potest dici simpliciter et absolute efficax; sed e contra dicendo sub restrictione quod sit efficax quantum ad aliquem et minus principalem effectum scilicet potentiam plus vel minus proximam agendi, debet dici simpliciter et absolute inefficax, eo quod non obtineat principalem effectum ad quem ordinatur et disponit et pro quo confert potentiam: quia juxta philosophos denominatio simplex et absoluta alicujus rei petitur ab eo quod est in ea perfectius et principalius.

Id aliquot exemplis illustratur et ostenditur hunc esse communem hominum sensum et loquendi modum. Sic Trid. requirit tanquam dispositiones necessarias ad conversionem peccatoris, fidem, spem et amorem Dei inchoatum; suppono hæc sufficere ut possit se convertere, non convertitur tamen; nemo dicit gratias quæ ipsi fidem, spem et amorem inchoatum inspiraverant esse simpliciter efficaces; quin e contra omnes dicunt equidem fuisse sufficientes, sed cum non obtinuerint principalem effectum, nempe hujus peccatoris conversionem, ad quem ordinabantur, remanere simpliciter inefficaces. Item suppono dispositiones necessarias et sufficientes ut possim dare eleemosynam, esse cognitionem miseriæ proximi et meæ obligationis, simul motum charitatis seu compassionis erga proximum; Deus per suam gratiam inspirat mihi hanc cognitionem et hanc motum: possum itaque facere eleemosynam, non facio tamen: inutilem ergo reddo hanc gratiam quæ mihi posse dederat, et quamvis sit quantum ad aliquid efficax, non dicitur tamen simpliciter efficax, sed inefficax, quia non obtinet præcipuum effectum, scilicet erogationem eleemosynæ, ad quem data fuerat. Item hortor peccatorem ut se convertat, expono ipsi enormitatem suorum scelerum, periculum damnationis æternæ, benignitatem Dei quam offendit et quæ ipsum patienter sustinet: ad hæc timore concutitur, cor commovetur, vult se convertere; sed passione indomita et consuetudine inveterata abreptus, relabitur, non se convertit: quis dicat meas adhortationes propter aliquos effectus imperfectos fuisse efficaces? Quis e contra non dicat me et oleum et operam perdidisse, quia non obtinui quod maxime intendebam. At vero hunc loquendi modum tenere non possunt janseniani; quia juxta Jansenium parvæ gratiæ, quas agnoscit, semper habent omnem effectum quem habere possunt, nec dant verum posse ad ulteriorem. Vide ejus systema.

Obj. 4°. Gratia sufficiens, quam sustinemus, ut dogma fidei admittenda est sensu vel moliniano, vel suaresiano, vel thomistico: si moliniano, ergo sola gratia sufficiens moliniana est admittenda de fide, quod est absurdum: idem eadem ratione dicendum de suaresiana et thomistica: ergo.

Resp. vix ullum esse dogma fidei quod hac sophistica argumentandi methodo non concutiatur. Sic, ut in subjecta materia sistamus, gratia efficax, quam omnes ut fidei dogma sustinent, admittenda est sensu vel jansenistico, vel moliniano, vel thomistico: Si sensu jan-

[1] Hic. q 110. a .2.

seniano, ergo sola gratia efficax janseniana est admittenda de fide, quod est absurdum. Item præsentia realis Corporis Christi in Eucharistia, quam omnes catholici tenent ut dogma fidei, fit sensu vel scotistico per adductionem, vel thomistico per reproductionem; si sensu scotistico, ergo solum præsentia realis per adductionem est admittenda de fide, quod est absurdum : et sic de pluribus aliis. In hoc ergo peccat argumentum quod male confundat substantiam dogmatis cum variis modis quibus illud explicant theologi. Substantia dogmatis pertinet ad fidem, non vero modi quos excogitarunt theologi ad illud explicandum. Itaque dari gratiam sufficientem quæ dat posse verum et relativum ad præsentes circumstantias, est substantia dogmatis et pertinet ad fidem; quo vero sensu seu modo sit explicanda hæc sufficientia, non pertinet ad fidem ; sed permittitur theologorum disputationibus.

ARTICULUS IV.

QUO SENSU SIT ADMITTENDA GRATIA SUFFICIENS?

Dico : Admittenda est gratia sufficiens sensu thomistico, non alio.

Prob. Gratia sufficiens sensu thomistico est quæ confert homini facultatem bene agendi, ultra quam ut bene agat, aut bene utatur hac facultate, requiritur altera validior, scilicet efficax : atqui admittenda est gratia hoc sensu sufficiens : ergo. Min. quoad primam partem, nempe admittendam esse gratiam quæ det posse facere bonum etiam iis qui non faciunt, probata manet ex articulo præcedenti. Prob. secunda pars ratione allata in expositione systematis thomistici. Actio bona, est quid distinctum a potentia bene agendi, quid nobilius et perfectius ipsa et quod præcipuum est in negotio salutis: atqui Deus est prima et immediata causa salutis et omnis actus salutaris : ergo sicut per gratiam sufficientem constituitur prima et immediata causa potentiæ bene agendi, ita per gratiam efficacem a sufficienti distinctam constitui debet prima et immediata causa actus salutaris.

Confir. Non potest admitti gratia sufficiens sensu Molinæ vel congruistarum : ergo admittenda est sensu thomistarum. Prob. ant. Juxta Molinam bonus usus gratiæ sufficientis, seu consensus quem illi præbet homo, non est a Deo tanquam a prima causa dante illum, sed eum Deus expectat a voluntate creata, et ad summum est a Deo ut concausa per concursum simultaneum. Idem dicendum de gratia congrua ; hæc enim, fatentibus ipsis congruistis, nihil plus habet in ratione entis physici et auxilii quam gratia Molinæ. Vide tertium systema. Ergo. Hæc pauca nunc : quæcumque enim probant necessitatem gratiæ per se efficacis, de qua infra, probant hanc conclusionem.

Ut tamen innotescat nos non recessisse a D. Th. et antiquioribus thomistis in asserenda gratia sufficienti sensu dicto, neque nos eam tantum propugnasse a condemnatione Jansenii, ut ejus censuram subterfugeremus, ut quidam effutiunt; quædam ex D. Th. subjiciam. Itaque præmisso testimonio ex q. 106 hujus partis, citato art. præcedenti, in quo S. Doctor usurpat in terminis vocem « sufficientis » auxilii sensu nostro, addo sequentia. In cap. 3. Epist. ad Ephes. lect. 2, ad hæc Apostoli verba: *Cujus factus sum ego Minister secundum donum gratiæ Dei quæ data est mihi, secundum operationem virtutis ejus,* ait : « Tangit Apostolus auxilium sibi præstitum ad ministeriorum executionem : hujusmodi autem auxilium duplex fuit : unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio seu actualitas. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum. Sed ipsam operationem confert in quantum in nobis interius operatur movendo et instigando ad bonum... in quantum virtus ejus operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. »

1. 2. q. 109. a. 1. o. « Non solum a Deo est omnis motio sicut a primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio sicut a primo actu. Sic igitur actio intellectus et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo : uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam per quam agit : alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum. »

Ibid. a. 2. o. « Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale ; sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino ut ab ipso moveatur ad bene agendum. » Sit cæcus qui in his non agnoscat gratiam thomistice sufficientem, id est gratiam quæ dat facultatem

bene agendi, ultra quam ad bene agendum de facto requiratur altera efficax. Vide insuper ibid. a. 9. et 10. 2. 2. q. 137. a. 4. Item 1. 2. q. 113. a. 7. et 10 et alibi. Eodem sensu gratiam sufficientem docuerunt Lemos et Alvares auctores pro ordine nostro in Congregat. de auxiliis, ut patebit in sol. obj.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Ista gratia non est sufficiens præter quam alia requiritur: atqui præter gratiam sensu thomistico sufficientem alia requiritur: ergo. Patet maj. quia sufficiens est præter quod nihil aliud requiritur.

Quidam distingunt maj. sic: Ista gratia non est sufficiens grammaticaliter præter quam alia requiritur, conc.; non est sufficiens theologice, nego. Quia theologi intelligunt gratiam sufficientem quæ dat posse bonum agere, licet altera requiratur ad actu agendum. Hæc responsio admitti potest: attamen existimo hujusmodi gratiam posse etiam dici sufficientem non solum theologice, sed etiam grammaticaliter, seu saltem secundum communem acceptionem hujus vocis « sufficiens. » Unde

Resp. dist. maj.; Ista gratia non est sufficiens ex omni parte et in omni genere præter quam alia requiritur, conc. maj.; non est sufficiens in suo genere, nego. maj. Ad cujus sensum, dist. min. Atqui præter gratiam thomistice sufficientem requiritur altera in diverso genere, conc. min.; in eodem genere, nego. min. Unde ad probat. maj. similiter, dist. Illud est sufficiens præter quod nihil aliud requiritur in eodem genere, conc.; præter quod nihil aliud requiritur in quovis alio genere, subdistinguo: et hoc solum dicitur sufficiens, nego.; et insuper dicitur sufficiens id præter quod nihil aliud requiritur in suo genere, licet aliud requiratur in diverso genere, conc.

Dicimus itaque gratiam quæ sic dat homini facultatem bene agendi, ut si non agat, non ideo sit quia non potest, sed quia non vult; dicimus, inquam, talem gratiam proprio et naturali sensu atque juxta communem loquendi modum esse et vocari sufficientem, quamvis ad actu agendum requiratur altera efficax. Equidem non est sufficiens in omni genere et ordine, cum requiratur alia alterius generis et ordinis; sed est sufficiens in suo genere et ordine: et dicimus quod sic loqui, sit loqui in sensu proprio et prout communiter loquimur. Enimvero quotidie dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, licet ultra debeat applicari subjecto combustibili; panem esse sufficientem ad nutriendum, quamvis præterea debeat masticari, deglutiri et concoqui; intellectum esse sufficientem ad intelligendum, licet nunquam intelligat nisi ulterius adhibeantur species, et admoveatur objecto per ulteriorem motionem; passionem Christi esse sufficientem ad nos salvandos, etiamsi nunquam nos salvet, si aliunde nobis ejus merita non applicentur; et sexcenta alia. Sic, inquam, loquimur sermone communi, sic loquitur S. Th. eadem exempla proferens hic q. 109, a. 1. o. et 3. p. q. 61. a. 1. ad 3.

Sicut ergo cum dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, intellectum ad intelligendum, panem ad nutriendum, passionem Christi ad nos salvandos, istæ phrases non significant in sensu proprio et communi loquendi modo, ad comburendum, intelligendum, nutriendum, nos salvandos, de facto nihil aliud requiri in quovis alio genere, præter vel ignem, vel intellectum, vel panem, vel passionem Christi, sed tantum quod quantum ad virtutem comburendi, intelligendi, nutriendi, nos salvandi, non alia requiratur virtus quam vel ignis, vel intellectus, vel panis, vel passionis Christi: ita cum dicimus gratiam esse sufficientem ad bene agendum, ista phrasis, in sensu proprio et secundum communem modum loquendi, non significat ad actu agendum nihil aliud requiri in quovis alio genere, sed tantum quod sine quavis alia virtute ejusdem ordinis conferat nobis sufficientem facultatem bene agendi, si velimus. Quapropter imperite nolis objicitur quod abutamur terminis, quodque doceamus gratiam sufficientem quæ non sufficit.

Inst. Omissa quæstione de nomine et dato gratiam thomistice sufficientem posse sano sensu dici sufficientem, quatenus dat sufficienter posse, saltem est revera insufficiens ad actu operandum seu actu observandum mandatum: atqui ad hoc debet esse sufficiens, quia Deus non præcipit nobis ut possimus observare mandata, sed ut de facto observemus: ergo. Prob. maj. Illa gratia est insufficiens ad observandum actu mandatum, cui ad actualem observationem deest aliquid quod non est in nostra potestate: atqui gratia efficax quam thomistæ requirunt ad actualem observationem deest, et non est in nostra potestate: ergo. Ita Honoratus Tournely q. 7. de grat. a. 4. concl. 3.

Resp. neg. maj. Ad prob. dist. min. Gratia efficax non est in nostra potestate ut effectus qui illi subsit, conc.; ut causa quæ illi præsto

adsit, nego. Deus enim quantum est ex se paratus est omnibus qui habent gratiam sufficientem dare efficacem, nec eam ulli denegat nisi propter culpam quæ saltem ordine et natura præcedit subtractionem gratiæ efficacis. Et hæc est constans Doctrina S. Th. et rigidiorum thomistarum. S. Th. 3. *c. gent.* c. 159. « Deus, inquit, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare ; *vult enim omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, ut dicitur 1. Timot. 2. sed illi soli gratia privantur qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit nisi lumine solis præveniatur. » In 1. d. 40. q. 4. a. 2: « Hominem carere gratia ex duobus contingit : tum quia ipse non vult recipere, tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est ; sed quod iste careat gratia, non est bonum simpliciter. Unde hoc, absolute consideratum, non est volitum a Deo. Est tamen bonum ut careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparet, quia justum est, et hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo quod hujus defectus absolute prima causa est ex parte hominis qui gratia caret; sed ex parte Dei non est causa hujus defectus nisi ex suppositione illius quod est causa ex parte hominis.» Nihil sane apertius, nihil expressius. Vide insuper q. 24. de verit. a. 14. ad 2. in 2. d. 37. q. 3. a. 2. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2. et alibi.

Adstipulantur insignes et rigidi thomistæ: Lemos tom. 4. *Panopl.* lib. 4. p. 2. tract 3. c. 2. « Auxilium sufficiens, inquit, ita sufficientiam tribuit ad operandum, quod defectus operationis nullo modo provenit ex insufficientia talis auxilii, sed tantum ex defectu arbitrii, quod ei resistit et impedimentum ponit. » Et cap. 6 : « Deus tribuens auxilium sufficiens in eo offert efficax ; sed quia homo resistit sufficienti, privatur efficaci quod sibi offerebatur.» Alvares lib. 11. *de Aux.* disp. 113. n. 10. « Deus, inquit, quamdiu obligat præceptum, tribuit de facto auxilium sufficiens, paratus homini dare auxilium efficax, nisi eidem auxilio impedimentum præstaret. » Et disp. 80. ad 4: « Homo resistendo auxilio sufficienti impedimentum ponit ne Deus sua gratia ulterius progrediatur. » Et ita conformiter Trid. sess. 6. cap. 13. ubi dicitur : « Deus nisi homines illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere. »

Corrigenda est itaque hæc falsa gratiæ sufficientis notio, quam nobis affingunt adversarii, ut scilicet sit facultas ex se sterilis, cui Deus pro libitu subtrahit influxum necessarium ad eam reducendam in actum, sicque contingat semper eam effectu frustrari : est enim secundum nos gratia sufficiens semen evangelicum, principium boni operis illud virtute continens, et ad quod de facto perveniret, nisi virtutis ejus cursum homo sua defectiva libertate sisteret; sicut bonum semen terræ mandatum fructum ferret, nisi aliquo terræ defectu impediretur. Equidem non diffitemur, imo pro certo tenemus, quod ut homo gratiæ sufficienti non desit, eique consentiat, requiratur gratia efficax; sed (quod bene adverte) ut illi desit, ut illi resistat, ut peccet, non requiritur gratia efficax, sed sufficit defectiva ejus voluntas ; et quia illa resistentia, istud peccatum præcedit natura et ordine privationem gratiæ efficacis, ideo verum est dicere hominem privari gratia efficaci, quia peccando sufficienti resistit; non vero peccare, quia privatur gratia efficaci. Hanc gravissimam difficultatem totam quantam ex limpidissimis S. Thomæ principiis plane solutam atque explanatam, et Honorati Tournely hallucinationes circa illam plene dissipatas habes in tract. nostro de Deo, dissert. 8. a. 4. §. 3; illuc recurre ne eadem repetam.

Obj. 2°. Gratia thomistice sufficiens est prorsus inutilis : ergo non est admittenda. Prob. ant. Illa gratia est inutilis, qua nemo unquam utitur : atqui gratia thomistice sufficienti nemo umquam utitur : ergo.

Resp. cum nostro Goudin, dist. ant. Gratia thomistice sufficiens est inutilis ex se, nego ; per accidens defectu hominis, conc. Dat enim ex se verum posse, quod utile est ; quod si homo eo non utatur, hominis, non gratiæ, culpa est : Deus autem sicut in natura, sic in gratia multa præstat ex se utilia, quæ nostro defectu carent effectu. Ad id quod additur gratia thomistice sufficienti neminem umquam uti, dist. Nemo utitur gratia thomistice sufficienti, reduplicative ut mere sufficienti, conc.; specificative ut dat facultatem boni, nego. Gratia sufficiens potest dupliciter considerari, quod, ut observat laudatus Goudin, plerique non satis advertunt : 1°, ut est mere sufficiens, sub qua ratione connotat permissionem Dei ut homo ei desit illique resistat ; et hoc sensu verum est neminem illa gratia bene uti. 2°, spectari potest quoad propriam entitatem et proprium

præcise effectum, qui est dare posse bonum; et hoc sensu falsum est neminem ea bene uti; nam plerique illa sic considerata bene utuntur et bene agunt, licet hoc ipsum quod bene ea utantur sit effectus gratiæ efficacis : sicut ergo virtus fructificandi in plantis non est frustra, licet in plerisque propter defectus accidentes remaneat sine effectu, quia in aliis fructum fert; ita a pari in nostro casu.

Obj. 3°. Gratia thomistice sufficiens est perniciosa : ergo. Prob. ant. Ex ea homo fit pejor: ergo. Prob. ant. Si ea careret, non peccaret, et, dum habet, toties peccat : ergo.

Resp. pari argumento posse probari rationem esse perniciosam, quia qui ea caret non peccat, et qui eam habet peccat. Itaque, nego ant. Ad prob. nego ant. Melior est enim qui potest facere bonum, quam qui non potest. Ad prob. dist. ant. Qui habet gratiam sufficientem toties peccat, defectu pravæ voluntatis, conc.; defectu gratiæ, nego; quin imo per gratiam sufficientem entitative sumptam homo ponitur in statu non peccandi, sed suo defectu sistit hujus gratiæ cursum et facit quod remaneat mere sufficiens.

Obj. 4°. Nemo, nec ipsa Ecclesia, petit a Deo gratiam thomistice sufficientem : ergo non est bona nec admittenda.

Resp. dist. ant. Nemo petit a Deo gratiam sufficientem reduplicative ut sufficientem, conc.: hoc enim esset petere a Deo ut permitteret nos deesse gratiæ; nemo petit a Deo gratiam sufficientem specificative et entitative sumptam, nego: petimus enim a Deo omne quod conducit ad salutem ; talis est gratia sufficiens entitative sumpta, quippe quæ dat facultatem boni operis et sine qua non fieret, cum citra miraculum, non ponatur actus sine potentia agendi. Ecquid, quæso, a Deo petimus nisi gratiam sufficientem, dum petimus fidem, spem, charitatem et alios habitus infusos; hi enim non dant agere sed posse, et ideo reducuntur ad gratiam sufficientem entitative sumptam.

Cæterum nota hæc omnia argumenta posse retorqueri in gratiam sensu congruistarum sufficientem.

ARTICULUS V.

QUID ET QUOTUPLEX SIT AUXILIUM GRATIÆ SUFFICIENTIS?

Dico : Auxilium sufficiens non consistit in aliquo uno determinato indivisibili, sed in pluribus concurrentibus ad actus nostros, unoquoque in suo genere et inadæquate.

Prob. Nomine auxilii sufficientis intelligimus id omne quod Deus nobis concedit ut possimus facere opus salutare, ita ut non defectu auxilii, sed hominis se divino auxilio subtrahentis bonum omittatur aut malum fiat : atqui Deus non multiplici modo adjuvat ad bonum, modo exterius per legem, per prædicationes, exhortationes, exempla, miracula, flagella, beneficia, etc.; modo interius per mentis illustrationes, voluntatis motiones et habitus infusos virtutum : ergo. Confir. Auxilium sufficiens est cui homo resistit : atqui S. Scriptura exhibet plura genera gratiarum quibus homo resistit, qualia sunt quæ modo recensebam : ergo.

Hinc colliges varias esse divisiones auxilii sufficientis. 1°. Dividitur in externum et internum. Ad externum pertinent quæ jam dixi : lex, prædicatio, exhortatio, exempla, miracula, adversitates, beneficia, imo certa rerum creatarum dispositio per specialem providentiam directa et imperata in ordine ad salutem. Internum est quod Deus intra hominem operatur ad ipsum promovendum in bonum et avocandum a malo. Est duplex : unum transiens, ut sunt illustrationes mentis et motiones voluntatis. Alterum permanens, ut sunt habitus infusi. Ad hoc posset aliquo sensu revocari bonum naturæ, scilicet bona indoles, naturalis amor virtutis, horror vitii et alia similia, quæ sunt veluti naturalia virtutum semina, non quidem quod hæc valeant per se ad actus supernaturales, sed tantum ad removendum peccatum quo reddimur indigniores auxilii supernaturalis.

2°. Dividitur auxilium sufficiens in morale et physicum. Ad morale pertinent auxilia externa, quibus Deus vel ostensione boni, vel comminatione mali, ad bonum nos movet. Ad illud etiam pertinent illustrationes mentis, quæ quamvis respective ad mentem sint physicæ, respective tamen ad voluntatem sunt morales, quatenus eam tantum movent objective propositione boni vel mali. Physicum est quo Deus ut causa efficiens hominem movet operando in voluntate et eam immutando.

3°. Dividitur auxilium sufficiens in proximum et remotum. Proximun est quo quis immediate potest bonum opus facere, ut sunt v. g. habitus infusi respective ad suos actus ; remotum est quo quis non est quidem proxime potens ad actum, sed tamen potest facere aliquid facilius, quod si faciat, perveniet ad a-

ctum : v. g. peccator non est proxime potens ad superandas graves tentationes, sed potest per gratiam orare, quod si faciat, fiet proxime potens ad vincendas tentations: hanc differentiam indicat Trid. sess. 6. c. 11. ex S. Aug. dum dicit : « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis»: en auxilium proxime sufficiens, « et petere quod non possis»: ecce remote sufficiens. Hæc distinctio est apprime utilis ad solvendas plures difficultates.

Posset insuper dividi auxilium sufficiens in collatum et oblatum, quod nempe reciperemus, si per nos non staret. Item in immediatum, quod confertur personæ ; et mediatum, quod confertur alteri, ut auxilium collatum parentibus pro pueris qui non sunt capaces auxilii sufficientis propriæ personæ collati.

ARTICULUS VI.

DE GRATIA EFFICACI.

Unde repetenda sit ejus efficacia, et an sit per se efficax?

PRÆNOTANDA.

Gratia efficax potest sumi dupliciter : 1° vulgari sensu pro ea quæ habet insignem virtutem producendi effectum, quem tamen ob quædam impedimenta non producit; sicut dicitur communiter remedium efficax, quod tantam habet virtutem ut sanare soleat, licet quandoque non sanet propter defectum subjecti; et gratiam hoc sensu effcacem aliquando usurpavit S. Th. ut in cap. 17. Joan. lect. 2, ubi dicit orationem Christi quantum ex se esse efficacem pro omnibus, non tamen sortiri effectum in omnibus propter impedimentum mundanorum. 2° Sumitur gratia efficax pro ea quæ reipsa habet effectum et cui non resistitur, ita ut quanta vi polleat, si non sortiatur effectum, non sit efficax. Hoc secundo sensu sumitur hic et communiter a theologis gratia efficax; quia sumitur hic gratia efficax prout distinguitur a sufficienti; sufficiens dicitur quæ dat posse, efficax quæ dat agere.

Dari hoc sensu gratiam efficacem, id est gratiam per quam aut cum qua habetur non posse, sed velle et perficere opus salutis, nullus negat; quia juxta S. Scripturam, patres et concilia, omnia bona opera nostra magna et parva Deo tribuuntur qui operatur velle et perficere et omnia; idque probant momenta quæ mox proponemus in assertionem gratiæ per se efficacis.

Sed difficultas est, eaque gravissima et celeberrima, unde hæc gratia habeat quod sit efficax ? Non dico unde habeat vim qualitercumque efficiendi, quod est esse efficax in actu primo; certum est enim quod habeat a Deo ; sed unde habeat quod certo et infallibiliter obtineat consensum nostrum, quod est esse efficax in actu secundo, et eo modo quo intelligimus hic gratiam efficacem, ut patet ex dictis.

Juxta systemata art. 2, proposita tres sunt sententiæ. Puri molinistæ efficaciam gratiæ repetunt ab eventu, ita ut juxta illos, non dentur nisi gratiæ ex se sufficientes, quæ fiunt efficaces ex consensu voluntatis humanæ, seu quia voluntas humana illis consentit.

Congruistæ efficaciam infallibilem gratiæ repetunt ex directione scientiæ mediæ, et quia datur in iis circumstantiis in quibus prævisa est habere effectum; sed quia neque circumstantiæ neque præscientia quidquam virtutis conferunt gratiæ, ut fatentur ipsimet congruistæ, etiam in hac sententia, sicut in sententia Molinæ repetitur efficacia gratiæ ex ipso consensu voluntatis, ita ut sit efficax quia voluntas consentit, non autem voluntas ideo consentiat quia est efficax: unde in utroque systemate gratia sufficiens et efficax non distinguuntur entitative et per sua intrinseca, sed in systemate congruistarum per circumstantias extrinsecas : eadem enim entitative gratia quæ est efficax in uno qui consentit, est inefficax in altero qui non consentit.

Est juxta quosdam alia congruitas, sed a præcedenti valde dispar, quæ non consistit in præscientia consensus ex innata libertate futuri in his vel illis circumstantiis, sed in præparatione talis auxilii quod sua virtute consensum infallibiliter inferat, quatenus scilicet magis indurato, aut fortius tentato auxilium fortius datur ut vincat resistentiam. Sed ista sententia pertinet ad sequentem, et de ea diximus tract. de Deo, dissert. 6. de scientia media a. 6. §. 9. obj. 1 ; vide si lubet.

Thomistæ repetunt efficaciam gratiæ ex intrinsecis, sive ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo dominio quod habet super voluntates hominum, sicut in cætera creata; ita ut inter gratiam et effectum sit connexio infallibilis, non solum infallibilitate præscientiæ, ut volunt congruistæ, sed causalitatis, neque infallibilitas operationis fundetur in præscientia nostri consensus, sed e contra præscientia nostri consensus fundetur in infal-

libilitate divinæ causalitatis. Vide systema thomisticum.

Et hæc est sententia, quam ab ipsis SS. Doctoribus Aug. et Thoma se hausisse, et verbo Dei, ss. pontificum et conciliorum decretis et patrum dictis consonam esse schola nostra commendabili studio gloriatur: verba sunt Benedicti XIII, in Brevi « *Demissas preces* », et pro qua ordo noster tanquam pro aris et focis contra opppositam decertavit per decem annos in famosis congregationibus *De Auxiliis* sub Clemente VIII et Paulo V; cuique subscribunt celebriores Academiæ, innumeri theologi ex omni statu et ordine, ferme omnes qui non stant pro scientia media, licet differant in modo hanc efficaciam explicandi, ut dicam art. sequenti.

Resolutio quæstionis.

Dico: Efficacia gratiæ repetenda est, non ex eventu, neque ex directione scientiæ mediæ, aut congruitate circumstantiarum, sed ex omnipotentissima Dei voluntate, atque ejus supremo dominio in voluntates nostras, sicque est per se infallibiliter efficax, non infallibilitate scientiæ tantum, sed et causalitatis.

Hanc conclusionem directe probant quæcumque dixi in tract. de Deo contra scientiam mediam et pro decretis per se efficacibus: quapropter non omnia ex integro repetam, sed compendio tantum, et indicando loca, quibusdam tamen additis.

Probatur ex S. Scriptura.

1°. Apost. 1. Cor. 4. dicit: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Atqui si gratia non sit efficax ex se consensus nostri, sed ipsum expectet a nobis et per eum fiat efficax, homo habet aliquid quod non accepit et in quo possit gloriari et se discernere ab altero qui æquali gratia præventus non consentit, nempe ipsum consensum gratiæ quem non habet a gratia, sed a se: ergo. Hoc argumentum fusius deductum et varias adversariorum responsiones require de scientia media §. 3.

Attamen juvat paululum adhuc audire Honoratum Tournely nova procudentem. Is cum contra suum singulare systema de gratia molinistice sufficienti ad faciliora pietatis opera hoc argumentum ex Apostolo objecisset,

Respondet 1°. « Mirum esse adversarios perpetuo istum Apostoli textum nobis opponere quem ipsimet in sua sententia solvendum pariter habent. Nonne in sententia thomistarum verum istud est eum qui gratiæ sufficienti non resistit, efficacem a Deo impetrare; qui vero resistit, non impetrare: ergo unus ab alio se discernit contra effatum Apostoli; qui enim non resistit, non habet ex gratia efficaci ut non resistat, ut antea ostendimus. » Ita Tournely.

Verum toto cœlo aberrat doctor molinianus: falsum namque est in sententia nostra hoc quod voluntas non resistat gratiæ sufficienti seu illi consentiat, non haberi ex gratia efficaci: « Hoc ipsum, inquit S. Th. in cap. 12. Heb. lect. 3, quod aliquis non ponit obstaculum gratiæ, ex gratia procedit », nec contrarium vel leviter antea ostendit Tournely; sed erravit in suis adinventionibus, existimans nos docere hominem ex seipso non resistere seu consentire gratiæ, quia dicimus quod ex seipso resistat, quæ duo sunt valde diversa. Docemus ergo cum nostro angelico Doctore, hominem, quod non resistat gratiæ, quod illi consentiat, habere ex gratia; quod autem illi resistat habere ex se, sicque in nostra sententia nihil habere per quod se discernat nisi in malo. Mirum est sane (id mihi vicissim liceat) et plusquam mirum, theologum qui assumit provinciam utriusque partis jura ex æquo exponendi, prima unius partis principia, vel ignorare, vel dissimulare.

Alteram responsionem ejusdem theologi, scilicet consentientem non se discernere sine gratia vel præveniente, vel comitante, confutatam habes ibidem de scientia media, et de decretis, dissert. 8. a. 3. §. 4.

Iterum alteram responsionem nobis exhibet Tournely q. 9. de grat. a. 1, ex parte molinistarum, quasi ipse non foret verus molinista; scilicet « objectionem hanc ex Apostolo præsenti quæstioni non esse accommodatam: nusquam enim contingit, inquit, ut efficaci gratiæ unus consentiat et alter reluctetur; si enim efficax supponitur, ambo consentiunt, alias vero non esset efficax..... Igitur hypothesis quæ solet adduci duorum hominum quorum unus gratiæ consentit, alter vero resistit, locum non habet, nisi ubi agitur de gratia sufficiente, non vero de efficaci. » Huc usque Tournely.

Nugæ profecto nugæ in sententia Tournely, quæ est purus molinismus. Ecquis fingit in ea sententia, in qua non dantur nisi gratiæ ex se sufficientes, non fieri comparationem duorum hominum quorum unus gratiæ sufficienti re-

sistit, alter ei consentit ? Hæc est ipsissima in hoc systemate hypothesis in qua quæritur, unde habet quod sit efficax in eo qui consentit et remaneat mere sufficiens in eo qui resistit ? Respondent thomistæ habere quod sit efficax ex ulteriori gratia : respondet Tournely cum suis id habere ex consensu voluntatis : ergo qui consentit habet aliquid quod non accepit et per quod ab altero se discernit, nempe suum consensum.

Equidem responsio posset videri prima fronte utcumque valere pro systemate congruistarum (quod rejicit Tournely) in quo gratia congrua seu efficax differt in actu primo a sufficiente in ratione beneficii, sed cum non differat in ratione auxilii et virtutis, semper manet quod ex duobus gratia æquali quoad auxilium et virtutem præventis, unus ex se consentiat, non alter, et sic ex se ab alio se discernat. Alia quæ late prosequitur sæpe laudatus theologus hic q. 7. a 4. concl. 5, ut ab hoc argumento se expediat, ipsa sua levitate dissipantur, et pro magna parte soluta habes loco citato de scientia media.

2° Juxta S. Scripturam Deus facit ut faciamus: Ezech. 36: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Facit ut velimus : Philip. 2 : *Operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Facit de nolentibus volentes, auferendo duritiam et resistentiam voluntatis et dando obedientiam seu consensum : Ezech. 11. et 36 : *Auferam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum.* Unde S. Aug. *de Prædest. Sanct.* c. 8: « Hæc gratia quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur. » Atqui Deus non dat nobis ut velimus et faciamus, non aufert cor lapideum, id est cor resistens, non dat cor carneum, id est cor docile et consentiens, non aufert duritiam et resistentiam cordis per gratiam pendulam et permissam libero voluntatis arbitrio, expectantem ejus obedientiam vel resistentiam, ejus consensum vel repulsum, ut patet ex terminis; sed per gratiam vi propria effectricem bonæ volitionis et cordis docilis, obedientis et consentientis, atque victricem duritiei et resistentiæ voluntatis: ergo.

3°. Juxta S. Scripturam gratia est infallibiliter efficax consensus nostri ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo dominio quod habet super voluntates nostras: ergo non ex consensu voluntatis humanæ. Prob. ant. Esther 13, Mardochæus orans Deum ut convertat cor regis Assueri Judæis infensi, dicit: *Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare Israel.... Dominus omnium es, nec est qui resistit majestati tuæ* ; et cap. 14, regina Esther sic orat: *Domine Rex deorum et universæ potestatis.... transfer cor illius in odium hostis nostri ;* et cap. 15. subjungitur: *Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem.* Quibus verbis infallibilitas et efficacia motionis et gratiæ divinæ refertur evidenter ad Dei omnipotentiam et non ad consensum Assueri prævisum. Unde S. Aug. I. *ad Bonif.* c. 20, expendens hæc verba, dicit: « Cor regis..... occultissima et efficacissima potestate convertit et transtulit ab indignatione ad lenitatem. » Item Proverb. 21, cor regis in manu Dei comparatur divisionibus aquarum in manu hortulani: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Eccli. 33, homo in manu Dei comparatur luto in manu figuli; Isa. 10, comparatur securi, virgæ, baculo in manu hominis iis utentis prout vult. Quibus comparationibus manifestum fit Deum vi suæ potestatis et dominii de voluntatibus ad nutum disponere, non vero ab eis expectare quid voluerint.

Reponit Honoratus Tournely hæc frustra objici; quia nemo negat gratiæ vim et efficaciam derivari ex omnipotentissima Dei virtute. Hic iterum verbis ludit et illudit Tournely. Ita quidem: nemo negat gratiæ vim et efficaciam quam habet, derivari ex omnipotentissima Dei virtute; sed molinistæ et congruistæ negant gratiam habere vim et efficaciam ex omnipotentissima Dei virtute determinandi infallibiliter voluntatem ad consensum, ut ferunt textus laudati; quippe qui volunt eam esse efficacem per consensum ipsum; et ita negarunt in congregatione habita coram Paulo V, 20 Septembris 1605.

4° Apost. Rom. 9, dicit: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei:* atqui in sententia adversariorum est potius hominis volentis quam Dei miserentis: ergo. Probo min. 1° Effectus potiori jure tribuitur causæ determinanti quam expectanti alterius determinationem: atqui in sententia adversariorum homo determinat consensum Dei indifferentem oblatum et Deus expectat hominis determinationem: ergo. 2° In eadem sententia Deus non majus auxilium gratiæ offert operanti quam non operanti : ergo quod ille bene velit et agat, et non iste, tribuendum est volenti et currenti, qui suo nutu commune auxilium

determinat. Hinc S. Aug. *in Enchyrid.* cap .32, hunc Apostoli textum explicans, dicit: « Si propterea dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit, id est ex voluntate hominis et misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis; ac per hoc si recte dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id volontas hominis sola non implet, cur non et e contrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea recte dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam et adjuvat præparatam. »

5° Juxta regulam traditam a Cœlestino Papa, in Capitulis, cap. 10, fundatam in S. Scripturis, patribus et conciliis, communi theologorum et fidelium sensu probatam, «operi et dignationi gratiæ in negotio salutis nihil penitus est subtrahendum. » Philipp. 2 : *Deus operatur in nobis velle et perficere.* Joan. 3 : *Nemo habet quidquam boni, nisi illud datum illi fuerit desuper.* 1. Cor. 4 : *Quid habes quod non accepisti?* Rom. 11 : *Quis prior dedit ei?.... Quoniam ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia.* S. Cypr. lib. 3, *ad Quirin.* cap. 4 : « In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. » S. Basil. *hom.* 22, *de humilit.* « Nihil tibi relictum, o homo, de quo gloriari possis, per universum enim in gratia et dono Dei vivimus. » S. Chrysost., serm. 2, *in Epist. ad Coloss.* « In negotio salutis totum est donum Dei. » De S. Augustino jam patet ex dictis et patebit ex dicendis. Concil. Araus. 2. cap. 20 : « Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo. » Vide insuper c. 3. 5. 6. 7. 9. 16. 22. 23. Atqui si gratia non sit virtute propria et per se efficax consensus et determinationis nostræ in bonum, sed eum a voluntate expectet, iste consensus, ista determinatio quæ est quid præcipuum in negotio salutis, ejus operationi subtrahitur, ut manifestum est : ergo.

Probatur ex S. Augustino.

Præter ea quæ jam vidimus ex S. Aug. prob. 1°, ex terminis quibus S. Doctor exprimit gratiæ efficaciam, lib. 1. *de Peccat. meritis*, cap. 9. vocat gratiam efficacem « Spiritus Sancti occultissimam gratiam. » Lib. *de Gratia Christi* cap. 24 : « internam, occultam, mirabilem ac ineffabilem potestatem qua Deus operatur in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Lib. 4. *cont. Jul.* c. 8 : «omnipotentissimam voluntatem.» Lib. 1. *contra* 2 *epist. Pelag.* cap. 20 : « occultissimam et efficacissimam voluntatem ac potestatem, quæ convertit et transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem.» Lib. *de Correpl. et gratia* : «inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem.» *De Prædest. Sanct.* cap. 8 : « gratiam quæ a nullo duro corde respuitur; quia ad tollendam cordis duritiam primitus datur ». Atqui hæc competunt gratiæ per se et ex intrinsecis efficaci, nullatenus gratiæ permissæ libero arbitrio, et quæ ab ejus consensu aut circumstantiis loci vel temporis redditur efficax; nam 1° hæc gratia non operatur occultis, miris et ineffabilibus modis; causa enim cur operetur, est, in hoc systemate, obvia et aperta, scilicet consensus humanæ voluntatis. 2°. Non est potentissima et efficacissima, siquidem nihil possit operari, si voluntas humana resistat. 3°. Non efficit ut homo sit volens et consentiens, cum e contra sit efficax, quia homo vult et consentit. 4°. Denique non inclinat corda quo et quando Deo placet, sed potius homo flectit divinam potentiam quo et quando sibi placet: ergo.

2°. S. Augustinus refert ad inscrutabilia Dei judicia cur unus efficaciter velit et convertatur et non alter. Lib. *de Spirit. et lit.* cap. 34: « Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita et suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt quæ respondere mihi placet: o altitudo divitiarum ! et: numquid est iniquitas apud Deum ?» *De dono persev.* cap. 9 : « Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt Dei judicia.» Lib. 11. *de Peccat. merit.* cap. 5: « Cur illum adjuvet illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, et æquitatis tam secretæ ratio est excellentia potestatis» : atqui si gratia sit efficax ex consensu voluntatis humanæ, non est recurrendum ad inscrutabilia Dei judicia cur

iste credat aut sequatur, alter non; responsio obvia est, quia iste consentit gratiæ et non alter: ergo.

Si dicas in systemate saltem congruistarum esse Dei inscrutabile judicium cur iste ponatur in circumstantiis congruis in quibus prævisus est consentire et non alter.

Contra est quod S. Augustinus repetat discrimen inter istos duos ab « excellentia potestatis divinæ», quæ prout lubet, hunc tantum vocat, ut sequatur, alterum non tantum; et cum Deus ut omnipotens possit bonam voluntatem inspirare etiam nolentibus, etiam in circumstantiis contrariis et incongruis, patet quod gratia quæ tanta est ob excellentiam potestatis divinæ, non habeat suam efficaciam a temperamento, loco, tempore et aliis circumstantiis, consequenter quod S. Augustinus non recurrat ad inscrutabile judicium cur iste ponatur in congruis circumstantiis et non alter, sed cur isti detur gratia ex potentia divina efficax et non alteri.

3°. S. Aug. *de Prædest. SS.* c. 10. dicit: « Quando promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, eam non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit; promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciant homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit; alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, et quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ; non autem sic credidit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit potens est et facere, non ait prædicere, non ait præscire.... sed potens est facere, ac per hoc facta, non aliena, sed sua. » Atqui si gratia non sit per se efficax consensus nostri ad fidem aut pietatis opus, sed ipsum expectet et ab ipso pendeat ut sit efficax, sequitur 1° quod quando Deus promisit fidem Abrahæ, non de sua prædestinatione, sed de nostræ voluntatis potestate promisit; 2° quod promisit non quod ipse facturus erat, sed quod homines; 3° quod ipse non faciat ut faciant homines quæ præcipit, sed illi faciant ut ipse faciat quod promisit; 4° quod ut Dei promissa impleantur, non in Dei, sed in hominum sit potestate; 5° quod potens sit prædicere et præscire quæ promisit, sed non potens facere, cum hæc pendeant a voluntate humana, sicque quod facta aliena, non sua, promiserit: quæ omnia sunt directe contra S. Augustinum: ergo.

Confir. S. Aug. *de Correpl. et grat.* c. 14, probat Deum facere de hominum voluntatibus quod vult, cum vult; quia « magis habet in potestate sua voluntates hominum quam ipsi suas » : atqui homo ex potestate quam habet in voluntatem suam, se determinat efficaciter, et, quod capitale est, salva sua libertate: ergo a fortiori Deus ex majori potestate quam habet in voluntates hominum, determinat eas efficaciter, salva eorum libertate; alioquin quomodo haberet magis in potestate voluntates hominum quam ipsi suas?

4°. Juxta S. Aug. difficile est conciliare libertatem cum gratia: sic lib. *de Grat. Chr.* c. 47: « Ista quæstio ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » Et lib. 2. *cont. litt. Petiliani* c. 84: « Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent. » Atqui in utroque systemate molinistarum et congruistarum omnes facile penetrare possunt concordiam libertatis cum gratia; quis enim, etiamsi stupidissimus non intelligat manere libertatem cum gratia quæ ab ejus nutu pendet? Imo ideo conficta sunt ista systemata ut hæc concordia facile perciperetur: quo uno palam est quantum distent ista systemata a S. Augustini systemate.

A S. Augustino non sunt separandi fidelissimi ejus discipuli SS. Prosper et Fulgentius. S. Prosper carmine *de Ingratis* cap. 15:

« At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit; non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis:
Nec quod sola potest cura officiove ministri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi. »

S. Fulgentius lib. *de Incarnat. et grat.* cap. 29: « Quomodo Deus omnia quæ vult, facit, si volens hominem salvum fieri, cujus salus non nisi a bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur expectat? O quam pessimum nefas asseritur, dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur, qui homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existerent. » Hæc ex

utroque Prospero et Fulgentio aperta sunt, nec commentariis indigent.

His omnibus adde sententiam molinistarum et congruistarum fundari in scientia media, quam S. Augustinus rejicit, non solum quoad abusum, sed etiam quoad substantiam. Vide de scientia media a. 6. §. 4.

Probatur ex D. Thoma.

1°. Sanct. Th. in cap. 3. ad Ephes. lect. 2, ut jam vidimus, distinguit duplex auxilium gratiæ, unum quod dat posse seu facultatem bene agendi, aliud quod dat ipsam volitionem et actionem. « Facultatem autem, inquit, dat Deus infundendo virtutem et gratiam per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum ; sed ipsam operationem confert in quantum operatur in nobis interius movendo et instigando ad bonum. Et ideo hoc accipiens Apostolus, dicit quantum ad primum : *Dico quod factus sum minister*... Quantum ad secundum dicit : *Secundum operationem quam Deus efficit*, in quantum virtus ejus operantur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate : » ergo juxta S. Thomam gratia operatur in nobis et velle et perficere virtute divina et movendo nos ad bonum, sicque est efficax ex se, non ex volitione aut operatione nostra.

2°. 1. 2. q. 109. a. 1, quærens utrum homo sine gratia possit aliquod verum cognoscere, dicit « : Omnes motus tam corporales quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus, et ideo quantumcumque aliqua natura corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo. Non solum autem a Deo est omnis motio sicut a primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio sicut a primo actu. Sic igitur actio intellectus et cujusquam entis creati dependet a Deo quantum ad duo : uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam per quam agit, alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum. » Ibi S. Thomas explicat necessitatem et efficaciam gratiæ per motionem divinam; motio autem divina non est efficax ex motu mobilis, sed propria virtute.

3°. 3 Cont. Gent. cap. 89 , impugnans ut erroneam opinionem eorum qui dicebant Deum dare nobis virtutem volendi, non autem ipsum velle, sic ait : « Quibus quidem auctoritatibus sacræ Scripturæ resistitur evidenter : dicitur enim Isa. 26 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine ;* unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem. Præterea hoc ipsum quod Salomon dicit: *Quocumque voluerit, inclinabit illud*, ostendit non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Item Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi agat in virtute ipsius, ut supra ostensum est : ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quantum agit in virtute Dei. Illud autem in virtute cujus agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus ; quod in artifice apparet, in cujus virtute agit instrumentum , etiam quod ab ipso artifice propriam formam non accepit, sed solum ab ipso applicatur ad actum : Deus igitur est causa in nobis non solum voluntatis, sed etiam volendi. » S. Th. hic loquitur de causalitate Dei in genere, tam in ordine supernaturali quam naturali : atqui Deum causare immediate in nobis non solum potentiam voluntatis, sed etiam actum volendi, et hominem non posse virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quantum agit virtute Dei, sicut instrumentum non agit nisi virtute artificis quatenus ab ipso applicatur, important evidenter motionem gratiæ non expectantis consensum voluntatis, sed illum virtute divina efficientis : ergo.

4°. 1. 2. q. 10. a. 4, dicit : « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic poni, quod voluntas ad illud non moveatur ; non est tamen impossibile simpliciter. » Q. 6. de malo a. unico ad 3 : « Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas ; sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter unumquodque secundum suum modum. » 1. p. q. 19. a. 8. o : « Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult; vult autem quædam Deus fieri necessario, quædam contingenter. » Et ad 2 : « Et hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario quæ sic fieri vult » Hæc sunt plana et aperta, atque diserte in terminis exprimunt efficaciam infallibilem gratiæ repetendam esse

ex efficacia voluntatis divinæ, et, quod potissimum est, salvam manere libertatem sub illa.

Utrumque iterum eruitur ex q. 22. de verit. a. 8. ubi dicit: « Omnis actio voluntatis in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente ; sed etiam a Deo ut primo agente, qui vehementius imprimit ; unde sicut voluntas potest immutare suum actum, ita et multo amplius Deus. « Nihil urgentius ; inde enim sic formo argumentum : Deus, ut primum agens, vehementius imprimit voluntati, quam ipsa ut secundum agens sibi ; atqui voluntas ut secundum agens seipsam in genere causæ efficientis movet et se determinat ad agendum salva libertate : ergo multo amplius Deus ut primum agens in genere causæ efficientis ipsam movet et determinat salva libertate.

5°. Juxta S. Th. usus gratiæ est a gratia : ergo est per se et vi sua efficax. Patet consequentia ; quia non potest sui usum conferre, nisi vi sua et efficacia moveat et applicet voluntatem : « Usus enim rei, inquit S. Th. 1. 2. q. 16. a. 1, importat applicationem rei illius ad aliquam operationem ; unde et operatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus ejus ; sicut equitare est usus equi, et percutere est usus baculi. » Prob. ant. 1°. S. Th. 1. p. q. 23. a. 5, quærens an præscientia meritorum sit causa prædestinationis, respondet nullam esse causam prædestinationis ex parte hominis, quia si quæ esset, foret maxime prævisus bonus usus gratiæ collatæ; « sicut si rex dat alicui militi equum quem scit eo bene usurum ; sed, inquit, isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia et id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque.... Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio et ex prædestinatione (seu gratia) sicut nec est distinctum quod est ex causa secunda et causa prima: divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum, ut supra dictum est ; unde et id quod est per liberum arbitrium est ex prædestinatione », consequenter ex gratia quæ datur per prædestinationem. 2°. Idem quærit et resolvit S. Doct. ad Rom. 9. lect. 3 : «Manifestum est, inquit, quod omne Dei beneficium, quod homini confert ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus ; divinum autem beneficium non solum se extendit ad infusionem gratiæ qua homo justificatur, sed etiam ad gratiæ usum. » Et postea : « Sic igitur ipse usus gratiæ est a Deo. » Similiter q. 6. de verit. a. 2. ad 11. 1. Cor. c. 15. lect. 1. Confer dissert. 9. *de Prædest.* a. 6. concl. 3.

His sisto ne tædium lectori afferam, et quia rationes sequentes sunt principia quæ constanter ubique docet S. Doct. Hoc unum breviter addo sicut de S. Augustino. Sententia opposita fundatur in scientia media, nostra sequitur ex decretis per se efficacibus : atqui S. Th. non agnoscit scientiam mediam, et docet decreta per se efficacia. Vide utrumque probatum in tract. de Deo diss. 6 et 8.

Probatur rationibus.

1° Probatur rationibus, quæ sunt inconvenientia quæ deduxi contra scientiam mediam, et quæ nunc compendio sic resumo. Sublata gratia per se efficaci, et posita gratia efficaci ab eventu seu ex præscientia et circumstantiis, hoc est gratia pendula, permissa determinationi liberi arbitrii et ejus consensum ac determinationem expectante, sequitur 1° quod tollatur a Deo ratio primæ causæ et primi motoris, quia voluntas se determinat, non determinata a Deo. Sequitur 2° quod tollatur ab eo ratio causæ universalis, quia est aliquid scilicet consensus et libera determinatio voluntatis, quod ejus causalitatem subterfugit ; 3° quod decurtetur omnipotentia Dei et supremum dominium quod habet supra nostras voluntates, quia non potest in quibusvis circumstantiis voluntates nostras inclinare in bonum ; 4° quod tollatur, præcipua ex parte, necessitas orationis; nam in illa sententia non est necesse a Deo petere quod consentiamus gratiæ, cum id sit a nobis et non a Deo ; 5° quod non debeamus Deo gratias agere pro eo quod est caput in negotio salutis, scilicet pro determinatione ad bonum quæ est a nobis et non a Deo ; 6° quod non in sola spe gratiæ inniti debeamus, sed præcipue in nostra libertate, cum sit semper nobis liberum eam reddere efficacem, et inde quod non tam anxie timere debeamus pro salute nostra, nec tanta sollicitudine illi invigilare ; 7° quod hæc sententia videatur affinis semi-pelagianismo, quatenus componit cum Deo, partem homini vindicet et partem Deo, et quod pejus est, homo primum tollat, promendo ex se suum consensum, Deo posterius det : in quo, juxta S. Aug. situs erat error semi-pelagianorum ; 8° Specialiter contra systema gratiæ congruæ, quod Deus in illo non sit magis auctor bonorum quam malorum operum : quia, in tantum in eo systemate Deus dicitur

auctor bonorum operum, in quantum ponit hominem in iis circumstantiis in quibus prævidet eum bene usurum gratia, et cum eo simultanee concurrit ad opus : atqui pariter illum qui male agit, ponit in iis circumstantiis in quibus prævidet illum gratia oblata male usurum, et concurrit simultanee cum illo ad malum opus : ergo. Hæc omnia fusius exposita cum responsionibus adversariorum præsertim Honorati Tournely require dissert. 6. de scientia media a. 6. §. 6.

Adde iterum specialiter contra idem systema gratiæ congruæ, quod subjaceat omnibus fere difficultatibus quæ contra gratiam per se efficacem proponuntur : nam is cui denegatur gratia congrua et datur tantum incongrua, non plus facit aut faciet quam is cui denegatur gratia per se efficax et datur tantum sufficiens thomistica, ut non semel in tract. de Deo et in hoc præsenti observavimus : unde Martinonus Societatis scriptor in suo *Anti-Jansenio,* disp. 26. sect. 3. n. 25, concludit eam sententiam fuisse inutiliter excogitatam ad explicandas difficultates circa auxilia gratiæ ; et Honoratus Tournely, q. 7. *de Grat.* a. 4. concl. 4, eam rejicit, quia vel relabitur in sententiam Molinæ, vel premitur iisdem difficultatibus ac systema thomisticum.

2°. Confer diligenter dissert. 8. de decretis a. 3. §. 4, ubi prima ratio omnia ferme hucusque dicta summatim complectitur cum omnibus adversariorum effugiis præclusis. Ibidem pro coronide adjecimus adversarios alibi agnoscere nostram determinationem in bonum non esse a Deo; quod hic negant, ut tot absurditatum declinent invidiam. Hæc, inquam, omnia hic habeto pro dictis, ne eadem repetere cogamur.

Id unum tantum observandum est, quod jam ex parte observavi §. 2 de scientia media, scilicet argumentis quibus probatur in sententia molinistarum et congruistarum gratiam subjici voluntati, ab ea determinari et esse ejus pedisequam, duas passim a Tournely adhiberi responsiones. 1°. Dicit absurdum esse ut superior dicatur inferiori subjici, quando inferior superioris mandata exequitur. 2° Pariter absurdum esse ut quod ex se determinatio quædam est, inclinatio, impulsus ad aliquid, dicatur, determinari, quando voluntas determinationem illius seu motionem et impulsum sequitur : gratia autem, inquit, est ex se determinatio quædam, inclinatio, propensio ad bonum, quam cum voluntas sequitur, non determinat gratiam ad bonum, sed potius ejus determinationem sequitur, et mandata Dei superioris exequitur : ita doctor Sorbonicus.

Resp. ad primum : Equidem verum est absurdum esse ut superior dicatur subjici inferiori, quando inferior mandata superioris exequitur, ibi sistendo et in ordine morali : at si ut inferior exequatur mandata superioris, indigeat in ordine physico concursu superioris et superior illum ei offerat indifferentem et ab ipso determinabilem ad quodcumque voluerit, non erit absurdum sed plane verum dicere in hoc casu superiorem quantum ad usum sui concursus oblati subjici inferiori. Est autem hic noster casus.

Ad secundum, detegenda est æquivocatio latens in hac voce « gratia. » Est quædam gratia physice præmovens et determinans voluntatem ad actus indeliberatos: hujusmodi gratiam non ægre admittunt adversarii, saltem aliqui; sed de ea hic non agitur, quæstio est enim de gratia nos movente ad consensum deliberatum voluntatis. Respective igitur ad illum consensum deliberatum, est, secundum omnes,gratia præveniens moralis, alliciens et movens objective voluntatem quoad specificationem in genere causæ finalis, non efficientis; non aliam prævenientem agnoscit Tournely cum molinistis; et hæc quidem etiam in eorum sententia non indiget determinari quoad speciem, sed quantum ad hoc potest dici determinatio et impulsus; indiget tamen determinari quoad exercitium, quia ea posita voluntas est adhuc indifferens et indeterminata ut eam sequatur vel non; unde ex hac parte jam habemus in hoc systemate gratiam determinabilem a voluntate. Sed, quod potissimum est,præter hanc gratiam moralem, agnoscunt molinistæ necessariam esse aliam qua Deus concurrat physice ad consensum meum deliberatum. Hunc autem concursum seu gratiam dicunt a Deo offerri non determinatum ad unum ; alias, inquiunt, læderetur libertas, sed indifferentem et voluntatis determinationi permissum : ergo de isto concursu seu gratia non potest dici quod sit determinatio et impulsus, sed vere dicitur quod sit versatilis, pendulus, indifferens, determinabilis a voluntate et ejus pedisequus; et sic sublata æquivocatione manent præclusæ Tournely responsiones.

3° Homo in statu naturæ lapsæ est admodum infirmus circa bonum et totus pronus in malum, extus objectis et exemplis seductus, intus passionibus abreptus. « Cum avaritia nobis, inquit Cyprianus apud S. Aug. lib. 2. *cont. Jul.* c. 8, cum impudicitia, cum ira, cum am-

bitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus, assidua et molesta luctatio est, obsessa mens hominis et undique diaboli infestationibus vallata vix resistit. » Igitur sic ex omni parte incitamur ad malum, ut si gratia vi sua potentissima voluntatem non firmaret contra malum et non converteret in bonum, sed ipsam sibi relinqueret, vix aut ne vix unus e mille non succumberet; unde S. Aug. *de Correp. et grat.* c. 12, dicit : « Si in tanta infirmitate vitæ hujus..... ipsis relinqueretur voluntas sua..... inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumbet, nec vellent aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. »

Objectiones.

Quantum ad objectiones quæ solent peti ex quadruplici capite, 1° ab auctoritate; 2° ex læsione libertatis; 3° ex insufficientia auxilii quod dicitur sufficiens; 4° ex affinitate cum calvinismo; eas totidem §§ abunde solutas habes sæpe dicta dissert. 8. de decretis a. 4. Quapropter supervacaneum existimo illas hic denuo instaurare ; vide loco cit.

Illud tantum ad cumulum observandum est sæpe objici ab Honorato Tournely gratiam per se efficacem habere essentialem connexionem cum actu, et eum inde inferre lædi libertatem. Sed est iterum æquivocatio in ly *essentialem :* non enim gratia per se efficax habet essentialem connexionem cum actu, quasi illum necessario pariat, sicut, v. g. essentia parit proprietates; sed sic ut habeat ex se virtutem infallibiliter obtinendi consensum ; unde potest sic distingui : habet connexionem essentialem, id est infallibilem cum actu, conc.; id est necessariam, nego ; quia movet voluntatem non quomodocumque, sed ut libere consentiat et cum potentia dissentiendi.

Consectarium de systemate Honorati Tournely.

Ex dictis habes pariter explosum systema quod pene extinctum cum Alphonso Le Moyne de novo instauravit Honoratus Tournely, in quo systemate admittit ad faciliora pietatis opera, præsertim ad orationem, gratiam sensu pure molinistico sufficientem, quam voluntas suo consensu reddat efficacem : momenta enim quæ in assertionem gratiæ per se efficacis protulimus, probant universaliter eam requiri pro omni pietatis opere sive facili sive difficili ; unde S. Aug. lib. 1. *Retract.* c. 9: « Quia omnia bona et magna et media et minima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis. » Insuper hallucinatur Tournely, ut jam notavi, dum orationem cum omnibus conditionibus requisitis ut sit impetratoria, inter faciliora salutis opera reponit.

Momenta quæ profert ex S. Scriptura Tournely pro suo systemate, eadem sunt quæ molinistæ proferunt pro suo; unde ea alibi discussa hic omitto.

Deinde arguit 1° ex S. Aug. lib. *de Nat. et grat.* c. 44, ubi dicit : « Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet et facere quod possis et petere quod non possis. » Cap. vero 69 : « Eo ipso quo firmissime creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus. »

Resp. his et similibus textibus S. Augustinum nihil aliud velle quam quod pro facilibus habeamus gratiam proxime sufficientem, pro difficilibus remote sufficientem ; at nusquam dixit sufficientem, sive proxime sive remote, per solum consensum independenter ab ulteriori gratia fieri efficacem.

Arguit 2°. S. Aug. lib. *de Grat. et lib. arbit.* distinguit in homine duplicem bonam voluntatem, unam parvam et invalidam, alteram magnam et robustam ; unde infert Tournely voluntatem parvam conferri per gratiam sufficientem, magnam et robustam per gratiam efficientem. Per quam regulam dialectices valeat hæc illatio, videant oculati.

Resp. ergo parvam voluntatem conferri per gratiam quæ est efficax respectu illius, et sufficiens proxime vel remote respectu voluntatis robustæ.

Arguit 3°, ex variis rationibus quas refert ex Thomassino, sed quæ militant tantum contra illos qui agnoscunt gratiam molinistice sufficientem in statu innocentiæ. Unde nihil ad nos.

Arguit 4°. Gratia sufficiens sensu thomistico, prout ab efficaci distinguitur, effectum aliquem imperfectum producit, quidni, inquit, pariter et gratia qualem defendimus?

Resp. apertam esse disparitatem : quia nostra quæ dicitur sufficiens in ordine ad ulterio-

rem et præcipuum effectum, est propria virtute efficax ad immediatum ad quem datur ; at gratia sufficiens Tourneliana, non est propria virtute efficax imperfecti effectus, sed tantum ex consensu voluntatis, quod fieri non potest.

Instat. Non facile intelligitur, in opinione thomistarum, quomodo illa gratia sufficiens effectum suum producat, an sine vel cum præmotione physica?

Resp. Cum præmotione physica.

Urget : Si cum illa præmotione, ut quid gratia illa hæret in actu debili et imperfecto, quandoquidem adjunctam habet physicam præmotionem tam efficacem et potentem?

Resp. Quia ista præmotio datur tantum ad illum actum imperfectum et non ad ulteriorem ; non est autem efficax nisi ad actum ad quem datur.

Et hæc sunt singularis systematis Tourneliani præcipua momenta, quæ indubie ipsi videntur « numero et pondere gravissima, » sed quæ nec tironem thomistam movere valeant.

Quæstio curiosa. Quam gratiam efficacem admittit Honoratus Tournely ad difficiliora salutis opera?

1° Videtur quod non admittat ad opera pietatis difficilia gratiam efficacem ab eventu sensu moliniano : 1° quia illam admittit tantum ad opera facilia ; vult enim ad opera facilia gratiam sic sufficientem ut aliquando producat effectum sine ulteriori gratia, quod est admittere gratiam efficacem per consensum voluntatis, et hanc, inquam, admittit tantum ad opera facilia : ergo censetur aliam requirere ad opera difficiliora; 2° quia rejicit gratiam sufficientem Molinæ in tota sua latitudine, eo quod excludat necessitatem gratiæ efficacis ad opera salutis ardua et difficilia : ergo ad opera salutis ardua et difficilia requirit aliam gratiam efficacem quam molinianam. Ita Tournely q. 7. de grat. a. 4. concl. 2 et 5.

2°. Videtur quod non admittat gratiam efficacem sensu congruistarum : ille enim non admittit gratiam efficacem sensu congruistarum, qui rejicit gratiam sufficientem eorum sensu; unum enim ex altero sequitur ; quia si gratia sit ita sufficiens ut nullo alio auxilio requisito ex parte Dei producat effectum, gratia non erit per se efficax, sed ab eventu ; si e contra, gratia non sit ita sufficiens ut producat effectum sine alio auxilio requisito ex parte Dei, gratia non erit ab eventu, sed per se et virtute divina efficax : atqui Tournely rejicit gratiam sufficientem congruistarum a. 4. cit. concl. 4. quia, inquit, vel relabitur in sententiam Molinæ, vel premitur iisdem difficultatibus quæ opponuntur contra gratiam sufficientem thomisticam : ergo.

3°. Tandem, certum est quod etiam ad opera ardua et difficilia non admittat gratiam per se efficacem : 1° quia eodem a. 4. concl. 3, rejicit et multis argumentis impugnat gratiam sufficientem quæ nunquam producit suum effectum defectu gratiæ per se efficacis : ergo gratiam per se efficacem rejicit. Patet consequentia ex numero præcedenti. 2°. Ille certo rejicit gratiam per se efficacem ad quæcumque salutis opera etiam difficiliora, qui propugnat scientiam mediam, qui impugnat decreta per se efficacia et prædestinationem gratuitam, qui contendit gratia per se efficaci everti libertatem, et auxilium quod dicitur sufficiens esse insufficiens; qui denique, quacumque occasione data, probat, laudat, extollit momenta contra gratiam per se efficacem, improbat, rejicit, contemnit momenta assertorum gratiæ per se efficacis : atqui is est Honoratus Tournely, ut patet vel leviter inspicienti ejus opera : ergo.

Remanet igitur problema, quæ sit mens Honorati Tournely circa gratiam efficacem ad difficilia pietatis opera, et mirum omnibus esse debet hunc doctorem mentem suam circa hanc materiam, inter omnes theologicas celeberrimam, hic tacuisse.

ARTICULUS VII.

EXPENDUNTUR VARII MODI EXPLICANDI EFFICACIAM ET CAUSALITATEM GRATIÆ PER SE EFFICACIS.

Qui admittunt gratiam per se efficacem, non uno modo ejus efficaciam et causalitatem explicant : quinque modi communius circumferuntur. Quidam eam explicant per multitudinem auxiliorum ; quidam per causalitatem moralem ; alii per actus indeliberatos ; alii per delectationem victricem ; alii tandem per præmotionem physicam. Hos quinque modos sequentibns §§. expendemus et verum stabiliemus.

§ I.

Expenduntur et rejiciuntur tres priores modi.

I. Explicare efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis per multitudinem et coacervationem auxiliorum, non est explicare id quod quæritur, nec difficultatis nodum attingere. Nemo enim negat Deum pluribus auxiliis tam extrinsecis quam intrinsecis hominem ad se attrahere ; sed quæstio est 1° Unde illud ex istis multis, cui voluntas consentit, sit efficax? An propria virtute, an consensu voluntatis? Deinde, si propria virtute, quomodo ista efficacia sit explicanda et in quo reponenda: quorum nihil dicit ista sententia. Si enim dicat hoc auxilium esse propria virtute efficax, id omnes gratiæ per se efficacis assertores dicunt ; sed quærunt quomodo et in quo reponenda est ista efficacia et virtus, an in motionibus moralibus, an in actibus indeliberatis, an in delectatione victrici, an in præmotione physica ? Et hoc non explicat iste modus. Si dicat esse efficax ex consensu voluntatis, jam rejicit gratiam per se efficacem et redit ad sententiam Molinæ, teneturque admittere scientiam mediam qua Deus exploret cui auxilio voluntas sit consensura, quam tamen scientiam mediam non admittunt patroni hujusmodi.

Dicunt : Sicut infallibile est moraliter justum inter tot peccatorum venialium tentationes aliquando peccaturum venialiter, ita infallibile est moraliter inter tot auxilia aliquod futurum efficax.

Sed contra : 1°. Cuilibet particulari tentationi peccati venialis homo potest resistere potentia consequente et cum tentatione componere dissensum : ergo similiter cum quolibet auxilio particulari poterit componere dissensum, et sic nullum erit per se efficax. 2°. Ex hoc quod homo inter tot tentationes peccati venialis infallibiliter peccaturus sit venialiter, non possumus certo cognoscere quod peccatum veniale determinate committet, sed in communi tantum quod aliquando peccabit : at Deus distincte cognoscit quodnam auxilium in particulari futurum sit efficax, quodnam non ; nec potest id certo cognoscere nisi quia vult hoc in singulari esse efficax, alioquin recurrendum est ad scientiam mediam. Quo posito, restat iterum explicandum in quo consistat hæc efficacia ; sicque comparatio facta nihil juvat istam sententiam.

II. Alii reponunt efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis in auxiliis moralibus, non quidem fallibiliter moventibus ad sensum Molinæ vel congruistarum, qui adhibent scientiam mediam, qua Deus exploret, cui ex innata libertate simus consensuri ; sed in auxiliis infallibiliter moventibus seu quæ putant infallibiliter movere, et quibus tribuunt quidquid tribuimus auxiliis physice moventibus. Verum cum auxilium morale non moveat nisi objective invitando, alliciendo, suadendo, etc., et in ratione causæ finalis tantum, quantumcumque ponatur, ipsa voluntas semper remanet in potentia et indeterminata ut illi consentiat, maxime voluntas infirma, dura et indocilis ad bonum, nisi per aliquid intrinsece in ea receptum mutetur et determinetur. Neque dicas mutari et determinari per ipsum consensum et operationem; tum quia debet mutari et determinari ut operetur et consentiat, ergo antecedenter ad consensum et operationem ; tum quia operatio non mutat agens active, sed passum, quia operatio non exit ab aliquo nisi prout est in actu, et patitur prout est in potentia ; ergo in quantum operatur agens non mutatur a sua operatione effective, sic enim pateretur in quantum operans ; ergo si mutatur, est antecedenter ad operationem. Et hac ratione etiam probatur efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis non posse explicari per sympathiam, vel per decretum divinum immediate absque aliquo intrinsece recepto in voluntate, ut quidam volunt.

Insuper Pelagius admisit auxilia moralia etiam interna, ut vidimus in dissert. 1. Neque tamen id satis fuit S. Augustino, qui ulterius requirebat subministrationem virtutis et gratiam « qua Deus operatur in cordibus hominum, non solum veras revelationes », quod fit per auxilia intrinsece recepta in intellectu et moventia objective voluntatem; « sed etiam bonas voluntates », quod fit per gratiam in voluntate receptam, qua mutatur et determinatur ad bonum.

III. Tertius modus reponit efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis in motibus indeliberatis, pia scilicet affectione, quæ, si sit fortior tentatione, vincet et erit efficax : ita ex nostris Gonzales. Verum quamvis pia affectio indeliberata juvet et sit semen boni operis, attamen, quantumvis fortis supponatur, ut voluntas infallibiliter eam deliberate sequatur et ei consentiat, debet per ulteriorem gratiam seu motionem cooperantem determinari, alioquin cassa manebit, non solum ex fortiori tentatione, sed vel ex instabilitate voluntatis humanæ, vel ex pluribus aliis causis, ut sæpe contingit

et experientia novimus. Amplius confutabitur hæc sententia ex dicendis §. sequenti.

§ II.

Expenditur et rejicitur quartus modus per delectationem victricem.

Non pauci reponunt efficaciam et causalitatem gratiæ in delectatione victrici, quam etiam vocant dilectionem et charitatem, inspirationem dilectionis et charitatis ; his enim nominibus promiscue utuntur. et ita expresse docuisse S. Augustinum contendunt.

At non sunt unius labii nec unius sensus. Quidam pro delectatione indeliberata pugnant, alii pro deliberata. Ex primis, quidam sustinent delectationem indeliberatam necessitantem, ut Jansenius, cujus error in tertia propositione ex quinque famosis est damnatus ; quidam defendunt delectationem indeliberatam non necessitantem : ita plerumque patres augustiniani, quorum sententia videtur coincidere cum tertia præcedentis §.

Ad intelligendas istas varias opiniones, observandum est delectationem posse sumi dupliciter : 1° stricte, et est quies appetitus in bono possesso ; si sit appetitus rationalis, est delectatio spiritualis ; si appetitus sensitivi, est delectatio sensibilis. « Quies » non sumitur hic privative pro cessatione ab omni actu, sicut in rebus insensibilibus, quæ, dum suam perfectionem consequuntur, id non sentiunt, et ideo censentur quiescere per solam cessationem motus; at vero entia cognoscitiva, dum perfectionem suam et bonum consequuntur, id percipiunt seu agnoscunt, et ex ista cognitione causatur quidam motus animæ in bono præsenti complacentis et quiescentis, et iste motus est delectatio. 2° Sumitur delectatio latiori sensu pro affectu seu inclinatione voluntatis in bonum ut conveniens et naturæ ac rationi consentaneum. Et utroque sensu sumpta potest esse deliberata vel indeliberata.

Item gratiam per se efficacem consistere in delectatione potest intelligi, vel in sensu formali, ut videlicet gratia efficax sit ipsa delectatio victrix, vel in sensu causali ut gratia efficax sit hujus delectationis causa.

Hoc ultimo sensu intellexisse S. Augustinum probant sequentia : Lib. 1 *de Nuptiis et concup.* c. 30. ait : « Condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia. » Lib. *de Spir. et litt.* c. 3 : « Nos autem dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut accipiat Spiritum Sanctum, qua fiat in animo ejus delectatio, dilectioque illius summi et incommutabilis boni quod est Deus. » Lib. 1 *ad Simplic.* q. 2 : « Cum ergo nos ea delectant quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, et præbetur gratia Dei » : ergo juxta S. Aug. delectatio non est gratia, sed ejus effectus.

Id etiam ratio naturalis evincit. 1° Delectatio est actus vitalis potentiæ; gratia autem non est actus vitalis, alioquin a potentia vitali efficeretur. 2° Delectatio spiritualis circa bonum supernaturale, quovis modo sumatur, est actus bonus; ergo est a gratia. 3° Dum animus afficitur delectatione, qua prius non afficiebatur, intrinsece mutatur; debet autem assignari causa efficiens hujus mutationis, quæ non potest esse alia quam gratia. His præmissis,

Dico : 1°. Gratia non semper operatur in nobis delectationem stricte sumptam, neque ea sola ad bonum inclinamur et pertrahimur, sed variis aliis modis.

Prob. 1°. ex S. Script. quæ timorem ut conducentem ad salutem nobis commendat. Eccl. 1 : *Timor Domini expellit peccatum.* Ibidem : *Radix sapientiæ est timere Deum.* Proverb. 1 : *Time Deum et recede a malo.* Ibidem 15 : *Qui timet Deum, faciet bona.* Jerem. 32 : *Timorem meum dabo in cor eorum ut a me non recedant.* Matth. 10 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Psal. 118 : *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui* : Ita alibi passim. Unde Trid. sess. 6. cap. 6, recenset justitiæ divinæ timorem inter dispositiones, quæ ad justificationem requiruntur : et can. 8, anathemate ferit eos qui dixerint « gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse » ; denique sess. 14. cap. 4, decretorie resolvit attritionem ex gehennæ metu conceptam, esse donum Dei et Spiritus Sancti impulsum, non quidem inhabitantis, sed moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat : ubi habes aperte timorem esse effectum gratiæ et ad salutem conducere.

Prob. 2°. ex S. Aug. *Serm.* 214. *de temp.* dicit : « Cum timetur pœna quam (Deus) minatur, discitur amari præmium quod pollicetur, ac sic per timorem pœnæ, bona vita retinetur. » Lib. *de Correp. et grat.* c. 5 : « Non vis tibi tua vitia demonstrari, ut fiat tibi utilis dolor, quo medium quæras... quasi aut nihil

agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor. » Ibid. « Isti sic, illi aliter atque alii aliter diversis et innumerabilibus modis vocantur ut reformentur. » Et lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* « Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. » Porro si miris, si diversis et innumerabilibus modis trahimur ad Deum non ergo delectatione sola.

Magistro subscribit discipulus S. Prosper contra *collatorem* c. 7: « Trahit timor, inquit, principium enim sapientiæ timor Domini. Trahit lætitia : quoniam lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Trahit desiderium : quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes : quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo! Et quis perspicere et enarrare possit per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum ?.. hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. »

Confir. Juxta S. Augustinum, homo non sola delectatione inducitur ad malum : ergo nec sola delectatione trahitur in bonum. Prob. ant. Lib. *de Peccat. merit.* cap. 10, ait S. Aug. « Etiam illa peccata juste imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris aut mortis. » Et lib. *de Catechisand. rud.* cap. ult. « Non solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum et dolorum et ipsius mortis. »

Prob. 3°. Religio christiana docet nos sequi non delectabilia, sed recta et honesta quantumvis dura et amara, seu ut verbis Christi utar, non gaudium sed crucem, Deumque amare non quia delectat sed quia dignus est : ergo velle homines semper induci ad agendum motivo delectationis, nunquam ratione, officio, honestate ab omnibus delectationibus illecebris pura, Epicuri non Christi religionem sapit.

Prob. 4° experientia, qua nobis constat justos sæpe a malo recedere et bonum facere, nulla demulcente delectatione, sed vel timore pœnæ, vel solo motivo officii et legis æternæ inducti, inter tædia, tristitias et dolores tota repugnante natura.

Dico 2°. Delectationem latiori sensu sumptam pro affectu seu inclinatione voluntatis in bonum conveniens semper operatur gratia per se efficax ; quia proprius ejus effectus est inclinare et applicare voluntatem ad bonum, ideoque efficere ut semper proponatur voluntati quod est magis conveniens. Neque enim voluntas timet malum nisi ex amore boni oppositi, et quia judicat sibi conveniens et bonum ut istud malum fugiat, ita ut amor sit actus primogenitus voluntatis.

De delectatione igitur sic sumpta ut plurimum loquitur S. Augustinus, dum dicit gratiam esse aut operari delectationem, quam etiam vocat dilectionem et charitatem, sumendo charitatem late pro quacumque voluntate boni. Idque videntur concedere augustiniani delectationis victricis defensores; cum enim Laurentius Berti, lib. 14. c. 8, sibi objecisset ex S. Script. et Trid. non solam delectationem; sed etiam timorem Domini esse principium actionum nostrarum, eo tandem devenit ut vocet delectationem « bonæ voluntatis fervorem et inspirationem bonæ voluntatis. »

Dico 3°. Delectatio quovis sensu sumpta, sive stricte sive late, sive deliberata, sive indeliberata, non est id in quo consistit efficacia gratiæ per se efficacis : quia id in quo consistit efficacia gratiæ est id quo obtinet infallibiliter et indefectibiliter suum effectum : atqui delectatio Dei nondum clare visi in hac vita quovis sensu sumpta, non est quo gratia obtinet infallibiliter et indefectibiliter suum effectum; siquidem doceant omnes theologi cum D. Th. delectationem et dilectionem Dei nondum clare visi in hac vita non esse indefectibilem et inamissibilem, sed posse etiam potentia consequenti vinci et destrui per timorem aut amorem boni creati.

Dices : Quomodo igitur intelligitur illud celebre effatum S. Aug. *in Epist. ad Galat.* « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est » : quod, inquit Jansenius, lib. 4. *de Grat. Chr.* c. 6, « aureis meretur scribi caracteribus. »

Resp. certo non posse intelligi ad sensum Jansenii, quasi homini non sit liberum resistere majori delectationi ; tum quia hunc sensum damnavit Ecclesia in ipso Jansenio ; tum quia ipse S. Aug. agnoscit se non semper id egisse quod ipsum magis delectabat : « Non faciebam, inquit, lib. 8. *Conf.* c. 8, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat. » Et lib. 83. QQ. q. 70, dicit quod homo etiam cum dolore magnam venandi delectationem posset cohibere ; tum denique quia juxta S. Aug. major et maxima fuit delectatio cœlestis in Adamo et angelis peccantibus, quam tamen non sunt secuti.

Itaque 1°. Dato S. Augustinum ibi loqui de delectatione indeliberata, respondetur ipsum intelligere necessitatem moralem sumptam pro magna difficultate aliter operandi, quia homines solent facere id quod eos magis delectat. Neque tamen S. Aug. id dicit universaliter et absolute, sed in hypothesi quod nullum occurrat aliud motivum : nam, ut vidimus, docet timorem nos sæpe abstrahere ab eo quod magis delectat ; quod idem præstare possunt alia motiva, officii, honestatis, utilitatis, etc.; sicque patet etiam hoc sensu dato efficaciam gratiæ non consistere in sola delectatione. Sed

2°, Et verius S. Aug. intelligit hæc verba de delectatione deliberata sumpta pro affectu et inclinatione in bonum conveniens subsequente liberam voluntatis electionem ; perinde ac si dixisset : Necesse est operemur id quod magis deliberate amamus, quod judicamus practice magis conveniens, quod magis placet. Hæc autem necessitas, ut patet, non est absoluta, sed hypothetica; non consequentis, sed consequentiæ; non antecedens, sed consequens nostram libertatem. Hoc itaque sensu verissima est S. Augustini sententia nos necessario facere quod nos magis delectat, hoc est quod magis ex deliberatione amamus et præ alio libere eligimus. Sed integra manet præsens quæstio, unde gratia quæ est causa hujus deliberatæ delectationis et amoris, habet quod efficaciter et infallibiliter illum efficiat, corque nostrum in eo ita firmet ut nullum bonum ab eo nos abstrahat; nam, ut jam diximus, delectatio et dilectio cujuscumque boni, etiam Dei, in hac vita est de se defectibilis et amissibilis. Nos dicimus, ut patebit modo, gratiam id habere ex motione divina, quæ efficit ut amor Dei nobis semper proponatur ut magis conveniens, et ad eum nos efficaciter et libere inclinat.

Repones : S. Aug. loquitur de delectatione gratiæ prævenientis, qua fit ut velimus : ergo non intelligit de delectatione deliberata subsequente volitionem liberam. Prob. ant. lib. 1. *de Spir. et litt.* c. 35: « Quis nesciat, inquit, non esse in hominis potestate quid sciat; nec esse consequens ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, nisi tantum delectet, quantum diligendum est. » Et lib. 1. *ad Simpl.* q. 2: « Voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate » . ergo.

Resp. dist. ant. S. Aug. intelligit de delectatione præveniente et indeliberata aliquando, conc.; semper, nego. In his ergo locis proxime objectis fatemur quod intelligat de delectatione indeliberata quam facit gratia, et quæ nihil aliud est quam affectus indeliberatus ad bonum ut conveniens, quo fit ut voluntas in actu posita possit se libere movere in actum ulteriorem deliberatum, mediante tamen ulteriori gratia ad id voluntatem movente. At falsum est S. Augustinum ubi agit de delectatione necessitante, intelligere delectationem indeliberatam. Patet ex dictis.

Insuper hæc instantia nihil iterum facit ad præsentem quæstionem. Ex hoc enim quod necesse sit voluntatem, ut velit et amet deliberate, præveniri delectatione seu affectu boni convenientis indeliberato, non sequitur quod in ea delectatione seu affectu indeliberato sita sit efficacia gratiæ, quod quærimus; cum et ipse affectus indeliberatus sit effectus gratiæ efficacis, et non moveat efficaciter et infallibiliter ad actum deliberatum nisi mediante ulteriori motione seu gratia.

§. III.

Expenditur quintus modus per præmotionem physicam.

Tandem thomistæ communiter reponunt efficaciam gratiæ in præmotione seu prædeterminatione physica. Per præmotionem seu prædeterminationem physicam nihil aliud intelligunt quam applicationem activam potentiæ ad actum secundum modum ejus, scilicet ut agat libere, si sit potentia libera; necessario, si sit necessaria. Porro supposito quod detur talis præmotio, nemo negare potest quin sit modus expeditissimus explicandi efficaciam gratiæ; cum enim repugnet esse applicationem activam sine passiva, sequitur esse infallibilem connexionem inter gratiam applicantem voluntatem ad actum et voluntatem agentem.

Verum negant adversarii dari talem præmotionem ex multis capitibus, sed præsertim ex læsione libertatis humanæ. Hanc dari probant philosophi thomistæ omni genere argumentorum, quæ apud ipsos videre licet. Ne tamen lectorem omnino jejunum in hac celebri controversia dimittam, quædam in ejus assertionem ex philosophia proferam. Unde

Asseritur breviter præmotio physica ex D. Th.

Sanctus Doct. q. 3. de pot. a. 7, cujus titulus est : « Utrum Deus operetur in operatione naturæ » ? dicit : « Quia nulla res per seipsam movet et agit, nisi sit movens non motum,

tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius in quantum movet eam ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum ; et quia natura inferior agens non agit nisi mota..., sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens et applicans virtutem ad agendum... Quarto modo unum est causa actionis alterius sicut principale agens est causa actionis instrumenti; et hoc modo etiam oportet dicere quod Deus est causa omnis actionis naturalis. » Tandem sic concludit articulum: « Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit ; et cum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediate operetur non exclusa operatione voluntatis et naturæ. »

1. 2. q. 109. a. 1. 0 : « Sicut omnes motus corporales reducuntur in motum cœlestis corporis sicut in primum movens corporale, ita omnes motus tam corporales quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo. »

Sic constanter et ubique S. Th. Unde hic, brevitati studens ab aliis textibus referendis supersedeo. Vide quos art. præcedenti laudavi in probationem gratiæ per se efficacis : pariter militant pro præmotione physica.

Infundate responderes S. Thomam dixisse « movere », non « præmovere. » Quis enim, si non sit hebes, nescit « movere, applicare, causare », esse prius natura et causalitate quam « moveri, applicari, causari », seu ut ipsemet dicit S. Doct. 3. cont. gent. cap. 149, « motionem moventis præcedere motum mobilis ratione et causalitate », ita ut qui dicit movere, sensu naturali, obvio et rigoroso, dicat præmovere, nec aliud intelligunt thomistæ per præmotionem seu prædeterminationem quam motionem divinam applicantem potentiam ad actum.

Pariter nugatorie responderes S. Thomam dixisse quidem Deum movere et præmovere voluntates humanas, sed non efficaciter : quasi vero posset esse aut intelligi physica applicatio et motio activa sine applicatione et motione passiva ; aliunde dicit in terminis S. Doctor q. 6. de malo a. unico ad 3 : « Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non potest ; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. » Et 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3 : « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter, unde non sequitur quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur.» Ita pluries alibi.

At forte S. Doct. intelligit de motione morali et non physica? Equidem scio plures adversarios illuc confugere ; sed tam aperte, tam directe contra mentem et litteram S. Th. ut qui sic respondent, vel S. Thomam non legerint, vel voluntarie cæcutiant.

Nam 1°. S. Doctor, q. 109. cit. agit de motione communi omnibus agentibus tam corporalibus quam spiritualibus, tam liberis quam necessariis : « Quantumcumque, inquit, natura aliqua corporalis vel spiritualis, etc. » Certum est autem motionem moralem non competere agentibus corporalibus et necessariis.

2°. Pariter q. 3. de potent. cit. agit de motione respectu totius naturæ tam inanimatæ quam animatæ, tam necessariæ quam liberæ. Ita fert ipse titulus articuli : « Utrum Deus operetur in operatione naturæ.» Ita ferunt hæc verba in corpore articuli : « Sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens et applicans virtutem ad agendum. » Item : « Et hoc modo etiam oportet dicere quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis. « Item : « Sequitur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturæ. » Insuper ibidem dicit Deum movere et applicare potentiam ad agendum sicut artifex movet et applicat dolabram aut cultellum ad scindendum. Et ad 7: « Quod id quod a Deo fit in re naturali quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum quo virtus artis est in instrumento artificis. » Quis, amabo, motionem moralem in his somniabit? Item. ibid. arg. 12. 13. et 14, objicit sibi quod motio quam adstruit, destruat libertatem; hæc autem argumenta forent prorsus impertinentia, si ageret

de motione morali, quæ certo certius non nocet libertati; et quod est notandum, hæc argumenta solvit eodem modo quo nos solvimus, nempe : « Quod voluntas dicitur libera seu habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam.» Plura hic omitto, quæ hanc infundatam responsionem radicitus evertunt; quia quæ dixi sufficiunt, et in his philosophicis brevis esse volo.

Verumtamen non omittendum est antiquos et insigniores Societatis theologos, contra recentiores, ingenue agnovisse præmotionem physicam esse de mente S. Th.

1° Libellus de ratione studiorum in ipso collegio Rom. anno 1586. compositus a sex Patribus jesuitis a reverendissimo P. Generali ad id deputatis, sic habet regula quinta : « In theologia doctrinam S. Th. ut cavetur quarta parte constitutionum cap. 14 nostri sequantur, exceptis paucis» : inter autem pauca illa excepta, sic numero 6 legitur : « causas secundas esse proprie et univoce instrumenta Dei ; et cum operantur, Deum in illas primum influere aut eas movere. » Hunc libellum tholosæ in conventu D. Th. Aquin. asservari testatur P. Antonius Massoulie, seque ipsum sæpe legisse, et hæc quæ referimus propria manu ex illo exscripsisse. Equidem alter fuit postea editus Antuerpiæ, in quo hæc desiderantur : qua mente vel causa, non inquiro. Sufficit nobis ita censuisse sex illos patres priores auctores.

2°. Molina ipse hanc de prævia motione sententia esse a D. Th. traditam fatetur in concord. q. 14. a. 13. disp. 26, cui hunc titulum præfigit: « *Concursus Dei generalis an sit influxus in causas, quasi prius eo motæ agant: an immediatus cum illis in earum naturales actiones et effectus?* » En status quæstionis; perinde est enim ac si diceret: Utrum concursus Dei generalis sit prævius vel simultaneus tantum? Tum initio capitis sic dicit: D. Th. 1. p. q. 105. a. 5. docet Deum duplici ratione dici operari cum causis secundis: « inprimis, quia virtutem illis tribuit ad operandum easque actu conservat; deinde quia eas ad agendum movet, ut quodam modo formas et virtutes earum applicet ad agendum. » Ut autem hanc sententiam impugnet, ait: « Duo sunt quæ mihi difficultatem pariunt circa doctrinam hanc D. Th. Primum est quod non videam, quidnam sit motus ille et applicatio in causis secundis, qua Deus illas ad agendum moveat et applicet; quin potius existimem, ignem sine ulla sui mutatione calorem in aquam sibi admotam inducere » : unde concludit: « Quare ingenue fateor mihi valde difficilem esse ad intelligendum, motionem et applicationem hanc quam D. Th. in causis secundis exigit.» Deinde proponit secundum argumentum sic: « Secundum quod mihi difficultatem parit, est, quia juxta hanc D. Thomæ doctrinam, Deus non concurrit immediate immediatione suppositi ad actiones et effectus causarum secundarum, sed solum mediate, mediis scilicet causis secundis.» Utriusque argumenti solutionem invenire potuisset Molina in S. Th. tum ibid. tum q. 3. de pot. a. 7. ad 7. sed nihil nunc ad rem. Sufficit nobis Molinam agnovisse hanc de prævia motione sententiam, quam ipse improbat, fuisse a D. Th. traditam 1. p. q. 105. a. 5.

3°. Idem agnoscit Suares *in metaph.* disp. 22. sect. 2. « De modo quo Deus causis secundis concursum præbet », ubi dicit numero 52 : « Verum est D. Thomam q. 3. de pot. a. 7. addere tertium, nimirum virtutem instrumentalem fluentem, quam recipit causa secunda a prima ut agat tanquam instrumentum ejus; diserte enim hanc numerat tanquam distinctam ab applicatione et ab efficientia seu conservatione ipsius causæ secundæ et virtutis ejus. » At existimat hanc sententiam tacite retractasse S. Thomam in Summa in ea ipsa q. 105 primæ partis, ubi Molina, ut vidimus, et Conimbricenses, ut mox videbimus, aperte assertam agnoscunt, et ubi revera eam S. Th. asserit.

4°. His annumerandi sunt jesuitæ Conimbricenses in 2. lib. *physic.* cap. 7. q. 15, cui hic titulus præfixus est: «Utrum Deus aliqua prævia motione causas secundas ad agendum excitet?» Deinde initio articuli primi sic loquuntur: « Circa modum quo Deus cum causis secundis ad earum operationes et effectus concurrit, discutienda se offert celebris opinio D. Thomæ, 1 p. q. 105, et 1. 2. q. 109. a. 1, et q. 3. de pot. a. 7, ejusque sectatorum Capreoli in 2. d 1. q. 2, Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 70, et aliorum existimantium omnes causas secundas, antequam operentur, accipere a Deo influxum quemdam et motum qui sit quasi esse intentionale virtutis divinæ, quo ad promendas actiones excitentur, eo modo quo artium instrumenta, ut dolabra et securis præviam motionem a fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur: namque esto dolabra præacuta sit et ad expoliendum lignum idonea, haudquaquam tamen id expoliet, nisi artificis impulsu motuque cieatur. » Hinc habemus 1°

jesuitas Conimbricenses agnoscere S. Thomam docuisse præmotionem physicam; 2° eam docuisse iis in locis in quibus Suares existimavit esse tacite retractatam; 3° hanc præmotionem propugnasse primos et antiquiores S. Th. discipulos. Eant nunc qui dicunt esse inventum Bannesii.

Quantum vero ad ea quæ adversarii contra illam opponunt ex D. Th. noster doctissimus Goudin statuit quatuor regulas ex ipso angelico Doctore desumptas.

Prima regula est: Quoties S. Th. aut alii patres dicunt Deum non prædeterminare actiones nostras, intelligunt de prædeterminatione necessitante per modum naturæ, ut determinatio ignis ad comburendum, non vero de prædeterminatione per modum liberi. Ita S. Doct. 1. p. q. 32. a. 1. ad. 1, et 3. cont. gent. cap. 90.

Secunda regula est: Cum S. Th. dicit voluntatem se movere, se determinare, esse dominam sui actus, etc., intelligit in proprio ordine seu per modum agentis proximi, quod non excludit, sed supponit motionem et applicationem primi moventis. Ita S. Doct. 1. p. q. 83. a. 1. ad 3, et alibi.

Tertia regula est: Cum S. Th. dicit Deum movere voluntatem nihil imprimendo in illa, non excludit ipsam motionem (implicat enim aliquid movere aliud non imprimendo ipsi motionem), sed excludit infusionem habitus seu qualitatis permanentis. Ita S. Doct. q. 3. de pot. a. 7, et q. 22. de verit. a. 8.

Quarta regula est: Cum S. Th. dicit Deum movere voluntatem ad bonum in communi, aut ad bonum supernaturale, voluntatem vero se movere ad bona particularia, intelligit de motione speciali qua Deus sic movet ad aliquem primum actum, ut ipsa ad illum se non moveat proprie ex aliquo priori actu, ut explicui de act. humanis dissert. 3. a. 3; at non excludit generalem motionem quæ datur homini secundum consuetum providentiæ cursum ad omnes ejus actiones, quam exprimimus nomine præmotionis. Vide loco cit. Nam juxta S. Th. prius laudatum, « nulla creatura quantumcumque perfecta procedit in suum actum, nisi moveatur a Deo. » Hæc regula desumitur ex eodem S. Doct. 1. 2. q. 109. a. 1, ubi distinguit duplicem motionem, unam generalem sine qua creatura nihil agit, et aliam specialem qua indiget ad aliquos actus, ut v. g. peccator ad contritionem et pœnitentiam agendam.

Quod spectat S. Augustinum, require supra dissert. 2 hujus tract. a. 4. prob. 4.

Asseritur præmotio physica rationibus ex S. Thoma depromptis.

Prima ratio sic proponitur: Deus est primus motor et prima causa efficiens cui omnes causæ secundæ et omnia moventia creata immediate subordinantur in agendo et movendo: atqui seclusa præmotione physica non salvatur in Deo primatus causæ nec subordinatio causarum secundarum in agendo: ergo. Major est principium constans in D. Th. omnibus theologis et philosophis probatum, ita ut temerarius foret qui illud negaret: sicut enim certo Deus est primum ens, a quo omnia entia immediate participantur, ita est prima causa efficiens, cui omnes causæ secundæ immediate subordinantur et a qua dependent in agendo.

Prob. min. Subordinatio causarum in agendo in hoc sita est quod prima moveat et applicet secundas ad agendum, et secundæ non agant nisi motæ a prima. « Si sint multa agentia ordinata, inquit S. Th. 1. p. q. 105. a. 5, semper secundum agens agit in virtute primi agentis; nam primum agens movet secundum ad agendum, et secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei. » Id etiam patet non solum ex ipsa notione subordinationis in agendo, sed etiam inductione et apertissimis exemplis: sic, in moralibus et artificialibus, inferiores artifices in tantum sunt et dicuntur subordinati alicui primo artifici, milites duci, monachi abbati, in quantum agunt juxta applicationem et determinationem moralem receptam, artifices ab architecto, milites a duce, monachi ab abbate, ita ut si inferior artifex sine applicatione morali superioris architecti agat, miles sine jussu ducis pugnet, monachus nutu suo et non abbatis se gerat, hoc ipso evertatur subordinatio: atqui motio qua primum movens seu prima causa in genere causæ efficientis movet et applicat secundam, est præmotio physica: ut enim superius dicebamus et per se patet, motio moventis est natura et causalitate prior motu mobilis: ergo.

Confir. Primatus causæ in Deo et subordinatio causarum secundarum ad illum in agendo, salvari non potest per concursum simultaneum, neque per motionem moralem, neque per hoc quod Deus causis secundis dederit virtutem agendi: ergo per solam præmotionem physicam seu concursum prævium. Consequentia patet a sufficienti enumeratione, nihil enim aliud est assignabile per quod subordinatio causarum possit salvari. Prob.

prima pars ant. Non per concursum simultaneum, quia concursus simultaneus non movet causam secundam, non influit in illam, non facit ut faciat, sed facit cum illa, et in solum effectum influit, alioquin non foret simultaneus sed prævius, sicque haberemus intentum; unde Deus per illum est concausa, sed non prima causa. Neque obstat quod sit perfectior et dignior concursu causæ secundæ, id quidem facit et ostendit quod causa sit perfectior et dignior, seu prima in ratione dignitatis et perfectionis, non autem prima in causando et in genere causæ efficientis, de quo agitur.

Dices: Concursus simultaneus est etiam ad actionem creaturæ, et non tantum ad ejus effectum: ergo.

Resp. dist. ant. Concursus simultaneus est etiam ad actionem creaturæ, ut effectus est, conc.; reduplicative ut actio est, seu ut est formaliter a causa secunda, nego : non enim per concursum simultaneum Deus movet causam secundam ad agendum, nec facit ut faciat, sed facit tantum cum illa, alioquin, ut jam dictum est, non foret simultaneus sed prævius; ad subordinationem autem in agendo, non sufficit quod producat actionem cum causa secunda, nec quod faciat cum illa, sed requiritur quod illam moveat et determinet ad agendum et faciat ut faciat. Confer de scientia media §. 6, et de decretis a. 3. §. 4.

Prob. secunda pars ant.: non per motionem moralem : quia motio moralis potest quidem constituere subordinationem in ordine morali et in genere causæ finalis, at non in ordine physico et in genere causæ efficientis, de quo hic agitur; est enim Deus primus motor et prima causa in ordine physico et in genere causæ efficientis, et non solum in genere causæ moralis et finalis. Alioquin foret tantum primus motor et prima causa respectu agentium liberorum quæ sola sunt capacia motionis moralis, non agentium naturalium. Confer de decretis loco proxime citato.

Prob. tertia pars ant.: non per hoc quod Deus causis secundis dederit virtutem agendi. 1° Quia hanc opinionem ut erroneam proscribit S. Th. 3. cont. gent. cap. 88; 2° Quia id admisit Pelagius et fuit damnatus; 3° Quia reincidit in sententiam Durandi negantis immediatum Dei influxum in actiones creaturarum, quam omnes improbant; 4° Tandem quia non constituit subordinationem causarum secundarum primæ in causando, sed in essendo tantum, ut patet ex dictis. Confer de decretis loco citato.

Secunda ratio sic proponitur : Omnis causa quæ non est ex se actu agens, sed in potentia ad agendum indiget præmotione physica qua constituatur in ratione causæ actualiter agentis : atqui omnis causa creata non est ex se actu agens, sed in potentia ad agendum : ergo min. est certa; quia si causa creata foret ex se et ex natura sua actu agens, semper et omnia quæ posset actu ageret, quod enim ex se est tale, semper est tale; etsi non semper ageret omnia quæ posset, sed modo unum, postea aliud, agendo primum foret in potentia ad secundum. Sic igitur intellectus v. g. actu semper omnia intelligibilia intelligeret, voluntas omnia appetibilia actu semper appeteret; ignis omnia combustibilia actu semper combureret; quæ omnia, ut experientia constat, non competunt causæ creatæ. Adde quod si causa secunda foret sua ultima agendi actualitas, foret etiam sua ultima essendi actualitas, quia operari sequitur ad esse et ipsi proportionatur, sicque creatura foret actus purus et infinitus, ut arguit Auctor 1. p. q. 54. a. 1.

Prob. maj. et 1° Est expresse S. Th. 1. 2. q. 9. a. 4, his verbis : « Omne quod quandoque est agens in actu et quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo agente. » 2° Causa quæ non est ex se actu agens sed in potentia ad agendum, ut actu agat debet intrinsece mutari et reduci de potentia ad actum; tum quia actu agere seu esse principium actuale agendi est intrinseca perfectio distincta a potentia operandi : tum quia si hæc potentia operandi non mutaretur, semper remaneret in actu primo et nunquam ageret : atqui hæc mutatio intrinseca fieri non potest nisi per præmotionem physicam : ergo. Prob. minor : fieri non potest neque per ipsam actualem operationem, neque per concursum simultaneum, neque per motiones morales, neque per alias causas creatas, neque tandem per ipsam causæ virtutem in actu primo : ergo per solam præmotionem physicam. Patet consequentia a sufficienti enumeratione.

Prob. ant. per singulas partes. 1° Non per ipsam actualem operationem, quia ipsa operatio est id ad quod ipsa causa debet mutari et determinari : ergo non per quod mutatur. Et ut tollatur æquivocatio, causa mutatur et actuatur quidem formaliter per operationem, agens enim actione agit, sed non efficienter et applicative, de quo est quæstio.

2° Non per concursum simultaneum ; quia, ut jam dictum est, concursus simultaneus

non influit in causam, sed in effectum causæ : ergo illam non mutat intrinsece.

3° Non per motiones morales : quia causæ; naturales non sunt capaces motionum moralium ; et quantum ad causas liberas, non agunt physice in voluntatem, sed moraliter tantum et objective alliciendo; unde illam intrinsece immutare non possunt nisi interveniente aliqua motione seu causa physica hanc mutationem efficiente.

4° Non per alias causas creatas. Et quantum ad causas liberas videtur certum; quia nulla causa creata, quantumvis perfecta et superior, potest physice agere in voluntatem, id est proprium soli Deo qui creavit illam, ut sæpe docet S. Th. Insuper si voluntas quæ est in potentia ad agendum, intrinsece mutaretur et reduceretur ad actum per causam creatam, perimeretur libertas; cum enim ista causa creata non esset sic universalis et potens ut etiam modum actionis, scilicet ipsam libertatem, attingeret, sicut dicimus fieri a Deo, omnino necessitaret, nisi forte adversarii concedant creaturæ quod denegant Deo. Quantum vero ad causas necessarias, neque istæ possunt constitui in ratione principii actualis per alias causas creatas; quia causa creata in actu non communicat causæ in potentia suam actualitatem, sed solum virtutem agendi, ut modo amplius ostendam.

5°. Tandem neque per suam virtutem : quia ista virtus est tantum activa in actu primo, seu in potentia ad agendum, ut supponitur : atqui unumquodque intrinsece mutatur et reducitur de potentia ad actum per id quod est in actu ; movere enim et ad actum reducere, est actu agere adeoque esse in actu : ergo.

Dices contra hanc ultimam partem : Causa creata non est in pura potentia passiva, sed etiam activa : ergo quamvis non sit ex se in actu formaliter, est tamen in actu virtualiter, ratione cujus potest seipsam reducere de potentia ad actum formalem.

Sed contra 1°. Quamvis causa creata dicatur potentia activa, quia in actum reducta potest elicere actionem et facere effectum, est tamen etiam passiva quatenus est receptiva in se ultimæ actualitatis in agendo, quam cum ex se non habeat, sibi dare non potest.

2°. Aliquid esse in actu virtualiter potest intelligi duplici modo: 1° virtualiter eminenter; 2° virtualiter potentialiter. Virtualiter eminenter, quando in actu seu forma superiori perfectius continet inferiorem, sic, v.g., angelus dicitur virtualiter eminenter discursivus, et hoc sensu causa creata non est virtualiter in actu. Virtualiter potentialiter, quando habet virtutem, quæ mota et excitata potest agere : et sic causa creata est virtualiter in actu, v. g. intellectus antequam intelligat dicitur virtualiter intelligens, voluntas antequam appetat dicitur virtualiter appetens. Porro quæ sunt in actu virtualiter eminenter, non sunt in potentia ad illum habendum, quia in actu formæ superioris illum perfectius continent quam si eum formaliter haberent. Quæ vero sunt in actu virtualiter potentialiter tantum, sunt in potentia ad illum habendum, nec possunt illum habere a seipsis, sed ab aliquo alio in actu : alioquin forent et non forent in actu; non forent in actu, ut supponitur, quia sunt in potentia ad illum ; et forent in actu, quia actu agerent se reducendo de potentia ad actum.

Repones his rationibus evinci tantum Deum primas causas sibi immediatiores et eas duntaxat ad actus primos præmovere, non vero quod ad quoslibet actus et ad quamlibet causam requiratur præmotio : quia causæ superiores in actu factæ et se et alias inferiores poterunt actuare : sic in naturalibus Deus præmovet solem, sol in actu excitat suo calore plantam. In liberis voluntas a Deo præmovetur ad primum actum, puta ad bonum in communi, voluntas sic in actu posita et se et alias potentias, rationem, imaginationem, vim motricem, etc. movet et reducit in actum sine alia immediata Dei motione.

Sed contra 1°. Hæc responsio admittit præmotionem physicam, si non in omni sua extensione, saltem quoad substantiam; sicque pro parte saltem eaque principali vicimus : si enim Deus præmoveat physice causas etiam liberas ad primos actus illæsa libertate, dato quod præmoveat ad omnes, pariter manebit illæsa libertas, est enim eadem ratio omnium : sicque ruit præcipuum fundamentum adversariorum contra præmotionem physicam petitum ex læsione libertatis. Item si aliquas causas et ad aliquos actus præmoveat, debet præmovere omnes et ad omnes actus ; quia omnes in omnibus suis actibus æqualiter subordinantur illi in agendo, ut prius dictum est.

Contra 2°. Causa creata quantumvis in actu posita non potest neque seipsam neque alias causas ad ulteriorem actualitatem agendi reducere ; quia id quod causa creata in actu posita communicat, sive sibi in ordine ad ulteriorem actum seu actualitatem, sive causis inferioribus, nihil est aliud quam participatio virtutis qua agit, non autem actualitatis in qua

est ; quia ultima actualitas agendi in qua est, non est sua nec ipsi propria, est enim tantum ex se activa in actu primo, sed a solo Deo tanquam a primo et essentialiter agente immediate participata ; sicut ultima essendi actualitas in omni ente, id est existentia, sive a solo Deo sive mediantibus causis secundis res producatur, est immediate a Deo ut ab ente primo et per essentiam, tanquam proprius ejus effectus; ultima enim actualitas in agendo correspondet primo et essentialiter agenti, sicut ultima actualitas in essendo, scilicet existentia, correspondet primo et essentialiter enti. Unde S. Th. 1. 2. q. 109. a. 1. o. ait : « Quantumcumque aliqua natura sive corporalis sive spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo. »

Contra 3°. Vel iste prior actus in quo supponitur causa creata, infert infallibiliter actum ulteriorem sive in se sive in causis inferioribus, vel non ; primum dici non potest ; quia causa creata quantumvis perfecta est ex se fallibilis, contingens et impedibilis : si secundum dicatur, ergo debet dari alia motio a Deo infallibiliter movens ut in ea vel in ejus decreto cognoscat infallibiliter actum ponendum.

Tertia ratio pro causis liberis præcedenti affinis : causa ex se indifferens et indeterminata ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum , non potest determinari ad unum potius quam ad aliud nisi per præmotionem physicam : atqui homo est indifferens ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum : ergo. Min. est certa, in hac enim indifferentia sita est libertas hominis. Prob. maj. Causa ex se indifferens et indeterminata ad hoc vel illud, non potest seipsam determinare ad unum potius quam ad illud; quia cum supponatur indifferens, non est ratio cur in hoc potius quam in illud propendeat, nec a causa indifferenti ut tali potest magis procedere effectus determinatus quam calidum ex frigido. Neque determinari potest per concursum simultaneum; quia ex ipsis adversariis concursus simultaneus offertur indifferenter ad utrumlibet, et aliunde non influit in causam ut illam determinet, sed supponit determinatam. Neque per motiones morales ; quia, ut jam dixi, motiones morales non movent voluntatem nisi objective et alliciendo, non intrinsece eam immutando ; unde posita quacumque motione morali voluntas est adhuc indeterminata et indifferens ad hoc vel illud. Restat ergo quod per solam præmotionem physicam possit determinari.

Quarta ratio : Deus est causa efficiens immediata et universalis omnis entis et omnium ejus modorum : ergo est causa physica immediata actionis reduplicative ut actio est, et prout formaliter procedit et dependet a voluntate ; actio enim sub ista ratione et hæc ejus processio et dependentia a voluntate est aliquid in rerum natura, nempe modus entis et ipsa libertas in exercitio per quam meremur vel demeremur : atqui non potest esse causa efficiens immediata actionis sub ista formalitate nisi per præmotionem physicam, per quam applicat voluntatem ad agendum et facit ut faciat ; per concursum enim simultaneum facit cum facit, non facit ut faciat ; per motiones autem morales est causa moralis tantum non efficiens et physica. Confer de decretis dissert. 8. a. 3. §. 4, primam responsionem adversariorum.

Nota : omnia fere quæ dixi contra scientiam mediam, pro decretis prædeterminantibus et pro gratia per se efficaci, militant pro præmotione physica : ideo conferenda.

Quantum ad objectiones quæ petuntur ex auctoritate, ex læsione libertatis, ex insufficientia auxilii et ex affinitate cum calvinismo, solutas habes dissert. cit. de decretis a. 4. Quæ vero petuntur ex læsione sanctitatis divinæ, solutæ sunt ibidem a. 5.

Qui plura cupit, adeat Sylvium de motione primi motoris, P. Antonium Massoulie in opere *D. Thomas sui interpretes* tom. 1. dissert. 1 et 2, sed potissimum P. Antonium Goudin in Metaphysica disp. 2. q. 3, qui hanc materiam, meo judicio, non minus solide quam dilucide et ad captum omnium tractavit.

DISSERTATIO VI.

De causa gratiæ.

D. Th. Q. 112.

ARTICULUS I.

Utrum solus deus sit causa principalis efficiens gratiæ?

Quæstio est de gratia habituali, non nisi indirecte de gratia actuali, quatenus scilicet est motus ad habitualem ut ad formam et terminum.

Item quæstio est de sola causa principali efficiente; nam de aliis causis certo constat; causa finalis gratiæ proxima est salus æterna habentis illam; ulterior Christus, ultima Deus; juxta illud 1 Cor. 3: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Causa materialis est ipsa essentia animæ. Causa formalis nulla est, quia gratia est simplex forma, non compositum, in quo solo reperitur causa formalis. Causa instrumentalis est humanitas Christi et Ecclesiæ sacramenta, ut docet Auctor hic a. 1. ad 1. et 2 et 3. p. q. 62. a. 5. Causa ministerialis sunt angeli et homines: angeli subministrando illustrationes, quibus perveniamus ad gratiam: homines non solum instruendo et orando, sed et ministrando sacramenta. Causa tandem meritoria principalis est Christus, ut docet Auctor infra q. 114. a. 6, et definit Trid. sess. 6. cap. 7, conformiter Apostolo dicenti Ephes. 1: *Qui* (Deus) *benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Causa autem meritoria minus principalis potest esse homo justus, qui et sibi potest mereri de condigno augmentum gratiæ, et alteri de congruo primam gratiam. His præmissis,

Dico: Solus Deus potest esse causa principalis efficiens gratiæ.

Prob. 1°. Ex S. Scriptura: Job. 14, dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Psal. 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

Prob. 2° ratione: [2] Nihil potest propria virtute efficienter producere aliquid quod sit nobilius, perfectius et altioris ordinis quam ipsum sit: causa enim principalis efficiens est majoris seu saltem æqualis perfectionis cum effectu: atqui gratia est quid nobilius, perfectius et altioris ordinis quam quodvis agens creatum, cum sit participatio divinæ naturæ, ut supra dictum est: ergo.

Confir. Illius solum est producere gratiam per modum causæ principalis, cujus est deificare, dare jus ad hæreditatem et peccata dimittere: atqui id solius Dei est proprium: ille enim solus potest alios deificare qui per se ipsum est Deus, sicut id solum potest ignire quod est per se ignis; ille solus potest dare jus ad hæreditatem, qui hæreditatis est dominus; ille solum peccata dimittit, quem peccata offendunt: ergo.

Dices his rationibus evinci creaturam non posse causare gratiam virtute propria naturæ, at non virtute supernaturali permanenter superaddita et quæ fiat ipsi propria.

Sed contra et magis roboratur conclusio: illa virtus supernaturalis superaddita foret vel gratia, vel alia qualitas distincta a gratia: primum dici non potest, quia gratia non est immediate operativa, sed mediantibus tantum virtutibus supernaturalibus; et alias sequeretur quod angelus vel homo justus posset in alio producere gratiam principaliter efficienter, quod nemo admittit. Non secundum, quia quæcumque qualitas a gratia distincta est imperfectior gratia, cum gratia, ut dictum est, sit participatio divinæ naturæ.

Neque dicas quod sicut gratia est participatio divinæ naturæ, ita ista qualitas possit esse participatio divinæ virtutis, puta omnipotentiæ

[1] Hic q. 112. a. 1. c. [2] Ibid.

per quam Deus gratiam et omnia munia illi annexa præstat. Nam esto ita sit: ista qualitas supernaturalis esset tantum participatio imperfecta hujus virtutis seu omnipotentiæ, ideoque insufficiens ad efficiendam participationem divinæ naturæ, quæ non potest conferri principaliter nisi ab habente divinitatem, sicut nihil potest ignire principaliter, id est participationem ignis producere, nisi solus ignis: nec refert quod justus habeat participationem divinæ naturæ; habet quidem participationem naturæ, sed non habet naturam; et sic licet possit illa frui in se, non potest tamen illam aliis communicare; sicut filius adoptivus non potest adoptare.

Obj. 1°. Christus pluries in S. Scriptura commendatur ut auctor et causa gratiæ Joan. 1: *Gratia per Jesum Christum facta est.* Item: *De plenitudine ejus accepimus:* ergo.

Resp. Christum ratione divinitatis esse causam principalem gratiæ; ratione humanitatis esse causam instrumentalem et meritoriam.

Inst. 1° S. Th. in 4. d. 5. q. 2. a 2. quæstiunc. 2, dicit: « Agens principale baptizando est ipse Deus per auctoritatem, et ipse Christus secundum quod homo » : ergo.

Resp. S. Th. non dixisse quod Christus ut homo sit agens principale per auctoritatem, sed per meritum; addit enim: « Cujus meritum operatur in baptismo. »

Inst. 2°. Christus ut homo est caput aliorum hominum: atqui capitis est influere vitam in membris: ergo.

Resp. dist. min. De ratione capitis est influere vitam in membris ut causa principalis, nego; ut instrumentum præcipum animæ, conc. Sic autem Christus quatenus homo ut instrumentum conjunctum et præcipuum divinitatis influit in nobis gratiam.

Inst. 3°. Gratia capitalis Christi per quam influit in nobis gratiam, est nobilior nostra: atqui causa principalis est quæ agit per formam nobiliorem effectu: ergo.

Resp. dist. min. Causa principalis est quæ agit per formam nobiliorem effectu, si ista forma nobilior sit per se effectiva effectus, conc.; si non sit per se effectiva effectus, sed ut mota et elevata per virtutem superadditam, nego. Tunc enim agit ut instrumentum et non ut causa principalis. Porro gratia non est per se effectiva alterius gratiæ in alia persona, alioquin quivis justus posset gratiam alteri conferre: quod ergo gratia Christi cooperetur ad producendam gratiam in nobis, non habet ex se, sed ex divina virtute per eam tanquam per instrumentum operante, sicque instrumentaliter tantum concurrit ad productionem gratiæ in nobis.

Obj. 2°. Ille est causa principalis alicujus formæ, qui est causa principalis ultimæ dispositionis ad illam: atqui homo est causa actus contritionis ultimo disponentis ad gratiam; est enim contritio actus vitalis elicitus a potentia vitali ut a causa principali: ergo.

Resp. 1° dist. maj. Ille est causa principalis alicujus formæ, qui est causa principalis ultimæ dispositionis ad illam, si forma resultet naturaliter ex tali dispositione et educatur de potentia naturali subjecti, conc. maj.; si forma non resultet naturaliter ex tali dispositione et non educatur de potentia naturali, sed obedientiali subjecti, nego maj.; quia potentia obedientialis soli Deo subjicitur: gratia autem non resultat naturaliter ex dispositione posita ab homine, nec educitur de potentia ejus naturali, sed obedientiali, ut dicam art. seq.

Resp. 2°. dist. min. Homo est causa principalis actus contritionis ultimo disponentis ad gratiam, ut est actus vitalis, conc.; ut est dispositio ad gratiam, nego. Ut sic enim solus Deus est causa principalis, quatenus per suam motionem elevat potentiam hominis ad actum supernaturalem, eaque utitur tanquam instrumento ad hunc actum ut talem producendum. Solutio est D. Th. hic a. 3. o, ubi dicit: « Actus liber præparans ad gratiam dupliciter potest considerari: 1° secundum quod est a libero arbitrio, et sic nullam habet necessitatem ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ; 2°, alio modo potest considerari ut est a Deo movente, et tunc habet necessitatem ad id ad quod a Deo ordinatur » scilicet gratiam. Confer quæ dicam art. subseq. obj. 2.

ARTICULUS II.

UTRUM GRATIA CREETUR VEL EDUCATUR DE POTENTIA OBEDIENTIALI ANIMÆ?

Creatio est productio entis ex nihilo seu ex nullo præsupposito subjecto. Eductio vero est productio formæ dependenter a subjecto. Potentia passiva est duplex, una naturalis dicens ordinem ad agens naturale; altera obedientialis dicens ordinem ad agens supernaturale.

Non videtur dubium quin Deus possit potentia absoluta creare gratiam, quia quamvis sit accidens dependens a subjecto, sicut tamen

[1] Ibid. ad 1. [2] 3. p. q. 8. a. 1.

Deus potest absolute efficere ut accidentia existant independenter a subjecto, ut patet in accidentibus Eucharisticis, ita potest absolute independenter a subjecto illa producere : sed hic modus foret miraculosus, non connaturalis et secundum potentiam ordinariam, de quo quæritur.

Quidam ergo tenent gratiam creari, quidam concreari, alii et communius educi de potentia animæ : cum quibus,

Dico : Gratia non creatur nec concreatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ.

Est D. Th. infra q. 113. a. 9, ubi opponit justificationem creationi ut actionem distinctam, et dicit creationem ex parte modi operandi esse majus opus justificatione, quia creatio fit ex nihilo, non justificatio, licet ex parte rei productæ justificatio sit majus creatione cœli et terræ. Et q. 27. *de Verit.* a. 3. ad 9; item q. de virtutibus in communi a. 29. ad 3, docet habitus supernaturales, quorum præcipuus est gratia, educi de potentia obedientiali subjecti.

Prob. [1]. Creari est proprium rei subsistentis : atqui gratia non est res subsistens, sed accidens inhærens, ut omnes concedunt : ergo. Prob. maj. Creari est quoddam fieri, fieri ordinatur ad esse, imo est esse inchoatum ; unde illis solis proprie convenit fieri et creari, quibus convenit esse : atqui esse proprie convenit solis subsistentibus, sive sint simplicia ut substantiæ separatæ, sive composita ut substantiæ materiales : ergo prob. min. Illi proprie convenit esse quod habet esse et subsistens in suo esse : atqui accidentia non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est ; ut albedo ea ratione dicitur ens quia ea subjectum est album ; unde secundum philosophum 7 Metaphys. accidens magis dicitur entis quam ens : ergo.

Quod etiam non concreetur, patet ; quia forma inhærens concreari dicitur, quando producitur, per actionem subjecti creativam : atqui actio producens in nobis gratiam, non creat, sed supponit ejus subjectum, scilicet animam : ergo.

Et hinc sequitur quod educatur de potentia obedientiali animæ : creatio enim et eductio contradictorie opponuntur ; creatio est fieri ex nullo præsupposito subjecto ; eductio econtra est fieri ex aliquo præsupposito subjecto : atqui gratia non creatur : ergo educitur.

Confir. Educi est fieri dependenter a subjecto : atqui gratia in suo fieri connaturaliter dependet a subjecto : ergo. Prob. min. Ab eo gratia dependet in fieri, a quo dependet in esse ; utriusque enim eadem est ratio, si connaturaliter fiat : atqui in esse dependet a subjecto : ergo.

Obj. 1°. Gratia dicitur in S. Scriptura creari: Psal. 50: *Cor mundum crea in me Deus.* Galat. 6: *In Christo nova creatura.* Ephes. 2 : *Creati in Christo Jesu :* ergo.

Resp. gratiam dici creari quasi moraliter, quia nullum meritum supponit [1] : at non creatur physice, quia subjectum supponit : unde etiam rarius exprimitur in S. Scriptura per creationem, sæpius per generationem, vivificationem, reformationem, resuscitationem, et similes terminos.

Inst. Gratia non continetur in potentia animæ, est enim supernaturalis : ergo.

Resp. dist. ant. Gratia non continetur in potentia activa animæ, conc.; passiva, subdistinguo. In potentia naturali seu comparate ad agens naturale, conc.; obedientiali, seu comparate ad agens supernaturale scilicet Deum, nego.

Repones : Educi de subjecto dicit aliquam causalitatem ultra receptionem : atqui nulla animæ potentia potest sua causalitate concurrere ad productionem gratiæ : ergo.

Resp. dist. min. Nulla animæ potentia potest sua causalitate concurrere ad productionem gratiæ, sub ratione ipsi gratiæ propria seu ut est participatio divinæ naturæ, transeat ; sub ratione formæ inhærentis, nego. Sic enim ad illam concurrit, sicut concurrit ad eductionem omnium aliarum formarum accidentalium : maxime cum causalitas subjecti in eductione formæ nihil sit aliud quam dependentia istius formæ, sicut in esse, ita in fieri, a subjecto.

Obj. 2°. Gratia est donum Dei præstantissimum : ergo produci debet per actionem præstantissimam : atqui creatio est præstantior eductione : ergo.

Resp. dist. consequens. Ergo produci debet per actionem præstantissimam, quæ sit ejus conditioni accommodata, conc. Secus, nego. Creatio autem non est accommodata formæ inhærenti, ut probavimus, sed sola eductio.

Obj. 3°. Illud incipit per creationem quod desinit per annihilationem : atqui gratia desinit per annihilationem ex S. Th. in 2. d. 26 q. unica a. 2. ad 5, ubi dicit quod « cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit » : ergo.

Resp. S. Thomam ibi sumere annihilationem

[1] 1. p. q. 45. a. 4. o.

[1] Hic. q. 110. a. 2. ad 3.

late pro ipsa corruptione formæ, quæ totum suum esse formale amittit, ita ut nulla pars ejus in se remaneat, sed tantum in potentia subjecti. Ita Conradus apud Gonet.

Obj. 4°. Eo modo in nobis producitur gratia quo producta fuit in angelis et in Adamo: atqui in his non fuit producta per eductionem: ergo. Prob. min. Actio eductiva est transmutativa subjecti: atqui productio in angelis et in Adamo non fuit transmutativa subjecti; quia debuisset subjectum in aliquo instanti præcessisse sub privatione formæ, quod non contigit, cum in ipso creationis momento fuerint donati gratia: ergo.

Resp. data maj. quæ posset negari, neg. min. Ad prob. neg. min. Ad probat. dist. Subjectum debuisset præcessisse sub privatione formæ, ut actu transmutaretur, conc. Ut actio quantum ex se esset transmutativa, nego. Ad id enim sufficit quod sit actio distincta ab ea qua subjectum producitur et quod non habeat inviolabilem nexum cum illa; sic autem actio creativa Adami et angelorum fuit distincta ab actione productiva gratiæ in illis, nec habuit inviolabilem nexum cum illa: poterant enim angeli et Adam creari sine gratia.

ARTICULUS III.

UTRUM AD GRATIAM REQUIRATUR ALIQUA PRÆPARATIO SEU DISPOSITIO EX PARTE HOMINIS?

Quantum ad gratiam actualem certum est quod nulla præparatio requiratur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium[1]; sed potius quæcumque præparatio quæ in homine esse potest, est ex illo auxilio Dei moventis animam ad bonum; ut amplius explicuimus a. 7. dissert. 4.

Quæstio est itaque de dispositione ad gratiam habitualem: satis quidem convenit inter theologos requiri dispositionem, ex parte hominis; sed quidam volunt hanc dispositionem esse tantum moralem et ex institutione divina, non physicam.

Dico 1°. Juxta communem providentiæ cursum requiritur ex parte hominis adulti sui compotis quædam dispositio ad gratiam: quæ dispositio est actus et motus liberi arbitrii in Deum.

Utraque pars videtur de fide decisa in concil. Trid. sess. 6, cap. 6, his verbis: « Disponuntur autem (adulti) ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia atque adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. » Et can. 9: « Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit. »

Id etiam aperte innuit S. Scriptura 1. Reg. 7: *Præparate corda vestra Domino.* Zach. 1: *Convertimini et ego convertar ad vos.* Similiter passim ss. patres.

Prob. prima pars ratione[1]: Forma perfecta et completa dans esse fixum et permanens, juxta communem providentiæ cursum non introducitur in subjectum nisi dispositum et præparatum: atqui gratia habitualis est forma perfecta et completa, dans esse supernaturale fixum et permanens: ergo. Min. constat. Maj. etiam patet tam in naturalibus quam supernaturalibus: sic in naturalibus formæ substantiales, sive animatæ, sive inanimatæ, non introducuntur in materiam nisi dispositam: in supernaturalibus divina essentia ut forma intelligibilis non unitur intellectui beato nisi per lumen gloriæ disposito: id etiam exigit rectus ordo ut ab uno extremo ad aliud extremum, a privatione ad formam, non fiat transitus nisi quibusdam mediis, quibus extrema conjungantur; subjectum autem dispositum est quodam modo medium inter formam et ejus privationem.

Prob. secunda pars[2]: Confertur gratia homini adulto a Deo movente ipsum: atqui Deus movet omnia secundum modum cujusque; homo autem est secundum naturam liberi arbitrii, ideoque proprium est illi moveri per liberum arbitrium: ergo in adulto non fit a Deo motio ad gratiam sine motu liberi arbitrii.

Confir. Secundum communem providentiæ cursum forma non introducitur in subjectum nisi juxta proprium modum dispositum: atqui proprius modus quo homo sui compos se disponit ad bonum, est per actum liberi arbitrii: ergo.

Dices: Agens infinitæ virtutis nullam requirit dispositionem; atqui Deus qui est causa gratiæ est agens infinitæ virtutis: ergo.

Resp. dist. maj.[3]. Agens infinitæ virtutis nullam requirit dispositionem præsuppositam ex alterius causæ actione, conc.; quam ipsemet causat secundum conditionem rei causandæ, nego. Et hoc quidem non ex indigentia, sed secundum legem communem: unde dixi in

[1] Q. 112 a. 2 o. [2] Ibid.

[1] Ibid. [2] Infra q. 113. a. 3. [3] Hic q. 112. a. 2. ad 3.

conclusione secundum communem providentiæ cursum : negari enim non debet quin Deus de potentia absoluta possit conferre gratiam non disposito, ut dormienti, cum in hoc nulla sit repugnantia.

Dixi etiam in conclusione : « ex parte hominis adulti sui compotis » : nam constat infantibus non conferri gratiam per baptismum mediante dispositione liberi arbitrii, cujus non sunt capaces, sicut nec amentes perpetui.

An autem requiratur in eis aliqua altera dispositio ? Quidam negant ex S. Th. in 4. d. 17. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1, dicente quod in illis qui non per propriam voluntatem culpam incurrunt et usum voluntatis non habent, non exigitur ex parte eorum aliqua præparatio, sicut de pueris patet in baptismo. »

Alii probabilius affirmant ex ipsa ratione S. Doctoris hic quæ est generalis, scilicet quod forma secundum communem providentiæ cursum non introducatur in subjectum nisi dispositum. Et ad textum S. Th. respondent quod S. Doctor ibi excludat tantum præparationem quæ sit per motum liberi arbitrii.

Sed quæ sit illa alia dispositio, non conveniunt. Quidam dicunt esse ipsam susceptionem passivam sacramenti : alii esse virtutes infusas ipsam gratiæ infusionem comitantes, quæ licet in genere causæ efficientis gratiam sequantur, præcedunt tamen ipsam ut formam in genere causæ materialis et dispositivæ ; sicut in naturalibus, v. g., calor ad octo consequitur formam ignis in genere causæ efficientis, præcedit in genere causæ dispositivæ. Omitto quosdam alios improbabiles dicendi modos quorumdam antiquorum.

Dico 2°. Actus liberi arbitrii moti a Deo disponunt ad gratiam, non solum moraliter et ex institutione divina, sed physice et ex natura sua ; non tamen ad eam effective concurrunt, sed dispositive tantum.

Prob. prima pars : Inchoatio est dispositio physica et ex natura sua ad consummationem motus in terminum : atqui actus liberi arbitrii moti a Deo est quædam inchoatio ordinis gratiæ ; se habet enim ad gratiam ut motus ad terminum : ergo.

Prob. secunda pars, 1° ex concil. Trid. sess. 6. cap. 7, ubi describens causas justificationis, nullam aliam efficientem agnoscit nisi Deum ut principalem, et sacramentum ut instrumentalem : « Hujus justificationis, inquit, causæ sunt..... efficiens misericors Deus..... instrumentalis sacramentum baptismi.» Agens autem capite præcedenti de actu liberi arbitrii, cum refert ad causam dispositivam, quam distinguit ab efficiente.

Prob. 2° ex D. Th. q. 28. *de Verit.* a. 8. ad 2 et ad. 7, ubi dicit : « Motus liberi arbitrii non est causa efficiens infusionis gratiæ : unde contritio non est causa efficiens remissionis culpæ, sed virtus clavis, vel baptismus. » Idem in 4. d. 17. q. 2. a. 5. quæst. 1.

Prob. 3° ratione : Tam gratia quam virtutes supernaturales sunt habitus non a nobis acquisiti, sed a Deo infusi : unde communiter recipitur definitio hæc virtutis supernaturalis tradita a S. Augustino : « Bona qualitas mentis quam Deus in nobis sine nobis operatur » : atqui si actus nostri efficienter concurrerent ad illas, potius dicerentur acquisitæ quam infusæ, nec Deus illas in nobis sine nobis efficeret : ergo.

Prob. 4°. Repugnat quod actus efficiat potentiam activam, cujus est proprius et connaturalis actus et effectus : atqui habitus supernaturales non habent rationem puri habitus respectu actuum supernaturalium, sed etiam potentiæ : ergo. Prob. min. ex discrimine quod est inter actus et habitus supernaturales et naturales : actus naturalis supponit facultatem sui productivam, sed indifferentem et determinabilem per habitum : unde non repugnat ipsi quod producat habitum, quia producendo habitum, non producit proprie potentiam sui productivam, sed illam tantum determinat : at vero actus supernaturalis nullam supponit in naturali facultate potentiam sui productivam quam determinet; unde cum elicitur specialiter per motionem Dei actualem, si produceret habitum, produceret ipsam potentiam, quod, ut dixi, repugnat, nec in ipsa natura habet exemplum.

Si dicas id probare de habitibus supernaturalibus qui sunt virtutes operativæ, et ideo habent rationem potentiæ, non vero de gratia quæ non est operativa, contra est quod gratia sit radix et principium aliorum habituum supernaturalium ideoque radicaliter potentia operativa : unde si actus supernaturales non possint producere habitum supernaturalem operativum, a fortiori nec gratiam.

Obj. contra primam partem concl. 1°. Dispositio physica recipitur in eodem subjecto cum forma ad quam disponit : atqui actus liberi arbitrii disponentes ad gratiam non sunt in essentia animæ in qua subjectatur gratia, sed in ejus potentiis : ergo. 2°. Dispositio physica est dispositio non solum pro productione rei, sed etiam pro ejus conservatione : atqui actus li-

beri arbitrii requiruntur tantum pro productione gratiæ, sed non pro ejus conservatione : ergo. 3°. Dispositio physica est necessaria in omni recipiente formam : atqui motus liberi arbitrii non requiritur in parvulis ad gratiam: ergo. 4°. Inter dispositionem physicam et formam est naturalis et necessaria connexio : atqui inter actus hominis et gratiam non est necessaria connexio, posset enim Deus homini disposito denegare gratiam : ergo.

Resp. ad primum, dist. maj. Dispositio physica recipitur in eodem subjecto quod, hoc est in eodem supposito cum forma, conc.; in eodem subjecto quo, nego. Sic dispositio ad formam substantialem non recipitur immediate in materia in qua recipitur forma substantialis, sed in toto composito.

Ad secundum, neg. maj. universaliter sumptam ; plura enim requiruntur ut res fiat quam ut conservetur : sic mollities in cera requiritur ut imprimatur sigillum, non ut conservetur sigillatio; calor requiritur ut fiat carbo, non ut conservetur.

Ad tertium, neg. pariter maj. universaliter sumptam : calor enim, v. g., requiritur ut mollescat cera, non lutum ; hoc remedium requiritur ut sanetur iste homo, non alter.

Ad quartum, dist. maj. Inter dispositionem physicam concomitantem et formam est necessaria connexio, conc., et sic etiam est inter dispositiones concomitantes gratiam et ipsam gratiam; inter dispositionem physicam præviam et formam, nego. Sed satis est ut subjectum efficiat magis aptum ad recipiendam formam : sic perluciditas est dispositio ad lucem, mollities ceræ ad sigillationem; nec tamen illa cum luce, nec ista cum sigillatione necessario connectuntur.

Obj. contra secundam partem concl. Juxta Trid. sess. 6. can. 4, homo non se habet mere passive, sed cooperatur ad suam justificationem. Et D. Th. 3. p. q. 86. a. 6, dicit quod remissio peccati sit effectus contritionis ; et ibid. q. 85. a. 2. ad 3, quod pœnitentia expellit omne peccatum : ergo.

Resp. hæc omnia verificari quatenus homo efficit dispositiones ad gratiam justificationis ; non autem quod illam gratiam efficiat seu active sibi conferat.

Subsumes : Atqui dispositio concurrit effective ad formam : agens enim non producit formam nisi per dispositiones, ut ignem per calorem : imo homo dicitur generare efficienter hominem, quamvis ponat tantum dispositiones ad formam : ergo.

R. 1°. dist. maj. Dispositio concurrit effective ad formam, quando causans dispositionem habet in sua virtute formam vel producendam vel uniendam, conc.; secus, nego. Non enim dispositio ut talis, sed sola virtus agentis per ipsam effective attingit formam ; certum est autem quod gratia non contineatur in virtute hominis, sed solius Dei. Si dicas hominem non quidem continere gratiam in virtute suæ naturæ, sed in virtute motionis divinæ, resp. quod motio divina terminetur ad actum dispositivum puta contritionis, nec nisi eo mediante ulterius tendat. Ostendimus autem actum supernaturalem non posse efficere habitum supernaturalem, quia efficeret potentiam sui connaturaliter productivam.

Resp. 2°. dist. aliter eamdem maj. Dispositio activa concurrit effective ad formam, conc.; dispositio passiva, nego. Sic mollities in cera respectu formæ sigilli, plantatio et irrigatio respectu incrementi plantarum, non concurrunt effective ad formam, quia sunt dispositiones passivæ tantum : hujusmodi autem sunt actus hominis respective ad gratiam : contritio cor emollit et disponit ad sigillationem gratiæ : homo plantat et rigat, Deus autem incrementum dat. 1 Cor. 3.

Quærit S. Doct. a. 3 hujus quæst. utrum se præparanti et facienti quod in se est, necessario detur gratia ; sed hanc difficultatem resolvimus supra dissert. 3. a. 7 : require.

Quærit art. 4: Utrum gratia sit major in uno quam in alio ?

Respondet affirmative. Id passim indicant S. Scripturæ et definivit concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Ratio est quia commune est omni subjecto ut plus vel minus formam recipiat secundum quod est plus vel minus dispositum ad illam. Proxima ergo ratio hujus inæqualitatis gratiæ est inæqualitas dispositionum ex parte hominis : prima et remota est voluntas Dei quæ non solum gratiæ sed etiam dispositionis ad illam est auctor, tribuens diversis prout vult, sicut inæqualem gratiam ita et inæqualem dispositionem ad illam, ut ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum.

ARTICULUS IV.

UTRUM ALIQUIS POSSIT ESSE CERTUS SE ESSE IN GRATIA ?

Certitudo est duplex : una simpliciter dicta et absoluta, cui non potest subesse falsum et

excludit omnem formidinem de opposito; qualis est certitudo quæ habetur per revelationem, aut per discursum theologicum, aut per evidentiam rei. Ad hanc reduci potest certitudo quæ petitur ex tot et tantis testimoniis, ut quamvis physice loquendo, possit ei subesse falsum, non tamen moraliter loquendo; unde excludit omnem formidinem de opposito; talis est certitudo v. g., quam habeo de existentia Romæ. Altera est certitudo secundum quid seu moralis et conjecturalis, quæ nititur momentis, signis et conjecturis gravibus quidem, at non ita firmis, quin possit etiam moraliter loquendo, eis subesse falsum : et hæc, ut patet, major est vel minor pro ratione momentorum quibus nititur.

Lutherani et calvinistæ tria circa præsentem materiam asserunt : primum, hominen certa et indubitata fide posse scire se esse in gratia : secundum, unumquemque id de seipso teneri credere ; alioquin nec est justus, nec fidelis : tertium, hac sola fide homines justificari. Duo ultima anathemate confixit Trid. sess. 6. can. 13 et 14. Primum , quamvis in canonibus sub anathemate non damnet, attamen cap. 9 sat manifeste improbat, ut videbimus modo.

Certum suppono hominem ex speciali privilegio et revelatione posse habere omnimodam certitudinem se esse in gratia [1] : talem habuit B. Virgo cui, Luc. 1, dictum est ab angelo quod esset gratia plena. Item paralyticus et mulier peccatrix, quibus Christus, Matth. 9, et Luc. 7, dixit peccata eorum esse remissa. Quæstio est igitur de certitudine habita per viam ordinariam.

Præter hæreticos, ex catholicis Catharinus contendit hominem posse esse certum se habere gratiam certitudine absoluta, non fidei immediate, sed mediante discursu theologico; Vega certitudine morali, quæ omnem excludat formidinem, qualis est certitudo de existentia urbis Romæ. Contra quos cum communi sententia,

Dico : [2] Nemo, seclusa speciali revelatione, potest esse certus se esse in gratia certitudine absoluta, cui non possit subesse falsum, aut saltem quæ excludat omnem formidinem ; sed solum certitudine secundum quid , morali et conjecturali.

Prob. prima pars ex S. Script. Eccle. 9, dicitur : *Sunt justi atque sapientes et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum odio vel amore sit dignus.* Neque dicas impium posse scire se esse odio dignum. Hic enim, ut patet ex terminis, non est sermo de impiis, sed de justis et sapientibus : unde sensus est neminem etiam eorum qui habentur justi et sapientes, scire an sit dignus amore et non potius odio. Eccle : 5: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Philip. 2 : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* 1 Cor. 4: *Sed neque meipsum judico : nihil enim mihi conscius sum sed non in hoc justificatus sum: qui autem me judicat, Dominus est : itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum.*

Si dicas Apostolo priusquam hæc diceret fuisse revelatam suam justitiam, resp. SS. Hieron., Chrys., Aug., Greg., Bernard., Estium, a Lapide et alios apud Sylvium hic id negare : sed, hoc dato, dicendum est Apostolum hæc dixisse non in propria persona, sed ut agentem personam communem hominum ; sicut cum dixit Rom. 7 : *Lex spiritualis est, ego carnalis sum venumdatus sub peccato, quod enim operor non intelligo,* vel locutum fuisse attento modo communi cognoscendi propriam justitiam, seclusa speciali revelatione.

Prob. ex patribus : S. Aug. lib. *de Perfect. just.* c. 15, ait : « Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum. » Similiter ss. patres mox citati. Innocent. III. cap. « Accepimus » 5. decret. tit. 34, juramentum quo archiepiscopus Bisuntinus volebat se purgare a criminibus de quibus accusabatur tanquam dimissis per pœnitentiam, reprobat ut indiscretum, temerarium et inepta, « Cum B. Job dicat, inquit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea.»

Prob. ex concil. Trid. sess. 6. cap. 9, dicente: «Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet ; sic quilibet dum seipsum suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest ; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum. »

Prob. ratione : Nihil est unde homo potest certo scire certitudine absoluta excludente omnem formidinem se esse in gratia : ergo. Prob. ant. Quamvis per fidem constet sincere diligenti Deum et vere pœnitenti dari gratiam, neque tamen per fidem seu revelationem, neque per aliquod aliud testimonium etiam moraliter infallibile, neque per evidentiam certo constare potest certitudine absoluta homini se sincere diligere Deum super omnia et esse ve-

[1] Q. 112 a. 5. o. [2] Ibid.

re pœnitentem : non per fidem seu revelationem, nullibi enim hoc factum particulare revelatur ; non per aliquod aliud testimonium moraliter saltem infallibile, nullum enim assignari potest ; non denique per evidentiam, judicium enim humanum hac de re est fallax et cor hominis inscrutabile, semperque ipsi causa subest timendi ne lateant peccata occulta, *delicta enim quis intelligit?* ne dolor de peccatis sit insufficiens, ne desit sibi aliqua dispositio ad susceptionem sacramenti, ne dilectio quam putat esse charitatis sit humana, ne quod videtur operari propter Deum sit fœtus amoris proprii, et sic de cæteris quæ videntur in nobis bona. Unde S. Greg. lib. 5 *Moral.* c. 6 : « Sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis, sub boni specie lateat coloris. »

Secunda pars, scilicet hominem posse scire certo certitudine secundum quid, morali et conjecturali ex signis et indiciis se esse in gratia, a nemine negatur. Colligitur ex S. Scriptura, quæ hæc signa passim indicat. Tria refert hic Auctor : primum est delectatio in rebus divinis audiendis, legendis, meditandis, juxta illud Joan. 8 : *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Secundum est contemptus rerum mundanarum, nam diminutio cupiditatis est signum charitatis. Tertiam, quod homo non sit sibi conscius ullius peccati mortalis, sed paratus potius mori quam Deum offendere : adde promptam voluntatem exequendi quæ sunt placita Deo, et humilitatem :*Humilibus enim Deus dat gratiam* : Jacob. 4.

Suadet etiam suavis divinæ providentiæ dispositio, ut quemadmodum non oportuit ut homo omnimodam suæ justitiæ certitudinem haberet, ne in superbiam et præsumptionem efferretur, ita congruebat ut moralem et conjecturalem certitudinem haberet, ne perpetua animi turbatione cruciaretur, sed inter timorem et spem suam salutem operaretur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra primam partem conclusionis. 1. Cor. 2, dicitur : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt.* » 1. Joan : « *In hoc cognovimus quoniam in ipso manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis* » : ergo.

Resp. 1° [1] hos textus posse intelligi de notitia privilegiata per revelationem ; unde Apostolus subdit : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum Sanctum.*

Resp. 2° [2] posse etiam intelligi de notitia per fidem habita promissionum et donorum Dei quantum ex parte illius, licet non cognoscamus certo nos habere conditiones quibus ea dona et promissa mereamur. Dupliciter ergo possunt spectari dona Dei : 1° ex parte Dei promittentis : 2° ex parte hominis ea sub certis conditionibus promerentis et recipientis. Primo modo spectata habent omnimodam certitudinem : est enim fidelis Deus in suis promissis : at secundo modo spectata non possunt habere certitudinem nisi conjecturalem ; quia homo non potest esse omnino certus se habere conditiones requisitas ut sit promissorum Dei particeps. Hac distinctione plures alios similes S. Scripturæ textus et ss. patrum excipies.

Inst. 1°. Rom. 8 : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod simus filii Dei :* ergo.

Resp. eadem ferme solutione : quamvis enim non sit fallax testimonium Spiritus Sancti, id tamen est fallax, quod putetur esse Spiritus Sancti testimonium, cum non sit.

Inst. 2°. Joan 13 : *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et Epist. 1 Joan. 3 : *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres* : ergo.

Resp. iterum eadem solutione, scilicet sinceram ex charitate dilectionem esse judicium certum gratiæ ; at nobis non potest esse absolute certum, quod diligamus proximum vera charitate et non cupiditate aut humano affectu.

Inst. 3°. Joan. 14 : *Vos cognoscetis eum,* (scilicet Spiritum Sanctum) *quia apud vos manebit et in vobis erit.* » Deinde : « *In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.*

Resp. posteriora verba a SS. Augustino et Cyrillo intelligi de die futuri sæculi, in quo viventes beata vita certissime cognoscemus Deum esse in nobis. Si vero hæc et priora referantur ad præsentem vitam, sensus est quod Apostoli post resurrectionem Christi et adventum Spiritus Sancti perfectius cognituri erant per fidem Spiritum Sanctum et Christum, eum scilicet esse in Patre per unitatem ejusdem substantiæ, nos, id est naturam nostram, in

[1] Ibid. ad 4. — [2] Ibid.

ipso, et ipsum in nobis, id est in Ecclesia tamquam ejus caput.

Plura alia objiciunt hæretici tum ex S. Scriptura cum ex ss. patribus, quæ longum esset referrre : videri possunt apud Sylvium, Bellarminum et alios controversistas. Interim illa intellige ad sensum præcedentium solutionum, vel de certitudine ex parte Dei promittentis, non ex parte hominis recipientis ; vel de certitudine ex speciali revelatione ; vel de certitudine morali sumpta pro bona fiducia, quæ animi anxietatem et turbationem excludit.

Obj. 2° a ratione : Gratia est in anima : atqui homo certo cognoscit quæ sunt in seipso : unde Apost. 1 Cor. 2 : *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est:* ergo.

Resp. dist. min. Homo certo scit omnia quæ sunt in seipso, nego; aliqua tantum, conc. Nec plus probat textus Apostoli : sunt enim plura in nobis etiam naturalia, de quibus certam omnino scientiam habere non possumus, ut quæ et qualis potentia sit intellectus, quomodo se convertat ad phantasmata, quales sunt species intelligibiles, quomodo fiat intellectio : de his enim probabiliter tantum discurrimus, at certam omnino scientiam non habemus.

Inst. 1°. Signum habitus est quod quis prompte et delectabiliter operetur : atqui homo gratia et charitate præditus prompte et delectabiliter operatur actus charitatis : ergo.

Resp. dist. min. [1] Atqui homo gratia et charitate præditus prompte et delectabiliter operatur actus charitatis, et ille solus sic operatur, nego; et non ille solus sic operatur, conc. Potest enim quis non ex charitate infusa, sed ex habitu acquisito prompte et delectabiliter similes actus operari; unde id non est signum omnino certum gratiæ et charitatis : « Actus virtutum gratuitarum, inquit Auctor primo loco citato, maximam similitudinem habent cum actibus virtutum acquisitarum, ut non possit de facili per hujusmodi actus certitudo de gratia haberi, nisi forte ex revelatione certificetur aliquis ex speciali privilegio. »

Inst. 2°. Qui habet scientiam aut fidem certo novit se eam habere : ergo similiter qui habet gratiam.

Resp. neg. conseq. [2] Disparitas est quod fides divina aut scientia sit ex natura sua habitus certus residens in intellectu, qui est potentia cognoscitiva et perfecte reflexiva supra seipsam : forma autem informans subjectum, tribuit illi suum effectum formalem : unde fides divina, aut scientia informans intellectum, tribuit illi infallibilem certitudinem de suo objecto et secundario per reflexionem certitudinem infallibilem de seipsa; quod non potest dici de charitate existente in voluntate; tum quia charitas non includit in sui ratione certitudinem sicut fides aut scientia; tum quia voluntas non est secundum se potentia cognoscitiva nec reflexiva. Et hinc sequitur quod cum spes semper sequatur fidem, nec destruatur nisi per actum desperationis, et homo possit esse certus se nunquam in actum desperationis incidisse, possit etiam esse certus de sua spe.

Inferes : Ex nostra sententia sequitur quod semper debeamus esse anxii et dubii, et quod non possimus licite suscipere sacramenta vivorum quæ supponunt gratiam.

Rep. neg. utramque sequelam; ut enim tollatur dubitatio et anxietas, et licite accedamus ad sacramenta vivorum, sufficit quod bonam et probabiliorem habeamus fiduciam nos esse in gratia, ex dolore de peccatis præteritis, ex firmo proposito cavendi futura, ex testimonio bonæ conscientiæ, ex studio bonorum operum promptaque voluntate obediendi in omnibus divinis mandatis, aliisque signis, quæ partim retulimus in secunda parte conclusionis.

[1] Q. de verit. a. 5 ad 3. et q. 10. a. 10 ad 1. et 2.

[2] Hic. a. 5. ad 2.

DISSERTATIO VII.

De justificatione peccatoris.

D. Th. q. 113.

Huc usque egimus cum Auctore de necessitate, essentia, divisione et causa gratiæ: restat agendum de ejus effectibus, quorum duo sunt præcipui, scilicet justificatio impii et meritum justi. De primo in hac dissert. de secundo in sequenti dicemus.

Justificatio dicitur a justitia : [1] passive sumpta importat motum ad justitiam, sicut calefactio motum ad calorem : justitia autem cum de sui ratione importet quamdam rectitudinem ordinis, dupliciter accipi potest : uno modo secundum quod importat ordinem rectum in ipso actu hominis respective ad alium, et secundum hoc justitia est virtus quædam particularis, de qua hic non agitur. Alio modo dicitur justitia prout importat rectitudinem quamdam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, et inferiores vires subduntur supremæ scilicet rationi. Hæc autem justitia in homine potest fieri dupliciter : uno quidem modo per modum simplicis generationis, quæ est ex privatione ad formam; et hoc modo justificatio potest competere ei qui non est in peccato, ut competit Adamo et angelis. Alio modo potest fieri hujusmodi justitia in homine secundum rationem motus, qui est de contrario in contrarium; et secundum hoc justificatio importat transmutationem quamdam de statu injustitiæ ad statum justitiæ prædictæ : et hoc modo loquimur hic de justificatione impii : de qua tria præcipue quæri possunt. Primum, an in justificatione peccatum proprie deleatur. Secundum, an sine gratiæ infusione possit remitti. Tertium, qui actus ex parte peccatoris requirantur ad justificationem.

[1] Hic. q. 113. a. 1.

ARTICULUS I.

UTRUM IN JUSTIFICATIONE IMPII PECCATA SIC REMITTANTUR UT VERE DELEANTUR ET AUFERANTUR, ET NON SOLUM TEGANTUR?

Justificare est justum facere ea justitia quam modo explicuimus : potest dupliciter accipi. Primo improprie pro eo quod est declarare, pronuntiare, reputare aliquem justum, sive interim sit revera justus sive non, usu scilicet forensi, dum judex ex favore vel ignorantia declarat aliquem justum, etiamsi sit reus. Secundo modo sumitur proprie pro eo quod est revera efficere justum, rectum, sanctum, bene interius et exterius ordinatum erga Deum, seipsum et proximum.

Hæretici nostri temporis sumunt justificationem sensu improprio, contenduntque in justificatione peccatoris peccata non vere deleri nec auferri, sed ex integro remanere in homine, et ea tantum tegi et non imputari; ita ut justificatio ex parte Dei in eo tantum consistat quod peccata non imputet, sed meritis et gratia Christi quasi contegat : ex parte autem hominis ut firmissime credat peccata quæ commisit et committet, sibi propter Christi merita esse condonata, nec ullatenus ad pœnam damnationis esse imputanda. Contra quos

Dico : In justificatione peccatoris non solum teguntur seu non imputantur peccata sed vere remittuntur, delentur et auferuntur.

Prob. 1°. formalissimis terminis S. Scripturæ. Psal. 50: *Dele iniquitatem meam.* Et: *Omnes iniquitates meas dele.* Isaiæ 43 : *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Oseæ 14: *Omnem aufer iniquitatem.* Micheæ 7 : *Quis*

Deus similis tui, qui aufers iniquitatem? Joan. 1: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Prob. 2°. aliis terminis S. Scripturæ. Homo per peccatum interius maculatur et inquinatur, ut diximus de peccatis et omnes conveniunt : atqui juxta S. Scripturam homo in sua justificatione a peccatis mundatur, lavatur, purgatur et sanctificatur : Psal. 50: *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Ezech. 36 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* 1 Joan. 1: *Sanguis Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* 1 Cor. 6: *Iniqui regnum Dei non possidebunt : nolite errare, neque fornicarii... neque adulteri, neque molles, neque fures, etc. regnum Dei possidebunt; et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis :* si autem peccata solum teguntur, falso dicitur homo ab iis mundari, lavari, purgari, etc. Quis enim dicat hominem sordibus inquinatum, esse mundum et ablutum, quia sordes pallio tegit?

Prob. 3°. ex S. Aug. S. Doct. lib. 1 *ad Bonif.* contra duas epist. Pelagii c. 12, pelagianis dicentibus catholicos docere baptismum non auferre crimina, sed radere et eorum radices remanere, respondet : « Dicimus baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. » Et lib. 3. c. 3, pelagianis calumniantibus catholicos asserere baptisma non vere homines novos facere, id est non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios sæculi, id est diaboli, remanere, reponit : « Mentiuntur, insidiantur, tergiversantur, non hoc dicimus. » Et infra : « Baptismus igitur abluit peccata omnia, prorsus omnium factorum, dictorum, etc. » Et *conc.* 2 *in Psal.* 31, exponens illa verba: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata,* quibus maxime confidunt hæretici, ait : « Nec intelligatis peccata cooperta esse, quasi ibi sint et vivant...,. Deus ergo tegat vulnera, non tu : nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit : medicus tegat et curet, emplastro enim tegit; sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. » Sic igitur juxta S. Aug. Deus tegit vulnera, ut tegendo sanet, sicut medicus qui emplastro tegit vulnus et sanat. Quod plane decretorium est contra hæreticos. Alios patres vide, si lubet, apud Bellarm. lib. 2. *de Justif.* cap. 8.

Prob. 4° ex conc. Trid. sess. 5, can. 5. ubi dicitur : « Si quis per Jesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus. » Et sess. 6. cap. 7, dicit justificationem esse renovationem interioris hominis, et eum ex injusto fieri justum.

Prob. 5° ab absurdis : Si in justificatione impii peccata remaneant et solum tegantur, non vero deleantur et destruantur, sequitur 1° quod homo erit simul justus et injustus; justus, quia justificatus; injustus, quia remanet in peccato quod est essentialiter injustitia; 2° sequitur quod Deus diligat peccatores ut amicos suos et in ordine ad æternam beatitudinem, contra illud Sap. 14: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus ;* 3° quod Christus non sit Agnus tollens peccata mundi, quod filios suos non liberet a servitute peccati, neque illos faciat sanctos; 4° quod Joan. 3. falsum dixerit Apostolis : *Jam vos mundi estis :* quomodo enim mundi, si sordibus peccatorum adhuc inquinentur? 5° quod æstimatio Dei non sit recta, æstimans et reputans justum qui est in peccato, et non æstimans pœna dignum eum in quo remanet quod est pœna dignum, scilicet peccatum; sicut judex forensis ex favore aut ignorantia erronee et non recte pronuntiat aut æstimat justum, qui revera injustus est et reus.

Objiciunt 1° hæretici illud Psal. 31: *Beati quorum tecta sunt peccata, beatus cui non imputavit peccatum.*

Huic argumento, quod est præcipuum hæreticorum, jam responsum est ex S. Aug. Deum peccata tegere ea sanando, sicut medicus tegendo vulnus emplastro illud sanat; et quia illa sanat non imputat. Insuper cum omnia sint nuda et aperta oculis Dei, nihil Deo tegitur, nisi quod non est.

Objiciunt 2°. Apost. justificationem explicat per hoc quod induamus Jesum Christum : Rom. 13 : *Induimini Dominum Jesum Christum.* Similiter Galat. 5. et Ephes. 4 : atqui indumentum non tollit, sed tegit corporis deformitatem : ergo.

Resp. Apost. ibid. explicare quod induere Christum non sit ejus merita exterius apprehendere ad non imputationem peccatorum tantum, sed interius mutari a statu peccati ad

statum innocentiæ, deponendo veterem hominem et omnem peccati affectum, et inchoando vitam novam et immaculatam : *Abjiciamus,* inquit Rom. 13, *opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in commessationibus, etc. Sed induimini Dominum Jesum Christum.* Et Eph. 4: *Deponite veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem.*

Reponunt equidem sanctificationem importare interiorem cordis reformationem et puritatem, at justificationem, quam a sanctificatione distingunt, importare tantum non imputationem peccati ex meritis Christi; sicut judex forensis dicitur justificare reum, quando illum propter alienum meritum aut ex indulgentia pronuntiat a crimine liberum et deinceps pro innocente habendum.

Resp. 1° fictitiam esse distinctionem inter justificationem et sanctificationem; nam usu S. Scripturæ non separatur justitia a sanctitate et justificari est sanctificari: Sic 1 Cor. 6: *Abluti estis, sanctificati estis.* Ephes. 4: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate.* Insuper justitia, prout hic sumitur, est interior rectitudo totius hominis, quatenus ratio Deo et rationi inferiores vires subjiciuntur, in quo sita est sanctitas: unde 2° falsum est aliud quod dicunt justitiam importare solum non imputationem peccati, cum juxta S. Scripturam ille solum justus est qui secundum rectitudinem cordis facit quod justum: *Filioli,* inquit Joan. Epist. 1. c. 3, *nemo vos seducat; qui facit justitiam, justus est.* 3°. Item falsum est et æquitati ac veritati divinæ valde injuriosum quod Deus, ad instar judicis forensis, pronuntiet et æstimet justum nisi qui revera justus est.

Objiciunt 3°. Juxta S. Scripturam nemo est sine peccato: ergo si ad justificationem requiratur destructio peccati, nemo justificatur.

Resp. dist. ant. Nemo est sine peccato veniali, transeat; sine peccato mortali, nego. Et hoc sufficit ut homo justificetur.

Quæ opponunt hæretici de fide justificante solventur infra.

ARTICULUS II.

Utrum ad remissionem peccati, quæ est justificatio impii, requiratur gratiæ infusio?

Res est nobis hic cum hæreticis et catholicis. Lutherani et calvinistæ qui non agnoscunt veram et propriam remissionem peccatorum in justificatione peccatoris per eorum deletionem, sed impropriam tantum per eorum non imputationem, consequenter dicunt eam non haberi per formam intrinsece justificantem, sed vel per justitiam qua Deus justus est, vel per justitiam Christi extrinsece imputatam.

Theologi catholici omnes hanc doctrinam ut erroneam rejiciunt, sed inter se disputant an, saltem de potentia Dei absoluta, non posset haberi remissio peccatorum et justificatio impii per solum favorem Dei extrinsecum, vel per actus charitatis et contritionis sine infusione gratiæ habitualis.

§ I.

Utrum de facto justificatio fiat per imputationem extrinsecam justitiæ Dei aut Christi sine infusione gratiæ habitualis?

Dico: [1] Remissio peccatorum, quæ est justificatio peccatoris, non fit per imputationem extrinsecam justitiæ qua Deus justus est, aut justitiæ Christi, sed per veram et intrinsecam justitiam seu gratiæ habitualis infusionem.

Est de fide decisa in conc. Trid. sess. 6, can. 10, his verbis: « Si quis dixerit homines sine Christi justitia per quam nobis meruit justificari aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit. » Can. 11: « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit. » Et : « Unica formalis causa (justificationis impii) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non solum reputamur, sed vere justi nominamur et sumus justitiam in nobis recipientes. »

Pro. 1° ex S. Scripturis art. præced. prob. 2 laudatis, quibus peccator dicitur lavari, purgari, renovari, sanctificari; nemo enim potest esse lotus, purgatus, renovatus, sanctificatus, nisi per aliquid intrinsecum quo denominetur et sit talis.

2°. S. Scriptura frequenter dicit nos habere in nobis gratiam, charitatem et justitiam qua justi sumus: Joan. 1 : *De plenitudine ejus omnes nos accepimus et gratiam pro gratia.* Rom.

[1] C. 113 a 2. o.

1: *Per quem accepimus gratiam.* Ephes. 4: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Rom. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*

3°. Apost. ibid. comparat justitiam et obedientiam Christi cum peccato et inobedientia Adæ: atqui peccatum Adæ realiter et intrinsece contrahimus, et non solum per imputationem extrinsecam: ergo justitia quæ illi opponitur et per quam expellitur, est nobis intrinseca et non solum extrinsece imputata. Confirmatur: Christus nobis reddidit quod in Adam perdidimus; sed in Adam perdidimus justitiam ipsi intrinsecam, et quam in posteros transfudisset, si in bono perseverasset: ergo vera et intrinseca justitia per Christum nobis redditur.

4°. S. Aug. lib. *de Spiritu et lit.* cap. 32, ad verba prius citata Apostoli Rom. 5, dicit: « Charitas diffunditur in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei (ita dicta est) qua justi ejus munere efficimur. » Et cap. 9, in hæc verba Apostoli: *Justitia Dei manifestata est,* ait: « Non dicit Apostolus justitia hominis, sed justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium. »

5°. [1] Justificatio peccatoris est effectus dilectionis Dei: atqui dilectio Dei non est affectiva tantum, sed effectiva, efficiens objectum dilectum intrinsece gratum et justum, ut probavimus supra dissert. 4. a. 1.

6°. Causa formalis distinguitur ab efficiente; atqui justitia Christi est causa efficiens nostræ justitiæ: ergo non est ejus causa formalis. Confirmatur: Nostra justitia modo crescit, modo minuitur: atqui justitia Dei et Christi est semper æqualis: ergo.

Objiciunt 1° hæretici quosdam textus S. Scripturæ, quibus innui videtur justificationem nostram fieri formaliter per justitiam Christi; Rom. 5: *Per unius obeditionem justi constituuntur multi.* Et iterum: *Per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitæ.* 1 Cor. 1, Christus dicitur factus justitia et sanctificatio nostra.

Resp. hæc et similia non intelligenda esse in sensu formali, sed causali, quatenus Christus est causa efficiens et meritoria justificationis nostræ; quo sensu ibid. dicitur *sapientia nostra:* Joan. 11: *Resurrectio et vita.* Et Deuteron. 3, dicitur *vita hominum et longitudo dierum.*

Inst. Apost. 1 Cor. 10, reprehendit eos qui propriam justitiam volunt statuere: *Ignorantes* inquit, *justitiam Dei, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti:* ergo.

Resp. Apost. reprehendere Judæos et pharisæos qui præsumebant se posse viribus naturæ legem implere, et sic justificari absque gratia Dei, ut interpretatur S. Aug lib. *de Grat. et lib. arbit.* cap. 12.

Urgent: Juxta S. Scripturam nemo est justus coram Deo: Psalm. 142 : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et Job. 9: *Non justificabitur homo compositus Deo:* hæc autem essent falsa, si homo haberet justitiam intrinsecam: ergo.

Resp. ad primum, sensum esse vel quod nemo sit ita justus ut non inveniatur in aliquibus levibus deliquisse; vel quod nullus sit justus coram Deo ex seipso et propria virtute sine Dei munere. Ad secundum potest similiter responderi, vel dicendum quod justitia hominis comparata infinitæ Dei justitiæ sit quasi non esset propter infinitam distantiam et inæqualitatem, sicut stellæ, quamvis luceant, videntur tamen non lucere apparente sole: unde Job 25, additur : *Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus; quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?*

Objiciunt 2°. Justum dicitur quod adæquatur regulæ seu legi: atqui non est in nobis talis justitia quæ adæquetur legi, cum in multis saltem levibus peccemus : ergo.

Resp. dist. min. Non est in nobis talis justitia quæ actu adæquatur legi, conc.; ex qua secundum se non sit nata sequi adæquatio, nego. Quod ergo actu non adæquetur non est ratione sui, sed ratione viæ in qua est in statu imperfecto defectu luminis gloriæ et visionis beatificæ: ex quo non sequitur quod non sit justitia, sed tantum quod non sit perfecta justitia.

§. II.

Utrum de potentia Dei absoluta justificatio impii possit fieri per solum favorem Dei extrinsecum, vel per solos actus charitatis et contritionis sine infusione gratiæ habitualis?

Quia istæ quæstiones de potentia Dei absoluta sunt magis subtiles quam utiles, hanc et sequentem breviter expediam.

Dico 1°. Justificatio impii non potest absolute fieri per solum favorem Dei extrinse-

[1] Ibid.

cum sine mutatione intrinseca peccatoris. Est contra Scotum.

Prob. 1°. [1] Justificatio ut minimum importat remissionem et condonationem offensæ : atqui Deus non potest absolute remittere et condonare offensam sine intrinseca mutatione peccatoris : ergo. Prob. min. Impossibile est quod Deus remittat offensam peccatori, nisi fiat ei pacatus : atqui non potest fieri ipsi pacatus sine intrinseca mutatione istius peccatoris : ergo. Prob. min. Deum pacari nobis, est nos diligere speciali dilectione; nihil enim aliud assignari potest in quo consistat pax nostra cum Deo: et ratio patet, quia quod Deus ex offenso fiat nobis pacatus, est ex ejus speciali benevolentia: atqui Deus non potest diligere peccatorem nisi per hanc dilectionem effectum aliquem in eo imprimat et donum supernaturale infundat quo intrinsece mutetur : ergo. Prob. min. Ex principio Auctoris supra q. 110. a. 1, quod amor Dei non sit solum affectivus, sed etiam effectivus, non supponens, sed efficiens sua dilectione bonum et gratum quem diligit, cum sit omnis bonitatis causa et auctor: ergo.

Confirm. In hoc quod Deus incipit amare peccatorem quem antea odio habebat, intervenit aliqua mutatio : atqui hæc mutatio non potest se tenere ex parte Dei, qui est immutabilis; ergo se tenet ex parte objecti amati, quod ex injusto et odioso fit justum et gratum.

Respondent Deum posse pacari peccatori non per dilectionem positivam qua vult ipsum habere amicum, sed per negativam qua tantum vult non esse amplius illi offensus, sicut fieri potest inter homines: ex tali autem dilectione non sequitur mutatio peccatoris, sed tantum quod auferatur ab ipso malum culpæ et amplius illi non imputetur.

Sed contra : Etsi ita fieri possit inter homines, non tamen apud Deum: 1° quia homo potest condonare alteri offensam per sui mutationem, non Deus: unde mutatio quæ hic intervenit, se tenet ex parte hominis, ut dictum est; [1] 2° quia homo offendens alterum hominem non privatur aliquo intrinseco quod acceperat ab offenso, sine cujus recuperatione non censetur animus offensi plene pacatus, sed homo offendens Deum privatur aliquo intrinseco scilicet dono gratiæ, sine cujus recuperatione Dèus non censetur omnino pacatus, ut dicam amplius modo.

Prob. 2°. Justificatio completa et perfecta importat non solum condonationem offensæ, sed etiam deletionem peccati habitualis: atqui peccatum habituale non potest deleri sine mutatione intrinseca peccatoris. ergo. Prob. min. Peccatum habituale essentialiter consistit in privatione gratiæ sanctificantis ut causata ex actuali peccato præcedente, sicut probavimus in tract. de peccat. dissert. 6. Atqui privatio non potest absolute tolli nisi per formam oppositam, sicut cæcitas non potest tolli nisi per visum, et tenebræ nisi per lucem : ergo.

Dices minorem hanc esse veram de privatione physica, quæ est carentia formæ quam subjectum ex natura rei debet habere ; non vero de privatione morali, quæ est carentia formæ quam subjectum debet habere non ex natura rei, sed ex ordinatione divina, qualis est privatio gratiæ: hæc enim potest tolli non solum per introductionem formæ oppositæ, sed ex hoc præcise quod mutetur ordinatio Dei, et statuat hanc formam non amplius deberi huic subjecto, quod faceret si tolleret ordinationem hominis ad finem supernaturalem.

Sed contra 1°. Quamvis Deus possit tollere ordinationem hominis ad finem supernaturalem, indeque facere quod illi nunc non debeatur gratia, non potest tamen nunc absolute facere quod tunc quando peccavit, non esset ordinatus ad finem supernaturalem et illi non deberetur gratia, ad præteritum enim non datur potentia; ut autem carentia gratiæ remaneat in ratione privationis moralis, sufficit ut tunc homo quando peccavit esset ordinatus ad finem supernaturalem et illi deberetur gratia, sicut ut maneat privatio moralis conformitatis ad legem positivam in illo qui illam transgressus est, sufficit quod pro tunc teneretur illam observare, licet non teneatur nunc, vel quia cessavit lex, vel quia in ea est dispensatus. 2°. Tamdiu carentia gratiæ quam quis habere debebat dum peccavit, remanet in ratione privationis moralis quamdiu remanet voluntaria; voluntarium enim est fundamentum moralitatis: atqui ista privatio gratiæ non potest desinere esse voluntaria nisi per mutationem intrinsecam peccatoris retractantis priorem volitionem, ex qua ista privatio habet quod sit voluntaria. Ergo.

Confir. præcedens ratio, seu prob. 2°. Prima ejus min. evertendo fundamentum adversariorum : Peccatum habituale non importat solum reatum pœnæ seu condignitatem ad pœnam, ut volunt adversarii, sed etiam aversionem a Deo, conversionem ad creaturam, ab-

[1] Hic a. 2. o. [1] 3. q. 86. a. 2. o.

jectionem gratiæ et amicitiæ Dei et per hæc offensam Deo irrogatam, ex quibus sequitur difformitas et macula; atqui absolute est impossibile quod hæc deleantur per solam condonationem Dei extrinsecam absque mutatione intrinseca peccatoris; impossibile namque est quod fiat ex averso a Deo conversus ad Deum, ex converso ad creaturas ab eis aversus, ex despiciente gratiam et amicitiam Dei, illam requirens et recuperans, nisi mutetur, ut per se patet : ergo.

Neque dicas hæc quidem importari in actu peccati, sed simul cum illo transire, et remanere tantum in peccatore obligationem ad pœnam, et ex parte Dei offensam et alienationem a peccatore.

Contra est enim quod quamvis hæc veluti quoad exercitium competant actui et cum ipso sic transeant, attamen per modum status et habitus transeunt ad personam, et in ea manent donec retractentur : sicut enim corpus ex eo quod per motum recessit ab alio corpore, etiam cessante motu actuali, remanet in statu elongationis, donec per contrarium motum approximetur; sic anima ex eo quod suo actu, qui est ejus motus, a Deo recesserit, ad creaturam accesserit et Dei gratiam ac amicitiam abjecerit, cessante eo actu, remanet in statu aversionis a Deo, conversionis ad creaturam, et inimicitiæ ac offensæ Dei, donec per actus contrarios mutetur, et ut dicitur 1 Joan. 3, *transferatur de morte ad vitam.*

Dices : Obligatio voti potest solvi sine mutatione voventis per extrinsecam Dei remissionem : ergo et peccati reatus.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod obligatio voti pendeat a voluntate acceptantis, sicque per eum solum solvi potest: at ratio peccati consistit in aversione voluntaria a Deo, quæ tamdiu manet quamdiu non retractatur.

Ex dictis in probationibus bene perpensis facile solves alia argumenta.

Dico 2°. In hypothesi quod Deus moveat peccatorem ad actus charitatis et contritionis per auxilium actuale non infundendo gratiam habitualem, posset absolute peccator per illos actus justificari inchoate et imperfecte, non tamen complete et perfecte.

Prob. prima pars: Peccatum importat aversionem hominis a Deo et aversionem Dei ab homine, unde in tantum tollitur in quantum homo Deo et Deus homini iterum unitur et reconciliatur : atqui per actus charitatis et contritionis sine gratia habituali homo redit ad Deum super omnia dilectum, et ei unitur, quia amor unit amantem amato, et vicissim Deus illi unitur, quia diligentes se diligit, et hæc dilectio hominis est effectus divinæ dilectionis: ergo.

Prob. secunda pars: Non habetur justificatio perfecta et consummata, nisi recuperetur præcipuus effectus divinæ dilectionis qui per peccatum fuit interruptus : atqui iste effectus præcipuus divinæ dilectionis est gratia sanctificans, qua homo fit formaliter justus, consors divinæ naturæ, filius Dei et hæres regni cœlestis : ergo. Min. constat. Prob. maj. Peccatum non censetur perfecte et complete remitti, nisi animus offensi sit perfecte et omnino pacatus; atqui Deus non censetur omnino pacatus, quamdiu non reddit præcipuum effectum suæ dilectionis, quem per peccatum amisimus ; sicut si princeps civi ob offensam dignitate privato et veniam petenti dimitteret offensam, sed non restitueret dignitatem, non censeretur plene et omnino pacatus, nec culpa plene et omnino dimissa : ergo.

Si dicas ex hac ratione sequi quod peccatum originale per baptismum non perfecte dimittatur, cum per eum non tollatur defectus concupiscentiæ et mortis quem tollebat justitia originalis,

Resp. in justitia originali præcipuum effectum divinæ dilectionis fuisse gratiam sanctificantem qua homo reddebatur formaliter justus, consors divinæ naturæ, filius et hæres, non vero cæteræ dotes ad illam consequentes, ut subjectio corporis ad animam et partis inferioris ad superiorem, sine quibus homo potest placere Deo, esse ejus filius et hæres.

Obj. contra primam partem hujus 2 concl. 1° S. Th. hic a. 2. o, dicit quod « non posset intelligi remissio culpæ si non adesset infusio gratiæ. » 2° Remissio peccati est effectus formalis gratiæ habitualis, actus dilectionis et contritionis sunt dispositiones ad gratiam ; dispositio autem ad formam non dat effectum formalem formæ. 3° Privatio non potest tolli nisi per formam oppositam : atqui peccatum consistit in privatione gratiæ : ergo.

Resp. ad primum, S. Th. loqui de remissione peccati perfecta et consummata non de inchoata et imperfecta : vel loquitur de infusione gratiæ actualis, non habitualis. Ad secundum, dispositio ad formam non potest quidem producere effectum formalem formæ perfectum et completum, potest tamen dare inchoatum et imperfectum, cum dispositio sit inchoatio formæ. Ad tertium, privatio gratiæ

non habet rationem peccati nisi quatenus est voluntaria, per actum autem contritionis desinit esse voluntaria; unde ex hoc aliqualiter deficit a ratione peccati. Confer objectionem sequentem.

Obj. contra secundam partem ejusdem concl. 1°. Ex modo dictis privatio gratiæ non habet rationem peccati, nisi quatenus est voluntaria : atqui per actum contritionis desinit esse voluntaria : ergo : 2°. Juxta S. Scripturam remissio peccati tribuitur dilectioni : Luc. 7: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 3°. Homo toto corde diligens Deum est justus : ergo non remanet in statu peccati.

Resp. ad primum, dist. min. Privatio gratiæ per actum contritionis desinit esse voluntaria quoad præsentem dispositionem, conc.; quoad præcedentem dispositionem, nego. Sufficit autem ut ista privatio fuerit anterius voluntaria, ut retineat rationem maculæ et peccati, donec restituatur præcipuum quod peccando amissum est ; sicut in exemplo posito privatio dignitatis in cive pœnitente cui condonata est offensa, semper est ignominiosa et habet rationem maculæ ob præteritam offensam, a qua non censetur plene purgatus donec dignitas ei restituatur.

Ad secundum : Remissio peccati tribuitur dilectioni non præcise ratione sui, sed ratione gratiæ quam semper comitatur ; loquitur enim S. Scriptura, non hypothesi conclusionis, quod Deus per auxilium actuale moveat ad actum dilectionis non infundendo gratiam, sed secundum præsentem statum in quo charitas semper juncta est gratiæ.

Ad tertium: Qui diligit Deum ex toto corde est justus justitia implente præsens officium, non a delente perfecte præteritum peccatum : ad hoc enim non sufficit quod homo convertatur ad Deum, sed requiritur quod Deus convertatur ad hominem et ipsi reddat præcipuum effectum suæ dilectionis, qui est gratia sanctificans.

Si instes actum charitatis non esse minoris efficaciæ ad recuperandam gratiam quam actum peccati ad illam destruendam ; item actum esse perfectiorem habitu,

Resp. ad primum, neg. assumptum ; quia actus peccati efficienter destruit habitum charitatis et gratiæ ; actus autem charitatis non producit efficienter habitum charitatis, sed solus Deus, ut in præcedentibus diximus. Ad secundum, quidquid sit de aliis habitibus, habitus gratiæ est perfectior et nobilior quolibet actu supernaturali.

Ex dictis in hac secunda parte conclusionis colliges unicam causam formalem perfectæ et consummatæ justificationis in hoc statu elevationis ad finem supernaturalem esse gratiam habitualem; ut etiam definivit concilium Trid. sess. 6. cap. 7. can. 10. et 11 : vide præced. §.

Dixi « in hoc statu elevationis ad finem supernaturalem » : quia in statu naturæ puræ videtur quod homo sine illa posset perfecte justificari secundum modum illius status. Ratio est, quia homo justificatur perfecte et complete, quando recuperat totum aut saltem præcipuum, quod per peccatum amiserat : atqui homo in statu naturæ puræ peccando non amitteret gratiam sanctificantem, quia in illo statu non daretur, sed amitteret tantum rectitudinem naturalis ordinis, qua esset acceptus ad beatitudinem naturalem ; per actus autem contritionis et dilectionis ordinis naturalis ex auxilio Dei elicitos recuperaret illam rectitudinem, et acceptaretur ut antea ab beatitudinem naturalem : ergo sine gratia, sed per solos actus contritionis et dilectionis ordinis naturalis perfecte justificaretur.

Quæ objici possunt sive ex D. Th. sive a ratione, intelligenda sunt secundum præsentem statum elevationis, vel de gratia largius sumpta pro aliquo dono gratuito, quod in hac hypothesi naturæ puræ non foret idem quod nunc donum gratiæ sanctificantis.

ARTICULUS III.

UTRUM DE POTENTIA DEI ABSOLUTA PECCATUM ET GRATIA POSSINT ESSE SIMUL IN EODEM SUBJECTO ?

Dico : Peccatum et gratia non possunt etiam de potentia Dei absoluta esse simul in eodem subjecto.

Conclusio intelligenda est tam de peccato actuali quam habituali : est communior inter theologos contra scotistas et Suarem quoad utramque partem, et contra Lorcam quoad peccatum actuale.

Prob. Gratia sanctificans ex sua essentia et ratione est justitia, sanctitas et rectitudo, cujus primarius et formalis effectus est efficere eum cui datur, justum, sanctum et rectum : peccatum e contra ex essentiali sua ratione est iniquitas, immunditia, recessus a rectitudine et subjectione legis divinæ : atqui stare non potest, etiam de potentia Dei absoluta, justitia cum injustitia, sanctitas cum iniquitate et

immunditia, rectitudo cum recessu a rectitudine : ergo.

Item effectus formalis et primarius gratiæ est constituere hominem consortem divinæ naturæ, filium Dei adoptivum, hæredem regni, gratum Deo et amicum : e contra effectus formalis peccati est destruere in homine participationem divinæ naturæ, privare illum divina filiatione et jure ad regnum, reddere ipsum Deo exosum et inimicum, constituere ipsum filium diaboli, et dignum æterna damnatione, qui effectus utpote privative oppositi sunt absolute incompossibiles ; atqui ea quorum effectus formales sunt incompossibiles, non possunt absolute esse simul ; quia effectus formalis est ipsa forma communicata : ergo.

Idque aperte innuit S. Scriptura 1 Joan 3 : ubi dicitur : *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius* (id est gratia sanctificans) *in eo manet, et non potest facere peccatum, quoniam ex Deo natus est.* Quibus verbis repetit incompossibilitatem gratiæ cum peccato, non ex ordinatione divina, sed ex ipsa natura gratiæ, quia est participatio divinæ naturæ, seu quia illam habens est ex Deo natus et filius ejus.

Resp. Suares effectus assignatos non esse effectus primarios gratiæ, sed secundarios tantum : effectus autem secundarii possunt de potentia Dei absoluta separari a forma, ut risibilitas, v. g., a rationalitate.

Sed contra, nego assumptum, quod gratis fingitur a Suare : nam, ut dixi, gratia est ex ratione sua essentiali justitia, sanctitas, rectitudo, participatio divinæ naturæ : ergo effectus ejus formalis et primarius est efficere justum, rectum, sanctum, participem divinæ naturæ, consequenter præstare omnia alia quæ diximus.

Respondet P. Henno, hæc esse quidem vera de gratia formaliter et reduplicative sumpta in ratione gratiæ, seu prout substat ordinationi Dei statuentis per illam qualitatem reddere hominem sibi gratum, charum, hæredem regni cœlestis ; sed non de gratia materialiter sumpta in ratione qualitatis supernaturalis.

Sed contra iterum repeto : Gratia sanctificans etiam ut qualitas supernaturalis est ex ratione sua essentiali et independenter ab ordinatione divina, participatio divinæ naturæ, justitia, sanctitas, rectitudo, aut dicat erudit. theologus quid sit aliud ? Ergo effectus ejus formalis qua talis est constituere ex natura sua, et independenter ab ordinatione Dei hominem participem divinæ naturæ, justum, sanctum, rectum, etc.

Obj. 1°. Gratia et peccatum saltem actuale non opponuntur privative : ergo possunt de potentia Dei absoluta esse simul. Prob. ant. Gratia est habitus, peccatum est actus : atqui actus et habitus non opponuntur privative : ergo. Confirm. Actus stare potest cum habitu contrario, ut actus intemperantiæ cum habitu temperantiæ.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. min. Actus et habitus non opponuntur privative sub ratione actus et habitus, conc.; sub diversis aliis rationibus quas essentialiter involvunt, nego. Actus autem peccati et gratia habitualis involvunt essentialiter et impræscindibiliter rationes privative oppositas, scilicet sanctitatem et iniquitatem, justitiam et injustitiam, rectitudinem et recessum a rectitudine, participationem et non participationem divinæ naturæ, esse Deo amicum et non amicum, gratum et non gratum, mortem spiritualem animæ et vitam spiritualem, etc. Unde patet responsio ad confirm. Adde quod si argumentum valeret, probaret gratiam et peccatum posse naturaliter esse simul, quia actus potest naturaliter esse cum habitu contrario, quod tamen nemo admittit. Attende ergo has rationes seu effectus peccati non sequi peccatum, quia est actus vel habitus, sed quia est culpa mortalis, et ut talem opponi privative gratiæ.

Hinc etiam præoccupantur variæ instantiæ : quamvis enim gratia sit in essentia animæ et peccatum in voluntate : item dato quod peccatum non consistat in privatione gratiæ, sed in privatione rectitudinis ; hoc ipso quo mortale est, sequitur quod sit in toto homine injustitia, iniquitas, depulsio participationis divinæ, extinctio juris ad gloriam, recessus a Deo ut sanctificante et vivificante per gratiam et a rectitudine legis divinæ et mors animæ, sicque quod gratiam his omnibus oppositam expellat.

Obj. 2°. Peccatum non expellit gratiam physice, sed demeritorie tantum, quatenus qui peccat est indignus gratia ; potest autem Deus gratiam dare indigno.

Resp. dist. maj. Peccatum non expellit gratiam physice, id est per formam positivam physice agentem in gratiam, conc. Non expellit physice, id est ex natura sua, sed tantum per modum demeriti, nego. Iniquitas enim, injustitia, abjectio amicitiæ Dei, recessus a Deo, mors animæ, etc. physice, hoc est ex natura sua expellunt justitiam, sanctitatem, ami-

citiam Dei, accessum ad Deum, vitam animæ, etc.

Inst. Deus non necessitatur auferre gratiam a peccatore : ergo.

Resp. dist. ant. Deus non necessitatur absolute, conc. Ex suppositione quod permittat hominem labi in peccatum mortale, nego. Non enim Deus potest pugnantia velle.

Repones : Solus Deus est causa gratiæ : ergo ille solus et non peccatum illam destruit.

Resp. quod peccatum, ut jam dixi, non destruat gratiam agendo physice in illam, sed subtrahendo ei subjectum et introducendo formam seu dispositiones incompossibiles cum gratia : sic licet Deus sit solus causa animæ rationalis, potest tamen homo ponere dispositiones incompossibiles cum ejus unione ad corpus.

Obj. 3°. Peccatum prius intelligitur esse in anima quam Deus subtrahat gratiam, definiente Trid. sess. 6. cap. 11, Deum sua gratia non deserere semel justificatos, nisi prius ab eis deseratur : ergo peccatum potest esse cum gratia.

Resp. 1° hoc argumento nimis probari, scilicet secundum cursum ordinarium gratiam et peccatum esse simul, quod non admittunt objicientes.

Resp. 2°. dist. ant. Peccatum prius prioritate naturæ et causalitatis intelligitur esse in anima quam Deus subtrahat gratiam, conc. Prius prioritate temporis, nego. Sunt enim simul peccatum et privatio gratiæ. Sicut ergo licet sol prius intelligatur illuminare aerem, quam abscedant tenebræ, quia lumen solis est causa recessus tenebrarum, nec tamen simul existant lux solis et tenebræ; ita quamvis peccatum prius intelligatur esse in anima quam recedat gratia, quia est causa recessus gratiæ, non tamen datur instans in quo simul existant.

ARTICULUS IV.

DE ACTIBUS AD JUSTIFICATIONEM PECCATORIS ADULTI REQUISITIS.

Peccatores adultos propriis actibus ad justificationem debere disponi probat hic S. Th. a. 3, et nos probavimus diss. præced. a. 3. Qui sint autem illi actus, hic inquirimus cum eodem S. Doct. conc. Trid. sess. 6. cap. 6 : sex assignat scilicet actum fidei, timoris, spei, dilectionis Dei, pœnitentiæ seu contritionis, tandem propositum suscipiendi sacramenta instituta ad remissionem peccatorum, inchoandi novam vitam et mandata divina servandi, quod propositum includitur in ipsa contritione. De his igitur acturi, primum et præcipue dicemus de fide requisita ad justificationem contra hæreticos, deinde breviter de cæteris.

§. I.

Quæ fides requiratur ad justificationem?

Lutherani et calvinistæ distinguunt triplicem fidem. Primam vocant historicam, melius dixissent dogmaticam, qua credimus omnia quæ in sacris litteris continentur: nos eam dicimus christianam et catholicam. Secundam vocant fidem miraculorum, per quam fiunt seu impetrantur miracula, qua scilicet credimus nihil esse quod a Deo fieri non possit. Tertiam vocant promissorum, qua credimus Deum promisisse remissionem peccatorum. Hanc autem tertiam subdividunt in generalem et particularem : generalem vocant qua credimus Deum omnibus credentibus in communi promisisse remissionem peccatorum et salutem : specialem vocant qua unusquisque credit vel certo confidit peccata sibi esse remissa propter merita Christi: hanc enim fidem male confundunt cum fiducia quæ ad spem et voluntatem pertinet, non ad intellectum: est enim fiducia ex S. Th. spes roborata.

Hanc ergo fidem seu fiduciam particularem requiri ad justificationem et eam solam justificare contendunt : quamvis quidam ut pestilentissimi hujus erroris invidiam declinent, requirant dilectionem, contritionem, bona opera, non ut conducentia ad justificationem, sed ut signa et proprietates fidei seu fiduciæ justificantis. Quærimus ergo in hoc §. quæ fides requiritur ad justificationem ; in sequenti, an sola sufficiat ?

Suppono tanquam certum et ab omnibus admissum aliquem motum fidei requiri in adultis ad justificationem : id aperte S. Scriptura testatur. Hebr. 10: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Marci ultimo : *Qui crediderit, salvus erit : qui non crediderit, condemnabitur :* et alibi sæpe. Et ita declarat Trid. sess. 6. cit. Ratio est quia, ut ostendimus superius, requiritur ad justificationem adulti motus animi se convertentis ad Deum ; juxta illud Hebr. 11: *Accedentem ad Deum oportet credere.* Sed quæ sit illa fides ?

Dico : Fides requisita ad justificationem non est fiducia qua credimus seu confidimus peccata esse nobis propter Christum remissa, sed

qua credimus omnibus veritatibus nobis a Deo revelatis propter ejus auctoritatem et veracitatem.

Ita definit conc. Trid. sess. 6. can. 12, his verbis : « Si quis dixerit fidem justificantem nihil esse aliud quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum : vel eam fiduciam solam esse qua justificamur ; anathema sit. »

Prob. 1°. apertissimis S. Scripturæ testimoniis. Marc. ultimo : *Prædicate evangelium omni creaturæ ; qui crediderit* (scilicet evangelio et veritatibus in eo contentis) *salvus erit.* Rom. 10 : *Hoc est verbum quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et credideris in corde tuo quod Deus suscitavit illum, salvus eris :* ergo Christus et ejus resurrectio, non sola misericordia Dei peccata remittentis sunt objectum fidei salvantis. Heb. 10, in fine, cum dixisset Apost. *Justus ex fide vivit,* statim initio cap. sequentis explicans quæ sit illa fides qua justus vivit, dicit : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* : hæc autem definitio nullatenus competere potest fiduciæ qua credimus peccata esse nobis dimissa, sed solum illi fidei qua ut ibid. addit Apost. *Intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Item ibid. dicit Apost. *Sine fide impossibile est placere Deo : credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* : ergo fides sine qua est impossibile placere Deo, non est fiducia remissionis peccatorum, sed qua credimus Deum existere, et esse inquirentium se remuneratorem. Joan. 11, cum Dominus dixisset Marthæ : *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, non morietur in æternum,* respondet illa : *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti :* ergo fides requisita ad vitam æternam est credere divinitatem Verbi incarnati. Joannes cap. ult. sui evang. sic concludit : *Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est filius Dei vivi, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius :* ergo idem quod prius. Omitto alia bene multa S. Scripturæ testimonia, ne longior sim.

Prob. 2°. ex traditione : Ecclesia ut ab initio ita nunc, cum fidem requirit a baptizandis, non aliam requirit quam illam qua credimus fidei articulis in symbolis contentis, non vero illam qua credimus seu confidimus peccata nobis esse dimissa. Quis enim unquam Apostolorum, aut episcoporum, aut cæterorum ministrorum accedentem ad se causa justificationis ita docuit : Crede peccata tibi dimitti, et statim dimittentur ? Absurda sane et piarum aurium offensiva foret hujusmodi doctrina.

Respondet Calvinus super cap. 3. epist. ad Galat : « In symbolo habetur : Credo sanctam Ecclesiam ; quod non est aliud quam : credo nullum esse amplius peccatum, nullam mortem in Ecclesia. »

Sed contra ; credimus Ecclesiam esse sanctam, quia habet sponsum sanctum, dogmata sancta, leges sanctas, multos filios sanctos, et extra illam nullus est sanctus ; sed scimus ex S. Scriptura Ecclesiam esse aream in qua sunt paleæ cum tritico, rete in quo sunt boni et mali pisces.

Resp. Melancthon in *Apolog confess.* « Non est omissa remissio peccatorum in symbolo fidei : atque illa est quam fides justificans proprie intuetur. »

Sed contra : sensus hujus articuli non est, ut fingunt hæretici : « Credo peccata mihi esse remissa » : nam hujus articuli fidem Ecclesia exigit a cathecumenis, et tamen non credit peccata eis esse dimissa, sed tantum dimittenda per baptismum : sensus ergo catholicus et germanus hujus articuli est : « Credo esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata per baptismum et alia sacramenta rite suscepta. » Unde symbolum Constantinopol. hunc articulum sic exprimit : « Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. »

Quantum ad ss. patres, vide Bellarminum lib. 1. *de Justificatione* cap. 9.

Prob. 3° rationibus. Fides innititur sola auctoritate Dei revelantis, qui nec fallere nec falli potest : atqui nullibi revelatum est mihi aut alteri particulari peccata esse remissa : ergo id certa fide credere non possum.

Dicunt promissionem particularem contineri in generali : unde qui dixit Joan. 3 : *Qui credit in Filium, justificabitur,* significavit omnes qui credent, id est hunc et illum, justificari.

Sed contra 1°. S. Scriptura dicit: *Qui credit in Filium,* non autem qui credit remissa sibi esse sua peccata. 2°. Nemo certa fide scit se credere in Filium ut oportet ; nullibi enim id revelatum est.

3°. Fides justificans præcedere debet justificationem ; est enim causa illius : atqui fides illa hæreticorum non præcedit sed sequitur justificationem, alioquin esset falsa ; nam falsa fides est qua credo dimissa mihi esse peccata, si nondum sunt vere dimissa. Si dicas hac fide non credi peccata esse dimissa, sed hic et nunc

dimitti, semper manet quod illa fides sit posterior ista remissione ; quia ista remissio præsens est objectum hujus fidei : actus autem non facit nec specificat suum objectum; sed illud supponit et ab ipso specificatur.

4° Illa fides est justificans quam Christus et Apostoli prædicaverunt: atqui Christus et Apostoli nunquam prædicaverunt hanc fidem specialem, seu quod quisque deberet credere peccata sibi esse dimissa, sed prædicaverunt fidem mysteriorum quæ annuntiabant et pœnitentiam ; ergo.

Objiciunt hæretici illud Pauli Act. 13: *Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc Christum vobis remissio peccatorum annuntiatur..... in hoc omnis qui credit, justificatur* ; id est omnis qui credit remissioni peccatorum sibi annuntiatæ, hoc ipso justificatur.

Resp. falsam esse hanc glossam : hæc enim verba: *In hoc omnis qui credit justificatur*, non referuntur ad remissionem peccatorum tanquam ad objectum, sed ad Christum et ejus resurrectionem quam ibi prædicabat Apostolus; ita ut sensus sit : Per Christum annuntiatur vobis remissio peccatorum ; et omnis qui credit in illum justificabitur: unde justificatio est effectus hujus fidei non objectum, quo eodem sensu dixit idem Apostolus Rom. 10: *Si credideris quod Deus suscitavit Christum a mortuis, salvus eris.*

Inst. Matth. 9. dicitur : *Videns Jesus fidem illorum dixit paralytico : Confide fili, remittentur tibi peccata tua.* Et ibid. *Confide filia, fides tua te salvam fecit;* quorum verborum sensus videtur : Confide peccata tibi remitti, et remittuntur.

Resp. utrumque locum magis nocere quam prodesse hæreticis : etenim antequam paralyticus et mulier obtinerent remissionem peccatorum, jam habebant fidem, et tamen nondum credebant peccata sibi esse dimissa : ergo remissio peccatorum in uno particulari non est objectum fidei. Insuper fiducia non hic exigitur a Christo tanquam ratio vel conditio remissionis peccati ; non enim dicit : Confide et remittentur; vel conditionaliter: Si confidas, remittentur ; sed absolute ; « *confide, remittuntur*, » ita ut remissio sit causa fiduciæ, non fiducia causa remissionis ; quasi diceret : Esto bono animo, quia remissa sunt tibi peccata tua : et mulieri : Confide seu noli timere quod tetigeris vestem meam, quia fides tua qua credis in me, te salvam fecit : quo eodem sensu dixit Apostolis trepidantibus : *Nolite timere, ego sum.* Plura §. seq.

§. II.

Utrum sola fides sufficiat ad justificationem ?

Sic olim dogmatisarunt Simon Magus apud Iren. lib. 1. c. 20, et postea Eunomius apud S. Aug. *de Hæresibus*, hæresi 54; et lib. *de Fide et operibus* c. 14, ex male intellectis Pauli Apostoli verbis, ad quos refellendos, ut notant ii patres, Petrus, Joannes, Jacobus et Judas suas scripserunt Epistolas. Hunc errorem suscitarunt lutherani et calvinistæ, cum hoc tamen discrimine quod illi veteres hæretici fidem quam dicebant sufficere ad salutem, intelligerent eam fidem qua credimus omnes articulos fidei ; novi autem hæretici intelligunt fidem illam specialem qua unusquisque credit aut confidit peccata sibi esse remissa. Contra utrosque

Dico : Neque illa fides specialis recentium hæreticorum quæ vana est et nulla, neque fides vera et christiana sola sufficit ad justificationem.

Ita definitum est in Trid. sess. 6. can. 9, his verbis : « Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.» Et can. 19: « Si quis dixerit nihil præceptum esse in evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta neque prohibita sed libera, etc. anathema sit. »

Prob. 1°. ex SS. Apostolis qui ut notavimus, ex professo scripserunt contra hunc errorem. S. Jacobus cap. 2: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Numquid poterit fides salvare eum?.... fides si non habet opera mortua est in semetipsa:* quod postquam multis probavit, concludit caput sic : *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum: sicut enim corpus sine spiritu mortuum est ita et fides sine operibus mortua est.* Hæc sunt peremptoria, nec indigent glossa.

S. Petrus 2. epist. cap. 1, postquam hortatus est ad varia bona opera concludit : *Quapropter fratres satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis:* Fides ergo non sufficit, si desint opera.

S. Judas hortatur fideles ut fidei superædificent bona opera ad misericordiam Dei et vitam æternam consequendam : *Vos autem charissimi,* inquit, *superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei in Spiritu Sancto oran-*

tes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.

Si Joannes, epist. 1. cap 3: *Filioli*, inquit, *nemo vos seducat : qui facit justitiam justus est*: ergo ad justificationem non sufficit credere, sed opportet facere; et hoc toto capite docet.

Hæc tam sunt aperta contra præsentem errorem, ut hæretici negaverint has epistolas esse canonicas, quas tamen pro canonicis agnoscit Ecclesia in pluribus conciliis, ultimo in Trident.

Sed et aperte S. Paulus, cui male confidunt novatores, hunc errorem debellat, 1 Cor. 3 : *Si*, inquit, *habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Galat 5: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Rom. 2: *Non auditores legis justificati sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Tandem Christus in evangelio ubique commendat bona opera ut necessaria ad justificationem et salutem. Mat. 5: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Et infra: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et cap. 7: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* Cap. 19, interroganti : Quid boni faciam ut habeam vitam æternam? non ait: Crede tantum; sed: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et denique cap. 28, non solum monet apostolos ut fidem prædicent et baptizent, sed etiam vult ut *doceant servare omnia, quæ ipse mandavit.* Id etiam evincitur iis omnibus locis quibus Christus annuntiatur non solum ut Redemptor, sed et ut Legislator : Matth. 5. 6. 7. et alibi ; statuens præmia legum observatoribus, Matth. 19. Luc. 10. Apoc. 3 ; decernens pœnas earum transgressoribus, Matth. 5. 7. 25 et alibi.

Tot et tam aperta testimonia dupliciter eludere conantur hæretici. Quidam respondent solam fidem sine operibus sufficere quidem ad justificationem, sed non ad salutem.

Sed contra 1°. In multis ex allegatis testimoniis epist. 1 Joan. c. 3, 1 Cor. 3, Galat. 5, Rom. 2, bona opera requiruntur non solum ut homo sit salvus, sed etiam ut sit justus, seu ut non sit injustus 2°. Salus omni justo passim in S. Scripturis promissa est, certoque constat nullum justum a Deo damnandum juxta illud Genes. 18: *Numquid perdes justum cum impio? Absit a te ut hanc rem facias:* ergo si sola fides justificat, sola salvat; et si non sola salvat, non sola justificat.

Respondent alii et communius fidem quam dicunt sufficere ad justificationem, non esse fidem solam, sed fidem junctam bonis operibus, non quidem quod hæc bona opera cooperentur ad justificationem, sed quia comitantur fidem justificantem velut ejus signa, vel ut proprietates et fructus ex ea sequentes : unde dicunt præfatis S. Scripturæ testimoniis damnari eos qui olim dicebant solam fidem mortuam et bonis operibus vacuam sufficere ad salutem ; at non eos qui id tribuunt quidem soli fidei, sed fidei vivæ, activæ et bonis operibus stipatæ.

Sed contra 1°. Hæc responsio fucata et ad emolliendum horrorem immanis hujus erroris excogitata aperte pugnat cum principiis hæreticorum ; nam isti docent 1° hominem dum per fidem justificatur, non vere fieri justum, sed reputari tantum, nec ulla ejus opera esse bona, sed omnia esse peccata mortalia, quamvis ei non imputentur propter Christum: qua fronte ergo dicunt non solam fidem, sed fidem junctam bonis operibus justificare, cum secundum illos nulla sint bona opera. 2°. Docent hominem semel per fidem justificatum, nullo flagitio a justitia excidere posse : ita Calvinus lib. 3 *Institut.* cap. 2. §. 11, et Lutherus in *Serm. super hæc verba, sic Deus dilexit*, etc. excipiens tantum incredulitatem : sicque semel justificatus per fidem, quamvis fiat fur, homicida, adulter, sodomita, remanet justus : ergo fides justificat sine bonis operibus, imo cum malis et pessimis, quod est antiqua hæresis in S. Scripturis damnata. Unde Lutherus in *cap.* 2 *ad Galat.* expresse dicit: « Fides sine et ante charitatem justificat : » et tom 1 disput. an opera justificent? proposit. 3, ait: « Fides nisi sit sine ullis etiam minoribus operibus, non justificat, imo non est fides. » Et ideo rigidiores lutherani ingenue fatentur bona opera nullatenus requiri ad fidem justificantem.

Contra 2°. S. Scriptura non minus tribuit munus justificandi et salvandi bonis operibus quam fidei, ut patet ex locis citatis et aliis pluribus : ergo si fides cooperetur justificationi, ita et opera.

Arguunt præcipue hæretici ex Apostolo, qui ut ipsis videtur, totus est ut asserat ad justificationem sufficere fidem sine operibus : Rom. 3. ait : *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Ibid. 4: *Si Abraham ex operibus justificatus est habet gloriam*

sed non apud Deum. Galat. 2: *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis.* Philipp. 5: *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est ex fide.*

Resp. 1°. Esto Apostolus doceret fidem sine ullis operibus sufficere ad justificationem, id nullatenus prodesset hæreticis; quia Apostolus intelligit fidem christianam et catholicam, qua credimus divinitatem Verbi incarnati, ejus resurrectionem et alia mysteria in S. Scripturis contenta, non vero illam fidem ridiculam seu fiduciam qua hæretici credunt peccata sibi esse dimissa.

Resp. 2° Apostolum solum excludere opera quæ vel ante fidem vel post habitam fidem, sed sine fidei gratia fiunt, id est opera quæ ex solis viribus naturæ et liberi arbitrii procedunt, qualia erant quædam honesta justitiæ naturalis opera apud gentiles, et opera Judæorum qui carnaliter legem mosaicam observabant; unde pluries exprimit Apostolus « Opera legis; » non vero excludit opera fidem consequentia et gratia fidei facta. Unde S. Aug. lib. *de Grat. et libero arb.* c. 7: « Homines, inquit, non intelligentes quod ait ipse Apost. Paulus: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis,* putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat: quod absit ut sentiret Vas electionis. »

Inst. Abraham et Galatæ jam renati erant et operabantur ex fide eo tempore de quo loquitur Apostolus, et tamen excludit eorum opera: ergo.

Resp. data maj. dist. min. Excludit eorum opera quæ fiebant ex gratia fidei, nego; quæ facta fuerant ante fidem, vel quæ post fidem habitam non fiebant ex gratia fidei, conc. Nihil obstat enim quod qui habet fidem, aliquando non operetur ex fide, ut dum peccat aut facit opus morale bonum sine relatione ad Deum.

Reponunt: Apostolus ibid. Rom. 4, dicit: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei: sicut David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus:* ergo ut sit gratuita justificatio, nulla in ea habenda est ratio operum, sive ante fidem, sive post fidem factorum, alioquin justificatio redderetur ex debito.

Resp. neg. conseq. Sensus enim horum verborum Apostoli hic est: *Ei qui operatur,* etc. id est si opera nostra sine fidei gratia et ex solis viribus naturalibus facta, qualia faciunt ethnici, obtinerent justificationem, non esset gratuita, sed merces debita talibus operibus; nam omni operanti ex propriis, debetur merces. *Ei vero qui non operatur,* etc. id est illius qui justificatur non ex operibus propriis secundum naturæ vires, sed ex fide in Christum, justificatio est gratuita, tum quia ipsa fides est gratia, tum quia fides ex se non meretur tantum donum, licet ad illud disponat.

Urgent: Apostolus excludit merita, ut ne quis glorietur; sed si homo per fidei opera justificetur, posset de illis gloriari: ergo.

Resp. 1° inde sequi quod neque per fidem posset justificari, quia etiam de ipso actu fidei posset gloriari. Unde resp. 2°. dist. min. Posset gloriari in Deo, conc.; in seipso, nego. Ipsa enim fides, ut modo dicebam, est gratuitum Dei donum, consequenter et opera ex illa promanantia: Apostolus autem non intendit excludere gloriationem in Deo, sed in seipso: unde dicit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Plura alia objiciunt hæretici tum ex S. Scripturis, cum ex patribus, quæ omnia discutere longioris foret otii; hæc habes soluta apud Bellarm. lib. 1. *de Justificat.* a cap. 20. ad 25.

Interim accipe sequentes generales solutiones. Prima est: Justificatio fidei tribuitur tanquam ejus initio et radici, non tamen excludendo alia opera ad eam disponentia: ita Trid. sess. 6. cap. 8. Secunda: Intelligenda est fides viva, quæ per charitatem operatur, ut loquitur Apostolus ad Galat. 5. Tertia: Per fidem aliquando intelliguntur ea quæ in Evangelio seu doctrina evangelica continentur, faciendo ea quæ secundum hanc doctrinam sunt facienda. Quarta: Quando excluduntur opera, intelligenda sunt opera ante fidem, vel sine fidei gratia facta, non vero opera quæ ex ipsa fidei gratia fiunt, ut explicui supra: vel opera legis mosaicæ, vel opera externa, quando deest potentia illa exequendi.

§. III.

De aliis actibus ad justificationem adulti requisitis.

Diximus initio hujus articuli ex conc. Trid. præter fidem quinque alios actus requiri ex parte peccatoris ad sui justificationem, scilicet actum timoris, spei, dilectionis Dei, contritio-

nis, et propositum suscipiendi sacramentum et servandi mandata divina. Hi autem actus sic deducuntur.

Fides illustrans mentem peccatoris exhibet ei hinc divinam justitiam ipsi pœnas præparantem, illinc divinam misericordiam veniam offerentem; unde exurgit in ejus voluntate, timor divinæ justitiæ, deinde spes seu fiducia veniæ obtinendæ.

Post spem sequitur inchoata dilectio Dei ut totius justitiæ fontis; ex hoc enim quod Deus misericors peccatori pœnam timenti offerat veniam, non solum spes excitatur, sed etiam tantæ bonitatis amor, saltem inchoatus, de cujus necessitate ad justificationem cum sacramento, celebris est controversia suo loco dirimenda

Ex fide, timore, spe et inchoata dilectione, nascitur peccati detestatio : quia hoc ipso quo peccator novit paratas esse peccatis suis pœnas, et ex hoc quod Deum ea sibi condonare paratum diligere incipiat, movetur odio in peccatum ut sibi nocivum et divinæ bonitatis offensivum. Hoc autem odium contritio dicitur, perfecta quidem, si peccatum displiceat principaliter ut offensivum Dei, imperfecta si principaliter displiceat ut nocivum peccatori. Hæc autem contritio habet necessario adjunctum propositum inchoandi novam vitam et servandi divina mandata; non enim est in aliquo sincerus dolor de peccatis, nisi velit deinceps illa vitare.

Quæritur utrum necesse sit ut isti omnes actus requisiti ad justificationem sint formales, an sufficiat quod sint virtuales et implicati, contenti scilicet in aliquo eminentiori.

Resp. actus fidei et dilectionis necessario debere esse formales : quia neque in intellectu neque in voluntate dantur præstantiores et eminentiores, in quibus isti virtualiter contineri possint.

Quantum ad actum spei, quando proceditur in conversione paulatim de imperfecto ad perfectum, requiritur ut sit formalis; sed si homo subito moveatur a Deo de peccato ad justitiam ex sola consideratione Dei et peccati ut est ipsi Deo injuriosum, non attendendo ad illum peccatum ut sibi malum, nec ad bona a Deo promissa, videtur quod sufficiat spes virtualis contenta in eminentiori actu charitatis.

Quantum ad actum pœnitentiæ seu contritionis, videtur quod debeat esse formalis; quia homo dolere debet de peccato, non solum ut est contrarium bonitati divinæ, sed etiam ut est læsivum juris divini : exigit enim recta ratio, ut qui læsit jus alterius, de hac injustitia atque injuria doleat, et eam quantum potest resarciat : atqui dolor de peccato ut est læsivum juris divini, proprie pertinet ad pœnitentiam non ad charitatem, quæ habet solum odisse peccatum ut est oppositum bonitati divinæ, ut fusius explicatur in tract. de Pœnit. ergo. Per accidens tamen, si homo ignorans invincibiliter se esse in peccato, aut de peccatis nihil cogitans, eliceret actum perfectæ charitatis, justificaretur sine actu formalis pœnitentiæ, sed cum virtuali tantum in actu charitatis implicite contento. Propositum autem, ut dixi, semper includitur in actu pœnitentiæ; unde pœnitens qui totus attentus detestationi peccatorum ex ferventissima Dei dilectione non attenderet ad propositum explicitum, justificaretur.

§. IV.

A quo principio effective procedant actus contritionis et charitatis qui ultimo disponunt ad gratiam habitualem?

Mirum fortasse videbitur theologos in explicanda hac difficultate ita desudare et torqueri, cum ipsi fateantur esse magis subtilem quam utilem. Nos itaque qui utilitatem magis quam subtilitatem sectamur, varias hac de re sententias breviter exponemus et judicio lectoris permittemus.

Itaque inter dissentientes hac in parte theologos, quidam dicunt has ulteriores ad gratiam habitualem dispositiones esse effective ab auxilio actuali transeunter communicato : ita ex thomistis Joannes a S. Thoma, Sylvius, Contenson cum pluribus extraneis. Quidam dicunt esse effective ab ipsa gratia habituali. Ita Gonet, Serra, et alii. Utrique sententiæ favere videtur S. Th. et hinc augetur difficultas. Tertia sententia quæ utramque conciliare nititur dicit hos actus ultimo disponentes ad justificationem esse effective a virtute infusa charitatis et pœnitentiæ, non permanenter per modum habitus, sed transeunter per modum actualis auxilii et motionis communicata. Ita novissime sapientissimus noster Goudin.

Fundamenta primæ sententiæ:

1°. Conc. Trid. sess. 6. cap. 5, et can. 3 et 4, dispositionem ad justificationem refert in Dei motionem et gratiam excitantem, adjuvantem et prævenientem, tanquam causam efficien-

tem: ergo non procedit a gratiæ habitualis infusione tanquam a causa efficiente. Item conc. ibid. c. 7, dicit unicuique dari justitiam et gratiam habitualem secundum cujusque dispositionem et cooperationem: atqui si talis dispositio procederet a gratia habituali, potius esset dicendum dispositionem esse juxta proportionem gratiæ habitualis: ergo.

2°. S. Th. 1. p. q. 62. a 2. ad 3. dicit: « Tertio conversio est per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, et ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis. » Hic q. 109. a. 6: « Alio modo potest intelligi præparatio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem quod præparet se homo ad susceptionem hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet præsupponi auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. » Ibid. q. 112. a. 2: « Quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. » Et 3 p. q. 89. a. 1. ad 2: « Actus primus pœnitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam; alii vero sequentes actus pœnitentiæ procedunt jam ex gratia et virtutibus. » Sentit ergo primum qui est ultima dispositio, non esse a gratia habituali, sed ab auxilio actuali.

3°. Gratia habitualis necessario supponit dispositiones effectas et productas, cum non recipiatur nisi in subjecto disposito: ergo eas non efficit.

4°. Inintelligibile est quod aliquis actus ab aliqua forma efficiatur, et tamen ad ejus receptionem subjectum disponat; si enim ab illa efficiatur, jam existentem et in subjecto receptam supponit; nulla enim causa efficiens agit nisi existat, et esse accidentis, qualis est gratia habitualis, est subjecto inesse: ergo iste actus ab illa effectus non potest disponere subjectum ad ejus receptionem.

Hæc omnia et alia unica distinctione excipiunt patroni secundæ sententiæ: dicunt enim gratiam habitualem posse considerari dupliciter: 1° in fieri et ut dimanat a Deo habens esse fluens et imperfecto modo; 2° in facto esse ut recepta in anima, habens in ea esse permanens et completum. Primo modo spectata habet, inquiunt, rationem auxilii moventis et est causa efficiens dispositionem. Secundo modo spectata est forma permanens, quæ supponit dispositiones factas et non facit. De gratia ergo habituali primo modo spectata explicant omnia quæ proferunt defensores hujus primæ sententiæ.

At contra hanc distinctionem acriter insurgit Contensonus: Dixit 1° eam inferre incredibilem confusionem in doctrina D. Th. cum enim infinitis in locis S. Doct. dicat præparationem ad gratiam habitualem esse ex auxilio Dei moventis, si per auxilium Dei moventis gratiam habitualem intellexerit, gratiam actualem cum habituali millies confudit, quas tamen studiose distinguere solet. 2° Dicit nedum gratiam in facto esse, sed etiam in fieri spectatam exigere subjectum dispositum; gratiam enim, inquit, non fit in aere aut in concavo lunæ, vel suspensa manet ad ostium animæ, sed fit in subjecto et subjecto disposito per proprios actus ab auxilio divino inseminatos.

Fundamenta secundæ sententiæ.

1°. Divus Th. hic q. 112. a 2. ad 1: dispositionem ultimam esse meritoriam, non gratiæ quæ jam habetur, sed gloriæ; non foret autem meritoria, si a gratia non procederet, sine qua actus etiam ex auxilio actuali procedens, non esset meritorius, ut dicemus infra. Item hic q. 113 a. 6. 7 et 8, dispositionem tribuit infusioni gratiæ seu gratiæ infusæ tamquam principio effectivo: « Dispositio subjecti, inquit, a. 8 ad 2, præcedit susceptionem formæ ordine naturæ, sequitur tamen actionem agentis per quam etiam ipsum subjectum disponitur; et ideo motus liberi arbitrii, naturæ ordine præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem. »

2°. De ratione actus vitalis est ut procedat a principio proximo vitæ ut conjuncto principio radicali, ut patet in omnibus actibus vitalibus tam corporeis quam spiritualibus, qui procedunt a potentia conjuncta animæ: atqui actus charitatis et contritionis sunt vitales vita supernaturali; justus enim ex fide per dilectionem operante vivit: ergo procedunt ab habitibus charitatis et pœnitentiæ ut conjunctis gratiæ habituali.

3°. Principium in philosophia receptum est quod causæ sint sibi invicem causæ; ideoque se invicem præcedant et sequantur in diverso genere causæ; intelligendo nempe de causis materiali et formali, item de efficiente et finali ad invicem comparatis; non vero de causa efficiente comparata ad materialem et formalem: nam causa efficiens in executione

est prior simpliciter et omnibus modis causa materiali et formali; materialem enim transmutat ut recipiat formam et formam introducit in materiam : dicunt ergo actus charitatis et contritionis effectos a gratia in fieri spectata eamdem gratiam præcedere in genere causæ materialis et dispositivæ, non ut causam efficientem, sed ut formam afficientem permanenter animam, et hanc vicissim præcedere istas dispositiones in genere causæ formalis illas informantis et dignificantis; ita, inquiunt, contingit in naturalibus : sic calor ad octo ab igne productus disponit subjectum ad formam ignis, et in eo genere illam præcedit, quam tamen sequitur in ratione formæ a qua profluit ut propria passio : « Calor, inquit S. Th. 3 p. q. 7. a 13. ad 2, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens a forma ignis jam præexistentis. » Et q. 9. a 3. ad 2: « Per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. » Item organisatio corporis est dispositio ad receptionem animæ, attamen corpus non habet esse ultimo organisatum nisi ab anima, ut docet S. Th. 1 p. q. 76. a. 4. ad 1. Proferunt insuper exemplum venti intrantis per fenestram in cameram. Impulsus venti seu aeris, quia efficienter aperit fenestram, est prior omnibus modis apertione fenestræ, et introitu venti seu aeris, at introitus venti seu aeris et ipsa apertio fenestræ se mutuo præcedunt et subsequuntur in genere causæ materialis et formalis; nam aer non introiret nisi aperiretur fenestra, neque fenestra aperiretur nisi aer introiret : porro si sic in naturalibus, quidni in supernaturalibus. Itaque, inquiunt, gratia habitualis ut est in infundi et ut habet rationem auxilii moventis, sub qua ratione effective causat, radicaliter scilicet, actus contritionis et charitatis, simpliciter et omnibus modis illos præcedit et nullo modo est ipsis posterior : secundum vero aliam formalitatem quam habet, nempe ut est forma afficiens subjectum et constituens illud justum et Deo gratum, est prior et posterior illis actibus in diverso genere causæ; eos enim præcedit in genere causæ formalis, et subsequitur in genere causæ materialis et dispositivæ.

Omnia ferme argumenta quæ contra hanc sententiam opponuntur solvunt ejus defensores ut dixi, per distinctionem hanc « gratiæ in fieri, et in facto esse. »

Tertia sententia exponitur.

Hæc sententia tria observat et supponit. Observat 1° ultimam dispositionem ad gratiam esse liberum actum hominis eam acceptantem seu consensum quo peccatum detestatur et Deum præ omnibus diligit; ex D. Th. in hac q. 113. a. 7. ad 1.

Observat 2° supernaturales habitus id habere præ habitibus naturalibus, ut sint non solum habitus qui dant facile posse, sed virtutes seu potentiæ quæ dant simpliciter posse; unde sicut repugnat ut agens intelligat sine potentia intellectiva, sic repugnat hominem elicere actum supernaturalem sine virtute supernaturali aliquo modo sibi communicata.

Observat 3° ex D. Th. 2 2. q. 175. a. 2. ad 3, virtutem supernaturalem duobus modis participari posse : 1° per modum passionis transeuntis; 2° per modum formæ permanentis. Posteriori modo induit rationem habitus seu habitualis doni : priori modo habet rationem motionis transeuntis, seu auxilii actualis: reipsa tamen utrobique res eadem est, differens solum secundum modum essendi ex parte subjecti : ut lux permanenter inhærens soli et transeunter impressa aeri, eadem lux est. Juxta S. Th. 2 2. q. 171. a. 2, id videre est in raptu Pauli, cui datum fuit lumen gloriæ per modum transeuntis impressionis et non per modum habitus seu formæ permanentis sicut in Beatis : reipsa enim fuit idem lumen gloriæ, solo differens modo; cum enim essentialiter sit virtus activa respectu visionis, repugnat hunc actum sine illo effici, uti quemvis effectum sine virtute ejus effectiva.

Ex his iterum observat quod cum dicitur homo carens habitu efficere per actuale auxilium actum supernaturalem, nomine auxilii actualis non intelligatur pura motio applicativa, ut est illa qua Deus hominem charitatis habitu præditum movet ad ejus actum, sed debeat intelligi motio quæ simul conferat ipsam virtutem agendi, atque adeo includat virtutem supernaturalem, cujus actus est, non quidem per modum habitus et formæ permanentis, sed impressionis transeuntis.

His ita suppositis et observatis statuit actum conversionis ultimo disponentem ad gratiam habitualem effective procedere a virtute infusa charitatis et pœnitentiæ, non tamen communicata per modum habitus, sed per modum auxilii seu motionis, sicque disponere ad gratiam et ad ipsas virtutes infusas per modum habitus consequendas.

Ratio primæ partis petitur ex observatione 2 et 3, quia, ut dictum est, actus supernaturalis non potest procedere nisi ex propria sua virtute supernaturali vel per modum formæ permanentis, vel per modum motionis transeuntis communicata : atqui contritio seu dilectio Dei super omnia est proprius actus charitatis : ergo hi actus in homine se disponente ad gratiam non possunt procedere nisi a virtute infusa pœnitentiæ et charitatis. Neque dici potest hujusmodi actus posse procedere ab aliquo alio auxilio actuali eminenter continente virtutem charitatis ; quia non videtur possibilis motio recepta in homine, quæ sit eminentior charitate ; et quamvis esset possibilis, non daretur homini ante charitatem, alioquin esset melioris conditionis et altius elevatus quam per ipsam charitatem.

Ratio secundæ partis est : Quia terminus motus non potest esse principium ejus effectivum, ut patet ex terminis; nam terminus motus est ipso posterior, et principium est ipso prius : atqui charitas et pœnitentia sub ratione habitus sunt terminus motus præparationis ad gratiam : ergo sub ratione habitus non sunt principium ejus effectivum. Prob. min. Eadem est ratio habitus charitatis et gratiæ, uterque enim simul infunditur : atqui habitus gratiæ est terminus motus præparationis et justificationis ex S. Th. hic q. 113. a. 1. o. Ergo.

Hanc suam sententiam mediam a S. Th. traditam existimat laudatus P. Goudin, dum S. Doct. in hac q. 113. a. 8. ad 2, dicit « quod motus liberi arbitrii præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem : » nam, juxta ipsum, per « infusionem gratiæ » S. Doct. intelligit Dei motionem seu auxilium per modum motionis datum, quia ibi dicit quod « dispositio subjecti sequatur actionem agentis, per quam ipsum subjectum disponitur », quod videtur importare motionem actualem; at vero per « consecutionem gratiæ », intelligit gratiam per modum habitus receptam, id est permanenter; id enim consequi dicimur, quod permanenter habemus et non per modum transeuntis. Et hoc etiam requirit adulti conditio, ut scilicet donum gratiæ permanenter non habeat nisi libere acceptando, quæ tamen acceptatio non est nisi per auxilium divinæ gratiæ : unde gratia per modum auxilii prævenit illum actum quem sequitur gratia per modum habitus; licet hæc omnia sint in eodem instanti reali.

Hinc infert commendatissimus auctor quod ista ultima dispositio possit aliquo sensu dici quasi materialiter procedere ab habitu supernaturali, exactius tamen dicatur procedere ab auxilio actuali, et disponere ad habitum tum gratiæ tum virtutum infusarum consequendum. Quia reipsa utrobique eadem est gratia, diversa tantum quoad statum. Quatenus Deus per eam movet liberum arbitrium ad actum ultimo præparatorium, habet sub eo respectu rationem auxilii actualis et præintelligitur actui; quatenus vero per ipsum actum acceptatur, jam intelligitur dari per modum habitus permanentis et subsequi actum præparatorium : unde hic actus dici potest procedere a virtute supernaturali, quæ in eodem instanti reali habet rationem habitus; quia tamen ut præintelligitur actui, non habet rationem habitus, sed auxilii actualis, exactius dicitur hic actus procedere non a supernaturali habitu, sed ab actuali auxilio : et per hoc videtur aliquid concedere utrique præcedenti opinioni.

Quia vero suam sententiam quasi mediam inter utramque reputat, et per eam esse satisfactum momentis utriusque, unicum argumentum sequens sibi objicit.

Dices : Hic actus præparatorius est meritorius : ergo procedit ab habitu gratiæ, quæ est radix meriti. Confir. Si actus ille gratiæ habitum præcederet, ipsum mereri posset; est enim actus charitatis gloria dignus, proindeque et ipsa gratia, si eam præcederet : unde S. Th. hic a. 2. ad 1, ob id solum dicit hunc actum gratiam non mereri, quia jam ipsa habetur.

Respondet actum non esse meritorium nisi a gratia procedat saltem ut a forma dante meritum; sed non requiritur ut a gratia procedat tanquam a principio effectivo. Itaque hic actus meritorius est, quia effective procedit a gratia actuali et in eodem instanti informatur ab habituali; in eodem enim instanti quo Deus movet hominem ad se convertendum, simul ei gratiæ habitum infundit, quo et personam et actum sibi gratum efficit atque ita meritorium, non quidem gratiæ a qua habet rationem meriti, sed gloriæ quæ nondum habetur. Per quod etiam patet ad confirmationem : cum enim habitus gratiæ sit principium meriti illius actus, gratiam non meretur, quia principium meriti non cadit sub merito.

Hæc et alia quæ omisimus, laudatus Goudin ad conciliationem utriusque prioris sententiæ : an ita sit? judicet lector, et quam voluerit sententiam ex his tribus eligat. Non enim magni refert. Quod si subtilitatibus delectetur

adeat pro prima opinione Joannem a S. Th. et Contenson. Pro secunda Serra et Gonet.

ARTICULUS V.

QUÆDAM QUÆSTIUNCULÆ AD COMPLEMENTUM QUÆSTIONIS D. THOMÆ BREVITER RESOLVUNTUR.

Petes 1°. Utrum justificatio impii fiat in instanti? R. 1°. [1] Justificatio impii sumpta pro infusione gratiæ et remissione peccatorum fit in instanti : quia quod forma successive producatur, provenit ex hoc quod vel subjectum non sit in ultima dispositione, vel quia agens cum sit finitæ virtutis, indiget tempore ut vincat resistentiam subjecti et formam introducat : atqui hic supponimus ultimam dispositionem, cum sit sermo de justificatione impii prout dicit simpliciter infusionem gratiæ ; et aliunde cum Deus nullam requirat dispositionem nisi quam ipse facit, potest eam efficere in instanti quo producit ipsam gratiam, sicut fecit in Paulo : et cum sit infinitæ virtutis non indiget tempore ut vincat resistentiam subjecti.

Confir. [1] Quando inter extrema mutationis vel motus non est medium per quod perveniatur ab uno extremo ad aliud, transitus de uno ad aliud fit in instanti : atqui inter extrema justificationis quæ sunt gratia et gratiæ privatio, non datur medium : ergo.

Resp. 2°. Si vero justificatio sumatur non solum pro infusione gratiæ, sed etiam pro dispositionibus quibus peccator præparatur, licet possit fieri in instanti, ut in Paulo et Magdalena, ordinarie tamen fit successive ; quia istæ dispositiones quas requirit Trid. sess. 6. cap. 5, et 6, ordinarie præcedunt tempore ipsam gratiæ infusionem.

[1] Q. 113 a. 7. — [1] Q. 8. de verit. a. 9.

Petes 2°. Utrum justificatio sit maximum opus Dei ?

Resp. [2] Si justificatio spectetur ex parte modi agendi, creatio est majus opus quam justificatio ; quia excellentissimus modus operandi est facere aliquid ex nihilo.

Si justificatio spectetur ex parte rei productæ, est majus opus creatione, non tamen glorificatione : [3] quia bonum ad quod terminatur creatio, est bonum naturæ mutabilis : bonum ad quod terminatur justificatio, est bonum æternum in spe ; bonum autem ad quod terminatur glorificatio, est bonum æternum in re.

Si tandem justificatio spectetur juxta proportionem illius qui justificatur, est majus opus glorificatione ; [4] quia donum gratiæ plus excedit dignitatem impii qui erat dignus pœna, quam donum gloriæ dignitatem justi qui erat dignus gloria.

Petes 3°. Utrum justificatio impii sit opus miraculosum ?

Resp. [1] Justificatio impii, prout fit communiter, potest dici mirabilis ; quia quæ a sola virtute divina fieri possunt, habent causam occultam, et hac ratione sunt mira : non tamen potest dici miraculosa, quia ad miraculum proprie dictum non sufficit quod a solo Deo fieri possit, sed debet esse præter communem divinæ providentiæ cursum, ut resurrectio mortui, illuminatio cæci nati : justificatio autem prout fit communiter, est secundum communem providentiæ supernaturalis cursum : est enim communis et consuetus cursus justificationis ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam perveniat. Quando autem Deus præter hunc communem cursum subito movet ad perfectam justificationem, ut Paulum et Magdalenam, tunc justificatio potest dici miraculosa.

[2] Hic a. 9. — [4] Ibid. — [3] Ibid. [1] Ibid. a. 10.

DISSERTATIO VIII.

De merito justi.

D. Th. Q. 114.

Alter divinæ gratiæ effectus est meritum; cum enim operari sequatur ad esse, ex hoc quod gratia hominem justum et sanctum constituat, sequitur quod per eam radicaliter opera justa et sancta, proindeque meritoria, fiant. Igitur de merito acturi, sit

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT MERITUM, QUAS CONDITIONES REQUIRAT?

Meritum latius sumptum significat dignitatem rei ob quam exigit aliquid, et sic convenit etiam inanimatis; sic dicitur quod elegans pictura mereatur videri, quod ager fertilis mereatur coli. Meritum proprie sumptum convenit actibus tantum, estque proprietas actus humani moraliter boni dicens proportionem ad præmium; loquimur enim hic de merito in bonam partem, non in malam, quod distinctionis causa dicitur demeritum.

Duplex distinguitur meritum; unum de condigno, alterum de congruo: meritum de condigno est opus cujus valor æquat valorem præmii et cui redditur præmium ex justitia: Meritum de congruo est opus cujus valor non æquat valorem præmii et cui non debetur præmium ex justitia, sed ex congruitate tantum et decentia, amicitia seu liberalitate præmiantis.

Meritum de condigno est proprie et simpliciter meritum; meritum de congruo improprie tantum et secundum quid, quia non habet æqualitatem ad id quod ejus intuitu datur. Exemplum poni solet in milite generoso cui proprium stipendium datur de condigno, de congruo autem beneficium nobilitatis aut aliquod donativum a rege.

Meritum de condigno est duplex, unum de rigore justitiæ, aliud de condignitate tantum. Primum sic importat valorem æqualem ad præmium ut excludat omnem gratiam factam personæ merenti a præmiante, et tale fuit meritum Christi. Alterum importat quidem valorem æqualem ad præmium, sed supposita aliqua gratia facta personæ merenti a præmiante, et de hoc merito apud Deum hic præcipue agitur.

Conditiones requisitæ ad meritum.

Sex conditiones requiri solent ad meritum. Prima, ut opus sit liberum. Secunda, ut sit bonum. Tertia, ut fiat in obsequium præmiantis. Quarta, ut operans, sit viator. Quinta, ut sit in statu gratiæ. Sexta, ut ejus opus sit a Deo ordinatum in præmium.

Quatuor primæ conditiones expenduntur.

Prima conditio, scilicet ut opus sit liberum, [1] est de fide ex damnatione tertiæ propositionis Jansenii et longe ante tradita a D.Th. loco citato, ut late vidimus in trac. de Act. hum. Ratio est: quia in tantum aliquis meretur, seu est præmio et laude dignus, in quantum est auctor sui operis et aliquid ponit de suo in obsequium præmiantis; est enim inter merentem et præmiantem quasi contractus, ut merens exhibeat suum obsequium et præmians tribuat mercedem: atqui homo non est auctor nisi operis liberi, in necessariis enim potius agitur quam agat, neque suum reputari debet nisi id cujus habet dominium, solius autem actus liberi habet dominium: ergo. Adde quod meritum sit proprietas actus humani, non est autem

[1] Q, 6, de malo a. unico.

actus humanus sine libertate indifferentiæ, ut suo loco diximus. De libertate Christi in adimplendo præcepto Patris, dicemus de Incarnatione.

Secunda conditio, ut sit opus bonum : patet; quia opus malum est pœna non præmio dignum; opus autem indifferens non datur in individuo, et si daretur, neque præmio, neque pœna foret dignum : et cum hic agamus de merito boni supernaturalis, non sufficit qualiscumque bonitas moralis, sed debet esse ordinis supernaturalis, quia media debent esse proportionata fini, meritum autem se habet ad præmium ut medium ad finem.

Tertia conditio est ut opus fiat in obsequium præmiantis ; [2] quia alioquin non esset ratio cur ab eo expectaretur retributio, nec ullo jure posset ab eo exigi. Adde quod si opera nostra non referantur ad Deum, non sint ordinis supernaturalis, cujusmodi debent esse ut sint meritoria boni supernaturalis.

Quarta conditio est status viatoris : [3] hanc aperte innuit S. Scriptura : Eccle. 11: *In quocumque loco ceciderit lignum, ibi manebit.* Joan. 9: *Venit nox,* id est mors, *quando nemo potest operari,* nempe meritorie. Unde Galat. 6: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* 2 Cor. 5: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore sive bonum sive malum.* Heb. 9: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Eccle. 9: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem* ; super quæ verba S. Hieronymus dicit : « Mortui nihil valent ad id adjicere quod semel secum tulere de vita. » S. Aug. in *Enchyrid.* c. 110: « Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari: nemo a se speret quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. » Et alibi.

Ratio solet adferri quod meritum sit motus et via ad præmium tanquam ad terminum : ergo adepto præmio cessat meritum, sicut via assecuto termino finitur, pugna desinit parta victoria.

Verum hæc ratio probat quidem Beatos non posse mereri beatitudinem essentialem quam habent, at non probat non posse mereri vel ejus augmentum, vel aliquid aliud accidentale quod non habent; item nihil probat de animabus in purgatorio detentis, quæ nondum sunt assecutæ terminum. Unde videtur quod non sit alia ratio hujus conditionis quam voluntas divina, quæ nobis innotescit ex S. Scripturis, patribus, et communi sensu Ecclesiæ. Idque convenienter naturæ hominis, cui connaturale est ut in statu conjunctionis suam perfectionem acquirat, et in quo plures habet occasiones merendi et pugnandi pro præmio vitæ æternæ.

[2] Hic q. 21. a. 3. o. et 22. q. 104. a. 3. — [3] 1. p. q. 62 a. 9. ad 3.

Quinta conditio expenditur.

Quinta conditio est status gratiæ : [1] colligitur ex S. Scriptura quæ passim docet opera hominis esse mortua, nisi vivat per charitatem. 1 Cor. 13 : *Si charitatem non habuero, nihil sum... nihil mihi prodest,* etc. Charitas autem non est sine gratia sanctificante. Item colligitur ex Trid. sess. 6. cap. 8, ubi dicitur : « Nihil eorum quæ præcedunt justificationem sive fides, sive opera mereri ipsam justificationis gratiam. » Ergo multo minus gloriam, quæ est gratia consummata.

Huc etiam faciunt sequentes propositiones baianæ damnatæ a ss. pontificibus: 12 : « Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium. » 13: « Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda fidelium, sed tantum ex eo quod fiunt conformia legi. » 15: « Ratio meriti non consistit in eo quod qui bene operatur habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obedit legibus. » Item 17 et 18.

Ratio est 1°. In tantum homo est capax merendi apud Deum, in quantum est consors vitæ et naturæ divinæ; cum enim operatio sequatur esse, non potest opera Deo digna facere, nisi vivat vita Dei et ad ejus naturæ consortium elevetur; sicque ex conditione servi transferatur ad conditionem filii et amici : atqui per solam gratiam sanctificantem fit consors vitæ et naturæ divinæ, ut alibi probatum est : ergo.

2° Impossibile est quod persona Deo exosa et inimica, qualis est peccator, faciat opera illi grata; cum Deus prius respiciat offerentem quam ejus munera : *Respexit ad Abel,* inquit S. Scriptura Genes. 4, *et ad munera ejus.*

3°. Licet meritum fundetur in opere, est tamen præcipue in persona operante; est enim jus personæ ad præmium propter opus : atqui homo in statu peccati, cum sit inimicus et injuriosus Deo, non est capax juris ad nova beneficia ab eo obtinenda, cum e contra me-

[1] Hic q. 114. a. 2. c.

reatur privari iis quæ habet, juxta illud Ezech. 18: *Si justus fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur:* ergo.

Dices 1°. Vita æterna promittitur servantibus mandata, Matth. 19. Ergo ad illam merendam non requiritur status gratiæ. 2°. Opus malum meretur pœnam sine habitu malitiæ: ergo bonum opus meretur præmium absque habitu gratiæ. 3°. Homo in statu peccati potest per pœnitentiam sibi injunctam satisfacere; ergo et mereri. 4°. Homo potest mereri apud alium hominem, etiamsi sit ejus inimicus: ergo similiter apud Deum. 5°. Nihil repugnat opera naturæ bona moraliter ordinari ad præmium; imo videtur decere divinam bonitatem et largitatem ut homini secundum naturalem virtutem bene operanti, bona supernaturalia rependat. 6°. Tandem posita hac conditione ad meritum, frustra peccator bonis operibus incumbit, frustra orat, jejunat, eleemosynam facit, etc. fallaciterque S. Scriptura iis operibus promittit remissionem peccatorum, ut Daniel 4: *Peccata tua eleemosynis redime.*

Resp. ad primum, vitam æternam promitti servantibus divina mandata, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum qui non habetur sine gratia, vel suppositis aliis conditionibus requisitis: vel promittit vitam æternam servantibus mandata, sicut promittit remissionem peccatorum, suppositis scilicet aliis conditionibus requisitis.

Ad secundum, nego conseq. Quia plus requiritur ad bene et meritorie operandum quam ad male agendum. Aliunde peccatum mortale ex se habet condignitatem damnationis æternæ, bonum autem opus non habet sine gratia condignitatem vitæ æternæ, ut patet ex dictis.

Ad tertium, dato ant. de quo disputatur in tract. de pœnit. nego conseq. Disparitas est quod satisfactio attendatur penes æqualitatem pœnæ ad culpam, meritum autem penes condignitatem tam operis quam operantis ad præmium.

Ad quartum, dist, ant. Homo potest mereri apud alium hominem, etiamsi sit ejus inimicus, si merces attendatur præcise ut debita operi et ratione operis, conc.; quia tale meritum fundatur in solo opere independenter a conditione operantis, quale meritum potest esse apud homines, sed non apud Deum. Si non solum attendatur merces ut debita operi et ratione operis, sed quod opus sit gratum et acceptum apud alium, nego. Tale autem est meritum hominis apud Deum: et hoc sensu dicit S. Th. hic a. 2. ad 3. quod « Etiam homo ab alio mereri non potest, quem offendit, nisi prius ei satisfaciens reconcilietur. »

Ad quintum, nego ant. Si agatur de merito condigno; repugnat enim rerum naturæ ea quæ sunt ordinis inferioris ordinari ut merita condigna ad bona supernaturalia: si autem agatur de merito congruo, repugnat ordini divinæ providentiæ qui nunc est, secundum quem omnia fiunt in numero, pondere et mensura, providens media finibus proportionata, nec dans gloriam nisi iis quos prius dignos fecit per gratiam. An vero possit absolute mutari talis ordo: nihil refert ad propositum.

Ad sextum, nego sequelam: quamvis enim bona opera ante justificationom non sint stricte meritoria, si tamen fiant per voluntatem inchoatam se convertendi ad Deum, gratia auxiliante excitatam, sunt preparatoria ad gratiam et illius impetratoria. Et hoc sensu S. Scriptura ea commendat, iisque peccatorum remissionem promittit. Quantum vero ad alia opera ex objecto bona quæ facit peccator, non ex affectu ad peccatum, sed tamen retinendo illum, quamvis sint minus utilia, non sunt tamen omnino inutilia; prosunt enim ut vitentur nova peccata et minora impedimenta opponantur gratiæ.

Explicatur sexta conditio.

Sexta conditio est ordinatio seu promissio et pactum Dei ordinantis bonum opus ad præmium seu mercedem: [1] non quod bonum opus valorem seu condignitatem suam intrinsecam habeat ab illa promissione; sed quia ultra dignitatem quam totam habet ex gratia, necessaria sit promissio de mercede reddenda ad hoc ut qui ex gratia est bene operatus, habeat jus ad mercedem, et Deus obligetur illi reddere. Ita communiter contra Vasquem et quosdam alios.

Prob. 1° ex S. Scriptura: Matth. 20, paterfamilias, per quem significatur Deus, conventionem fecit cum operariis de denario diurno. Jacob. 1. dicitur: *Qui suffert tentationem, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* Similiter Apost. Heb. 6 et 9. Idem significant aliæ S. Scripturæ, quæ dicunt vitam æternam reddendam esse tanquam coronam justitiæ et a justo judice: Matth. 19; 2 Timoth. 4.

[1] Hic a. 1. ad 3. et a. 2. o.

Prob. 2° ex conciliis et patribus : Trid. sess. 6. cap. 16, dicit : « Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. » Concil. Moguntinum anno 1549, cap. 8, dicit bona opera esse digna vita æterna ; « tum quia Deus bene operantibus et in ipso sperantibus mercedem misericorditer promisit ; tum etiam quia ejusmodi justificatorum opera gratiæ Dei effectus sunt. » S. Aug. *Serm.* 16 *de verbis Apost.* « Deus debitor factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. » Et in Psal. 83: « Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo sed promittendo : non ei dicitur, redde quod accepisti, sed redde quod promisisti. » S. Th. cit. in margine : « Meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis. »

Prob. 3° ratione : Meritum importat in merente jus ad bonum præmiantis, et in præmiante obligationem ad illud reddendum : atqui quantumvis sit bonum opus hominis, non potest seclusa Dei promissione parere in homine jus ad bonum Dei, neque in Deo obligationem ad illud reddendum : ergo. Prob. min. Ex bonis operibus jam aliunde debitis Deo, homo non acquirit jus erga Deum, nec Deus obligatur reddere illi aliquod præmium, nisi illud promiserit : atqui omnia quæcumque bona hominis sunt debita Deo pluribus aliis titulis, puta creationis, supremi dominii, ultimi finis, etc. Ergo.

Confir. 1°. Servus quantumvis laboret, non meretur mercedem a domino, nisi dominus illi promittat ; quia omnia ejus opera sunt domini : atqui sumus servi Dei, et omnia opera nostra illius sunt : ergo.

Confir. 2°. Bona opera Beatorum et animarum in purgatorio non sunt meritoria, quia Deus illa non ordinat nec acceptat ad præmium : ergo. Neque dicas id oriri non ex defectu ordinationis, sed ex defectu status viæ : ideo enim oritur ex defectu status viæ, quia Deus extra statum viæ bona opera non ordinat, nec acceptat ad præmium ; posset enim si vellet ; quia, ut diximus, status viæ non ex natura rei, sed ex voluntate Dei requiritur ad rationem meriti.

Dices 1° Juxta D. Th. supra q. 21. a. 4. ad 3, actus bonus vel malus est meritorius vel demeritorius. 2° Opus esse meritorium, est illud esse condignum ad mercedem : atqui opus bonum ex se habet quod sit condignum ad mercedem, et non ex ordinatione seu promissione divina : ergo. 3° Inter homines non requiritur promissio seu pactio de mercede, sed sufficit quod dominus jubeat operarium laborare ; aut etiam, si non jubeat, quod approbet ejus laborem. 4° Pactum istud deberet innotescere operantibus et esse ab eis acceptatum, ut opera eorum forent meritoria ; multi autem illud ignorant : ergo.

Resp. ad primum, bonum opus esse quidem meritorium, si tamen conditiones aliunde requisitæ ad completam rationem meriti adsunt, quarum una est quod ordinetur a Deo ad præmium ; alioquin sequeretur quod bonum opus in peccatore vel in Beato esset meritorium, quod non admittit S. Th.

Repones : Malum opus est meritorium pœnæ independenter ab ordinatione judicis : ergo similiter bonum opus, etc.

Resp. dato ant. neg. conseq. Disparitas est 1° quod offendens ipsa sua offensione lædat jus alterius, ex quo sine pactione nascitur obligatio illud resarciendi ; ex hoc autem quod quis bonum opus faciat, nihil accrescit Deo, et istud bonum est aliunde ipsi debitum ; 2° quia ad meritum requiritur quod in merente sit jus exigendi mercedem, et in altero obligatio reddendi, Deus autem non obligatur nisi sibi ipsi et hoc ratione suæ promissionis : at ad meritum pœnæ non requiritur quod unus sit debitor ad pœnam inferendam, et quod alter habeat jus illam exigendi. [1] Omisi ant. quia in dæmonibus mala opera non merentur pœnam defectu divinæ ordinationis.

Ad secundum, neg. maj. Ultra enim condignitatem operis requiritur quod Deus illi promiserit mercedem, ut probatum est.

Ad tertium, neg. conseq. Quia operarii obsequia non sunt, ut suppono, aliunde debita domino : unde hoc ipso quo dominus præcipit aut approbat ejus laborem, censetur implicite pascisci de mercede ; secus si præciperet servo, cujus opera sunt domini. Nos autem sumus servi Dei et omnia nostra sunt ipsi pluribus titulis debita : unde si præciperet nobis bene operari sine promissione mercedis, non teneretur nobis illam retribuere.

Ad quartum, hoc pactum multis innotescit explicite, omnibus implicite, quatenus omnes fideles docti et indocti credunt Deum esse remuneratorem alicujus boni supernaturalis, juxta illud Heb. 11 : *Accedentem ad Deum*

[1] 2 2. q. 13. a. 4. ad 2.

oportet credere quia est, et inquirentibus se renumerator sit.

Quidam subtiliorem hic movent quæstionem, an ista promissio mercedis habeat esse extrinseca et distincta ab ipsa collatione gratiæ, an sufficiat quod sit intrinsece imbibita in ipsa collatione gratiæ ut est principium meriti? Vide si lubet pro et contra Gonet et Contenson; hanc enim subtilem speculationem, quia nobis prorsus inutilis videtur, omittimus

Posset addi septima conditio requisita ad meritum, scilicet influxus charitatis, de qua infra dicemus.

Quæri solet hic an Deus meritis præmia retribuat ex fidelitate tantum aut gratitudine, an ex justitia commutativa vel distributiva?

Resolutionem hujus quæstionis habes in tract. nostro de Deo, dissert. 8. a. 6. § 2. Et ideo breviter nunc.

Resp. Deum præmia meritis retribuere, non ex fidelitate tantum aut ex gratitudine, sed ex justitia, non commutativa, sed distributiva; servat tamen modum justitiæ commutativæ.

Prob. prima pars ex illo 2 Timot. 4: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Super quem locum S. Th. lect. 3, dicit: « Corona justitiæ dicitur quod Deus ex sua justitia reddit. » Item ex illo Heb. 6: *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri.* Unde S.Aug. *de Nat. et Grat.* c. 2: « Non est injustus Deus ut justos fraudet mercede justitiæ. » Vide insuper concil. Trid. sess. 6. c. 16.

Ratio est quia licet promissio simplex inducat tantum obligationem fidelitatis, promissio tamen sub onere operis præstandi a promissario, inducit obligationem justitiæ: atqui Deus nobis promittit mercedem sub onere operis præstandi, si nempe ejus mandata servemus: ergo. Hinc D. Th. hic a. 1. o: « Sicut reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo est actus justitiæ, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus justitiæ. » Et 1.2. q. 21. a. 3: « Meritum et demeritum dicuntur in ordine ad retributionem quæ fit secundum justitiam. »

Quantum ad gratitudinem evidens est eam non habere locum in Deo, cum nihil recipiat ab homine quod non sit suum, ipsique repugnet respicere hominem ut benefactorem et superiorem, quod proprium est gratitudinis.

Prob. secunda pars: Obligatio justitiæ commutativæ nascitur in uno ex communicatione quam alter illi facit dando de suo et non de re alterius; atqui homo nihil potest dare Deo, quod non sit ipsius Dei et sub ejus dominio, etiam ipsa libera actio seu communicatio: unde Apost. Rom. 11: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?*

Prob. tertia pars: Justitia distributiva est qua superior dat inferioribus, unicuique secundum suam dignitatem et meritum, quod maxime convenit Deo.

Prob. quarta pars. Quia licet retributio præmii in Deo deficiat a ratione justitiæ commutativæ in hoc quod homo nihil det Deo quod non sit ipsius Dei, Deus tamen servat æqualitatem meriti ad mercedem, in quantum tantum dat pro tanto, quod est modus justitiæ commutativæ. Hæc et alia cum objectionibus fusius deducta require loco citato in tract. de Deo.

ARTICULUS II.

UTRUM HOMO POSSIT ALIQUID MERERI A DEO?

Lutherani et calvinistæ qui volunt hominem lapsum non justificari intrinsece, sed tantum denominative extrinsece per imputationem justitiæ Christi, et inde omnia ejus opera esse mala, negant consequenter ipsum posse aliquod bonum opus facere quod sit meritorium apud Deum, saltem vitæ æternæ. Falsum eorum principium diss. præcedenti impugnavi, nunc alium errorem inde secutum impugnaturus,

Dico: [1] Homo justificatus potest vere et proprie a Deo mereri aliquid, etiam ipsam vitam æternam. Est de fide decisa in variis conciliis Araus. 2. can. 18; Lateran. sub Innocent. III, cap. *firmiter*, Trident. sess. 6. cap. 16, et can. 32.

Prob. 1°. ex S. Scriptura: Per meritum nihil aliud intelligimus quam bonum opus comparatum ad mercedem: atqui S. Scriptura passim nobis proponit vitam æternam ut mercedem bonis justorum operibus reddendam: ergo. Prob. min. Eccl. 8: *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Matth. 5: *Gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Ibid.: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Cap. 19, Petro quærenti quæ merces erit derelinquenti terrena pro Christo, respondet Christus: *Centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.* Cap. 20, id explicat exemplo patris-fami-

[1] Q. 114 a 3, o.

lias, qui in mercedem exigui laboris reddit operariis denarium diurnum. 2 Cor. 4: *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternæ gloriæ pondus operatur.* Heb. 13: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Rom. 2: *Reddet unicuique secundum opera sua, iis qui secundum patientiam boni operis gloriam quærunt, vitam æternam.* Matth. 25: *Possidete regnum, esurivi enim et dedistis mihi manducare.* 2 Timot. 4: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex.* Heb. 6: *Non enim est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri :* ergo juxta S. Scripturam bonis justorum operibus promittitur non qualecumque præmium, ut dicunt sectarii, sed ipsa vita æterna, non ex sola liberalitate et misericordia, ut dicunt alii, sed ex justitia, ideoque ut merito proprie dicto.

Quod autem ulterius reponit Calvinus lib. 3. *Instit.* c. 18, vitam æternam promitti quidem bonis operibus in S. Scripturis, ea tamen non esse meritoria, quia non sunt Deo digna, nec alicujus pretii apud ipsum, omnino falsum est et aperte contrarium S. Scripturæ asserenti opera justorum esse pretiosa apud Deum, iisque sanctos effici dignos vita æterna. Psalm. 114 : *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Coloss. 1 : *Ut ambuletis digne Deo in omni opere bono fructificantes.* 2 Thessal. 1: *Passiones sustinentes ut digni habeamini regno Dei.* Sap. 8: *Deus tentavit eos et invenit eos dignos se.*

A pluribus tum S. Scripturæ, tum patrum testimoniis referendis supersedeo, quia cui hæc non sufficiunt, plura non sufficient.

Prob. 2° ratione : Deus confert homini per gratiam virtutem bene operandi, et ejus operibus ex gratia factis promittit certum præmium, imo et ipsam gloriam, ut modo dictum est ; omnesque aliæ conditiones requisitæ ad meritum possunt concurrere, nulla enim repugnat; ergo potest homo mereri etiam ipsam gloriam.

Prob. 3° ratione congrua : In omni republica bene ordinata necessarium est ut subditi spe præmii promoveantur ad bonum et metu pœnæ arceantur a malo : atqui Deus tam in ordine supernaturali quam naturali est supremus et sapientissimus hominum gubernator : ergo necessarium fuit ut hominibus proponeret præmia, quæ bene agendo mererentur, sicut præordinavit supplicia quibus mala opera puniuntur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. S. Th. hic a. 1. o, dicit inter Deum et homines non esse justum simpliciter propter defectum æqualitatis, sed secundum quid, et addit : « In quibus autem est secundum quid justum et non simpliciter, in his etiam non simpliciter est ratio meriti , sed secundum quid » : ergo.

Resp. S. Thomam per justum et meritum simpliciter, non intelligere justum et meritum verum et proprium, sed perfectum et secundum totum rigorem justitiæ, ita ut neutrum supponat aliquid gratis receptum in merente ab eo apud quem meretur : hominis autem ad Deum sic est justum et meritum, ut supponat aliquid gratis acceptum a Deo ; et ideo infert S. Doctor: « Unde hominis ad Deum non potest esse justitia secundum absolutam æqualitatem. »

Obj. 2°. Qui reddit quod debet, non meretur mercedem : atqui bene operando facimus et reddimus Deo quod debemus : unde Luc. 17, dicitur : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus :* ergo.

Resp. neg. maj. [1] Qui enim facit quod debet, in quantum facit propria, libera ac prompta voluntate, meretur laudem apud homines propter modum operandi, et posset aliquod aliud præmium mereri, si præcederet conventio de illo retribuendo his qui prompte et alacriter redderent quod debent.

Quantum ad verba S. Scripturæ, per hæc non evacuatur meritum boni operis, sed solum removetur vana gloria, ne scilicet bona opera et eorum meritum nobis tribuamus aut putemus per ea Deum nobis obligari, cum tamen ipse nihil nobis debeat, sed sibi ipsi secundum gratuitam suam ordinationem ; et ideo, ut notat S. Chrysost. in hunc locum, Dominus non dixit: *Servi inutiles estis,* sed *Dicite, quia servi inutiles sumus.*

Inst. 1°. Etiam actio nostra ut libera et prompta est a Deo et illi debemus : ergo nec per illam mereri possumus.

Resp. dist. conseq. Per illam mereri non possumus merito de toto rigore justitiæ, conc.; merito vero et proprio, supposita tamen ordinatione divina, nego. Quamvis ergo ad meritum de toto rigore justitiæ requiratur quod excludat omnem gratiam factam personæ merenti, ad meritum tamen verum et proprium sufficit, cum ordinatione divina , proportio

[1] Hic a. 1. ad 1.

operis ad præmium, etiam si supponatur gratia facta merenti.

Inst. 2°. Qui apud aliquem meretur aliquid, constituit eum sibi debitorem ; debitum est enim ut aliquis merenti mercedem rependat : atqui Deus nulli est debitor : ergo.

Resp. Quod cum actio nostra non habeat rationem meriti nisi ex præsuppositione ordinationis divinæ, non sequitur quod Deus efficiatur debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur [1].

Inst. 3°. Ut actio sit meritoria apud aliquem, debet esse in ejus commodum et utilitatem, ut dictum est : atqui nihil possumus operari in commodum Dei: *Si enim juste egeris, quid ei donabis*: Job. 35.

Resp. dist. min. [2]. Non possumus operari in commodum Dei velut intrinsecum, quasi ex operibus nostris aliquid accrescat Deo, conc.; in commodum velut extrinsecum, ad ejus scilicet gloriam exterius manifestandum, nego. Et hoc sufficit ad rationem meriti.

Solvuntur objectiones hæreticorum.

Objiciunt 1° hæretici : Omnia justorum opera coram Deo sunt peccata, aut certe variis peccatis admixta: ergo non merentur præmium, sed potius pœnam. Prob. ant. Isa. 46, dicitur : *Quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ.* Psal. 129 : *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit.* Psal. 142: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ergo.

Resp. neg. maj. S. Scriptura enim multa sanctorum opera bona agnoscit et laudat. Ad probationem, locus Isaiæ non est ad propositum ; ibi enim sermo est non de operibus justorum, sed de sacrificiis et aliis observantiis legalibus Judæorum, qui se justos existimabant eo quod hæc exteriora servarent, dum potiora violabant. Ad alia loca citata et similia, sensus est quod nullus sit tam justus, qui identidem in aliquibus venialiter non delinquat, et hoc sensu indiget misericordia Dei condonante; sed hæc levia meritum aliorum bonorum operum non evacuant, siquidem cum illis stet charitas quæ est plenitudo legis.

Instant ex patribus : S. Hieron. in *Dialogo cont. Pelag.* dicit : « Tunc justi sumus, quando nos peccatores fatemur, et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit. » S. Aug. lib. 9 *Confess.* cap. 13 : « Væ etiam laudabili hominum vitæ, si remota misericordia judices eam » : ergo.

[1] Ibid. ad 3. [2] Ibid. ad 2.

Resp. hos et alios patres passim asserere merita justorum, ut omnibus in eorum operum lectione versatis notum est ; neque id negat Calvinus, sed invehit in eos qui sic docuerunt : et lib. 3 *Instit.* cap. 15, dicit illum ex ss. patribus qui primus nomen meriti tribuit bonis operibus, pessime consuluisse sinceritati fidei. Itaque his loquendi modis in objectione non intendunt ss. patres expungere merita sanctorum, sed volunt tantum merita nostra non esse ex nobis, sed nobis dari per gratiam Dei, qua perpetuo egemus ut permaneamus justi, eaque variis admisceri maculis quæ continuo venia misericordiæ indigent, et ideo semper est in hac vita imploranda.

Urgent : S. Greg. lib. 9 *Moral.* cap. 1, dicit: « Omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicitur, si ab æterno arbitrio districte judicetur. »

Resp. S. Gregorium per « meritum virtutis nostræ » intelligere meritum quod ut suum sibi vindicat homo, non ut Dei donum. Patet ex titulo capitis, qui sic legitur : « Quod qui vitæ perfectione se erigit, nec initium se habere ostendit » : et ex his verbis verba objecta præcedentibus : « Qui accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. » Plura alia testimonia tum S. Scripturæ, tum ss. patrum quæ objiciunt hæretici, vide si lubet apud Sylvium q. 18 hujus partis a. 1.

Objiciunt 2°. Juxta S. Scripturam omnia sunt nobis donata in Christo : ergo ejus merita sufficiunt et nostra superfluunt ; imo injuriam meritis Christi facimus, cum humana merita adstruimus.

Resp. omnia nobis donata in Christo, non ut nihil agamus, sed ut quod agimus ex ejus meritis vim merendi habeat ; est enim ipse nobis principium bene operandi et merendi : unde Joan. 14, dicit : *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum : et omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum Pater meus.* Tantum abest autem ut merita nostra quidquam gloriæ Christi detrahant, quin potius eam magis attollunt, cum sit maxima Christi gloria quod non solum potuerit pro se mereri, sed etiam quod suis meritis nobis obtinuerit vim merendi.

Obj. 3°. Vita æterna datur ex misericordia Dei et gratia : Rom. 6: *Gratia Dei vita æterna.* Et idem Apost. Rom. 11, Ephes. 2, Tit. 3, affirmat nos salvos fieri ex gratia et non ex operibus : ergo.

Resp. vitam æternam dici gratiam Dei, non

quod non sit merces bonorum operum, sed quia ipsa bona opera sunt gratis et misericorditer nobis data, atque ita vera gratia. Ita. S. Aug. *de Correp. et Grat.* c. 13: « Sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit hominibus. » Dicitur etiam vita æterna gratia, quia gratuito promissa est ut merces bonorum operum : « Promissum est ex misericordia, inquit Bernard. in Tract. *de Grat. et Lib. arbit.*, sed ex justitia solvendum. »

Instant : Si vita æterna sit revera merces bonorum operum, cur Apostolus Rom. 6, sicut dicit *stipendium peccati mors*, non dixit similiter : stipendium bonorum operum vita æterna ?

Resp. cum S. Aug. epist. 105, ita potuisse loqui Apostolum, sed abstinuisse, ne de humano merito extolleremur, ac insuper quia opera bona non sunt ex se meritoria vitæ æternæ seclusa Dei gratia et promissione, sicut peccatum est de se meritorium pœnæ æternæ: unde concludit S. Doct. « Quapropter, o homo, si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa justitia. »

Ad Apostolum dicentem nos non salvos fieri ex operibus, sed ex gratia, respondet idem S. Aug. *de Grat. et Lib. arbit.* cap. 9, intelligendum esse de operibus ex nobis factis, non per gratiam nobis datis; merces enim reddita meritis recte dicitur gratia, nempe gratia pro gratia, juxta illud Joan. 1: *Accepimus gratiam pro gratia.*

Objiciunt 4°. Vita æterna est hæreditas : atqui filiis hoc ipso quo sunt filii, debetur hæreditas, et non propter merita : ergo.

Resp. vitam æternam esse simul hæreditatem et mercedem : nec repugnat ut hæreditas filiis præsertim adoptivis proponatur ut merces ; tum quia est ipsis magis honorificum illam habere ex meritis quam solo titulo hæreditatis, tum quia magis per hoc conformantur filio naturali, qui cum esset hæres omnium, voluit tamen per merita pervenire ad gloriam corporis et nominis exaltationem.

Obj. 5° illud Isa. 55: *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.*

Resp. per vinum et lac non intelligi vitam æternam ut mercedem operum, sed gratiam ex qua sunt opera, ut exponit S. Hieronymus.

Objiciunt tandem nomen ipsum meriti non haberi in S. Scriptura, saltem in originali textu Hebræo et Græco.

Resp: nomen ipsum meriti in originali textu exprimi quantum potuit juxta linguæ Græcæ et Hebraicæ proprietatem : quia, ut advertunt interpretes, Græci et Hæbræi non habent peculiarem vocem quæ correspondet Latinorum merito, sed ad istud exprimendum utuntur periphrasi: Græci dicunt opus præmio dignum, Hebræi justitiam : reddere autem alicui secundum justitiam, vel reddere secundum opera, idem est ac apud Latinos reddere secundum merita : verum etsi nomen meriti non exprimeretur, sufficeret quod res per illud significata exprimeretur : passim autem S. Scripturæ utuntur phrasibus quæ meritum aperte significant, ut patet ex probationibus.

ARTICULUS III.

UTRUM OPERA JUSTORUM QUÆ FIUNT EX GRATIA, SINT MERITORIA DE CONDIGNO VITÆ ÆTERNÆ ?

Sanctus Thomas considerat hic opera justorum duobus modis : 1° secundum substantiam et prout sunt a libero arbitrio; 2° prout sunt a gratia Spiritus Sancti, seu a gratia inhabitante et movente : et dicit quod bona opera justorum primo modo spectata non mereantur de condigno vitam æternam, sed de congruo : secundo autem modo spectata mereantur de condigno. Et de hoc secundo hic est quæstio. Sed circa primum se offert difficultas, quomodo S. Th. dicit quod opera justorum secundum substantiam et ut sunt a libero arbitrio mereantur de congruo gloriam, cum ipse supra q. 109. a. 1. et 6, expresse doceat hominem non posse per solas naturæ vires se præparare ad gratiam, a fortiori nec illam de congruo mereri; si tamen posset per solas naturæ vires mereri gloriam de congruo, quidni et gratiam ?

Hunc nodum solvit Sylvius dicendo S. Th. per opera justorum secundum substantiam et ut sunt a libero arbitrio, non intelligere opera ex solis viribus naturalibus, sed ex libero arbitrio moto a gratia actuali : quia loquitur S. Doct. generaliter de operibus justorum, et ea considerat secundum substantiam ; pleraque autem justorum opera etiam secundum substantiam non possunt esse per solas vires naturales sine auxilio gratiæ, cum sint supernaturales non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, ut sunt actus fidei, spei et præceptorum hujusmodi supernaturalium : opera autem justorum facta ex auxilio gratiæ,

etsi sine influxu gratiæ habitualis et charitatis, possunt de congruo mereri gloriam.

Aliter hunc locum interpretatur Joannes a S. Thoma: observat inprimis meritum de congruo posse sumi dupliciter : uno modo congruitate fundata in opere habente aliquod jus non proprium et adæquationis, sed convenientiæ : alio modo congruitate fundata in Dei magnificentia ; et dicit quod congruitas primo modo non interveniat in opere moraliter bono secundum substantiam et ut est a libero arbitrio considerato, quia est inferioris ordinis ad supernaturalia et nullam habet proportionem valoris cui gradus gloriæ correspondeat. Quantum ad congruitatem secundo modo, observat S. Thomam non dixisse hæc opera mereri de congruo, sed esse ibi congruitatem quamdam, quia scilicet non est congruitas valoris alicujus in opere, sed est congruitas solius proportionis in hoc sitæ, quod quia homo operatur secundum suam virtutem naturalem, etsi nullius valoris supernaturalis, Deus etiam secundum suam magnificentiam operatur, quod est proportio operantium, non operum. Ita subtiliter laudatus theologus. Quam voluerit interpretationem sequatur lector.

Hac itaque difficultate expedita, ut redeamus ad quæst. propositam, observo ejus resolutionem pendere ex diversa acceptione meriti de condigno.

Scotus cum quibusdam aliis intelligit meritum de condigno, cui debetur præmium ex justitia ; et cum operibus justorum, quantumvis bonis et ex gratia factis, non debeatur merces nisi ex ordinatione et acceptatione Dei, qui posset illa non ordinare nec acceptare ad præmium, dicit opera justi non esse proprie et intrinsece meritoria de condigno, sed tantum extrinsece ex ordinatione et acceptatione divina. Hoc sensu intelligendo meritum prout ponit debitum in præmiante, videtur vera sententia Scoti.

At non videtur hæc vera intelligentia meriti de condigno, nec sic nos intelligimus. Condignitas, ut vox ipsa sonat, dicit æquam dignitatem inter duo : unde meritum condignum dicit æquam dignitatem operis ad præmium : sicque meritum de condigno est inter quod et præmium est æqualitas valoris, seu quod est tanti valoris in ratione meriti, quanti est præmium in ratione præmii. Et hoc sensu intelligimus cum Auctore bona opera justorum esse meritoria de condigno gloriæ, quia nempe valor operis ex gratia æquat excellentiam gloriæ, quamvis ut sit debita a Deo ex justitia, fateamur requiri ejus ordinationem et acceptationem.

Sensus itaque nostræ quæstionis est utrum in operibus justorum ex gratia factis sit condignitas ad gloriam, per quod tollitur æquivocatio et forte conciliantur sententiæ oppositæ. Hoc ergo sensu,

Dico : [1] Opera justorum ex gratia inhabitante et movente facta sunt proprie et intrinsece meritoria de condigno vitæ æternæ.

Prob. 1° ex Script.Sacris articulo præcedenti laudatis quibus justi per opera bona dicuntur digni Deo et vita æterna : Sap. 8: *Deus tentavit illos et invenit dignos se.* Coloss. 1: *Ut ambuletis digne Deo.* 2 Thess. 1 : *Sic omnes tribulationes sustinetis, ut digni habeamini regno Dei.*

Prob. 2° [2]. Meritum de condigno est cujus valor æquat excellentiam præmii : atqui valor operum ut sunt a Spiritu Sancto et ex gratia inhabitante et movente æquat excellentiam vitæ æternæ : ergo. Prob. min. 1° Sunt ordinis supernaturalis et divini, sicut ipsa gloria. 2° Condignitas eorum attenditur tum secundum virtutem Spiritus Sancti qui, Joan. 4, dicitur *Fons aquæ salientis in vitam æternam*, id est principium operationum ad illam conducentium ; tum secundum dignitatem gratiæ, qua homo fit consors naturæ divinæ, proindeque potest operari digne Deo : ergo.

Confirm. Ephes. 1, gratia dicitur pignus hæreditatis nostræ : pignus autem valet tantum quantum valet res aut plus, ut dicit Auctor in hunc locum lect. 5. Ergo.

Prob. 3° [3]. Id quod redditur secundum justum judicium est merces condigna : si enim non esset condigna, sed superaret dignitatem meriti, non redderet ex justo judicio, sed ex benevolentia seu liberalitate : atqui vita æterna redditur a Deo secundum justum judicium, juxta illud 2 Timoth. 4 : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Neque dicas cum Durando Apostolum non dixisse coronam reddi justo judicio, sed reddi a Domino qui est justus judex, non quidem in præmiando bonos, sed in puniendo malos : hæc enim interpretatio est insolita et violenta, siquidem hæc verba: *quam reddet justus judex*, formaliter accepta, ut accipienda sunt, et ista: *coronam justitiæ*, aperte significant Deum in hoc opere agere ut justum judicem. Insuper ut quid Apostolus appellasset justum judicem, ubi agitur de præmiis et non de pœnis, si

[1] Q. 114, a. 3, c. — [2] Ibid. — [3] Ibid. in a. s. c.

sit tantum justus judex in pœnis et non in præmiis reddendis.

Obj. 1° illud Rom. 8: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* 2 Cor. 4: *Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur.* Matth. 25: *Quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam:* ergo opera nostra sunt inferioris valoris ad gloriam cœlestem, ideoque nec illa digna.

Resp. [1] hæc et similia intelligenda esse de operibus sanctorum consideratis secundum substantiam rei operatæ, ita ut quæ vel patimur, vel dimittimus, vel facimus propter Deum, sint res modici valoris respectu bonorum cœlestium, at non de operibus sanctorum prout sunt a Spiritu Sancto et a gratia, sic enim sunt digna Deo, ut probatum est.

Inst. Gloria excedit opera sanctorum etiam ut sunt a gratia; illa enim est æterna, ista sunt temporanea, illa est gratia consummata, ista inchoata : ergo.

Resp. dist. ant. [2] Gloria excedit opera sanctorum ut sunt a gratia, excessu perfectionis actualis, conc. Excessu virtutis, nego. Explicatur : Gratia præsens est ad instar seminis; semen autem licet non sit æquale arbori quantum ad molem, est tamen æquale in virtute; est enim in eo virtus ad totam arborem. Ita similiter licet gratia gloriæ sit perfectior actu quam gratia et opera viæ, est enim gratia consummata; hæc tamen ejus perfectio continetur in virtute gratiæ viæ, sicut perfectio arboris continetur in virtute seminis, quatenus per gratiam viæ virtus Spiritus Sancti qui habitat in nobis, est sufficiens causa gloriæ ad quam continuo tendit, sicut virtus generantis in semine tendit ad arborem ut ad terminum sibi commensuratum. Sicut ergo motus ab hac virtute seminis prodeuntes sunt commensurati et suo modo condigni ut per eos arbor perfecta producatur, sic motus bonorum operum ab illa virtute Spiritus Sancti sunt commensurati, atque ita condigni ut per eos perveniatur ad gloriam.

Repones ex communi effato apud theologos recepto : Deus remunerat justos ultra condignum, juxta illud Luc. 6: *Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum,* ergo opera viæ non merentur vitam æternam de condigno.

Resp. neg. conseq. Quod Deus remuneret ultra condignum, non sic est intelligendum quasi opera justorum non mereantur de condigno vitam æternam, sed quod ultra gloriæ gradum quem de condigno merentur, Deus ex sua liberalitate aliquid amplius adjiciat, quod non negamus. Quid sit autem illud? Quamvis non sit facile explicare, verisimile est tamen quod sit quædam perfectio visionis seu fruitionis beatificæ major quam mereantur opera.

Obj. 2° Meritum de condigno est cui debetur præmium ex justitia, ita ut non possit ei denegari sine injustitia : atqui Deus habenti merita gratiæ posset seclusa promissione denegare præmium sine injustitia, quia est Supremus Dominus qui etiam posset sic merentem annihilare : ergo.

Resp. neg. maj. ad sensum conclusionis : Quia meritum de condigno, prout nos hic sumimus, id est condignitas meriti, non attenditur penes debitum, sed penes æqualitatem valoris operis ad præmium; quod autem tali operi condigno Deus debeat præmium, id convenit ex conventione præmium illi retribuendi : ex qua conventione resultat in Deo obligatio justitiæ non rigorosæ, sed latioris, quia supponit gratiam factam merenti a præmiante; bona opera enim sunt ex ejus gratia et nonnisi ex liberalitate et gratia illa acceptata ad præmium, quamvis ex se ad illud habeant condignitatem.

Inst. Condignitas meriti importat valorem ejus ordinatum ad præmium : atqui non ordinatur ad præmium ex se intrinsece, sed ex intrinseca Dei dispositione et acceptatione : ergo.

Resp. dist. maj. Condignitas meriti importat valorem ejus ordinatum ad præmium ordinatione externa pacti et conventionis, nego maj.; ordinatione intrincesæ commensurationis rei quæ est meritum ad rem quæ est præmium, conc. maj. Ad cujus sensum dist. min., nego conseq. Itaque, ut iterum repetam, quamvis ad merendum apud Deum præsupponi debeat aliqua ordinatio pacti et acceptationis, non inde tamen petitur condignitas meriti ad præmium, sed ex commensuratione intrinseca seu ex æqualitate valoris operis ad excellentiam præmii, quæ reperitur in operibus ex gratia sanctificante factis, ut probatum est.

ARTICULUS IV.

Utrum ad meritum vitæ æternæ requiratur influxus saltem virtualis charitatis?

Suppono ex dictis habitum gratiæ esse principium tantum remotum meriti, quatenus dat

[1] Ib. ad 1. — [2] Ib. ad. 3.

esse deiforme et elevat ad ordinem supernaturalem, idoneum tamen qui per virtutes a se derivatas tanquam per principia proxima possit bene operari et mereri. Quæstio hic vertitur utrum possit per omnes virtutes a se derivatas tam acquisitas quam infusas mereri vitam æternam sine aliquo influxu charitatis. Dico vitam æternam quæ est præmium essentiale, quia nemo negat actibus virtutum sine influxu charitatis in justo, correspondere aliquod præmium accidentale, ut docet S. Th. 1. p. q. 95. a. 4.

Quidam itaque tenent omnes actus elicitos a virtutibus etiam acquisitis esse in justo meritorios de condigno vitæ æternæ absque influxu etiam virtuali charitatis; ita Vasques. Alii id concedunt de virtutibus infusis, negant de acquisitis; ita Suares et quidam thomistæ. Alii tenent nullum actum virtutis sive acquisitæ sive infusæ esse meritorium vitæ æternæ sine influxu saltem virtuali charitatis. Ita communius theologi, cum quibus,

Dico: Nullus actus virtutis sive acquisitæ sive infusæ in justo est meritorius de condigno vitæ æternæ, nisi fiat ex influxu saltem virtuali charitatis.

Videtur expressa sententia Auctoris: dicit enim hic a. 4. o: « Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur. » Et ad 3: « Fidei actus non est meritorius nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Gal. 5. Similiter etiam actus patientiæ et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis hæc ex charitate operetur secundum illud 1 Cor. 13: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Idem docet q. 6 de Malo a. 5. ad 7, 1 p. q. 95. a. 4, et alibi. Rationem autem adfert in 2 dist. 40. q. 1. a 5. ad 6: « Non sufficit, inquit, habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur. »

Prob. 1° ex S. Scriptura. Galat. 5, dicitur: *In Christo Jesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur.*

Item S.Scriptura sic promittit præmium bonis operibus ut etiam addat hanc conditionem, si fiant in gloriam Dei, vel in nomine Christi, vel propter Christum: Matth. 18: *Qui recipit unum ex his pusillis in nomine meo, me suscipit.* 19: *Omnis qui reliquerit domum aut patrem aut matrem propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.* Marc. 9: *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, non perdet mercedem suam:* quæ omnia important relationem aliquam in Deum ut ultimum finem, consequenter in objectum charitatis: unde Apost. sollicitus est hoc motivum inculcare, ne fraudemur præmio: 1 Cor. 10: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quidquid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Similiter Coloss. 3.

Prob. 2° ratione triplici: Prima: ut actus sit meritorius vitæ æternæ debet in obsequium et bonum Dei præmiantis referri, ut patet ex conditionibus meriti; atqui actus aliarum virtutum non referuntur in obsequium et bonum Dei nisi per charitatem, quæ sola Deum ut in se bonum respicit; fides enim respicit ipsum ut verum, spes ut nobis bonum, virtutes morales sive acquisitæ sive infusæ bonum honestum et morale: ergo.

Secunda ratio: Præmium essentiale in patria respondet perfectioni essentiali viæ: atqui perfectio viæ essentialiter consistit in charitate: ergo meritum præmii essentialis in sola charitate fundatur, consequenter nulli alteri virtuti competere potest nisi ex motione et imperio charitatis. Prob. min. Coloss. 3, dicitur: *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Rom. 13: *Plenitudo legis charitas.* 1 Joan. 3, dicitur vita virtutum: *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Cor. 13, dicitur forma dans esse spirituale homini et ejus operibus, sine qua nihil possunt, et ipse nihil est: *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest, nihil sum.*

Hinc S. Th. 2 2. q. 184, a. 1. o. ait: « Unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem qui est ultima rei perfectio; charitas autem est quæ nos unit Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis, quia *qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo,* ut dicitur 1 Joan. 4, et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio vitæ christianæ. » Et ad 2: « Vita christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo conjungitur; unde dicitur Joan. 3: *Qui non diligit, manet in morte.* Et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio vitæ christianæ, secundum alias virtutes secundum quid » : ergo.

Tertia ratio: Per id meremur assequi ultimum finem qui est Deus, per quod tendimus in ipsum; tendendo enim in finem, pervenimus ad ipsum: atqui per solam charitatem tendimus in Deum ut ultimum finem: obje-

ctum enim specificativum charitatis est Deus ut in se bonus et ultimus finis noster, quod a nulla alia virtute attingitur : unde S. Th. hic a. 4. ad 1 : « Charitas in quantum habet ultimum finem pro objecto, movet alias virtutes ad operandum; semper enim habitus ad quem pertinet finis, imperat habitibus ad quos pertinent ea quæ sunt ad finem » : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° plura loca S. Script. Matth. 10 et 12, Luc. 10, 1 Cor. 15 ; et conc. Trid. sess. 6, cap. 10. 16, et can. 32, quibus vita æterna promittitur absolute cuilibet bono operi justorum : ergo.

Resp. in his et similibus locis subintelligi conditionem, quam S. Scriptura alibi sæpe requirit, scilicet ut opera fiant propter Deum, in nomine Dei, in gloriam ejus, etc. ut patet ex probationibus concl. Neque id tacuit Trid. cum ibi loquatur de operibus « cooperante fide » factis, fide scilicet formata, quæ per dilectionem operatur : item « de operibus in Deo factis », id est propter Deum et in ejus nomine factis.

Obj. 2° D. Th. q. 2 de Malo a. 5. ad 7. dicit : « Habentibus charitatem omnis actus est meritorius vel demeritorius. » Idem dicit in 2 dist. 40, q. 1. a. 5. o : atqui si ad meritum requiratur influxus charitatis, poterit dari actus qui neque sit meritorius neque demeritorius, scilicet actus moraliter bonus cui deerit influxus charitatis : ergo.

Resp. neg. min. 1° Quia iste actus bonus sine influxu charitatis foret meritorius alicujus præmii accidentalis; 2° quia omnes actus virtutum in homine justo sunt ex influxu virtuali charitatis, quatenus non solum in instanti justificationis, ut quibusdam placet, sed sæpe elicit et elicere tenetur sub peccato actum charitatis, virtute cujus omnia referuntur in Deum, ut docet S. Doctor q. 2 de Virtutibus a. 11. ad 2, his verbis : « Cum aliquis seipsum ordinat in Deum, in omnibus quæ propter ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est : unde in omnibus mereri potest, si charitatem habeat. » Verum est ergo quod omnia bona opera justorum sint meritoria, at non sine influxu virtuali charitatis.

Inst.: Ex hac responsione sequitur quod in homine justo non possit dari actus otiosus, cum juxta illam, nullus careat debito fine, sed omnes referantur in finem charitatis.

Resp. neg. sequelam, non enim attenditur actus otiosus ex fine ultimo, sed ex proximo qui non sit bonus ; hoc ipso enim quod non habet finem proximum bonum, non est referibilis in Deum ut finem ultimum, et sic remanet venialiter malus.

Dices : Ut opus sit satisfactorium, non requiritur influxus charitatis : ergo neque ut sit meritorium.

Resp. omisso anteced. de quo alibi, neg. conseq. Disparitas est quod condignitas satisfacientis attendatur secundum æqualitatem pœnæ cum culpa ; condignitas autem meriti attenditur secundum adæquationem valoris operis cum excellentia præmii, qui valor æqualis non habetur sine influxu charitatis.

Obj. 3° Actus saltem virtutum infusarum habent omnes conditiones requisitas ad meritum sine influxu charitatis : ergo.

Resp. neg. ant.; nam sine influxu charitatis deest ordinatio in bonum et obsequium Dei.

Inst.: Isti actus, cum sint a gratia sanctificante, et ideo a Deo ut auctore supernaturali, ad ipsum ut ultimum finem supernaturalem referuntur ; nam ultimus finis semper proportionatur primo agenti : ergo.

Resp. dist. ant.; Referuntur ad Deum ut finem ultimum supernaturalem, imperfecte et implicite tantum, conc.; perfecte et explicite, prout requiritur ad meritum, nego. Hi itaque actus virtutum infusarum, secluso influxu charitatis, in tantum dicuntur referri ad finem ultimum supernaturalem in quantum referuntur ad suum finem particularem, ut actus fidei ad Deum ut verum, spei ad Deum ut nobis bonum, qui fines particulares, cum sint supernaturales, continentur sub universali fine ultimo supernaturali, sicut omnia pertinentia ad unum genus, in finem illius quomodocumque tendunt. Hæc autem relatio est valde generalis et imperfecta, convenit enim actibus fidei etiam informis, et est potius exigentia et capacitas proxima ut referatur quam actualis relatio, neque sufficit ut opus dicatur fieri propter Deum et in ejus bonum ac obsequium, nec consequenter ut sit meritorium saltem præmii essentialis.

Inst.: Juxta S. Th., ut actus bonus sit meritorius, sufficit ut referatur in finem alicujus virtutis, et hac ratione in finem charitatis : ergo. Prob. ant. S. Doct. in 2 d. 40. q. 1. a. 5. o, dicit: « In illo qui gratiam habet, oportet actum vel meritorium vel demeritorium esse, quia sicut malus erit demeritorius, sic etiam bonus erit meritorius ; quia cum charitas imperet

omnibus virtutibus sicut voluntas omnibus potentiis, oportet quod quidquid ordinatur in finem alicujus virtutis, ordinetur in finem charitatis, et cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicujus virtutis, in finem charitatis ordinatus manebit, et ita meritorius erit : et sic comedere et bibere, servato modo temperantiæ ; et ludere ad recreationem, servato modo eutrapeliæ, quæ medium tenet in ludis, ut dicitur 4 Ethic. meritorium erit in eo qui habet charitatem, qua Deum ultimum finem vitæ suæ constituit » : ergo.

Resp. S. Thomam nullatenus velle sufficere habitum charitatis absque ullo influxu ut actus sit meritorius ; sed tantum non requiri actualem, et sufficere virtualem, qui est in omni justo ex iteratis sæpe actibus charitatis ad quos tenetur et sine quibus desinit esse justus. Mens S. Doctoris patet non solum ex verbis citatis ubi pro ratione sui asserti ponit quod charitas imperet omnibus virtutibus, sicut voluntas omnibus potentiis, non est autem imperium neque charitatis neque voluntatis absque aliquo influxu , sed et maxime ex resp. ad 6, ubi clare se explicat his verbis : « Non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum , quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur : nec tamen oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni quæ dirigitur in aliquem finem proximum , sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc enim quidquid ad seipsum ordinat in Deum ordinatum erit. »

Obj. 4° Si nullus actus virtutum sit meritorius sine charitate, ergo charitas sola meretur, sicque superfluunt aliæ virtutes.

Resp. neg. sequelam : Charitas enim in merendo se habet ad alias virtutes sicut causa universalis ad particulares : unde sicut causa universalis non impedit causalitatem causarum particularium , sed complet, ita, licet omnes virtutes habeant efficaciam merendi a charitate, singulæ tamen merentur sub ejus influxu.

Pro corollario observandum quod cum meritum admittat latitudinem, sit majus vel minus meritum, secundum quod charitas plus vel minus, proximius vel remotius influit in opus.

ARTICULUS V.

DE HIS QUÆ CADUNT SUB MERITO.

Præter vitam æternam quæ, ut patet ex dictis, est objectum essentiale meriti, de pluribus quærit S. Th. in sex articulis sequentibus, utrum cadant sub merito: 1°. Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam ? 2°. Utrum possit illam alteri mereri ? 3°. Utrum possit sibi mereri reparationem post lapsum ? 4°. Utrum possit sibi mereri augmentum gratiæ ? 5°. Utrum perseverantiam finalem? 6°. Utrum bona temporalia ? Quæ omnia sequentibus §§ breviter resolvemus.

Sed ante omnia, ut tollatur æquivocatio et quædam opiniones contrariæ circa meritum de congruo concilientur, observandum nos distinguere ex Auctore hic a. 6, o, duplex meritum de congruo, unum proprium et strictum, alterum latum et improprium : meritum de congruo proprium et strictum reponimus in jure amicabili ad præmium, per quod distinguitur a merito de condigno, quod importat debitum justitiæ : meritum de congruo late et improprie sumptum reponimus in exigentia formæ per modum dispositionis aut impetrationis. Quidam autem confundunt utrumque hoc meritum de congruo; unde oritur discordia inter nos et ipsos, dum ipsi dicunt quædam cadere sub merito de congruo, quod nos negamus ; sed, ut patet, est controversia de nomine tantum et ex diversa intelligentia meriti de congruo.

§ I.

Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam?

Dico : [1] Nemo potest sibi mereri primam gratiam habitualem, neque de condigno, neque de congruo proprio, sed improprio tantum.

Dixi « Primam gratiam habitualem ; » nuia de actuali nullus catholicus dubitat : ita quippe definitum est contra pelagianos, quam definitionem innovat Trid. sess. 6. cap. 5, et patet ex his quæ supra diximus, nullum ex viribus naturæ nequidem posse se disponere ad illam primam gratiam actualem.

Prob. prima pars quæ etiam videtur de fide. 1° ex S. Scriptura, Rom. 2: *Justificati gratis*

[1] 1 p. q. 114, a. 5. o.

per gratiam ; et ex concil. Trid. sess. 6. cap. 8, ubi exponens præfata Apostoli verba dicit : « Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. »

Prob. 2° [1] ratione : donum gratiæ considerari potest dupliciter : uno modo secundum rationem gratuiti doni, et sic manifestum est quod omne meritum repugnat gratiæ ; quia ut ad Rom. 11 Apostolus dicit : *Si autem gratia, jam non ex operibus.* Alio modo potest considerari secundum naturam ipsius rei quæ donatur, et sic etiam non potest cadere sub merito non habentis gratiam ; tum quia excedit proportionem naturæ ; tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum. Postquam autem aliquis jam habet gratiam, non potest gratia jam habita sub merito cadere, quia merces est terminus operis, gratia vero est principium cujuslibet boni operis in nobis. Et hinc

Confirm. Quia principium meriti non potest cadere sub merito : atqui prima gratia est principium meriti : ergo.

Dices : Actus contritionis ultimo disponens ad gratiam, illam præcedit, et cum aliunde sit actus charitatis, quæ principaliter est meritoria, nihil videtur illi deesse ut mereatur illam gratiam.

Resp. actum contritionis ultimo disponentem ad gratiam, sive ab habitu gratiæ aut charitatis procedat, sive ab auxilio actuali, non habere rationem meriti, nisi quatenus informatur gratia ; prout autem præcedit gratiam, nondum intelligitur informatus gratia, sed est actus hominis nondum Deo grati et in peccato adhuc existentis, ideoque incapax meriti. Vide art. penultimum præced. dissert. § 4.

Inst.: Deus promittit gratiam justificationis iis qui toto corde convertuntur ad ipsum, juxta illud : *Convertimini ad me, et ego convertar :* atqui bonum promissum sub conditione operis est ejus præmium, sicque respectu illius opus est meritorium : ergo.

Resp. dist. min. Bonum promissum sub conditione operis est ejus præmium, et opus respectu illius est meritorium, si operans sit in statu merendi, conc.; secus, nego. Tunc enim opus non potest habere nisi rationem dispositionis aut impetrationis, cui bonum promissum erit reddendum ad summum ex fidelitate, non ex justitia. Porro homo ante gratiam justificantem cum sit in statu peccati, non est in statu merendi.

Subsumes : Atqui se convertenti ad Deum gratia datur ex justitia juxta illud 1 Joan. 1 : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus et justus ut illa remittat :* ergo.

Resp. S. Joannem sumere justitiam latiori sensu pro executione promissionum, quo sensu dicitur Psal. 50 : *Ut justificeris in sermonibus tuis,* id est ut videaris fidelis in promissis. Vel intelligit justitiam respective ad Christum, qui vere meruit nobis remissionem peccatorum : unde subdit : *Si quis peccaverit, advocatum habemus Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Insistes : Deus non dat gratiam nisi dignis : atqui non dicitur aliquis dignus aliquo beneficio, nisi qui ipsum meruit de condigno : ergo.

Resp. [1] equidem Deum non dare gratiam nisi dignis, non ita tamen ut prius digni fuerint, sed quia ipse per gratiam eos facit dignos, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine.

Si petas utrum saltem homo per bona opera subsequentia non possit mereri gratiam prius sibi datam intuitu istorum bonorum operum subsequentium, sicut videmus v. g. quod miles arma prius sibi data a rege intuitu meritorum subsequentium, illa mereatur per bonum usum illorum ?

Resp. negative. [2] Disparitas est quod gratia ipsa tribuat bonum sui usum, sicque ideo principium adæquatum meriti ; unde cadere non potest sub merito. At arma non dant, sed expectant ab industria et animo militis bonum sui usum et ejus meritum, unde cum non sint principium adæquatum meriti, possunt cadere sub merito.

Prob. secunda pars conclusionis : Meritum de congruo proprie sumptum consistit, ut diximus, in jure amicabili ad præmium, unde ad illud requiritur non solum congruitas operis, sed etiam operantis, ut scilicet sit gratus præmianti, non illi infensus, nec ejus beneficiis indignus, qualis est tamen homo in statu peccati ante justificationem. Ergo.

Et iste modus loquendi videtur conformior S. Scripturæ dicenti impium gratis justificari, et concilio Trid. generaliter statuenti opera justificationem præcedentia illam non mereri : hinc enim videtur excludi meritum proprium de congruo, nam quod proprie meremur de congruo, non dicitur proprie gratuitum et dari absque merito. Est etiam conformior Auctori

[1] Ibid.

[1] Ibidem ad 2. [2] Ibid. ad 3.

i absolute statuit hominem non posse sibi ɜreri primam gratiam, non distinguens inter ɜritum condignum et congruum, quod fe-set si putasset hominem posse sibi mereri mam gratiam de congruo, sicut distinguit ic. sequenti ubi quærit an justus possit me-i alteram primam gratiam.

Tertia pars constat : Quia opera bona præce-ıtia justificationem et orationes peccatoris miliati et pœnitentis exigunt gratiam per ɔdum dispositionis et impetrationis, in quo ɔonimus meritum de congruo late sumptum. de hoc merito intelligendus est S. Aug. dum ıct. 44 *in Joan.* dicit quod confessio publi-ıi meruit justificationem ; et Epist. 15 : Quod ipsa peccatorum remissio non sine quo merito est, si fides hanc impetrat, nec m nullum est meritum fidei.» Non enim Aug. hic et alibi tribuit illud meritum per-ıæ, sed operi, ut innuat esse quidem ali-ım congruitatem ex parte operis, quod est ɜritum de congruo late, sed deesse congrui-em ex parte personæ ob statum peccati, quæ nen congruitas requiritur ad meritum de ıgruo proprie.

§ II.

rum justus possit alteri mereri primam gratiam?

Dico : [1] Nullus præter Christum potest alteri ɜreri primam gratiam de condigno, bene nen de congruo.

Prob. prima pars : [2] Opus nostrum habet ionem meriti de condigno ex vi motionis inæ gratiæ, et sic homo justus ea tantum ɔprie et de condigno meretur, ad quæ se endit motio divinæ gratiæ : atqui gratia ro homini collata est particularis ipsumque ɔvet ad propriam perfectionem et salutem, n vero ut alios sanctificet, id namque pro-um est gratiæ capitis et universalis qualis t in Christo, quæ secundum præsentem pro-lentiam nulli particulari justo conceditur : go.

Prob. secunda pars : [3] Quia cum homo in ıtia constitutus, Deo gratus et amicus, im-at ejus voluntatem, congruum est secun-m amicitiæ proportionem ut Deus impleat luntatem hominis in salvatione alterius, ɔdo tamen non adsit impedimentum nimiæ stinationis aut aliud ex parte illius cujus quis sanctus justificationem desiderat.

[1] Ibid. a. 6. o. [2] Ibid. [3] Ibid.

§ III.

Utrum homo justus possit sibi mereri reparationem post lapsum?

Dico : [1] Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum neque merito condigni, neque merito congrui proprie.

Prob. prima pars : [2] 1°. Ezech. 18, dicitur : *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur :* ergo nihil valebunt ei præcedentia merita ad hoc quod resurgat, alioquin valde utilis et magna haberetur recordatio.

2°. [3] Meritum de condigno dependet ex motione divinæ gratiæ, ideoque non se extendit ultra illam : atqui ista motio interrumpitur per peccatum, sicque non se extendit ad beneficia peccato posteriora: ergo. Confir. 1°. Omnia merita quæ justus sibi comparavit, suspenduntur et impediuntur per peccatum sequens : ergo hoc peccatum vi istorum meritorum non potest tolli, nec per consequens homo lapsus reparari. Confir. 2°. Homo justus non potuit mereri ut præmium conferretur indigno : atqui homo lapsus est indignus: ergo. Confir. 3°. Si justus mereretur de condigno reparationem post lapsum, illam infallibiliter obtineret, sicque omnes justi essent prædestinati, utpote finaliter ad gratiam restituendi; ergo.

Prob. secunda pars : Meritum de congruo proprie sumptum importat jus amicabile ad præmium, ita ut non sit tantum congruitas et aptitudo ex parte operis, sed etiam operantis : atqui justus non habet jus amicabile ad reparationem post lapsum, quia per peccatum perditur Dei amicitia, fit indignus ad divina beneficia, ideoque suspenditur omne meritum præcedens sive condigni, sive congrui.

Dices 1°. Justus utiliter orare potest ut si cadat, resurgat; juxta illud Psal. 70: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, Domine :* ergo confert ejus oratio ut resurgat, sicque de congruo saltem mereri potest. 2°. Homo potest alteri mereri de congruo reparationem post lapsum : ergo a fortiori sibi; magis enim prosunt homini opera sua quam alteri. 3°. Homo justus potest mereri sibi vitam æternam : sed ad vitam non pervenitur nisi per gratiam : ergo.

Resp. ad primum, dist. conseq. [4] Ergo confert ejus oratio per modum meriti de congruo

[1] Ibid. a. 7. c. [2] Ibid. in a. s. c. [3] Ibid. o. [4] Ibid. ad 1.

proprie, quod in jure amicabili fundatur, nego; per modum impetrationis, quæ in sola Dei liberalitate et misericordia fundatur, quod est meritum de congruo late, conc.

Ad secundum, nego conseq. [1] Disparitas est quod dum justus meretur pro altero, non est impedimentum ex parte merentis, quale est futurum si peccando mortificet sua opera.

Ad tertium : [2] Equidem justus per actum charitatis meretur absolute vitam æternam, sed per peccatum sequens ponitur impedimentum præcedenti merito ut non sortiatur suum effectum.

Cætera quæ opponi possunt contra secundam partem, intelligenda sunt de merito congrui improprie et late sumpto pro congruitate et aptitudine ex parte operis, non ex parte operantis, qui peccando amisit jus amicabile ad reparationem et se reddidit indignum divinis beneficiis.

§ IV.

Utrum homo justus possit sibi mereri augmentum gratiæ vel charitatis?

Dico : [3] Homo potest sibi mereri de condigno augmentum gratiæ vel charitatis, juxta illud S. Aug. Tract. 5 *in Epist. Joan.* « Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. » Ita definivit sub anathemate conc. Trid. sess. 6, can. 32, et constat ex S. Scriptura quæ toties nos hortatur ad illum augmentum per bona opera consequendum, ut Ephes. 4. et alibi.

Ratio est : [4] Quia illud sub merito condigni cadit ad quod motio Dei se extendit; motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed ad totum progressum in motu : atqui terminus motus gratiæ est vita æterna, progressus vero in hoc motu est secundum augmentum gratiæ vel charitatis, secundum illud Proverb. 4: *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem,* qui est dies gloriæ : ergo.

Dices : Id quod cadit sub merito, meretur homo per quemlibet actum a gratia vel charitate procedentem, sicut per quemlibet talem actum meretur vitam æternam : si igitur augmentum gratiæ et charitatis cadat sub merito, videtur quod per quemlibet actum charitate informatum, homo mereatur augmentum gratiæ, et cum id quod homo meretur infallibiliter consequatur, sequitur quod per actus etiam remissos mereatur augmentum gratiæ et charitatis, quod videtur inconveniens : ergo.

Resp. [2] Quod quamvis quomodo fiat augmentum gratiæ, non sit ita compertum, Auctor tamen hic absolute resolvit quod quolibet actu meritorio homo mereatur augmentum gratiæ, sicut et gratiæ consummationem quæ est vita æterna; sed sicut vita æterna non statim redditur sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur sed suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentum.

§ V.

Utrum homo possit sibi mereri donum perseverantiæ finalis?

Per perseverantiam finalem hic intelligimus permanentiam in gratia usque ad mortem seu conjunctionem status gratiæ cum morte : unde donum perseverantiæ finalis est illud speciale et magnum donum quo fit ut homo in statu gratiæ permaneat usque ad mortem, et de illo quæritur, utrum cadat sub merito?

Dico : [1] Nemo potest mereri de condigno perseverantiæ donum. Ita omnes catholici cum Auctore.

Colligitur ex S. Scriptura Philipp. 2. dicente : *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate :* non dicit pro meritis, sed pro bona voluntate ; ita ut sicut initium, ita finalis perseverantia sit a solo Deo. Item colligitur ex Trid. sess. 6, cap. 13, ubi de dono perseverantiæ dicit : « Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere. » Quod autem meretur homo, etsi principaliter sit a Deo, non dicitur tamen esse a solo Deo, sed ab homine per sua merita.

Prob. 1° ex principio Auctoris [2] ab omnibus recepto : Principium meriti non cadit sub merito operis ab ipso principio procedentis; nihil enim potest esse sui ipsius meritum et præmium, causa et effectus : atqui si perseverantiæ donum caderet sub merito, principium meriti caderet sub merito operis ab ipso principio procedentis : ergo. Prob. min. Donum perseverantiæ consistit in divina motione conservativa gratiæ primum datæ : atqui motio divina ut conservativa gratiæ est principium

[1] Ibid. ad 2. [2] Ibid. ad 3. [3] Q. 114. a. o. 8. [4] Ibid.

[1] Ibid. ad 3. [1] Ibid a. 9. o. [2] Ibid. o.

meriti, seu se tenet ex parte principii : ergo. Prob. min. Motio divina ut conservativa gratiæ est eadem entitative ac prima productio gratiæ; conservatio enim rei est continuata ejusdem rei productio, consequenter actio conservativa rei non distinguitur entitative a prima ejus productione, dicente Auctore 1. p. q. 114. a. 1. ad 4: « Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis quæ dat esse... sicut etiam conservatio luminis in aere est per continuatum influxum a sole » : atqui prima productio gratiæ est principium meriti, seu se tenet ex parte principii. Itaque sicut nemo potest mereri suam conservationem, quia conservatio non est actio distincta a creatione, quæ non cadit sub merito, ita nemo potest mereri perseverantiam in bono, quia nihil est aliud quam gratiæ conservatio, quæ non distinguitur a prima ejus productione, quæ non cadit sub merito, ut probatum est supra.

Prob. 2°. [1] Omne quod quis meretur de condigno, illud a Deo obtinet infallibiliter, nisi impediatur per peccatum. Si ergo perseverantia caderet sub merito, cum vix ullus justus sit qui non habeat opera meritoria, vix ullus esset qui non haberet donum perseverantiæ, contra illud : *Multi vocati, pauci electi.* Neque dici potest multos justos ideo non perseverare, quia per peccatum amittunt meritum, quo sibi donum perseverantiæ meruerant : hoc ipsum enim quod est peccare, opponitur perseverantiæ; ita ut si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret illum cadere in peccatum.

Neque etiam dicas inde probari justum non posse mereri donum perseverantiæ per communia opera meritoria, at non probari quod non possit illud mereri per quædam excellentia merita, vel multorum meritorum cumulum : tum quia si per quodlibet opus meritorium homo mereretur vitam æternam et augmentum gratiæ, non esset ratio cur similiter non mereretur perseverantiam, si illa caderet sub merito : tum quia constat plures eximie sanctos multis et excellentibus meritis donatos eam obtinuisse.

Prob. 3°. Ad meritum de condigno requiritur promissio Dei seu pactum reddendi mercedem pro opere : atqui Deus nullibi promisit perseverantiam bene operantibus, quin e contra clamat S. Scriptura etiam justos debere cum metu et tremore operari suam salutem, et

[1] Ibid. in a. s. c.

eum qui stat debere esse sollicitum ne cadat. Ergo.

Obj. 1°. Qui potest mereri majus potest et minus : atqui justus potest mereri de condigno vitam æternam et in ea perseverantiam; item et augmentum gratiæ, quæ sunt quid majus ipsa perseverantia vitæ : ergo.

Resp. dist. maj. [1] Qui potest mereri majus, potest et minus, cæteris paribus, conc.; cæteris imparibus, nego. Disparitas autem hic est quod tam vita æterna et in ea permanentia quam augmentum gratiæ comparentur ad motum meritorium liberi arbitrii, proinde ad gratiam quæ est hujus motus meritorii principium, ut terminus, non autem donum perseverantiæ, quod, ut dictum est, non distinguitur ab illa prima gratia quæ est principium meriti, ideoque respectu illius non habet rationem termini.

Inst.: Qui potest mereri finem, potest mereri media necessaria ad illum : atqui perseverantia est medium necessarium ad vitam æternam : ergo.

Resp. 1°: Neg. maj. universaliter sumptam : merita namque sunt media necessaria ad vitam æternam promerendam, et tamen merita non meremur : sufficit ergo quod media ad finem consequendum necessaria possimus habere, etsi non semper possimus ea mereri ; vel quia non sunt proposita tanquam merces, vel quia aliud obstat.

Resp. 2°, neg. min. Perseverantia enim est quidem necessaria ad consecutionem vitæ æternæ, non vero ad illam merendam : homo ergo justus per bona opera, independenter a perseverantia, meretur absolute vitam æternam, non tamen meretur absolute ejus consecutionem, sed « si in gratia decesserit, » ut dicit Trid. sess. 6, cap. 16 et can. 32.

Repones : Justus per bonum opus præsens potest mereri auxilium efficax ad bonum opus sequens, et sic usque ad finem : ergo potest mereri donum perseverantiæ. Idem argumentum fieri potest de augmento gratiæ, quod justus potest mereri.

Resp. omisso ant. neg. conseq. Etsi enim justus per bonum opus præsens mereatur auxilium efficax ad opus sequens, illud tamen non obtinebit infallibiliter nisi in quantum perseverabit in gratia ; quod autem perseveret in gratia, mereri non potest, quia istud donum se tenet ex parte principii meriti, ut dictum est. Eadem est responsio ad argumentum de augmento gratiæ.

[1] Ibid ad 2 et 3.

Omisi ant. Non enim omnibus probatur auxilium efficax cadere sub merito; nullibi enim habetur quod sit propositum ut præmium meriti, et illud est de quo dicit S. Aug. quod cui datur, ex misericordia datur; cui non datur, ex justitia non datur.

Obj. 2°. Illud quod homo obtinet petendo, potest cadere sub merito habentis gratiam: atqui perseverantiam petendo homines obtinent, alioquin frustra peteretur a Deo: ergo.

Resp. neg. maj. universaliter sumptam; [1] non enim omnia quæ petendo obtinemus, meremur: sic Deus audit peccatores peccatorum veniam petentes quam non merentur, ut dicit S. Aug. Tract. 44. *in Joan.* Igitur perseverantiæ donum aliquis petendo impetrat vel sibi vel alteri, quamvis sub merito non cadat: sunt verba Auctoris. Et hinc præoccupatur instantia, scilicet: Justus potest alteri mereri perseverantiam: ergo et sibi. Negat enim ant. Auctor: et dato quod hoc posset, non foret meritum nisi de congruo, et foret adhuc disparitas quod perseverantia alterius non se teneret ex parte principii meriti in illo cui meretur; secus propria perseverantia.

Utrum vero donum perseverantiæ cadere possit sub merito saltem de congruo? dissentiunt auctores etiam thomistæ.

At si intelligatur de merito congruo proprie et stricte sumpto, videtur conformius principiis et menti D. Th. donum perseverantiæ non posse cadere sub illo, sed tantum sub merito congruo late et improprie.

1° Quia non minus repugnat principium meriti cadere sub merito de congruo proprie et stricte quam sub merito de condigno. 2° Quia meritum de congruo stricte infallibiliter etiam obtinet mercedem; cum enim fundetur in jure amicabili, Deus non denegat homini quæ ipsi secundum leges amicitiæ sunt debita, ex quo ut ex merito de condigno sequeretur omnes ferme justos fore perseverantes.

Restat ergo justum posse mereri donum perseverantiæ merito de congruo late sumpto pro impetratione fundata in liberalitate et benignitate Dei. Et hoc sensu intelligendus est S. Aug. dum dicit *de Dono persever.* cap. 6: « Hoc Dei donum suppliciter emereri potest »; ut innuit τo « suppliciter. »

§. VI.

Utrum bona temporalia cadant sub merito?

Dico: [1] Si bona temporalia considerentur prout sunt utilia ad salutem, cadunt sub merito, sicut et augmentum gratiæ et omnia illa quibus homo adjuvatur ad vitam æternam consequendam; quia in bonis operibus comparatis ad bona temporalia sic considerata possunt reperiri omnes conditiones requisitæ ad meritum, et respectu illorum operum habent rationem termini.

Si vero bona temporalia considerentur secundum se, [2] cum non sint bona simpliciter sed secundum quid, ita nec cadunt sub merito simpliciter, quod respicit solam vitam æternam et ea quæ ad illam conducunt, sed sub merito secundum quid, quatenus attenta Dei bonitate et liberalitate, congruum aliquo modo videtur quod operibus moraliter bonis bonum aliquod reddat ejusdem ordinis: unde S. Aug. lib. 5 *de Civit.* c. 15, observat Romanis propter quosdam bonos eorum mores, mercedem temporalem fuisse redditam.

Digressiones historicas omisimus in hoc tractatu, quia prima dissertatio tota est historica. Sint ergo huc usque dicta

in laudem gloriæ gratiæ Dei. Ephes. 1.

[1] Ibid. ad 1.

[1] Ibid. a. 10. o. [2] Ibid.

TRACTATUS DE FIDE

D, Th. 2. 2. à Q, 1. ad 16.

DISSERTATIO I.

De objecto fidei.

D. Th. Q. 1.

ARTICULUS I.

QUODNAM SIT OBJECTUM FIDEI ?

Fides varie sumitur : 1° pro fidelitate in promissis servandis : Rom. 3 ; 2° pro conscientia : ibid. 5 ; 3° pro fiducia ; Jacobi 1 ; 4° pro veracitate , seu inclinatione dicendi verum : Jerem. 7 ; 5° pro ipsa doctrina et objecto fidei: Act. 6; 6° pro virtute supernaturali qua credimus veritatibus a Deo revelatis, et quæ definitur ab Apostolo, Heb. 11: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* : verum cum quilibet habitus a suo objecto specificetur, et inde ejus natura dignoscatur, Auctor hunc tractatum ab objecto fidei incipit, de ipso fidei habitu infra q. 4, acturus, cui methodo inhærens,

Præmitto 1° in omni potentia vel habitu triplex distingui objectum, materiale, formale quod, et formale quo, seu sub quo. Materiale est id omne circa quod versatur potentia vel habitus ; formale quod, est id quod per se et ratione sui attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur : objectum formale quo, seu sub quo, est id mediante quo objectum formale quod attingitur : exemplum poni solet in potentia visiva, objectum materiale, sunt omnes res visæ; formale quod, color; formale quo, lux.

Præmitto 2° triplicem in Deo distingui veritatem, scilicet in essendo, in cognoscendo et in dicendo. Veritas in essendo, quæ dicitur transcendentalis, est ipsa Dei essentia, qua verus Deus est, et a falsis diis distinctus; veritas enim transcendentalis non addit aliquid ad essentiam ; sed est ipsa essentia cum habitudine ad intellectum. Veritas in cognoscendo est infinita Dei sapientia qua cognoscit omnia, prout sunt. Veritas in dicendo est summa Dei propensio ad dicendum verum ; et dicitur veracitas, qua fit ut neminem fallere velit aut possit, sicut ratione infinitæ sapientiæ falli non potest.

Dico 1°.[1] Objectum formale quod, seu, ut alii vocant, objectum attributionis fidei, est prima veritas in essendo, seu Deus ipse ut Deus excedens rationem naturalem : quod addo, quia Deus ut auctor naturalis, potest lumine naturali cognosci independenter a fide.

Prob. [2] Illud est objectum formale quod alicujus habitus, quod principaliter ab eo attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur : sic sanitas est objectum formale quod medicinæ,

[1] 2 2. q. 1. a. 1. o. [2] Ibid et ad 1 et 2.

quia principaliter a medicina attingitur et ejus ratione cætera, pulsus, urina, medicamina, etc. attinguntur : atqui prima veritas in essendo, seu Deus, ut verus Deus, est id quod principaliter a fide attingitur, cætera autem, ut quæ pertinent ad humanitatem Christi, ad sacramenta et quæcumque alia in Sacris Scripturis contenta, attinguntur in ordine ad Deum tanquam ad id quod præstantissimum est inter omnia, et ut magis ac magis cognoscatur ; ergo.

Confir. Fides est virtus theologica et intellectualis ; ut virtus theologica habet Deum pro objecto formali quod ; per hoc enim virtutes theologicæ ab aliis distinguuntur : ut virtus intellectualis habet verum pro objecto formali quod ; objectum enim formale quod intellectus est verum : ergo habet pro objecto formali quod Deum verum.

Dico 2°. Objectum formale quo, seu sub quo fidei est prima veritas in dicendo, seu divina veracitas revelans, connotans primam veritatem in cognoscendo, seu infinitam Dei sapientiam.

Prob. prima pars : Objectum formale quo fidei in communi est veracitas dicentis ; in hoc enim distinguitur assensus fidei ab assensu scientifico, quod motivum assensus fidei, sit auctoritas dicentis ; motivum autem assensus scientifici sit veritas principii ex quo elicitur conclusio : ergo objectum sub quo fidei divinæ est veracitas Dei dicentis et revelantis.

Prob. secunda pars : Fides est certa et infallibilis : ergo debet niti motivo infallibili. Subsumo : atqui veracitas divina revelans non habet quod sit infallibilis nisi connotet infinitam Dei sapientiam : ergo. Prob. min. Ut veracitas divina revelans sit infallibilis, non sufficit quod fallere non possit ex malitia, sed requiritur quod etiam fallere non possit ex ignorantia, adeoque quod Deus ipse falli non possit cognoscendo : atqui quod Deus falli non possit cognoscendo, provenit ex ejus infinita sapientia, qua cognoscit omnia, prout sunt, sine ulla falsitatis admixtione : ergo.

Dico 3°. Objectum materiale adæquatum fidei est omne revelatum a Deo, primario Deus ipse, cætera secundario.

Prob. Objectum materiale adæquatum alicujus potentiæ vel habitus est id omne quod potest attingere, ut subest suo objecto, seu rationi formali sub qua : sic omne corpus coloratum est objectum materiale adæquatum potentiæ visivæ, quia potest illud attingere, ut subest luci quæ est ejus ratio formalis sub qua : atqui fides attingit omne revelatum, ut subest veracitati Dei revelantis quæ est ejus objectum formale sub quo, ut dictum est, Deum tamen primario, cætera secundario, ut etiam dictum est conclusione prima : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra primam conclusionem : omne quod subest objecto formali quo alicujus habitus vel potentiæ, pertinet ad ejus objectum formale quod : atqui omne revelatum subest objecto formali quo fidei, ut patet : ergo non solum Deus, sed omne revelatum est objectum formale quod fidei. Prob. maj. Ex aliis habitibus et potentiis ; sit quia abstractio ab omni materia est objectum formale quo metaphysicæ, non solum Deus, sed omne ens prout abstractum ab omni materia est objectum ejus formale quod : sic quia lux est objectum formale quo potentiæ visivæ, non aliquod particulare coloratum, sed omne coloratum ut subest luci, est objectum formale quod potentiæ visivæ : ergo.

Resp. dist. maj. Omne quod subest objecto formali quo alicujus habitus pertinet ad objectum ejus formale quod, si attingatur ab illo habitu principaliter et ratione sui, conc.; si minus principaliter et ratione alterius, nego. Fides autem quæ est virtus theologica, Deum principaliter et ratione sui attingit, cætera revelata ratione Dei et in ordine ad illum : unde quamvis substent rationi ejus formali sub qua, non pertinent nisi ad objectum ejus secundarium et materiale, seu, ut alii dicunt, extensionis : et hinc est disparitas ab exemplis oppositis : in metaphysica namque et in potentia visiva non est aliquid principale quod per se primario et ratione sui attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur sed omne ens abstractum a materia per se et independenter ab alio attingitur a metaphysica, similiter omne coloratum lucidum a potentia visiva. E contra in medicina v. g. quia corpus sub ratione sanitatis attingitur principaliter et ratione sui, cætera vero, ut pulsus, urina, medicamenta, etc. attinguntur minus principaliter et ratione corporis sanandi, ideo hæc, quamvis substent, eidem rationi formali sub qua medicinæ, sunt tamen tantum ejus objectum secundarium et extensivum, solum autem corpus ut sanabile objectum formale quod.

Inst.: 1° Si Deus de se nihil revelasset, sed

[1] 1 p. ibid. o.

de aliis tantum, remaneret fides, sicut si per impossibile Deus non esset, remaneret metaphysica : ergo.

Resp. dist. ant. Remaneret fides ejusdem rationis ac ea quæ nunc est, nego: non enim tunc fides foret virtus theologica : Diversæ rationis, conc. Remaneret autem eadem metaphysica ; quia, ut dictum est, non considerat Deum ut quid principale ratione sui, et cætera ratione illius, sed omne ens ut abstractum ab omni materia.

Inst. 2° Multa revelantur in S. Scripturis quæ non referuntur ad Deum, ut quod Salomon haberet concubinas, quod esset rufus, quod Tobias haberet canem, canis ipse caudam et multa alia : ergo.

Resp. neg. ant. Deus enim hæc etiam minutissima revelando extollit infinitam suam sapientam et summam veracitatem, quæ nec in minimis deficere potest.

Obj. 2° contra eamdem : Si Deus sub ratione Deitatis esset objectum formale quod fidei, fides esset nobilior charitate, quod est contra Apostolum : ergo. Prob. sequela ; fides haberet nobilius objectum ; quia essentia Deitatis est quid nobilius bonitate, quæ est tantum Deitatis attributum, et quod est objectum formale quod charitatis : ergo.

Resp. neg. sequelam. Ad probat. dist. ant. Fides haberet nobilius objectum in ratione entis, conc. In ratione objecti, nego. Quia objectum charitatis est divina bonitas ut est in se, objectum vero fidei est Deitas prout in intellectu recipitur per revelationem obscuram : ita enim exigit natura utriusque potentiæ voluntatis et intellectus, quod cognitum sit in cognoscente, et voluntas amans in amato : nobilitas autem potentiæ seu habitus desumitur ab objecto non in ratione entis, sed in ratione objecti formaliter considerato.

Cætera quæ opponuntur, laborant in æquivoco, in quantum adversarii non satis distinguunt inter objectum formale quod et formale quo, et per objectum formale simpliciter intelligunt motivum assentiendi, non objectum assensus : nos vero motivum assentiendi dicimus objectum formale quo ; objectum vero ipsius assensus objectum formale quod : unde quæstio est de nomine.

Obj. 3° contra primam partem secundæ conclusionis: Objectum formale quo fidei, seu, quod idem est, motivum assensus fidei est id in quod ultimo resolvitur assensus fidei : atqui id in quod ultimo resolvitur assensus fidei, non est prima veritas in dicendo, sed prima veritas in essendo seu Deitas : ergo. Prob. min. Quærenti cur credas mysteriis fidei, v. g. Deum esse trinum, recte respondes, quia Deus revelavit ; et ulterius quærenti cur credas Deo revelanti, recte iterum respondes, quia est prima veritas in dicendo ; sed tandem quærenti, cur Deus sit prima veritas in dicendo, nihil aliud restat respondendum nisi quia Deus est, seu prima veritas in essendo : ergo.

Resp. neg. min. Ad probat. dist. ultimam partem ant. Nihil aliud restat respondendum nisi quia Deus est, assignando causam rei, conc.; assignando causam assensus, nego. Equidem ideo Deus est verax seu prima veritas in dicendo, quia Deus est ; at non ideo credo mysteriis fidei v. g. Deum esse trinum, quia Deus est, seu prima veritas in essendo, sed quia verax est : assensus enim fidei (quod diligenter est observandum) non est discursivus sed simplex, et in solo testimonio dicentis sistit, alioquin non est amplius assensus fidei : sic dicenti mihi Roman existere, assentior quia verax est, et ibi sistit fides : si autem ascendas et ulterius quæras, unde verax est, jam excurris extra fidem. Similiter ergo quærenti cur credam Deo revelanti, recte respondeo quia verax est, et ibi sistit fides seu assensus fidei, nec nisi fatue posset quæri cur credam veritati seu veracitati. Si autem ulterius quæras cur Deus sit verax, jam respondebo, non ut fidelis, sed ut theologus, quia Deus est.

Inst. 1° Non solum credimus Deo ut primæ veritati in dicendo, sed etiam credimus Deum esse primam veritatem in dicendo : ergo debet assignari aliquid aliud divinum, propter quod assentior fide divina huic propositioni: « Deus est prima veritas in dicendo, » quod non videtur aliud quam prima veritas in essendo ; si enim aliam revelationem assignes, itur in infinitum, ut enim assentiar huic secundæ revelationi, debebit dari altera revelatio, et sic in infinitum : ergo.

Resp. neg. conseq. Quia sicut lux seipsam manifestat, nec per aliam lucem, sed per seipsam videtur, ita revelatio divina, quæ est lux fidei, seipsam manifestat, nec indiget alia revelatione seu medio, « Divinum testimonium, inquit Auctor, q. 14 *de Verit.* a. 8. ad 2, primo et principaliter est de seipso, consequenter de aliis. » Neque tamen ideo fides nostra amittit laudem : quia revelatio non est clara, sed obscura, non enim videmus Deum revelantem nec revelationem activam connotantem mysteria revelata ; quapropter ad assensum fidei

requiritur pia motio volontatis, unde habet laudem, ut infra dicemus.

Inst. 2° Non possum credere Deo revelanti, nisi prius credam Deum existere : ergo credo Deum existere propter aliud quam propter revelationem.

Resp. neg. ant. Revelatio enim non solum seipsam et revelata, sed etiam revelantis existentiam manifestat, sicut loquela Petri, non solum seipsam et Petri conceptus, sed etiam ejus existentiam manifestat.

Neque tamen ex his inferas inutilem esse propositionem Ecclesiæ discernentis revelata a non revelatis; quia Deus non semper unicuique per se immediate revelat, sicut revelavit prophetis et Apostolis, sed ordinarie mediante Ecclesia, cujus est ideo proponere revelata et a non revelatis distinguere : unde in eam fit ultima resolutio fidei nostræ tamquam in regulam proponentem credenda, non tamen tanquam in motivum assentiendi credendis, ut dicam art. seq. Unde sit

ARTICULUS II.

In quod fit ultima resolutio seu analysis fidei nostræ?

Quæstio sic communiter proponitur; sed perinde est ac si quæras, quodnam sit motivum fidei; quod potest intelligi dupliciter, vel de motivo assentiendi revelatis, vel de motivo seu regula discernendi quæ sint revelata? Primum controvertitur inter catholicos, quorum quidam existimant propositionem Ecclesiæ ingredi saltem partialiter motivum credendi revelantis. Secundum controvertitur inter catholicos et hæreticos, qui volunt motivum et regulam discernendi revelata esse S. Scripturam, vel privatum cujusque spiritum, hoc est afflatum Spiritus Sancti unicuique intelligentiam S. Scripturarum inspirantis.

Dico 1°. Motivum credendi et assentiendi revelatis est auctoritas et veracitas Dei revelantis, non Ecclesiæ testimonium seu propositio.

Prob. prima pars ex secunda conclusione articuli præcedentis : Motivum credendi revelatis est objectum formale quo fidei; dicitur enim objectum formale quo habitus, quod est medium et motivum attingendi objectum formale quod, ut patet ex dictis : atqui veracitas Dei revelantis est objectum formale quo fidei, ut dictum est : unde quærenti cur credam Deum esse trinum, recte respondeo : quia Deus, qui revelavit, est verax.

Prob. secunda pars : Propositio seu testimonium Ecclesiæ nullo modo pertinet ad objectum formale quo fidei : ergo. Prob ant. 1°. Quia est aliquid creatum; nihil autem creatum ingredi potest objectum formale fidei, sicut nec spei et charitatis, alioquin non forent virtutes pure divinæ et theologicæ. 2°. Sic se habet propositio revelatorum per Ecclesiam respectu fidei, sicut se habet propositio bonitatis respectu amoris; sicut enim voluntas non potest amare objectum nisi propositum et cognitum, ita intellectus non potest credere nisi sibi proponantur revelata : atqui propositio bonitatis respectu voluntatis et amoris non est ejus objectum formale, sed tantum applicatio objecti et conditio sine qua non; ergo similiter propositio revelatorum per Ecclesiam respectu intellectus et fidei.

Dico 2°. Regula discernendi revelata, non est S. Scriptura, neque spiritus privatus, sed sola Ecclesia.

Prob. prima pars : Regula discernendi revelata a non revelatis, debet esse incorruptibilis; alias exponeret errori : atqui S. Scriptura non est incorruptibilis, corrumpi enim potest et quotidie corrumpitur, sive ex incuria typographorum, sive malitia hominum; unde ex illa nihil certi erui potest, quandiu ab Ecclesia non proponitur ut authentica et ut continens revelata : ergo. Idem dicendum est de symbolo, quod cum sit S. Scriptura, etiam est obnoxium corruptioni, et aliunde non continet omnia revelata, sicut nec S. Scriptura.

Confir. S. Scriptura in multis est obscura : ergo debet assignari alia regula sensum ejus verum et legitimum eruendi.

Prob. secunda pars : 1°. Regula discernendi revelata a non revelatis debet esse certa et non dubia : atqui Spiritus Dei unicuique afflatus non est certus, sed dubius; calvinistæ enim negant esse in lutheranis, lutherani in calvinistis, utrique in catholicis. 2°. Regula sufficiens discernendi revelata a non revelatis debet posse dirimere controversias in hac materia : atqui privatus spiritus cujusque non solum non potest controversias circa revelata et non revelata dirimere; sed e contra ex eo nata sunt sequi continuo schismata et dissentiones, non secus ac si in civilibus unusquisque constitueretur judex in propria causa : dicat enim calvinista ex suo privato spiritu hunc articulum esse revelatum, negabit lutheranus, negabit et catholicus ex suo pariter

privato spiritu : quis dirimet controversiam? quis poterit alterum instruere et convincere? Et hinc tot sectæ sibi contrariæ inter ipsos hæreticos. 3°. Hic non agitur de revelatione privata, quam Deus extraordinarie potest alicui privato facere, sicut fecit olim primis parentibus, patriarchis, prophetis et Apostolis, in quo casu lumen interius datum, vel ipsa immediata revelatio foret regula discernendi credendum, sed agitur de revelatione communi toti societati fidelium, ideoque propositio debet esse communis et non privata. De hac utraque parte plura vide tract. seq. dissert. 3. a. 6.

Tertia pars sequitur ex dictis, et probatur tum ex notis Ecclesiæ et motivis credibilitatis, de quibus infra, tum ex S. Scripturis, ex quibus habemus Ecclesiam esse a Spiritu Sancto directam et infallibilem : Matth. 16: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* 1 Timoth. 3, dicitur *Columna et firmamentum veritatis.* Matth. 28: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Unum habent quod opponant hæretici, nempe nos committere circulum in fidei nostræ resolutione : nam, inquiunt, credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ, et credimus auctoritatem Ecclesiæ propter revelationem.

R. 1° nos credere auctoritatem Ecclesiæ non solum propter revelationem, sed etiam et primario propter notas ipsius Ecclesiæ et motiva credibilitatis : unde ex hac parte nullus est circulus. 2°. Etsi credamus auctoritatem Ecclesiæ propter revelationem, non sub eadem ratione sub qua credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ, sed sub diversa : credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ, ut applicantis ipsam revelationem; credimus autem auctoritatem Ecclesiæ propter revelationem seu veracitatem divinam, tanquam propter motivum formale assensus, et sic in diverso genere causæ : ordinarium autem est quod causæ sint sibi invicem causæ in diverso genere : sic ignis pendet ab applicatione tanquam a conditione ut comburat, et applicatio a virtute combustiva ignis tanquam a causa efficienti : ex quo patet circulum nostrum ex hac parte esse materialem tantum et non formalem ac vitiosum, de cujus ratione est quod sit ab uno ad aliud et vicissim, sub eadem ratione.

Hæc duplex responsio familiari et vulgari exemplo nuntii deferentis litteras regis solet explicari. Quando non est certa nuntii veracitas, inquiruntur ejus indicia; ubi de illa constat, acceptantur litteræ regis propter veracitatem nuntii; at contentis in litteris regis creditur, non propter veracitatem nuntii, sed propter veracitatem regis; et si in litteris regis asseratur veracitas nuntii, ea firmatur atque magis creditur propter veracitatem regis. Applica casui : Ecclesia proponit hoc et istud esse a Deo revelatum : de veracitate et infallibilitate Ecclesiæ nobis constat ex ejus notis atque motivis credibilitatis, ob quam acceptatur et creditur hæc esse in S. Scripturis vel traditione revelata; ipsis autem revelatis in S. Scriptura vel traditione contentis credimus propter veracitatem Dei revelantis : et quia in S. Scripturis continetur veracitas et infallibilitas Ecclesiæ, illam ulterius et firmius credimus propter auctoritatem et veracitatem Dei revelantis. Hinc vides notitiam veracitatis Ecclesiæ, licet per S. Scripturam firmetur, ab ea tamen non pendere necessario; nascente enim Ecclesia, non erat S. Scriptura, et tamen nota et certa erat veracitas Ecclesiæ, sed primitus habetur ex ejus notis et motivis credibilitatis, licet per S. Scripturam confirmari non diffiteamur; sicque ex una parte nullum esse circulum, et ex alia, non esse circulum formalem et vitiosum in quo reditur ad idem sub eadem ratione : sicut e contra contingit in ipso spiritu privato hæreticorum; dicunt enim se scire hanc S. Scripturam esse veram, quia id ipsis dictat spiritus privatus; et dicunt se scire se habere spiritum privatum, quia id dicit S. Scriptura.

Inst. Juxta hanc solutionem sequitur quod certitudo fidei nostræ non sit summa et divina. Prob. illatio; pendet tanquam ab antecedente a veracitate Ecclesiæ, quæ primitus habetur tantum ex notis et motivis credibilitatis: atqui certitudo consequentis mensuratur et sumitur ex certitudine antecedentis : ergo.

Resp. neg. illationem. Ad probationem, dist. min. Certitudo consequentis mensuratur et sumitur ex certitudine antecedentis in notitia discursiva, conc.: sic certitudo conclusionis desumitur et mensuratur ex certitudine antecedentis ex quo eruitur: In notitia simplici qualis est notitia fidei, nego. Patet in ipsa notitia principiorum quæ est simplex, principia enim non probantur : quamvis magister plura præmittat præambula, exempla, paritates, suppositiones et alia, ut ea discipulis exponat, iis semel expositis et notis, intellectus certo assentitur, quamvis præambula non fuerint certa, sed tantum quandoque probabilia,

quandoque falsa, neque enim propter illa assentitur principiis, sed propter perspectam eorum veritatem. Similiter in casu : præcedit propositio Ecclesiæ tanquam præambulum explicans quid sit revelatum; hoc semel explicato et supposito, intellectus assentitur revelato, non propter Ecclesiam proponentem, id enim est quid extrinsecum assensui fidei, sed propter veracitatem Dei revelantis, sicut dicebamus superius assensum præberi contentis in litteris regis, non propter veracitatem nuntii, sed regis.

Urgebis : Cum Ecclesia omnibus proponat revelata, quare ergo unus credit et non alter ?

Resp. id oriri 1° quia non obstante propositione revelationis per Ecclesiam, ipsa revelatio et res revelatæ remanent obscuræ, et ideo requiritur pia motio voluntatis per gratiam, ut applicet intellectum assensui; 2° quia plures non satis attendunt ad notas Ecclesiæ proponentis et motiva credibilitatis : sicut enim in discutiendis præambulis ad notitiam principiorum de quibus supra, requiritur aliquod lumen naturale, sic in dijudicandis certo notis Ecclesiæ et motivis credibilitatis, ultra lumen naturale requiritur aliud supernaturale, cujus illustrationi plures claudunt mentis oculos. Hæc materia redibit dum de Ecclesia.

Ex dictis in utroque articulo exurgit difficultas practica : Quomodo salvatur fides in pueris et rudibus ? Hi enim plerumque non credunt propter veracitatem Dei revelantis, neque hoc Deum revelasse, quia Ecclesia proponit, sed ut plurimum credunt ob dictum pastoris aut parentum, vel quia alii credunt, parati tamen aliud credere, si alii aliud crederent.

Resp. quod si revera ita sit, eorum fides non sit divina, ad idque sedulo debent attendere parochi et confessarii ; sunt enim plurimi qui formulas fidei, spei, charitatis, contritionis, etc. recitant more psittacorum, significationem terminorum non apprehendentes.

Attamen non sunt statim condemnandi tanquam vera fide carentes, qui interrogati de motivis fidei, ex ingenii tarditate, expedite et explicite non respondent se credere propter auctoritatem Dei revelantis, et se scire Deum hoc revelasse, quia Ecclesia quæ est infallibilis ita proponit : si enim respondeant aliquid ista virtualiter et implicite continens, puta se credere, ut salvi fiant, quia ista est vera fides, quia Deus jubet ita credi, et hoc se scire quia pastores ut ministri Ecclesiæ ita docent, et ita tenent reliqui fidelium, aut quid simile, præsertim, si ut plurimum christiane vivant, et ita tenaciter fidei adhæreant, ut etiam pro illa mori non dubitarent, videntur habere fidem divinam. Adde quod Deus possit supplere per lumen interius quædam quæ desunt ex parte Ecclesiæ proponentis, ut contingit apud infideles, qui credunt missionariis prædicantibus quamvis, non videant motiva credibilitatis, sicut nos. Cæterum meminerint pastores in suis instructionibus non solum exigere a pueris formulas fidei, sed insistere et sæpius interrogare cur credant : idem de spe, charitate, contritione, etc.

Petes : Utrum revelationes privatæ pertineant ad fidem ?

Resp. Revelationes privatæ de rebus quæ ordinantur ad Deum ut auctorem supernaturalem, pertinent ad fidem, ut est virtus theologica, non ut est catholica.

Ratio primæ partis : quia ad rationem fidei, ut est virtus theologica, requiritur tantum quod habeat Deum pro objecto formali quod, et veracitatem Dei revelantis pro objecto formali sub quo, quod hic reperitur ; propositio autem Ecclesiæ est quid extrinsecum et accidentale fidei, ut est virtus theologica, ut patet in angelis in via, primis parentibus, patriarchis, prophetis et Apostolis qui habuerunt fidem theologicam absque propositione Ecclesiæ.

Ratio secundæ partis est quia fides catholica, hoc est universalis, versatur tantum circa veritates universales et communes toti Ecclesiæ et per Ecclesiam proponendas : unde si Deus alicui particulari revelaret aliquid spectans religionem, iste particularis teneretur credere, non alii, etsi juraret id sibi esse revelatum; quia non proponeretur ab Ecclesia quæ est catholicis regula discernendi revelata, ut dictum est.

ARTICULUS III.

UTRUM FIDEI POSSIT SUBESSE FALSUM ?

Quæstionis sensus est duplex : primus utrum fidei possit subesse falsum ex parte Dei revelantis : hoc est utrum Deus etiam de potentia absoluta possit per se vel per alium mentiri seu dicere falsum ? Quamvis enim mentiri et dicere falsum distinguantur in Deo, tamen unum necessario sequitur ex alio; si enim Deus dicat falsum, mentitur, quia cum omnia sciat, loquitur aliter quam sciat et contra

mentem. Prisciliniani stæ qui volebant mendacium esse licitum, ut suum tuerentur errorem, dicebant Deum non solum posse mentiri, sed etiam de facto aliquando mentiri : posse autem de potentia absoluta tenuerunt quidam sed pauci ex catholicis.

Secundus sensus quæstionis est, utrum possit fidei subesse falsum ex parte credentis : hoc est utrum possit ex fide divina elicere assensum falsum seu credere aliquid esse verum et a Deo revelatum, quod non est verum nec a Deo revelatum ?

Dico 1°. [1] Deus non potest etiam de potentia absoluta per se vel per alium mentiri aut dicere falsum.

Prob. prima pars quod non possit per se 1° ex S. Scripturis: Num. 23, dicitur : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur*. Ex quibus verbis habemus quod non possit magis mentiri quam mutari ; non potest autem etiam de potentia absoluta mutari : ergo nec mentiri : item Joan. 3; Rom. 3; 1 Joan. 2; sed clarissime Apostolus ad Hebr. 6, ubi dicit : *Volens Deus abundantius ostendere immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles* (scilicet promissionem et juramentum) *quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus :* ubi aperte loquitur de potentia absoluta, alioquin non haberemus « firmissimum solatium » : si namque Deus posset mentiri de potentia absoluta, locus esset dubitandi, ne in promissis hac potentia usus fuerit.

At dices nos petere principium et supponere quod est in quæstione : quæritur enim utrum Deus sit verax, et ut probemus veracem, proferimus S. Scripturas ut veras, quia illas pronuntiavit, supponimus ergo illum non posse dicere falsum, quod est quod quæritur.

Resp. neg. assumptum : quia 1° illæ S. Scripturæ supponuntur veræ non solum quia sunt a Deo, sed etiam quia multis argumentis probatur earum veritas ; 2° quia disputatio est inter catholicos, et contra hæreticos qui veritatem S. Scripturarum admittunt.

Prob. 2°. Juxta ss. patres non minus implicat Deum mentiri quam non esse Deum omnipotentem, primam veritatem : atqui ista sunt absolute impossibilia : ergo. Lege S. Anselmum lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 12; S. Aug. lib. 1 *de Symb.* cap. 1; S. Ambros. *Epist.* 37 ; Auctorem hic o, et in 2 ad. Timoth. 2. lect. 2.

[2] Ibid. a. 3. o.

Prob. 3°. Est absolute impossibile primam et essentialem veritatem mentiri : atqui Deus est prima et essentialis veritas : ergo. Prob. maj. Mentiri est deficere a veritate : atqui implicat primam et essentialem veritatem a veritate deficere, alias deficeret a seipsa, sicque non esset prima essentialis et indeficiens veritas.

Confirm. 1°. Si Deus posset absolute mentiri, tota fides nostra nutaret : unde enim sciremus non mentitum fuisse ? Ex revelatione ? Sed de hac revelatione foret eadem difficultas, idem dubium, an non mentiatur. Confirm. 2°. Mendacium est intrinsece malum et peccatum : ergo non potest esse absolute a Deo.

Ex his patet secunda pars conclusionis, quod nec per alium possit mentiri; quia mendacium pariter in ipsum refunderetur et pariter nutaret fides nostra quæ in nobis est a Deo per ministerium prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum. Insuper : vel minister per quem Deus mentiretur referret quod Deus immediate ipsi dixisset vel aliud : si primum, ergo Deus per se mentiretur : si secundum, solus minister mentiretur, non Deus per illum.

Dico 2°. [1] Fidei non potest subesse falsum ex parte credentis , id est fides non potest inclinare ad assensum falsum, nec illum elicere

Prob. 1°. Nihil subest alicui potentiæ vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali sui objecti; sicut color non potest videri nisi per lucem, neque conclusio fieri potest nisi per medium demonstrationis : atqui ratio formalis fidei est prima veritas in dicendo, quæ, ut modo dicebamus, non potest revelare falsum : ergo.

2°. Virtus intellectualis non potest esse principium assensus falsi, sicut virtus appetitus rationalis non potest esse principium actus vitiosi : atqui fides est virtus intellectualis : ergo. Prob. maj. Omnis virtus est bona dispositio ac perfectio potentiæ in ordine ad suum objectum: atqui objectum intellectus est verum : ergo.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem opponuntur plurima ex S. Scripturis, in quibus Deus videtur revelasse falsum, saltem per alios : verum hæc omnia sigillatim et abunde soluta habes dissert. 9 de Relig. a. 2. ubi de restrictionibus mentalibus.

Obj. 2° contra eamdem : Quamvis Deus sit vita per essentiam, potest tamen pati et mori

[1] Ibid.

in natura assumpta : ergo licet veritas per essentiam, potest similiter mentiri in natura assumpta.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod mendacium sit malum culpæ, quod non potest referri in Deum, a quo e contra avertit : unde repugnat Deo etiam in natura assumpta. At vero pati et mori non est malum culpæ, sed pœnæ, quod potest referri in Deum, et ideo ipsi non repugnat in natura assumpta.

Obj. 3° contra secundam conclusionem : Potest quis ex charitate diligere hominem propter sanctitatem quam in eo existimat, quamvis sit hypocrita, aut ex virtute misericordiæ illi dare eleemosynam, quia credit ipsum pauperem, quamvis non sit : ergo similiter potest ex virtute fidei credere aliquid verum et revelatum, licet non sit.

Resp. neg. conseq.[1] Disparitas est quod charitas, misericordia et aliæ virtutes partis appetitivæ, non habeant verum pro objecto, sed bonum : unde possunt per accidens admittere aliquam falsitatem. At fides et aliæ virtutes intellectuales habent verum pro objecto ; unde nec per accidens admittunt falsitatem.

Inst. Prudentia est virtus intellectualis : atqui tamen admittit falsitatem: v. g. prudentia dictat esse adorandam hostiam quæ in sacrificio proponitur adoranda : atqui tamen contingere potest quod non sit consecrata : ergo.

Resp. dist. maj. Prudentia est virtus intellectualis pratica, conc.; speculativa, nego. Similiter dist. min. Atqui potest admittere falsitatem speculativam, conc.; practicam, nego. Quamvis enim istud judicium speculativum quo judico hostiam esse consecratam, sit falsum, judicium tamen practicum quo judico me posse adorare hostiam quam prudenter existimo esse consecratam, practice verum est. Fides autem est virtus intellectualis speculativa et practica : unde ipsi repugnat falsitas tam speculativa quam practica.

Obj. 4°. Fides antiquorum fuit quod Christus nasceretur, et hæc fides in multis duravit usque ad prædicationem evangelii post Christum natum : atqui Christo nato falsum erat ipsum nasciturum : ergo.

Resp. quod ad fidem credentis post Christum natum[1], pertineret tantum quod crederet Christum quandoque nasci ; illa autem determinatio temporis circa quam decipiebatur, non erat ex fide divina, sed ex conjectura, aut fide humana.

[1] Ibid. ad 1. [2] Ibid. ad 3.

Inst. Unum de pertinentibus ad fidem est credere sub Sacramento altaris esse verum Christi corpus : atqui potest accidere, quando non recte consecratur, quod non sit verum Christi corpus, sed solum panis : ergo.

Resp.[1] quod fides credentis non referatur ad has vel illas species panis, sed ad hoc quod verum Christi corpus sit sub speciebus panis, quando rite fuerit consecratum : unde si non sit ibi rite consecratum, non suberit ideo fidei falsum. Ne tamen inferas quod hostia quæ proponitur adoranda, non debeat adorari absolute, sed conditionate tantum, scilicet si sit consecrata : quia ut possimus et teneamur adorare absolute, sufficit si habeamus certitudinem moralem esse rite consecratam ; hæc enim certitudo sufficit ad judicium prudentiæ, quod est regula proxima agendorum.

Obj. 5°. Quando episcopi alicujus provinciæ aut pastores docent aliquid fide divina credendum, fideles de populo, saltem simplices, illud credunt : atqui tamen potest esse falsum : ergo.

Resp. quod si sit falsum, fideles illud credant fide non divina, sed humana, quæ non est virtus, ex errore scilicet quo existimant esse verum quod est falsum : nec enim assentiuntur iis quæ proponuntur a pastoribus, quia Deus revelavit, sed quia putant Deum revelasse.

Obj. 6°. Ex majori de fide et minori falsa, sequitur conclusio falsa : atqui assensus conclusionis procedit ex ambabus præmissis : ergo præmissa de fide inclinat et influit in assensum falsum.

Resp. quod falsa conclusio in hujusmodi syllogismo non causetur a propositione fidei, sed a propositione naturali falsa et mala applicatione syllogisantis, qui detorquet propositionem fide certam ad falsam conclusionem : verum enim non potest esse principium et semen nisi veri ; quod si ex eo deducatur falsum, hoc est contra ipsius naturam, et provenit ex mala applicatione discurrentis.

ARTICULUS IV.

UTRUM OBJECTUM FIDEI SIT NECESSARIO OBSCURUM, ET QUOMODO OBSCURITAS SE HABEAT AD ILLUD ?

Dico 1°.[1] Objectum Fidei est necessario obscurum et inevidens.

Prob. 1° ex Apostolo Hebr. 11 dicente quod fides sit *Argumentum non apparentium*, et ex

[1] Ib. ad 4. [1] Ibid. a. 4. o.

S. Aug. tract. 40 *in Joan.* « Fides est credere quod non vides. »

Prob. 2° ratione : [1] Illa dicuntur videri quæ per seipsa movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem; ut sunt prima principia et conclusiones ex ipsis evidenter deductæ, vel sensibilia sensibus debite proposita : atqui objectum fidei non potest per se movere intellectum aut sensum ad sui cognitionem, cum non sit ad instar primorum principiorum, quæ ex ipsis terminis innotescunt ; neque ad instar conclusionis quæ ex principiis per evidentem consequentiam deducitur, neque aliquid sensibile quod sensibus percipiatur: ergo.

Dico 2° Obscuritas non pertinet ad rationem formalem sub qua fidei, sed est conditio sine qua non.

Prob. Ratio formalis sub qua fidei est motivum et ratio assentiendi rebus quæ creduntur : atqui motivum et ratio cur assentiamur rebus fidei est prima veritas in dicendo, ut diximus superius, non obscuritas; non enim credo Deum esse trinum, quia non video, sed quia Deus, qui verax est, revelavit, sicut non credo Romam existere, quia non video, sed quia fide dignus mihi dixit : ergo. Restat itaque quod obscuritas seu inevidentia requiratur ad objectum fidei, sicut approximatio ignis ad comburendum, existentia causæ ad causandum, apprehensio finis ad movendum voluntatem.

Dices : Fides et visio beatifica inter se essentialiter differunt: atqui nulla videtur alia ratio hujus differentiæ essentialis quam quod fides sit de objecto obscuro, visio vero beatifica de objecto evidenti : ergo obscuritas pertinet ad objectum formale fidei. Patet consequentia, quia habitus specificantur et essentialiter distinguuntur a suis objectis formalibus.

Resp. neg. min. Fides enim et visio beatifica in hoc essentialiter distinguuntur, quod fides credat quia Deus, qui verax est, revelavit : et est ibi ejus ratio formalis : visio autem beatifica intuetur quia Deus immediate sine specie intellectui beati unitur, sicque assentitur veritati per se et in se notæ, non revelationi, et est ibi ejus ratio formalis.

Inst. Claritas seu evidentia est objectum formale quo scientiæ : ergo obscuritas fidei : oppositorum enim est opposita ratio.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod evidentia sit perfectio, ideoque movere potens intellectum ad assensum ; obscuritas autem est negatio : proinde non movens, sed potius removens ab assensu. Ad prob. resp. quod fides et scientia non opponantur quoad formale objectum quo, sed tantum se habeant disparate ; objectum enim quo fidei est prima veritas in dicendo, objectum quo scientiæ est evidentia,

[1] Ibid.

ARTICULUS V

Utrum saltem evidentia in attestante sit compossibilis cum fide ?

Per evidentiam in attestante intelligimus evidentiam, non Dei revelantis, neque rei revelatæ, sed ipsius revelationis, ita quod mihi clare constat, quod sit a Deo, licet neque Deus, neque res revelata mihi sit evidens. Hæc autem evidentia potest considerari dupliciter : 1° solitarie sine aliquo adjuncto ; 2° conjuncta cum hac duplici cognitione pariter evidente quod Deus non possit absolute dicere falsum, et quod loquatur in sensu naturali non metaphorico.

Suppono evidentiam in attestante solitarie sumptam stare posse cum fide, quia quantumvis sit mihi evidens Deum aliquid revelare, si tamen non sit evidens quod non possit dicere falsum, aut quod loquatur in sensu litterali, non erit mihi evidens, ita esse sicut Deus dicit, sicque remanebit locus fidei. Unde quæstio est de evidentia in attestante cum duplici cognitione dicta.

Dico : Evidentia in attestante cum suis adjunctis est compossibilis cum fide.

Videtur expressa mens Auctoris infra q. 5. a. 1, ubi ait : « Illa sola manifestatio excludit fidei rationem per quam redditur apparens vel visum id de quo principaliter est fides. » Evidentia autem revelationis divinæ non efficit visum id de quo principaliter est fides, scilicet rem revelatam : ergo. Item et clarius ibid. a. 2: « Si aliquis propheta, inquit, prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum, mortuum suscitando, in hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifeste HOC DICI A DEO qui non mentitur, licet illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset : unde per hoc ratio fidei non tolleretur.» Nihil expressius. Et hæc verba : « Hoc dici a Deo, » evincunt S. Doctorem non loqui de evidentia credibilitatis, ut quidam interpretantur, sed de ipsa evidentia revelationis in se.

Prob. Illud fide credimus cui in seipso ignoto assentimur propter solam auctoritatem

Dei attestantis : in hoc enim distinguitur fides a scientia et visione : atqui evidentia in attestante cum suis adjunctis, relinquit rem revelatam in se ignotam ; non enim demonstrat connexionem prædicati cum subjecto, sed tantum esse evidenter revelatam, et ut talem esse certam : ergo.

Confir. Qui habet tantum evidentiam rei revelatæ quoad rationem communem omnibus revelatis, potest illam credere quoad prædicata ejus specialia, sicut qui cognoscit evidenter aliquid sub ratione substantiæ vel animalis tantum, potest ex alicujus testimonio credere quod sit homo : atqui qui habet evidentiam in attestante, habet tantum evidentiam rei revelatæ quoad rationem communem omnibus revelatis, nimirum quoad ipsam revelationem, quæ est quid commune omnibus revelatis : ergo.

Dices : Qui habet evidentiam in attestante cum adjunctis habet evidentiam rei revelatæ quoad an est : ergo. Prob. ant. Format hunc discursum evidentem : « Implicat Deum dicere falsum, et evidens est Deum dicere in sensu litterali Verbum esse incarnatum : Ergo ita est. » Ergo.

Resp. neg. ant. Habet quidem certitudinem rei revelatæ quoad an est, sed non evidentiam. Ad prob. neg. conseq. Ex hoc enim discursu habetur tantum certitudo rei revelatæ, ut dixi, et evidentia revelationis, seu si vis, rei revelatæ ut revelatæ et contentæ in revelatione, non autem evidentia rei revelatæ in se seu connexionis prædicati cum subjecto, scilicet humanitatis cum Verbo; evidentia enim revelationis neque explicat, neque constituit Christum hominem, cum sit quid illi extrinsecum : unde ista propositio : « Verbum est incarnatum, » quamvis sit certa et evidens ut revelata, semper tamen manet in se obscura et ignota, consequenter objectum fidei.

Inst. 1°. Qui cognoscit evidenter Deum ex effectibus, non habet fidem de illo : atqui effectus creati sunt Deo extrincesi : ergo.

Resp. dist. min. Effectus creati sunt extrinseci Deo formaliter, conc.; virtualiter, nego. Effectus enim est virtualiter in causa a qua procedit, et quam participat, et ideo ex effectibus cognoscitur evidenter existentia causæ ; at revelatio est omnino tam formaliter quam virtualiter extrinseca rei revelatæ, sicque non est causa illius quoad esse intrinsecum, sed tantum quoad esse extrinsecum, scilicet esse revelatum.

Inst. 2° Si evidentia in attestante non evacuaret fidem, Beati haberent fidem de perpetuitate suæ beatitudinis et futurorum contingentium ; ea enim non vident vi luminis gloriæ quod exhibet tantum essentiam divinam, et ea quæ sunt cum ipsa connexa, qualis non est perpetuitas beatitudinis, nec futura contingentia : atqui tamen de illis non habent fidem : ergo.

Resp. neg. sequelam et ejus probationem : de ratione enim visionis beatificæ, ut est beatifica, perfecta et completa, est quod Beatus videat illius perpetuitatem in essentia divina, cujus visio est tota ejus beatitudo ; alias non foret quietus et satiatus ; similiter videt in verbo futura contingentia quæ ipsum spectant; vel si per revelationem extra verbum, cessat quidem in eo fides, non tamen ratione evidentiæ in attestante, sed quia ista futura sunt tantum objecta secundaria fidei, circa quæ subsistere non potest, cum sit evacuata circa objectum ejus primarium, quod est essentia divina, quippe quæ est clare visa.

ARTICULUS VI.

UTRUM MYSTERIA FIDEI SINT EVIDENTER CREDIBILIA ?

Dico : Mysteria fidei nostræ sunt evidenter credibilia.

Est communis cum Auctore qui hic a. 4. ad 2. dicit « Quod ea quæ subsunt fidei dupliciter considerari possunt, uno modo in speciali, et sic non possunt esse visa et credita. Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, et sic sunt visa ab eo qui credit : non enim crederet nisi videret ea esse credenda, vel proper evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi. »

Constat ex illo Psal. 92 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis :* unde Christus Joan. 10 : *Loquor vobis et non creditis ; opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et S. Aug. lib. 7 *Conf.* cap. 10: « Facilius dubitarem me vivere, quam non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt intellecta conspicitur. »

Prob. ratione. 1° Illud est evidenter credibile, evidentia scilicet non metaphysica, sed morali excludente rationabile dubium, quod idoneis testibus, signis et aliis argumentis extrinsecis probatur : atqui sunt hujusmodi mysteria fidei nostræ : ergo. Min. patebit ex motivis credibilitatis infra exponendis. Maj. etiam

constat; credibilitas enim non sumitur sicut veritas ab intrinseco ex connexione prædicati cum subjecto, seu ab eo quod res est, sed ab argumentis extrinsecis, scilicet testimoniis, signis, etc. sic ex hoc quod in judicio testes idonei aliquid affirment, habetur evidentia, non quod ita sit, possunt enim mentiri, sed quod sit ita credibile et judicabile absque rationabili alterius partis formidine.

2° Nihil est scibile sine evidentia scibilitatis, nec probabile sine evidentia probabilitatis : ergo nec credibile sine evidentia credibilitatis.

3° Assensus fidei debet esse prudens; est enim actus virtutis : et prudentia dictat non esse credendum nisi quod est credibile : *Qui enim cito,* id est temere, *credit, levis est corde.* Eccli. 19. Atqui jubemur credere firmissime mysteria fidei : ergo supponuntur evidenter credibilia, seu fide digna.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Quod est evidenter credibile, est evidenter verum : atqui mysteria fidei non sunt evidenter vera : ergo.

Resp. neg. maj. Ut enim jam dicebam, veritas petitur ab intrinseco seu ab eo quod res est, credibilitas autem a testimoniis et motivis extrinsecis.

Inst. 1°. Quod est evidenter credibile est evidenter possibile : atqui in divinis idem est esse possibile et verum, quia quod in Deo est possibile, de facto est : ergo.

Resp. neg. maj. Quia possibilitas sicut veritas petitur ab intrinseco : unde aliquando contingit quod falsa sint credibiliora et probabiliora veris.

Inst. 2°. Quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile : ergo quod est evidenter credibile est evidenter possibile : valet consequentia, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis.

Resp. neg. conseq. et ejus probationem : hoc enim argumentum non est ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis : 1° Quia tam consequens quam id quod affertur ut ejus oppositum est affirmativum; oppositarum autem enuntiationum una debet esse negativa, altera affirmativa. 2°. Propter hanc particulam evidenter, ratione cujus utrumque de eadem re negare potest, scilicet quod sit evidenter possibilis et evidenter impossibilis, evidenter credibilis et evidenter incredibilis. Sic itaque deberet formari argumentum : « Quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile : ergo quod non est evidenter incredibile, non est evidenter impossibile : » quod admittimus.

Obj. 2°. Si mysteria fidei essent evidenter credibilia, cognitio credibilitatis haberetur vel lumine fidei, vel lumine naturali intellectus : neutrum dici potest : ergo. Prob. min. Non lumine fidei : 1° quia his qui disponuntur ad fidem, antequam habitum fidei habeant, mysteria debent esse evidenter credibilia; alioquin imprudenter crederent, ut dictum est; 2° Fides non potest ferri extra objectum suum; objectum autem fidei est prima veritas obscure cognita et obscure revelans : ergo extendi non potest ad cognitionem evidentis credibilitatis. Non lumine naturali : 1° quia cum mysteria fidei sint credibilia fide supernaturali, intellectus vi sua deberet cognoscere fidem supernaturalem ut possibilem, a qua denominantur credibilia : atqui intellectus humanus non potest vi sua apprehendere fidem supernaturalem ut possibliem : ergo; 2° quia si solo intellectu naturali haberetur cognitio credibilitatis, inde non posset elici assensus supernaturalis fidei, quia non potest major fides adhiberi credibilibus, quam iis quibus fiunt credibilia.

Resp. Quantum ad fideles, nihil obstat quominus habitu fidei quem habent, concurrat ad cognitionem credibilitatis; quia licet habitus fidei primario et principaliter ordinetur ad assensum obscurum, non tamen sequitur quod non possit concurrere ad aliquas operationes prævias, ex natura sua tendentes ad suum principalem finem et effectum, quale est judicium de credibilitate rerum fidei, eo enim mediante deducit intellectum in assensum veritatis quam non videt : ita Wiggers : et hoc videtur asserere S. Th. hic. a. 4. ad. 3, dicens : « Quod lumen fidei facit videre ea quæ creduntur : sicut enim per alios habitus virtutum, homo videt illud quod est sibi conveniens secundum habitum illum, ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum his quæ conveniunt (seu serviunt) rectæ fidei et non aliis. » Et per hoc patet responsio ad rationes primæ instantiæ.

Quantum vero ad eos qui disponuntur ad fidem et nondum habent habitum fidei duplex est responsio. Quidam existimant eos solo intellectu naturali cognoscere credibilitatem; et ad primam rationem in contrarium respondent quod quamvis lumen naturale non possit vi sua cognoscere possibilitatem fidei supernaturalis in particulari, quatenus scilicet est

participatio formalis divini intellectus a Deo infusa, possit tamen eam cognoscere in communi prout est superior ad fidem humanam, sicut potest cognoscere Deum esse auctorem supernaturalem in communi, hoc est potentem acere aliquid quod sit supra totam naturam, non determinando quid sit illud in particulari. Ita noster Gonet. Ad secundam probationem negant sequelam; quia notitia fidei non est discursiva, sed simplex, nec præbetur assensus fidei propter credibilitatem, sicut in discursu præbetur assensus conclusioni propter præmissas; sed credibilitate posita, præbetur assensus propter Dei veracitatem : unde non supponitur tanta certitudo in hoc præambulo, quanta in ipsa veritate : sicut supra diximus, quod non tanta supponatur certitudo in explicatione præambula principiorum quæ præmittitur a magistro, quanta in ipsis principiis semel intellectis, neque tanta in veracitate nuntii deferentis litteras regis, quanta in veracitate ipsius regis.

Altera responsio est quod qui accedunt ad fidem, cognoscant credibilitatem mysteriorum fidei, adjuti lumine aliquo supernaturali, scilicet illustrationibus actualibus quibus Deus illuminat intellectum eorum, ad percipiendi et judicanda ea quæ Dei sunt, et fit quod intendant iis quæ dicuntur et prædicantur sicut Act. 16: *Dominus aperuit cor Lydiæ, intendere his quæ dicebantur a Paulo,* quodque in eis observent et judicent esse divinam credibilitatem ad quæ tandem sequitur fides. Ratio est quia licet absolute loquendo, intellectus vi sua naturali possit apprehendere credibilitatem motivorum, cum tamen ista sint præambula et dispositiones ad fidem tanquam ad finem debent esse ejusdem ordinis cum ipso fine et principali actu seu forma : unde quamvis Deus absolute possit commovere subito voluntatem et elevare intellectum ut post apprehensionem harum rerum naturalem eliceret actum fidei, id tamen minus est consentaneum rerum naturis et communi ac suavi Dei operandi modo, et ideo ita non fit saltem ordinarie. Ita jam laudatus Wiggers : et videtur sententia Auctoris hic q. 2. a. 9. ad. 3, dicentis : « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum; inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, et quod plus est interiori instinctu Dei invitantis. »

Obj. 3°. Si mysteria fidei essent evidenter credibilia, sequeretur quod ii quibus æqualiter proponerentur omnes crederent : falsum consequens : ergo.

Resp. nego sequelam : tum quia non omnes ad illa debite attendunt, sed vel ex pravitate affectus, vel ex incuria salutis, vel propter difficultatem credendorum in particulari, ab eorum examine intellectum amovent : tum quia plures ponunt obicem interiori illustrationi, de qua modo.

Petes utrum ut aliquis credat, debeat necessario esse ipsi evidens mysteria fidei esse credibilia?

Resp. affirmative : patet ex dictis; alioquin enim imprudenter crederet. Attamen non æqualis omnibus est necessaria evidentia; quandoque enim sufficit sola vox prædicantis cum lumine interiori suadente dictorum credibilitatem, ut patet in pueris et rudioribus credentibus dictis a pastoribus quos sciunt loqui nomine Ecclesiæ, in Indis credentibus missionariis prædicantibus sine miraculis, in Apostolis sequentibus Christum ad solam ejus vocationem, antequam ejus miracula vidissent.

Neque tamen inde sequitur superflua esse motiva credibilitatis præter prædicationem evangelii : tum quia Deus movet unumquemque secundum suam capacitatem et exigentiam; quidam autem sunt capaces discussionis motivorum credibilitatis, ut theologi, non alii, ut pueri et rudes : tum quia Deus regit et movet homines ad supernaturalia modo convenienti naturæ humanæ, modus autem conveniens naturæ humanæ perveniendi ad fidem est per motiva credibilitatis; quæ cum discusserint pastores et docti, eaque rudioribus proponunt nomine Ecclesiæ, hi ex illorum suppositione et apprehensione in communi, ideoque propter illa, adjuti aliunde vel habitu fidei, vel illustratione actuali, ut diximus, credunt : unde sicut prædicatio Evangelii non est superflua, licet Deus absque illa posset solo lumine interiori aliquem vocare ad fidem, ita nec alia credibilitatis motiva. Quod si contingat aliquos sine ullo credibilitatis motivo credere, id extraordinarium est et miraculosum.

At forte dices hoc lumen interius quod adstruimus, esse ipsum spiritum privatum hæreticorum, quem supra rejecimus.

Resp. neg. assumptum; multiplex enim inter utrumque est discrimen. 1°. Hæretici per spiritum privatum judicant hunc articulum esse revelatum et credendum, non solum respectu sui, sed in universali respectu omnium; secus qui, lumine interiori suadente credibilitatem alicujus rei revelatæ, illam credit. 2°. Hæretici per spiritum privatum discernunt

inter veram et falsam religionem exclusis omnibus signis et notis : unde si quæras unde sciant et probent suam religionem esse veram, non nisi ad privatum spiritum recurrunt, quem quilibet fingere potest et nemo probare : nos vero ex variis signis et notis nostram probamus, nec lumen interius admittimus, nisi ut intellectus ejus ope illuminatus rectius judicet credibilitatem eorum quæ credenda sunt. 3°. Instructus hoc lumine interiori non proprie discernit inter revelata et non revelata, sicut hæreticus per spiritum privatum : non enim v. g. rusticus facit comparationem inter revelata et non revelata, sed lumen interius suadet credibilitatem hujus revelati in se, non comparate ad alia non revelata, quæ non attingit.

ARTICULUS VII.

DE ARTICULIS ET SYMBOLIS FIDEI.

§ I.

De articulis fidei.

Articulus, græce αρθρος significat quamdam coaptationem aliquarum partium distinctarum : [1] unde credibilia fidei nostræ dicuntur per articulos distingui, in quantum dividuntur in partes habentes aliquam coaptationem ad invicem.

Quamvis omnia quæ in Sacris Scripturis continentur, sint fide tenenda, [2] attamen quia propter eorum multitudinem ad certum numerum reduci commode non possunt, non omnia distinguuntur in articulos fidei, sed ea sola quæ habent duas conditiones sequentes : prima est quod principaliter pertineant ad fidem, ut sunt ea quorum visione beamur in patria, et per quæ ad illam beatitudinem perducimur : secunda quod habeant aliquam specialem difficultatem ad credendum ; sic quod Deus sit mortuus, et quod resurrexit, habent distinctam difficultatem ad credendum, et ideo sunt duo articuli distincti : quod autem sit passus, mortuus et sepultus unam et eamdem difficultatem habent, et ideo hæc omnia pertinent ad unum articulum : unde articulus fidei definiri potest : « Propositio catholica primario ad fidem pertinens, et specialem habens difficultatem ad credendum. »

Petes 1°. Utrum credibilia convenienter distinguantur per articulos?

[1] Q. 1 a. 6. o. [2] Ibid.

Resp. affirmative ; [1] sic enim distinxerunt Apostoli et concilia : 1° ut esset facilior instructio fidelium ; 2° ut in omnibus credentibus esset uniformitas ; 3° ut in promptu esset fidei professio adversus hæreticos.

Petes 2°. Quot sint articuli fidei ?

Resp. [2] Quidam numerant quatuordecim. Quidam duodecim ; et utrique convenienter.

Prob. [3] Articuli fidei sunt qui per se et primario pertinent ad fidem, ut dictum est, scilicet ea quorum visione beamur, et per quæ ad hanc beatitudinem perducimur : et hæc sunt occultum divinitatis et mysterium incarnationis. Circa primum, primus articulus est de unitate divinitatis in ordine supernaturali, tres de tribus personis, quintus de operibus divinitatis in esse naturæ, scilicet de creatione ; sextus de operibus divinitatis in esse gratiæ, scilicet de iis quæ spectant sanctificationem animæ, quæ sunt sanctitas Ecclesiæ, communio Sanctorum et remissio peccatorum. Septimus de resurrectione carnis et vita æterna. Circa mysterium incarnationis, primus articulus est de conceptione seu incarnatione Christi ; secundus de ejus nativitate ex Virgine ; tertius de ejus passione, morte et sepultura ; quartus de descensu ad inferos ; quintus de resurrectione ; sextus de ascensione ; septimus de adventu in ultimo judicio.

Qui vero duodecim tantum numerant, [4] tres articulos de tribus personis sub uno comprehendunt et articulum glorificationis in duos distinguunt, unum de resurrectione carnis, alterum de glorificatione animæ. Similiter ex parte humanitatis, duos articulos conceptionis et nativitatis sub uno comprehendunt. Et hic duodenarius numerus est communior in usu fidelium, eumque statuit Catechismus Romanus.

Dices 1°. Non minus pertinet ad fidem quod credamus Deum omniscientem quam omnipotentem : item mysterium Eucharistiæ est unum ex præcipuis credibilibus et habet specialem difficultatem ad credendum : ergo.

Resp. ad primum [1], quod potentia in habentibus intellectum non operatur nisi secundum voluntatem et cognitionem ; et ideo omnipotentia Dei includit quodam modo omnium scientiam et providentiam ; non enim posset omnia quæ vellet in istis inferioribus agere, nisi ea cognosceret, et eorum providentiam haberet.

Ad secundum [2] : In Sacramento Eucharistiæ

[1] Ibid. [2] Ibid. a. 8. o. [3] Ibid. [4] Ibid. [1] Ib. ad. 2. [2] Ib. ad. 6.

duo possunt considerari. Unum scilicet quod sacramentum est : et hoc habet eamdem rationem cum aliis effectibus gratiæ sanctificantis : aliud est quod miraculose ibi corpus Christi continetur ; et sic concluditur sub omnipotentia, sicut et omnia alia miracula quæ omnipotentiæ attribuuntur.

Petes 3°. Utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint ?

Resp. non crevisse quoad substantiam, sed quoad explicationem[3].

Prob. prima pars : omnes articuli fidei implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, partim ex natura rei, partim ex divina institutione, scilicet ut credatur lumine supernaturali fidei, Deus, et quod habeat providentiam circa hominum salutem : etenim in esse divino continentur ex natura rei omnia quæ existunt in Deo et spectant nostram beatitudinem : in fide providentiæ continentur ex divina ordinatione, omnia quæ ad salutem generis humani fiunt a Deo : ergo. Unde S. Aug. *in Psal.* 50: « Tempora, inquit, variata sunt, non fides » : et S. Leo *Serm.* 3. *de Nat.* cap. 4 : « Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt prophetæ, nec sero est impletum quod semper est creditum. »

Secunda pars constat ; quia plura sunt in posterioribus explicite cognita, quæ a prioribus non nisi implicite cognoscebantur : *In aliis enim generationibus,* inquit Apostolus Ephes. 3, *non est agnitum filiis hominum sicuti nunc est revelatum sanctis Apostolis ejus et prophetis in spiritu.*

Et quamvis Apostolis et forte antiquis patriarchis et insignioribus prophetis omnia necessario credenda, fuerint explicite revelata (quod videtur certum de Apostolis ex illa promissione Christi Joan. 16: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*) non erant tamen passim ab omnibus explicite cognita, sicut fuerunt postea, sive quia non omnibus explicite et in particulari proponebantur, eo quod tunc non erat necessaria explicita eorum cognitio, et sufficiebat quod crederentur implicite cum aliis, sive quia aliquando explicite proposita, e memoria exciderant in posterioribus : unde tot summorum pontificum et conciliorum definitiones circa res fidei, quibus tamen definitionibus non conduntur novi articuli fidei, sed declaratur quod in S. Scriptura et traditione continetur, et ita credendum explicite quod passim antea credebatur tantum implicite quia nondum constabat in S. Scriptura vel traditione contineri. Quapropter ante definitionem Ecclesiæ erat jam de fide, et oppositum tenentes errabant in fide, inculpabiliter tamen, quia Ecclesia nondum proposuerat ut revelatum et fide tenendum.

Dices contra secundam partem : Juxta S. Thomam hic a. 7. ad 4, qui fuerunt Christo propinquiores, sive ante ut Joannes Baptista, sive post ut Apostoli, plenius cognoverunt mysteria fidei : ergo non crescunt articuli fidei quoad explicationem ; alioquin qui nunc existunt, haberent pleniorem explicationem quam qui erant Christo propinquiores.

Resp. ex hoc argumento tantum sequi quod primi Ecclesiæ duces et pastores, scilicet Apostoli et Evangelistæ, et forte ii qui immediate ipsis successerunt, explicatiorem habuerint rerum fidei notitiam, quam præsens Ecclesia in omnibus suis membris, quod non negamus; non vero quod totum Ecclesiæ corpus tunc habuerit explicatiorem rerum fidei notitiam quam nunc post innumeras Ecclesiæ definitiones et explicationes ex Apostolorum scriptis et traditionibus depromptas, ut explicuimus in probatione : unde errant hæretici dum dicunt Ecclesiam senescere ; hoc ipso enim quo accepit consummationem gratiæ per Christum et plenitudinem Spiritus Sancti post ejus ascensionem, eam semper conservat, atque in ea quasi in juventute perseverans, doctrinam sibi traditam custodit.

§ II.

DE SYMBOLIS FIDEI.

Petes 1°. Quid sit fidei symbolum ?

Resp. esse summam articulorum fidei qui omnibus credendi proponuntur.

Explicatur : Symbolum est vox græca duo significans : primum, collationem plurium rerum in communi, ut pecuniæ, vel cibi et potus, quo sensu Proverb. 23 dicitur : *Dantes symbola consumentur* : secundum, signum quo milites ab aliis distinguuntur, vel quo in contractibus loco singraphorum veteres utebantur : hoc utrumque convenit symbolo fidei; Apostoli enim et patres illud ediderunt conferendo in unum quod quisque sentiebat, et est signum seu tessera qua distinguuntur fideles ab infidelibus.

Petes 2°. An conveniens fuit articulos fidei redigi in symbolum ?

[3] Ibid. a. 7. o.

Resp. affirmative [1], tum ut facilius possent omnibus proponi et memoria teneri, tum ut fideles dignoscerentur per unius fidei professionem.

Petes 3°. Quot sint fidei symbola in Ecclesia?

Resp. Esse tria celebriora : primum Apostolorum, secundum Nicænum, Niceæ in primo concilio œcumenico contra Arium negantem divinitatem Verbi editum, deinde auctum in altero concilio generali Constantinop. contra Eunomium negantem processionem Spiritus Sancti et contra Macedonium negantem ejus divinitatem. Tertium quod dicitur S. Athanasii, ab Ecclesia receptum.

Petes 4°. Quare plura symbola proponuntur in Ecclesia ?

Resp. In omnibus eamdem contineri veritatem ; sed occurrentibus hæresibus quædam oportuit distinctius explicari, ut munirentur fideles contra hæreticorum versutias.

Observat S. Doctor [1] quod quia symbolum Nicænum seu Constantinop. est explicativum symboli Apostolorum, et fuit conditum fide jam manifestata et Ecclesia pacem habente, ideo publice cantatur in Missa. Symbolum autem Apostolorum, quia tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima et in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum et futurorum.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA.

UTRUM SYMBOLUM QUOD DICITUR APOSTOLORUM, SIT AB APOSTOLIS EDITUM ?

Quidam præsertim ex hæreticis dicunt hoc symbolum vocari Apostolorum, non quod sit ab illis traditum, sed quia continet doctrinam apostolicam : contra quos

Dico: Symbolum quod dicitur Apostolorum, fuit vere ab Apostolis traditum, non scripto, sed ore, cordibus et memoriæ fidelium commendatum.

Prob. prima pars : S. Irenæus l. 1 *adversus Hæreses* c. 2. dicit : « Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, etc. »

S. Ambros. lib. 10. *epist.* 81. *ad Siricium :* « Credatur, inquit, symbolo Apostolorum quod Ecclesia Romana integrum semper custodit et servat. »

[1] Ibid. ad 9. o. [1] Ib. ad 6.

Cœlestinus in. Epist. *ad Nestor*, vocat istud « Symbolum ab Apostolis traditum. »

Concilium Ephesinum in relatione ad Theodosium Augustum dicit : « Fides initio quidem a sanctis Apostolis tradita, postea vero a trecentis decem et octo patribus in metropoli Nicæna exposita. »

Ruffinus in præfatione *Expositionis symboli ad Laurentium :* « Apostoli, inquit, discessuri ab invicem normam sibi prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alii alio adducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitantur, exponerent : omnes igitur in uno positi et Spiritu Sancto repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. »

S. Leo *epist.* 13 *ad Pulcheriam Augustam :* « Siquidem, inquit, ipsius catholici symboli brevis et perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. »

S. Maximus *hom. de traditione symboli :* « Apostoli, inquit, Ecclesiæ Dei mysterium symboli tradiderunt, ut, quia sub uno Christi nomine credentium futura erat diversitas, signaculum fidei inter fideles perfidosque discerneret. »

Confir. Juxta regulam a S. Augustino traditam lib. 4 *de Bapt. contra Donatist.* c. 24 : « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » Atqui a nullo concilio aut pontifice hoc symbolum editum reperitur : ergo.

Prob. secunda pars : S. Hier. *epist.* 61 *ad Pammach.* « Symbolum, inquit, fidei et spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus. »

Ruffinus in *Expositione symboli* ait : « Idcirco hæc non scribi chartulis aut membranis, sed requiri credentium cordibus tradiderunt, ut certum esset hæc neminem ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. »

S. Petrus Chrysologus *Serm.* 62: « Symbolum fidei sola fide firmatur; non litteræ sed Spiritui creditur, et mandatur cordi non chartæ. »

Et hinc præoccupatur objectio contra primam partem conclusionis, scilicet quia symbolum non fuit ab Apostolis scripto, sed ore tantum traditum, ideo non habetur ut pars S. Scripturæ canonicæ, et de illo Apostoli in suis scriptis mentionem non fecerunt.

Obj. insuper contra eamdem partem : Si symbolum esset ab Apostolis traditum, constaret ubique iisdem verbis : atqui ita non est : orientale enim, Aquileiense et Romanum diversis verbis, modo paucioribus, modo pluribus constant : ergo.

Resp. standum esse symbolo Romanæ Ecclesiæ, quæ illud « integrum semper custodit et servat, » ut dicit S. Ambros. citatus : in aliis vero quædam adjecta sunt majoris explicationis gratia contra novas hæreses, quæ tamen implicite continentur in Romano. Ita Ruffinus in *Expositione symboli* : « Priusquam, inquit, incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importune commonendum puto, quod in diversis ecclesiis, aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum : quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium..... In cœteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. »

Inst. In symbolo Romano omittitur articulus « De vita æterna » : ergo non est integrum.

Resp. neg. conseq. Quia iste articulus continetur implicite sub resurrectione carnis : et ideo S. Th. q. 1. a. 8. ut vidimus supra, ex hoc utroque unum tantum articulum componit qui spectet opus gloriæ. Desunt etiam hæ particulæ in symbolo Aquileiensi.

Occasione articuli X. hujus 1. quæst. in qua S. Th. docet pertinere ad auctoritatem summi pontificis finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur ; plures auctores hic disserunt de regulis fidei; sed cum hæc materia sit amplissima, reservamus illi tractatum integrum post præsentem.

DIGRESSIO II HISTORICA.

UTRUM SYMBOLUM QUOD DICITUR S. ATHANASII SIT GENUINUM EJUS OPUS?

Dico 1°. Probabile est symbolum quod dicitur S. Athanasii, esse ejus opus.

Probabilitas hujus sententiæ petitur ab auctoritate graviorum scriptorum qui istud symbolum tribuunt S. Athanasio, scilicet synodus Augustodunensis anno 670. Ratramnus l. 2. contra Græcos, Hincmarus in suis capitularibus, duo antiquissima manuscripta, quæ testatur se vidisse Usserius epist. ad Gerardum Vossium, Abbo Floriacensis in apologetico ad reges Francorum Hugonem et Robertum, Eugenius IV. in decreto unionis, et plures alii quos brevitatis causa omitto, sed præ cæteris S. Th. qui hic a. 10. ad 3. dicit : « Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum symboli, sed magis per modum cujusdam doctrinæ : sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina continebat, auctoritate summi pontificis est recepta, ut quasi fidei regula habeatur. »

Dico 2°. Probabile est symbolum quod dicitur S. Athanasii, non esse genuinum ejus opus. Ita recentiores critici qui fundantur in sequentibus argumentis negativis.

1°. Nullus auctor Athanasio coævus aut suppar hujus symboli meminit : non ipse Athanasius in suis apologiis, non S. Greg. Nazian. in orat. de laudibus Athanasii, aut quivis alius hujus temporis. Equidem S. Nazian. in oratione citata, laudat confessionem fidei ab Athanasio factam et oblatam Joviniano imperatori : at hæc non erat symbolum, sed epistola synodica nomine episcoporum Ægypti, quæ Nicænum symbolum complectitur. Quidam dicunt S. Hilarium in fragmentis neminisse hujus symboli sub nomine Athanasii ; sed constat hoc S. Hilarii opus esse adulteratum.

2°. Non conveniebat his temporibus condere novum symbolum, cum ariani et semi-ariani passim male audirent, eo quod in suis pseudosynodis nova fidei symbola cuderent : unde ipse Athanasius in epist. ad Antiochenos Nicænum symbolum, ut sufficientissimum commendat.

3°. Si istud symbolum esset S. Athanasii, illud procul dubio S. Cyrillus Alexandrinus, synodi Ephesina et Calchedonensis et S. Leo laudassent adversus nestorianos et eutychianos. Similiter in posterioribus sæculis, Latini contra Græcos negantes processionem Spiritus Sancti a Filio : atqui tamen altum fuit de illo silentium in his circumstantiis : ergo.

4°. In antiquis pene omnibus probatæ fidei manuscriptis operum S. Athanasii, istud symbolum desideratur.

5°. Qui tribuunt hoc symbolum S. Athanasio, non conveniunt quando et qua occasione

illud composuit : quidam dicunt eum illud composuisse Treviris latitans in puteo ob insidias arianorum, sed silentium scriptorum ecclesiasticorum, Theodoreti, Socratis, Zosomeni, Metaphrastis, et aliorum de isto Athanasii secessu in puteum, probat esse fabulam; maxime si attendatur quod Athanasius missus fuerit Treviros a Constantino, ut furori arianorum subduceretur, et a Maximo episcopo Trevirensi arianorum hoste infensissimo humanissime fuerit acceptus tanquam strenuus fidei confessor. Alii dicunt istud symbolum ab Athanasio fuisse compositum Romæ, ut Julio Papæ probaret fidem suam de qua accusabatur ab arianis. Verum et id quoque falso supposito nititur : non enim Athanasius accusatus fuit de fide coram Julio; sed quod frumenta a Constantino in Ægyptum et Lybiam missa surripuisset, quod ejus Alexandriam reditus multarum cædium causa fuisset; quodque a synodo damnatus, sedem contra canones recepisset.

Ad testimonia S. Thomæ, Eugenii IV. et aliorum pro opposita sententia, respondetur eos hoc symbolum S. Athanasio tribuisse, quia ejus nomine inscribitur. An autem esset verum ejus opus non expendisse secundum accuratiores criticæ leges, quia id ad eorum institutum non pertinebat.

Si quæras quis, juxta hanc secundam sententiam, sit hujus symboli auctor,

Resp. eos verisimilius conjicere qui illud tribuunt Vigilio Taspensi in Africa; quia solebat opera sua contra hæreticos emittere sub nomine antiquorum patrum, ut majorem vim haberent : id patet de dialogo adversus arianos et sabellianos quem sub nomine Athanasii edidit, ut ipse scribit in præfatione hujus dialogi.

DISSERTATIO II.

De motivis credibilitatis religionis christianæ, adversus incredulos, vulgo deistas.

Increduli seu deistæ dicuntur qui ens supremum seu verum Deum agnoscunt, sed negant eum quidquam revelasse hominibus, ideoque religionem christianam cum suis mysteriis figmentum humanum reputant. Volunt autem in his quæ sive Deum, sive seipsos, sive alios spectant, sola ratione duci, eamque unam in omnibus et veritatis et vitæ regulam ac judicem agnoscunt.

Hinc in varias abeunt adinventiones. Quidam censent animam rationalem esse materialem, ideoque negant ejus immortalitatem, dicuntur « materialistæ » ; alii animam rationalem spiritualem et immortalem agnoscunt. Quidam negant providentiam divinam circa res humanas, Deumque mala punire aut bona præmiare : alii contra sentiunt. Quidam justitiam et injustitiam non nisi verba reputant, summamque regulam in propria utilitate reponunt : alii creaturam rationalem certis officiis erga Deum et æqualis secundum dictamen rationis subjiciunt. Nec mirum si sic inter se scindantur, cum enim, ut dixi, unam rationem pro duce et regula habeant, quisque pro nutu suæ rationis systema sibi cudit.

Adversus hunc pestilentissimum errorem totius religionis eversivum et his temporibus invalescentem, plurima atque eruditissima prodierunt scripta, quibus varia ejus systemata efficaciter impugnantur et error penitus profligatur. Verum ego compendio intendens in gratiam studiosæ juventutis, rem puto me sufficienter confecisse, si invicte probavero religionem christianam esse divinam, a Deo revelatam atque institutam : hoc enim posito, palam sequitur omnia quæ proponit credenda, ut sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, providentia divina circa res humanas, immor-

talitas animæ, leges morum, peccatum originale, æternitas pœnarum, resurrectio mortuorum, sacramenta, etc., esse vera, eisque certam et indubitatam fidem esse adhibendam, non obstante eorum incomprehensibilitate; Deus enim nec falli nec fallere potest, ut concedunt ipsi deistæ; sicque evanescunt omnia illorum figmenta et sophismata. Et cum hi solam rationem audiunt, etiam sola ratione eos impugnabo, exponendo præcipua motiva credibilitatis religionis christianæ quibus nemo, nisi humanæ rationis lumen in se extinguat, resistere potest.

Sic ergo argumentor. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc religionem esse veram a Deo revelatam et institutam, quam 1° prophetæ longe antea prænuntiarunt; 2° quam ejus Auctor et illius operatores pariter prophetiis adimpletis et patentissimis miraculis confirmarunt; 3° denique quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta et per orbem universum propagata : atqui hæc est religio christiana; ergo. Majorem negare non possunt deistæ; tria enim assignata sunt evidentissima divinitatis argumenta : sola ergo minor est probanda. Unde in ejus probationem sit

ARTICULUS I.

VATICINIA PROPHETARUM DE RELIGIONE CHRISTIANA ET EJUS AUCTORE.

Vaticinia religionis christianæ continentur in libris Moysis et aliorum prophetarum.

1°. Deus locutus est Moysi, eique religionem judaicam revelavit, ut patet Exod. 19. Porro si religio judaica sit vera et revelata, ergo Christus est Messias : ergo religio christiana quam instituit et cujus religio judaica erat fundamentum, est vera et revelata.

2°. In libris Moysis et prophetarum prænunciatur Messias, ejus nativitas, locus, tempus nativitatis, vita, doctrina, opera, miracula, passio, mors, resurrectio, et alia huc spectantia, vocatio gentium, rejectio judæorum, abolitio templi et sacrificii, substitutio novæ legis et novi sacrificii, etc. Atqui hæc omnia adamussim verificata sunt de Jesu Nazareno auctore legis christianæ : ergo ipse est Messias, ergo vera et divina ejus religio.

Prob. min. 1°. Noster Christus natus est adempto sceptro a Juda juxta vaticinium Jacob, Genes. 49; tempore statuto in 70 hebdomadibus Danielis, Daniel. c. 9; ante destructionem secundi templi ut prædixerant Aggæus c. 2, et Malachias c. 3.

2°. Natus est in Bethleem ut prænunciatum erat Mich. 5 ; ex tribu Juda et familia David, Isa. 11 ; ex Virgine, Isa. 70. 3°. Adventum ejus præcessit qui pararet vias ejus, Malach. 3. 4°. Fecit miracula ut prædixerat Isa. cap. 61. 5°. Venditus est 30 argenteis quibus emptus est ager figuli, ut prædixit Zachar. cap. 11. 6°. Conspuitur et cæditur in faciem, Isa. 50. 7°. Flagellatus fuit, Psal. 34 et 138. 8° Manus et pedes ejus fuerunt perforati, Psal. 21. 9°. Fuit crucifixus inter latrones, Psal. 53. Divisa sunt ejus vestimenta, missa sorte in togam, Psal. 21. Pendens in cruce fuit felle potatus, Psal. 68. Eo moriente sol deliquium passus est, Amos cap. 8. Resurrexit, Psal. 30. Ascendit in cœlum, Psal. 67. Misit Spiritum Sanctum, Joel. 2.

10°. Vocavit per Apostolos gentes ad suam religionem, et idololatriam destruxit, ut prædictum erat Genes. 20, 22 et 40 ; Isa. 2, 19 et 49; Zachar. 13 et alibi.

11°. Novum sacerdotium substituit levitico, novam legem legi mosaicæ ac tandem Judæos rejecit, ut prænuntiatum est passim in prophetis, Isai., Jerem., Ose., Amos, Mich.

Hæc omnia latius exposita require in priori nostro opere tract. de Incarnat. dissert. 2. art. 3.

Quid ad hæc deista? Dicetne Moysen esse fabulatorem et impostorem qui falsa et ficta pro veris fraudulenter venditavit Israelitis?

Sed contra 1°. Moyses coram quæ narrat ipsos Israelitas testes occulatos appellat. Narrat plagas Ægypti, Israelitis videntibus innoxias : narrat ipsos transiisse incolumes per mare rubrum , Ægyptiis in eo submersis : narrat manna cœlitus ipsis datum per 40 annos, per id tempus eorum vestes non fuisse detritas : narrat legem ipsis divinitus datam in monte Sinai inter fulgura et tonitrua : narrat se in eorum sublevamen elicuisse fontem de rupe, Datan et Abiron, ipsis spectantibus vivos in terra fuisse absorptos, ut prædixerat : legi durissimæ ipsos subjicit, etiam sub pœna mortis in certis capitibus : narrat se jussisse occidi per levitas 25000 hominum propter idolatriam et plura alia. Si ergo hæc omnia falsa sunt et Moyses pro veris fraudulenter venditavit Israelitis, necesse est Moysen fuisse stultum qui speraret se posse persuadere Israelitis eos vidisse quæ non viderant, et id inde eos legi durissimæ subjicere ; Israelitas pariter fuisse stultos qui crederent se vidisse quæ non vide-

rant, et inde se subjicerent legi durissimæ.

2°. In memoriam factorum et prodigiorum quæ narrat Moyses, instituta fuerunt tunc festa et sacrificia quæ etiam nunc scrupulose servantur a Judæis. Quis autem credat gentem integram instituisse festa et sacrificia pro eventibus sibi non certo notis aut fabulosis, et ea per tot sæcula tam religiose observare.

3°. Moyses non solum facta et prodigia narrat, sed multa prænuntiat futura quæ ex sola Dei voluntate pendent, et quæ fuerunt adimpleta, similiter alii Prophetæ : non est autem impostoris nec cujusvis alterius hominis prædicere futura quæ ex sola Dei voluntate pendent.

Reponet forte neque Moysen neque prophetas unquam exstitisse : aut si exstiterint, libros qui ipsis tribuuntur, non esse ipsis proprios, sed post natum christianismum ab aliquo impostore fuisse fabricatos.

Sed contra 1°. tam certum est exstitisse Moysen et Prophetas et scripsisse ea quæ ipsis tribuuntur, quam certum est exstitisse Cyrum, Alexandrum, Cæsarem, Ciceronem, Virgilium, et scripta quæ eis tribuuntur esse ipsis propria. De his autem nullus dubitat propter constantem traditionem, cui nihil opponi potest : ergo nec de illis dubitare licet.

Item tam certum est Moysen et prophetas exstitisse et opera quæ eorum nominibus inscribuntur, esse ab illis scripta quam certum est exstitisse et nunc existere gentem Judaicam, quæ illos ut prophetas et sanctos semper coluit et colit, et eorum scripta ut divina summa diligentia semper custodivit et custodit. Existere autem et exstitisse gentem Judaicam ante ortum christianismum universo orbi notum est.

2°. Aristeus unus ex legatis Ptolemei ad Eleazarum summun Judæorum Pontificem cujus liber extat in bibliotheca Patrum Tom. 7; Joseph et Philo, uterque Judæus, referunt vetus Testamentum ex Hebræo Græcum fuisse translatum a 70 interpretibus sub Ptolemeo rege Ægypti 200 annis ante Christum natum. Item historici profani, Cicero, Phlegon, Tacitus, Suetonius, Salustius, Quintus Curtius mentionem faciunt de lege, templo et bellis Judæorum.

3°. Qua arte iste impostor posuisset persuadere Judæis hanc esse historiam et legem suæ gentis divinitus traditam, de qua nihil unquam audivissent, quæque multa illis probrosa continet, et durissima præcipit, atque ab eis obtinere tam scrupulosam hujus legis durissimæ observantiam, qualem nunc etiam profitentur? Quisquis sane id tentasset, dubio procul ceu fanaticus a Judæis habitus fuisset.

4°. Si vetus Testamentum sit opus recentis impostoris, idem dicendum erit de novo, cum istud non sit nisi explicatio et adimpletio veteris, Christusque sæpe provocat Judæos ad Moysen et prophetas veteris Testamenti.

5°. Dicant deistæ quis fuerit iste impostor, cujus conditionis, generis et religionis? An Judæus, an Samaritanus, an Christianus? si Judæus, nihil obtinuisset a Samaritanis Judæorum hostibus infensissimis. Similiter si Samaritanus respectu Judæorum. Insuper neuter inservisset in his libris quæ nationi Judaicæ et Samaritanæ adeo sunt ignominiosa, eorum scilicet crimina, ingratitudines, idolatria, et punitiones, si Christianus quomodo a Judæis et Samaritanis hostibus pariter Christianorum infensissimis acceptus fuisset?

Item dicant quo tempore, quo anno, in qua parte mundi apparuit iste impostor, quos primo decepit, quomodo Judæi, Samaritani, Christiani toto orbe dispersi, statim et simul fuerant instructi exemplaribus omnium istorum librorum, in omni lingua, Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Græca, prout erant nascente Christianismo. Ad hæc obmutescunt deistæ. Agnoscant ergo sua figmenta, et se ipsos prodere impostores, dum ficti impostoris causam agunt.

Maneat itaque inconcussum libros Moysis et prophetarum esse genuina ipsorum opera, vaticinia quæ continent de religione christiana et ejus auctore esse divina et revelata, consequenter religionem christianam esse veram, divinam et revelatam; nullum quippe est efficacius argumentum veritatis alicujus doctrinæ quam vaticinia de illius auctore et veritate, siquidem nullus nisi Deus aut divino Spiritu afflatus possit diu ante futura contingentia quæ ex sola Dei voluntate pendent cum omnibus suis circumstantiis prædicere, juxta illud Isa. 41 : *Annunciate quæ ventura sunt, et sciemus quia Dii estis.*

Si opponas paganismum etiam habuisse sua oracula,

Resp. 1° nulla unquam oracula sive a sacerdotibus idolorum, sive a pythonibus, sive a dæmonibus per idola prodiisse de eventu futuro qui ex sola Dei voluntate penderet, sicut oracula Christianismi, sed fuisse vel de eventibus recentibus alibi jam peractis, aut quæ ipsi facturi erant, vel de futuris naturalibus quæ ex circumstantiis conjecturaliter prænunciabant, et ideo de illis ipse Cicero l. 2. *de Divi-*

nat. dicit quod erant « partim falsa, partim casu vera. »

2°. Oracula quæ futurum spectabant, erant ambigua, ita ut quidquid evenisset, verificarentur. Tale fuit oraculum Apollinis delphici datum Creso regi Lydiæ, quod « si transiret flumen Halys, magna regna perdit » an sua? an aliena? hoc restabat divinandum. Item istud ejusd. Apollinis datum Pyrrho consulenti de eventu belli contra Romanos. « Aio te, Æacida, Romanos vincere posse », quod æque significat Græcos posse vinci a Romanis, ac Romanos posse vinci a Græcis.

3°. Hæc paganismi oracula cessarunt nascente Christo et proficiente christianismo. Suidas verbo Augustinus, Suetonius in Octavio, Nicephorus l. 1. c. 17. referunt Apollinem delphicum, postquam diu mutus mansisset, tandem Cæsari Augusto ipsum consulenti, coactum fuisse respondere sic

Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum,
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Notum est Apollinem daphniticum in suburbio Antiochiæ diu pariter obmutuisse non obstantibus sacrificiis iteratis Juliani Apostatæ, ac tandem illi respondisse causam sui silentii esse quosdam mortuos in vicino loco sepultos: hi autem erant SS. Martyres, inter quos S. Babylas.

Tertullianus *in Apolog.* affirmat quemlibet christianum primo occurrentem posse reddere dæmones mutos et eos e corporibus ejicere, provocatque Romanos ut experimentum faciant, et consentit hunc christianum morti addici, si deficiat. Pariter Lactant. l. *de Vera Sap.* refert omnem christianum signo crucis dæmones mutos efficere, et e corporibus expellere.

ARTICULUS II.

MIRACULA CHRISTI ET APOSTOLORUM, ITEM PROMISSIONES CHRISTI ADIMPLETÆ IN CONFIRMATIONEM RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

§ I.

Quædam quæstiones circa miracula breviter resolvuntur.

Petes 1° quid sit miraculum?

Resp.: Miraculum est effectus omnipotentiæ divinæ contra leges communes et supra omnes vires totius naturæ seu, ut dicit S. Th. [1], præter ordinem totius naturæ. Unde neque angeli, neque dæmones, neque ulla quævis creatura potest propria virtute facere verum miraculum, sed solus Deus, qui cum condendo naturam, illi libere leges constituit, sic solus illis potest ad nutum derogare. Neque inde sequitur quod Deus mutetur, ut stupide fingit Spinosa; non enim mutat voluntatem faciendo miraculum, sed facit in tempore quod ab æterno decrevit facere.

Quando ergo angeli vel sancti dicuntur facere miracula, non est sensus quod habeant in se virtutem habitualiter permanentem faciendi miracula[1]: cum enim principium operandi miracula se extendat ad omnia quæ supernaturaliter fieri possunt, nihil est aliud quam omnipotentia divina quæ nulli creaturæ communicari potest: et aliunde sequeretur, quod possent facere miracula quando vellent, quod est falsum: patet ex interrogatione Apostolorum Matth. 17: *Quare nos non potuimus ejicere illum*? scilicet dæmonem. Item Eliseus non potuit suscitare filium viduæ per sui baculi applicationem. Item Paulus petiit a se removeri stimulum carnis nec obtinuit. Sensus est ergo quod ad eorum, sive postulationem, sive vocem, sive contactum alicujus ad se pertinentis, Deus operetur miraculum, utens iis rebus tanquam instrumentis.

Petes 2° utrum omnia quæ videntur aut dicuntur miracula, sint vera et proprie dicta miracula?

Resp. negative[2]: Quædam enim non sunt vera facta, sed phantastica quibus ludificatur homo, ut videatur ei aliquid quod non est. Quædam sunt quidem vera facta, seu veræ res, sed non habent rationem veri miraculi quatenus fiunt virtute aliquarum causarum naturalium nobis ignota, et ideo non dicuntur miracula simpliciter, sed quoad nos tantum. Hæc duo facere possunt dæmones, et magi ope dæmonum. Hujusmodi fuerunt miracula magorum in Ægypto, et erunt miracula anti-Christi, de quibus Apostolus dicit 2. Thessal. 2. quod ejus adventus erit *secundum operationem satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus*. Solus autem Deus, ut dixi, facit vera miracula quæ omnem totius naturæ virtutem superant.

Petes 3° quomodo dignosci potest aliquod miraculum esse factum virtute divina, et non virtute naturæ nobis ignota, ideoque esse verum miraculum?

Resp. triplicem esse regulam. Pro prima

[1] 1. p. q. 110. a. 4. o.

[1] Ibid. ad 1. et 2. 2. q. 178. a. 1. ad. 1. [2] Ibid. 2. a. 2. o.

suppono esse quosdam effectus qui, communi et constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis reputantur superare omnes totius naturæ vires et vere miraculosi, qualis est, v. g. resurrectio mortui; quovis e loco, quovis tempore resurgat homo vere mortuus, ut erat, v. g. Lazarus, nemo est qui non reputet verum et proprie dictum miraculum; unde illud cæci nati Joan. 9: *A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati : nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Hoc supposito, dico : Quando est talis effectus qui communi et constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis censetur miraculosus, certo tenendum est esse verum miraculum : quia hic sensus tam constans et tam universalis omnium hominum cujusvis temporis et nationis, attenta infinita Dei bonitate, sapientia et veracitate, non potest esse falsus; alioquin Deus qui est auctor sensus communis et rationis, aut nos deciperet, aut permitteret nos decipi, absque eo quod ullo medio possemus dignoscere errorem et ab eo liberari, quod repugnat infinitæ ejus bonitati, sapientiæ et veracitati, maxime si sit error circa aliquod dogma.

Pro secunda regula suppono vera miracula esse testimonia divina alicujus veritatis inducendæ aut confirmandæ. Hoc supposito, dico : Miraculum factum in nomine Dei Creatoris in assertionem alicujus dogmatis, nunquam potest esse falsum, nec inducere in errorem. Quia infinitæ Dei bonitati, sapientiæ et veracitati repugnat 1°. quod permittat suum nomen interponi ad substituendum falsum miraculum pro vero; 2°. quod patiatur suum nomen adduci in testem mendacii ex quo homines necessario et invicibiliter inducerentur in errorem contra id quod debent Deo et est necessarium suæ saluti : nihil enim habent homines quod opponant miraculo facto in nomine Dei Creatoris, in attestationem alicujus dogmatis.

Tertia regula. Dignoscuntur vera miracula ex doctrina et moribus eorum qui illa operantur, et ex effectibus singularibus et permanentibus qui ex his miraculis sequuntur : si nempe qui operantur miracula tradant doctrinam Deo honorificam, rectæ rationi conformem, bonos mores inducentem, et vitæ sociali adfaventem, si iidem vitam et mores ad hujus doctrinæ normam accurate componant : denique si ex his miraculis sequantur permanenter cultus supremi numinis, eversio cultus dæmonum, reformatio morum conformiter ad rectam rationem, concordia civium et vita socialis : impossibile est enim quod hujusmodi miracula fiant auctore dæmone in sui perniciem. Hæc regula desumpta est ex Origene lib. 2. *contra Celsum.*

Petes 4° : Unde dignosci possit factum miraculosum quod narratur, non esse suppositum et fabulosum?

Resp. tunc censeri verum et non suppositum, 1° quando est factum exterius, oculis vel auribus pervium; 2° quando est factum coram multis videntibus seu audientibus attentis, et omnes facti circumstantias mature perpendentibus; 3° quando in memoriam hujus facti, tunc erecta sunt monumenta publica et onera imposita quæ perdurant : ex his, inquam, conditionibus simul positis certo eruitur veritas facti.

§. II.

Facta sunt vera miracula in confirmationem religionis christianæ.

Jam dixi de miraculis Moysis in confirmationem legis a Deo ipsi traditæ quæ erat fundamentum legis evangelicæ.

Miracula facta a Christo et Apostolis in confirmationem religionis christianæ continentur in libris novi Testamenti, scilicet quatuor Evangeliis SS. Matth. Marci, Lucæ, et Joannis, Epistolis SS. Pauli, Judæ, Jacobi, et Joannis, et in Actis Apostolorum a S. Luca scriptis.

Tria nobis hic præstanda sunt adversus incredulos : primum, hos libros esse genuinos Apostolorum, quorum nomina referunt; secundum, facta quæ narrant esse vera; tertium, esse vera miracula.

PRIMUM.

LIBRI NOVI TESTAMENTI NON SUNT SUPPOSITI.

Hos libros non esse suppositos sed proprios eorum quorum nominibus inscribuntur constat: 1° ex fide publica, ex constanti traditione quæ semper suis auctoribus illos adjudicavit, nemine unquam, sive ex Judæis, sive ex paganis, sive ex hæreticis reclamante, quamvis maxime illorum interesset id denegare : hujusmodi autem fidei publicæ et constanti traditioni certa fides adhibetur, nisi contrarium evincat peremptoria ratio, quæ deest incredulis.

2° Dicant deistæ, si hi libri non sint Apostolorum, quis illos fabricavit, et quo tempore;

an viventibus Apostolis, an post illorum mortem? Non ipsis viventibus, alioquin certo contra fraudem reclamassent. Non post eorum mortem; nam extant opera SS. Ignatii, Clementis, Polycarpi qui cum Apostolis vixerunt; item opera SS. Justini et Irenæi qui fuerunt discipuli priorum discipulorum Apostolorum, et hi omnes libros novi Testamenti adscribunt Apostolis, et sic omnes deinceps usque ad nos.

Item dicant qua arte iste fabricator potuit persuadere Romanis, Corinthiis, Galatis, Ephesiis, Thessalonicensibus, et Philippensibus Epistolas quæ nomine S. Pauli inscribuntur, fuisse ab eo scriptas, et ad se directas, de quibus nihil unquam audivissent?

3° Hi libri continent religionem qua nulla est sublimior, nulla purior, nulla sanctior, nulla austerior, ergo non sunt opus alicujus impostoris. Item continent veritates et mysteria quæ superant captum rationis humanæ, et quæ proinde ab ipsa attingi et excogitari non potuerunt absque revelatione, ut sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, peccatum originale, resurrectio mortuorum, etc.

SECUNDUM.

FACTA QUÆ NARRANT SUNT VERA.

Constat : 1° quia alioquin facile et aperte mendacii argui potuissent. Ea enim narrant in medio Jerosolymæ ubi plurima fuerunt peracta, et paucis post annis ab eorum eventu, ita ut tot testes mendacii habuissent, quot adhuc erant tunc homines a morte Christi superstites. Matthæus enim scripsit evangelium novem circiter annis post Christi mortem, deinde cæteri.

2° Quia pro asserenda veritate eorum quæ narrant, mortem oppetiere. Nemo autem est adeo stultus, ut mortem oppetat pro asserendo facto quod scit esse falsum, nisi aliquid melius post mortem speret; quid autem melius post mortem sperare poterant impostores?

3° Plurima ex his factis agnoverunt vera ipsi christianæ religionis hostes, Judæi et pagani. Imprimis quotquot ex Judæis et paganis amplexi sunt religionem christianam, ea omnia indubie ut vera agnoverunt : hi autem sunt et fuerunt innumeri ex omni gente et conditione. Suetonius de imperatore Claudio cap. 44. narrat edicto hujus imperatoris pulsos fuisse Roma Judæos qui sequebantur religionem Christi, quod factum legitur in Actis Apost. c. 18. Tacitus *Annal.* l. 15. c. 44, refert Christum subiisse mortem sub Pontio Pilato Judææ gubernatore, imperante Tiberio, prout refertur in Evangelio. Celsus, quo nullus fuit infensior religionis christianæ adversarius, agnoscit Christum sanasse claudos et cæcos : en ejus verba apud Origen. qui illum impugnavit, l. 2. *cont. Cels.* « Credidistis ipsum esse Dei filium, eo quod claudos et cæcos sanavit.» Similiter Julianus Apostata apud Cyrill. l. 6. fatetur Christum sanasse claudos et cæcos, et liberasse energumenos. Phlegon qui florebat in aula Adriani imperatoris circa medium secundi sæculi, in *Hist. Olympiad.* l. 13, refert eclypsim solis et terræ motum qui contigerant moriente Christo ut legimus Matth. c. 27. Thallus alter paganus antiquior Phlegone, lib. 3. *Histor. Syriac.* narrat hanc eclypsim contigisse anno 18. imperii Tiberii quo passus est Christus. Hæc duo testimonia Phlegonis et Thalli simul juncta maxime urgebant Origenes, Tertullianus, Minutius Felix, S. Justinus et alii contra Celsum, Porphyrium et Julianum, qui ad hæc obmutescebant.

4° Constat de veritate istorum factorum ex regula § præcedenti posita. Hæc enim facta sunt exteriora oculis et auribus pervia: facta sunt coram multis videntibus vel audientibus, attente et mature omnes circumstantias perpendentibus. Denique in eorum memoriam instituta sunt monumenta publica, scilicet festa solemnia, quæ ab exordio usque nunc permanent et impositæ obligationes, scilicet legis evangelicæ. Hæc autem veritatem factorum asserunt, ut dictum est.

TERTIUM.

ISTA FACTA SUNT VERA MIRACULA.

Prob. ex triplici regula § 1 posita et aliis momentis. 1° Inter illa facta plura sunt quæ juxta constantem et universalem omnium hominum sensum, superant vires totius naturæ et habentur pro veris miraculis, ut sunt suscitatio Lazari, et filiæ Jair, ipsa Christi resurrectio, multiplicatio quinque panum quibus satiantur quinque millia hominum, missio Spiritus Sancti, subita transmutatio discipulorum in alios viros, donum linguarum et miraculorum eis concessum, etc. Hæc, inquam, et similia juxta communem omnium hominum sensum habentur pro veris miraculis, ergo talia sunt; sensus enim communis omnium hominum non potest esse falsus, ut dictum est.

2° Omnia ista miracula facta sunt a Christo et Apostolis in nomine Dei in attestationem dogmatum religionis christianæ: ergo non possunt esse falsa nec inducere in errorem, ut fert secunda regula.

3° Christus et Apostoli eorumque successores qui hæc miracula patrarunt, tradebant doctrinam Deo dignam, recte rationi conformem, bonos mores inducentem, et vitæ sociali faventem: vitam suam et mores ad hujus doctrinæ normam adamussim componebant, et ex eorum miraculis innumeri homines omnium nationum facti sunt et permanent eorum doctrinæ sectatores, eorum vitæ imitatores, supremi numinis religiosi cultores, charitate inter se concordes, dæmonum hostes et victores: impossibile est autem, ut dictum est in tertia regula, hæc miracula facta fuisse auctore dæmone in suæ dominationis destructionem.

4° Quotquot ex Judæis et paganis religionis christianæ nomen dederunt, hæc facta ut vera miracula agnoverunt: inter illos autem erant viri maximæ eruditionis et perspicacissimi ingenii, ut S. Justinus Martyr, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Quadratus, Aristides, Melito, Athenagoras, etc. Hi, inquam, et alii, non nisi explorata veritate miraculorum per accuratum examen, ut momentum rei exigebat, antiquam religionem sensibus faventem exuerunt, ut novam sensibus plane repugnantem induerent, et pro ea plurimi mortem subirent. Quis porro sanæ mentis hujusmodi testibus fidem non adhibeat potius quam hesternis quibusdam incredulis, qui non nisi ex pravitate cordis, et nulla fulti ratione, miracula nostra impugnant? Adde quod ipsimet imperatores pagani veritatem miraculorum Christi agnoverint et venerati sint. His motus Tiberius Christum detulit senatui ut numero deorum adscriberetur, quod abnuit senatus, eo quod non esset auctor hujus consilii. Ita refert Tertull. in Apologetico ipsi senatui Romano oblato. Lampridius auctor paganus in vita Alexandri Severi, narrat imperatorem Adrianum plura templa absque idolis erexisse eo animo ut illa templa Christo consecraret, sed a proposito fuisse deterritum, ne, si id faceret, omnia alia templa desererentur, et omnes Christi religionem amplecterentur, prout responderant ocula: refert iterum idem Lampridius ibid. Alexandrum Severum habuisse in suo palatio oratorium in quo Christum adorabat et illi sacrificia offerebat.

5° Non solum Apostoli miracula Christi ut vera narrant, et se pro eorum veritate asserenda, morti et suppliciis offerunt, sed insuper testantur se ab eo accepisse virtutem faciendi vera miracula. Vel ergo fecerunt vera miracula vel non. Si fecerint, nobis sufficit; si non fecerint, ergo sponte se pro impostoribus palam exhibebant. Quis credat? Nisi supponas illos fuisse omnino mente captos.

Omitto innumera alia miracula quæ successores Apostolorum et sancti viri invocato Dei vel Christi nomine, quovis tempore et ubique fecerunt in confirmationem religionis christianæ. Plurima referunt SS. Ambrosius, Augustinus, Gregorius, annales ecclesiastici et alii probati auctores. Item nullus declaratur sanctus nisi invictissime probetur edidisse vera miracula. Quæ omnia si neges, nulla stabit vera historia, et omnia inter fabulas erunt recensenda.

6° Denique si quis proterve neget vera miracula in confirmationem religionis christianæ, agnoscat omnium miraculorum maximum, quod hæc religio, quam art. seq. describemus, absque miraculis totum mundum pervaserit. Ita post. S. Aug. argumentatur Auctor 1. *cont. Gent.* c. 6: « Cum constet, inquit, Romanum imperium universumque orbem tot potentibus viris, philosophis, oratoribus, refertum, Christi doctrinæ ante repugnantem, ad eam postmodum fuisse conversum, quæro an virtute signorum et prodigiorum, ab antiquis ritibus, diuque observata religione, in hanc novam et inauditam, sit hæc facta mutatio? Si fateberis mundum ad hanc persuasionem tractum fuisse vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit a Deo auctore miraculorum, et qui facit mirabilia magna solus, religionem hanc processisse: sin autem negas ullis miraculis mundum ad hanc recipiendam fidem fuisse provocatum, negando miracula, ingens miraculum ingeris; quid enim potest dici mirabilius, quam Romanum imperium, totamque gentilitatem, religionem, quam tam acriter impugnabant, subvertereque moliebantur, desertis paternis ritibus, nullis visis signis, mirandisque operibus, sponte suscepisse, et in ea retinenda tam constantes fuisse? »

Opponunt deistæ plura miracula facta a gentilibus, et inde inferunt, non posse probari veritatem religionis christianæ ex miraculis. Sic, inquiunt, magi in Ægypto virgas suas in serpentes converterunt, et ranas produxerunt, sic Vespasianus sanavit cæcum et claudum,

sic Apollonius Thyanæus, inter plura miracula, resuscitavit puellam mortuam.

Resp. 1° Nego ullum verum miraculum unquam factum fuisse a gentilibus : tum quia nullum factum est in nomine Dei Creatoris quod est tessera veri miraculi, tum quia quæ referuntur non superant vires naturæ aut sunt falsa et supposita.

Quantum ad prodigia magorum Ægypti, plures volunt fuisse tantum ludificationes sensuum. Alii et communius cum S. Th. existimant fuisse quidem veras ranas et veros serpentes, non quos magi supra omnes virtutes totius naturæ produxerint, sed quos ex seminibus in elementis dispersis, applicando virtute naturali activa passivis effecerunt, ut fieri potest in his quæ ex putrefactione nascuntur, ut docet S. Th. post. Aug. vel aliunde asportatos exhibuerunt, quod videtur probabilius. [1].

Sed et qua fronte deistæ audent opponere miranda a magis in Ægypto peracta veris Moysis miraculis, cum ex eadem S. Scriptura constet Moysen vicisse magos, ita ut illius serpens horum serpentes devoraverit, et cum perventum est ad quartum prodigium steterit iners ars magorum , et coacti fuerint dicere de miraculis Moysis : *Digitus Dei hic est.*

Quæ de Vespasiano referuntur, nullo teste sed fama incerta nituntur. Insuper claudus et cæcus, quos dicitur sanasse, non erant, medicorum judicio, naturaliter insanabiles, ut refert ipse Tacitus *Hist.* lib. 4. n. 81.

Quantum ad Apollonium, unus Philostrates centum et amplius annis post Apollonii mortem ejus historiam fabulis refertam scripsit, istamque cujusdam puellæ suscitationem ex rumoribus incertis, absque ullo testimonio refert, nec constat ex ejus narratione vere mortuam fuisse puellam; deinde Apollonium habitum fuisse impostorem inde evincitur, quod nullum sectatorem habuerit, nec sectam fecerit.

Resp. 2° Dato quod Deus, propter causas sibi notas, faceret aliquod miraculum in paganismo , nunquam illud faceret in confirmationem idololatriæ, id enim repugnat ejus bonitati, sapientiæ et veracitati, ut supra diximus. Miracula vero Christi, Apostolorum et successorum, facta sunt invocato nomine Dei in confirmationem divinitatis Christi, ejus missionis, et religionis ab ipso institutæ.

[1]. 1. p. q. 14. a. 4. et ad 2.

§ III.

Prophetiæ et promissiones Christi adimpletæ.

1° Christus promisit se tertia die resurrecturum, Joan. 2. Matth. 20. et alibi. 2°. Promisit se post mortem conversurum ad se gentes, et Judæos rejecturum , Joan. 12. Matth. 8. et 22. et Luc. 13. 3°. Promisit Apostolis se facturum illos piscatores hominum, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5, se missurum illis Spiritum Sanctum, Joan. 15, se collaturum illis donum sapientiæ, fortitudinis et linguarum, Luc. 21, Joan. 15. et 16. et Matth. 6. Tandem promisit se illis adfuturum usque ad consummationem sæculi. Hæc omnia præstare non potest nisi solus Deus; præstitit Christus; resurrexit die tertia, convertit ad se gentes, et rejecit Judæos, hæc ad oculum patent; fecit Apostolos piscatores hominum, misit illis Spiritum Sanctum, concessit illis donum linguarum, sapientiæ et fortitudinis. Denique adfuit, adest, aderit illis, id est suæ Ecclesiæ indefectibili usque ad consummationem sæculi : ergo Christus est Deus; ergo vera et divina ejus Religio.

ARTICULUS III.

MODUS MIRABILIS ET PLANE DIVINUS QUO CHRISTIANA RELIGIO FUIT FUNDATA ET PROPAGATA.

Ut tota vis hujus argumenti bene percipiatur, plura sunt observanda.

1° Hæc religio celerrime diffusa est : Paulus enim ad Coloss. 1 ℣. 6. ait jam tempore suo Christi fidem in universo mundo crescere et fructificare : Justinus martyr, qui florebat initio secundi sæculi, *in Dialogo cum Triphone,* dicit nullum esse genus hominum apud quos non colatur. Similiter Irenæus lib. 1. c. 3. Tertull. lib. *cont. Judæos* c. 7. et Plinius junior, qui etiam florebat ineunte secundo sæculo lib. 10 epist. 97 *ad Trajanum :* « Non civitates tantum, inquit, sed vicos atque agros superstitionis istius (christianæ) contagio pervagata est.»

2° Introducta et propagata est per paucos piscatores, homines plebeios, rudes, ignaros, pauperes et contemptibiles; non ut aliæ religiones armorum potentia, magnatum favore, opum, voluptatum, honorum illecebris, aut vi eloquentiæ humanæ, sed sola Christi virtute et sapientia ; juxta illud Apost. 1 Cor. 1 : *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia ele-*

git Deus, et ea quæ non sunt (id est quæ pro nihilo reputantur) *ut ea quæ sunt* (id est quæ pro maximo habentur) *destrueret.*

3° Hæc fidei doctrina talis est ut potius hominibus videretur stultitia quam sapientia, nimirum quod homo inter opprobia in crucem actus et mortuus, sit verus Deus colendus, quod resurrexerit, quod non sit aliud nomen in quo oporteat nos salvos fieri, quam in nomine hujus hominis crucifixi : unde Apost. 1 Cor. 1 : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Talis est, inquam, hæc religio et doctrina, quæ nihil conducit ad terrenam felicitatem, quæ passiones refrænandas, honores, divitias, voluptates contemnendas docet, quæ nihil nisi lacrymas, pœnitentiam, mortificationem inculcat, nihil in hoc mundo promittit nisi pericula, afflictiones, persecutiones, humiliationes, tormenta, cruces.

4° Sub hujus religionis apparenter stultæ tam duræ et asperæ jugo, hi pauci piscatores contemptibiles subjecerunt non indoctos solum et simplices, sed viros doctissimos, Dionysium, Clementem, Irenæum, Justinum, Arnobium, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, etc. neque solum plebeios, sed ipsos principes, reges, imperatores.

5° Denique hæc religio atque doctrina propagata est, et crevit in mediis persecutionibus, impugnantibus principibus et magistratibus, contradicentibus philosophis, sæviente diabolo atque omni suppliciorum genere contranitente; et quanto magis impugnabatur, tanto magis crevit ac prævaluit, ita ut sanguis martyrum factus sit semen christianorum.

Quis sanæ mentis, si ad hæc attendat, non cognoscat religionem, qualem descripsimus, hoc modo natam, adultam et propagatam non esse ingenii humani inventum, sed opus Dei omnipotentis. Neque enim fieri potuit, ut doctrina a sapientia humana, tam aliena, tam sensibus repugnans, tam aspera et dura, orbem universum tam celeriter pervaderet, et inter persecutiones, tormenta et contradictiones hominum et dæmonum reciperetur a principibus et eruditis, idque per paucos piscatores, pauperes et rudes, nisi Deus efficacissime operatus fuisset, tam in eis qui illam prædicarunt, quam in eis qui illam receperunt.

Hic positis resumo argumentum initio dissertationis factum. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc religionem esse veram, a Deo revelatam et institutam, 1° quam Prophetæ longe antea prænunciarunt; 2° quam ejus Auctor et illius cooperatores pariter prophetiis adimpletis et miraculis patentissimis confirmarunt; 3° denique quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta et per orbem universum propagata : atqui hæc est religio christiana : ergo ratio suadet, imo cogit, nisi sit inversa et turbata, agnoscere religionem christianam esse veram a Deo revelatam et institutam. Majorem nemo sanæ mentis negare potest : minorem invicte probavimus. Stat itaque inconcussa conclusio, proindeque necessum est, ut vel deista nuntium remittat rationi, vel agnoscat religionem christianam esse veram et divinam.

DISSERTATIO III.

De Actu interno et externo fidei.

D. Th. q. 2 et 3.

Duplex distinguitur actus fidei, unus internus quo assentimur certo et firmiter veritatibus a Deo obscure revelatis propter ejus auctoritatem, et dicitur « credere : » alter externus quo exhibemus signum aliquod hujus interioris assensus, et dicitur confessio, juxta illud Rom. 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* De utroque dicemus in præsenti dissertatione, et primo de actu interno : unde sit

ARTICULUS I.

UTRUM SIT DE NECESSITATE SALUTIS CREDERE ALIQUID SUPRA RATIONEM NATURALEM?

Credere dicitur tripliciter, scilicet credere Deo, credere Deum et credere in Deum, propter triplicem respectum quem fides habet ad suum objectum: [1] vel enim respicit Deum ut objectum formale quo, et sic dicitur credere Deo ; vel respicit Deum ut objectum formale quod, et sic dicitur credere Deum; vel tandem respicit Deum ut finem in quem tendit, et dicitur credere in Deum : itaque credere Deum est credere Deum esse; credere Deo est credere ipsi aliquid revelanti; credere in Deum est credendo tendere in ipsum ut in ultimum finem propter quem credere volumus.

Duplex est necessitas scilicet medii et præcepti, de qua jam non semel dixi, et ut breviter repetam: illud dicitur necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo etiamsi inculpabiliter omisso, salus haberi non potest, sive ex natura rei, sive ex institutione divina, ut est gratia pro omnibus, baptismus in re pro parvulis, pœnitentia pro peccatoribus. Dicitur autem necessarium necessitate præcepti, quod quamvis non sit medium absolute necessarium, quia tamen est præceptum, est necessario observandum, ita ut ejus omissio voluntaria sit peccatum, quod salutem impedit. In hoc et sequenti articulo quæstio est de necessitate medii.

Dico 1° : [2] Fuit omni tempore necessarium omnibus adultis necessitate medii ad salutem credere fide supernaturali aliquid supra rationem naturalem.

Prob. 1° ex S. Scriptura: Apost. Hebr. 11 dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se renumerator sit:* Apostolum autem loqui de fide supernaturali constat, quia loquitur de fide quam paulo ante in eodem capite definiverat quod sit *sperandarum rerum substantia, et argumentum non apparentium* : hæc autem fides est supernaturalis, cum res sperandæ humani ingenii captum superent, et res non apparentes humana ratione investigari non possint.

Marci ultimo, Christus dicit: *Qui non crediderit, condemnabitur:* et ibi est sermo de fide in evangelium, consequenter de fide supernaturali. Item Joan. 3 : *Qui non credit, jam judicatus est,* fide item divina; additur enim, *quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.*

Prob. 2° ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi cum dixit baptismum esse sacramentum « fidei », addit: « sine qua nulli unquam contigit justificatio » : annotandæ sunt hæ particulæ: « nulli et unquam », quibus aperte significatur necessitas medii pro omni tempore. Et cap. 8. dicit : « Fides est salutis humanæ initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire. »

Ex omnibus his auctoritatibus habemus quod, esto Deum posse hominem salvare absque sui cognitione et amore, noluerit tamen : idque congruenter hominis naturæ, ut patebit ex ratione sequenti : unde

Prob. 3° ratione : Necessarium est necessitate medii ad salutem quod homo qui ratione regitur, cognoscat finem ultimum in quem tendit et media quibus ad illum pervenitur : atqui hæc cognoscere non potest per rationem naturalem, sed per solam revelationem seu fidem : ergo. Prob. min. Finis ultimus in quem homo tendit est supernaturalis, scilicet consortium gloriæ Dei, media quibus ad illum pervenitur sunt pariter supernaturalia, scilicet actus virtutum supernaturalium fidei, spei et amoris; media enim debent proportionari fini : atqui hunc finem et hæc media non potest homo cognoscere per rationem naturalem, sed per solam revelationem ; ratio enim naturalis non dictat Deum velle admittere hominem ad consortium suæ gloriæ, neque explicat hæc media quibus ad illud pervenitur : ergo.

Dico 2° : Fuit omni tempore necessarium necessitate medii ad salutem, credere fide supernaturali determinate et explicite hæc duo, scilicet Deum esse auctorem gratiæ et remuneratorem gloriæ. Patet ex Apostolo laudato cap. 11 Hebr. dicente: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est; et inquirentibus se remunerator sit:* in quibus duobus credibilibus cætera continentur, ut dictum est superius. Apostolorum autem loqui de Deo et remuneratore in ordine supernaturali, scilicet quod sit auctor gratiæ et remunerator gloriæ, constat, tum quia cum dicit, *credere oportet,* loquitur, ut jam notavimus, de fide supernaturali, quam antea definierat, quod sit *rerum sperandarum substantia et argumentum non apparentium :* tum quia

[1] Hic q. 2. a. 2. o. [2] Ibid. a. 3. o.

postea in eodem capite dicit de Abraham quod cum aliis SS. Patribus, *meliorem patriam appeteret, id est cœlestem;* et de Moyse quod thesauro Ægyptiorum contempto *aspiciebat in remunerationem,* utique cœlestem.

Hinc colliges non sufficere ad salutem quod quis credat in communi et in confuso quidquid credit aut docet Ecclesia, si interim nihil determinate et in particulari de Deo cognoscat aut credat; quia absque particulari et explicata cognitione quod Deus existat, quod sit remunerator bonorum et malorum vindex, non potest ipsum debite colere, neque actiones suas in eum ut in finem dirigere.

Obj. 1°: Quamvis baptismus sit necessarius ad salutem, potest tamen homo salvari per illius votum absque eo quod re suscipiatur: ergo similiter de fide.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod baptismus re susceptus non sit initium salutis, fundamentum et radix justificationis, sed aliquid prius supponat, saltem fidem in qua includitur votum baptismi: at fides juxta Tridentinum citatum, est initium salutis, fundamentum et radix justificationis, et ideo nihil supernaturale supponit in quo ejus votum includatur. 2° Susceptio realis baptismi, cum sit quid externum, potest variis modis impediri, non sic actus internus fidei, et ideo Christus voluerit sufficere baptismum in voto, non fidem in voto; quod, juxta observationem S. Bernardi epist. 77 *ad Hugonem,* patet ex ejus verbis Marci ultimo: cum enim dixit; *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* non subjungit: *Qui non crediderit et non baptizatus fuerit, condemnabitur;* sed solum: *Qui non crediderit, condemnabitur;* aperte significans fidem in re esse necessariam, non tamen baptismum in re. Adde quod si fides in voto sufficeret ad justificationem, a fortiori charitas in voto sufficeret, quippe quæ supponit fidem et spem; id autem nemo unquam dixit.

Inst.: Cognitio Dei naturalis continet implicite quod sit provisor et justificator hominum: atqui fides implicita quandoque sufficit: ergo.

Resp. neg. maj. Quæ enim sunt ordinis supernaturalis et non nisi supernaturaliter cognosci possunt, non continentur in iis quæ sunt ordinis naturalis et naturaliter cognoscuntur.

Obj. 2°: Apost. Rom. 2 dicit: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt:* atqui ad salutem sufficit observare legem, juxta illud Christi Matth. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ergo.

Resp. juxta S. Aug. l. de spiritu et litt. c. 2, Prosperum contra Collatorem c. 22, Fulgentium de Incarnat. c. 26, S. Thomam 1. 2. q. 109. a. 4. ad 2, hæc Apostoli verba intelligi de gentibus conversis ad fidem operantibus ex gratia; et το « naturaliter » non sumi prout opponitur gratiæ, et prout idem est ac viribus naturæ, sed prout opponitur legi mosaicæ, ita ut sensus sit: Gentes quæ legem scriptam non habent, ea quæ legis sunt faciunt naturaliter, id est sine adminiculo legis mosaicæ, sed per naturam sola Christi gratia adjutam. Quod si cum quibusdam aliis intelligas de gentibus infidelibus, et το « naturaliter » viribus naturæ solius, sensus est quod quædam legis opera faciant propriis viribus, sed non omnia.

Obj. 3°: Tempore legis naturæ quidam fuerunt salvati: atqui in lege naturæ nulla erant præcepta nisi naturalia, nulla Dei cognitio nisi naturalis: ergo.

Resp. neg. min. Dicitur enim lex naturæ, quia excludebat legem scriptam, non præcepta supernaturalia fidei, spei et amoris; hæc enim inspirata primum fuere Adamo, et ab eo ad posteros, non scripto quidem, sed ore transmissa.

Inst. S. Justinus cap. 28. *Apolog.* dicit Socratem esse salvum, eumque vocat martyrem, et *Orat. ad Antonium* appellat christianos, eos antiquos philosophos qui vixerunt secundum rationem: ergo.

Resp. quod si Socrates et alii quidam antiqui philosophi sint salvi, Deus eis ante mortem infuderit fidem seu cognitionem supernaturalem: sed communior sententia tenet eos non esse salvos; tum quia quibusdam virtutibus moralibus miscerent gravia vitia: sic ipse Socrates, qui ab aliquibus dicitur iracundus et ebriosus, instante morte jussit immolari gallum gallinaceum Æsculapio, ut refert Dom. Rollin tom. 4. *Hist. ancienne* p. 44. tum quia, ut plurimum, virtutem non nisi ex vana gloria colebant. Justinus autem vocat Socratem martyrem lato sensu, attenta sola causa mortis: fuit enim damnatus, eo quod unum esse Deum doceret in scholis. Appellat antiquos philosophos christianos, non quod essent proprie christiani, si fide carebant, sed improprie, quatenus in praxi virtutum moralium ipsos christianos æquabant, aut etiam aliquando superabant.

Repones: Cornelius Act. 10. erat justus antequam fidem haberet, siquidem Petrus ad

eum missus sit, ut ipsum de fide instrueret : ergo.

Resp. neg. ant.[1] Jam enim credebat Cornelius, antequam Petrus ad eum accederet, sed erat plenius in fide instruendus, et ideo ad eum Petrus missus est.

ARTICULUS II.

UTRUM IN HOC STATU LEGIS EVANGELICÆ FIDES EXPLICITA INCARNATIONIS ET TRINITATIS SIT NECESSARIA NECESSITATE MEDII AD SALUTEM?

Credere aliquid explicite est illud credere sub propriis et particularibus terminis sub quibus nobis proponitur : sic credit explicite mysterium Incarnationis, qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam et Christum esse Deum et hominem : credit explicite mysterium Trinitatis qui credit Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum et tres personas. Credere autem aliquid implicite est credere in alio, sive ut in principio universaliori in quo continetur, sive ut in sensu magistri, cui adhæretur, sive ut in umbra et figura, quæ scitur habere significationem, quamvis res significata clare non cognoscatur.

Suppono 1°.[2] Ante resolutionem, quod ante peccatum, Adam habuerit fidem explicitam Incarnationis, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem et resurrectionem; non enim fuit præscius sui peccati futuri. Ita colligit Auctor ex hoc quod Adam afflatus Spiritu Sancto, dixit Genes. 2 : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ :* et hoc Apost. Ephes. 5 dicit sacramentum magnum in Christo et in ecclesia, quatenus, ut explicat S. Hieron. in hanc epistolam, Christus reliquit Patrem suum Deum, et matrem suam cœlestem Jerusalem, et venit in terras propter ecclesiam quam sibi desponsavit.

Suppono 2°[3] post peccatum ante promulgatum evangelium, fuisse omni tempore necessariam necessitate medii ad salutem aliquam fidem Incarnationis. Patet 1° ex Apost. Galat. 2. dicente : *Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi ;* 2° ex S. Petro Act. 4 : *Non est,* inquit, *in aliquo alio salus : nec enim aliud nomen est sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri :* propositio est universalis ad nullum tempus restricta.

[1] Hic. q. 70.a. 4. ad 3. [2] Hic q. 2. a. 7. o. [3] Ibid. et ad 3.

3° Nos non salvamur absque fide Incarnationis : atqui eadem est fides nostra et antiquorum ante legem evangelicam, juxta illud Pauli 2. Cor. 4 : *Habentes eumdem Spiritum fidei;* in quæ verba S. Aug. *Epist.* 89 : « Non diceret, inquit, eumdem Spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos justos habuisse ipsum Spiritum fidei, hoc est incarnationis Christi. » Quod repetit alibi pluries S. Doctor. 4° Sicut necessaria est redemptio Christi, ita et fides illius, per fidem enim applicatur redemptio juxta illud Rom. 3 : *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes :* atqui Redemptio Christi est, et fuit omnibus pro quovis tempore post peccatum necessaria necessitate medii ad salutem, ut docet Apost. Rom. 5 : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ :* ergo.

Suppono 3°[1] ante Evangelium sufficienter promulgatum fidem implicitam Incarnationis communiter sufficientem fuisse : « Si qui tamen, inquit auctor citatus salvi fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina Providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos. » Idque constat ex Apostolo qui ad Galat. 3 dicit : *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eamdem fidem, quæ revelanda erat.* Et ad Ephes. 3, loquens de mysterio Incarnationis, ait : *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum sicuti nunc revelatum est SS. Apostolis ejus et Prophetis in spiritu.* Et ad Coloss. 1 : *Quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus.* Adde quod juxta eumdem Apostolum 1 Cor. 10 : *Omnia in figura contingebant illis.* Et ita sentiunt S. Aug. l. 19 contra Faustum epist. 89 et alibi; S. Chrysosthomus hom. 37. in Matth. S. Bernardus epist. 77. ad Hugonem Victorinum, et alii Patres.

Dixi « communiter sufficientem fuisse », id est minoribus et communi populo : quantum enim ad majores, videtur quod tenerentur saltem necessitate præcepti habere fidem aliquo modo explicitam Incarnationis, quia cum offerrent sacrificia Christi præfigurativa et legerent, atque interdum explicarent prophetias de Christo venturo, videntur utrorumque significatum aliquo modo cognoscere debere, licet non ita distincte et explicite sicut nunc

[1] Ib. ad. 3.

ost peractum mysterium : unde Auctor in 3 l. 25 q. 2 a. 2 q. 2 dicit quod « post peccaum ante Christum majores habebant fidem edemptoris explicite, minores implicite. »

Superest itaque quæstio de statu legis evangelicæ circa quam est quadruplex sententia : rima absolute negat in hoc statu necessariam sse ad salutem fidem explicitam Incarnationis t Trinitatis; secunda affirmat esse absolute ecessariam; tertia quæ est Cano et Bannes, istinguit inter primam et secundam salutem, d est, inter justificationem et gloriam, negat sse necessariam ad justificationem, concedit sse necessariam ad gloriam; quarta dicit esse er se necessariam ad utramque salutem, per ccidens tamen ratione ignorantiæ invincibilis osse suppleri per fidem implicitam. Primam ententiam duabus primis conclusionibus mpugnabimus; tertiam conclusione tertia; uartam in sol. obj. Unde

Dico 1° : Post Evangelium sufficienter promulgatum, fides explicita Incarnationis est mnibus necessaria necessitate medii ad salutem.

Est probabilior et communior : intellige tamen de necessitate, non ex natura rei, alioquin eadem fuisset omni tempore, sed de necessitate ex institutione et voluntate Dei pro oc statu legis gratiæ. Idem dicendum de sequenti conclusione.

Prob. 1°. ex S. Script. : Christus Joan. 3 dicit: *icut Moyses exaltavit serpentem in deserto, a exaltari oportet Filium hominis, ut omnis ui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam :* atqui aspectus serpentis erat nedium necessarium ad sanitatem corporaem : ergo et fides in Christum ad sanitatem piritualem : ipsum autem loqui de fide explicita patet ex his quæ ibidem subdit : *Qui,* inuit, *credit in eum, non judicatur; qui autem on credit, jam judicatus est, quia non credit n nomine Unigeniti Filii Dei :* то « *nomine* » esignat personam; то « *Unigeniti Filii Dei* », istinguit a cæteris personis : ergo loquitur de de explicita, et quidem absolute necessaria; uia qui non credit, jam judicatus est.

Marci ultimo dicitur : *Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur.* Est ergo absolute necessarium ad salutem credere Evangelium : Evangelium autem continet explicite mysterium ncarnationis: unde S. Bernardus Epist. citata 7 ad Hug. scribens in hunc locum dicit, ut m observavi : « Caute igitur et vigilanter non repetivit : qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum, qui vero non crediderit, condemnabitur, innuens solam interdum sufficere fidem ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil. » Quibus verbis declarat S. Doctor baptismum posse aliquando suppleri, fidem vero Evangelii, quæ, ut dixi, est explicita, non posse per aliud suppleri.

Joan. 14, Christus dicit : *Creditis in Deum et in me credite :* ubi parem exigit fidem de seipso ac de Deo : atqui fides explicata de Deo est necessaria necessitate medii : ergo et de Christo. Plura alia similia leguntur in Evangelio et in Epistolis Pauli.

Prob. 2°. ex patribus et concilio Trid. Præter S. Bernardum de quo jam dictum est, S. Augustinus l. *de Correpl. et Grat.* c. 7 : « Ab hac damnatione, inquit, non se liberabunt qui poterunt dicere se non audisse Evangelium » : ubi loquitur de fide explicita, quia loquitur de fide evangelii, et necessitatem adstruit absolutam atque inexcusabilem, etiam ex ignorantia invincibili, quod importat necessitatem medii.

S. Th. hic a. 7. o, ubi initio loquitur de eo quod est necessarium necessitate medii, in fine sic concludit : « Post tempus gratiæ revelatæ, tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi. » Et adhuc expressius in 3. d. 25. q. 2. a. 2. q. 2 : « Post adventum Christi, inquit, omnes tam majores quam minores tenentur ad credendum explicite, et si aliquis instructionem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret » : ergo aperte sentit fidem explicitam esse necessariam necessitate medii et non tantum præcepti ; alias si instructione careat, excusaretur ab hoc præcepto, quod non admittit S. Doctor, sed recurrit ad medium extraordinarium revelationis, quod tunc esset debitum.

Trid. sess. 6. cap. 6. agens de dispositione ad justificationem et de iis quæ ad illam sunt credenda, dicit : « Disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud imprimis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. » Porro si sit necessarium « imprimis » hoc credere de Redemptione per Christum, ergo nihil magis necessarium : ergo hæc fides explicita de Christi Redemptione est inter prima credibilia reponenda et præ cæteris necessaria, consequenter necessitate medii.

Confir. ex symbolo S. Athanasii, ubi cum explicuit mysteria Trinitatis et Incarnationis, concludit : « Hæc est fides catholica quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. »

Prob. 3° ratione : Perfectior fides Incarnationis requiritur in nova lege, in qua istud mysterium est peractum et revelatum, quam in veteri lege in qua erat velatum, ut ostendimus in tertia suppositione : atqui in veteri lege fides implicita Incarnationis erat necessaria necessitate medii, ut etiam probavimus in secunda suppositione : ergo in nova lege est necessaria explicita.

Dico 2° : [1] Post evangelium sufficienter promulgatum, fides explicita Trinitatis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem.

Prob. 1° ex cap. ultimo Marci ut in prima probatione conclusionis præcedentis. [2] 2°. Fides explicita Incarnationis est necessaria necessitate medii, ut patet ex præcedenti conclusione : atqui non potest haberi fides explicita Incarnationis, nempe quod Filius Dei sit incarnatus et conceptus de Spiritu Sancto, absque fide explicita Trinitatis. 3° Incarnatio est tantum objectum secundarium fidei nostræ, Trinitas est primarium : atqui in nova lege requiritur fides explicita objecti secundarii : ergo a fortiori et primarii. 4° Ex symbolo S. Athanasii ut in prima conclusione. 5° Denique ratione jam facta pro præcedenti conclusione. Perfectior fides requiritur de hoc mysterio in nova lege in qua est expresse revelatum, quam in veteri in qua erat velatum : atqui in veteri requirebatur fides de eo implicita : ergo in nova requiritur fides explicita.

Dixi in utraque conclusione : « post Evangelium sufficienter promulgatum » ; quia ab adventu Christi usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, idem censendum est ac de tempore præcedente Incarnationem, scilicet satis fuisse fidem implicitam de Christo ; quia non debet reputari medium ad salutem necessarium quod non est sufficienter promulgatum : id namque repugnat Dei bonitati et suavi ejus Providentiæ, ut arguit S. Bernardus, epist. citata : ii tamen quibus erat in particulari promulgatum Evangelium, tenebantur ex præcepto ad fidem explicitam. Quando autem sufficienter fuit pro omnibus promulgatum Evangelium, incertum est : probabile est id contigisse quadragesimo circiter anno post Christi ascensionem, quando templum Jerosolymitanum et respublica Judæorum per Romanos fuerunt subversa.

[1] Q. 2 a. 8. o. [2] Ibid.

Dico 3° : Fides explicita utriusque mysterii est necessaria necessitate medii, non solum ad secundam salutem, scilicet glorificationem, sed etiam ad primam, scilicet justificationem.

Prob. 1° ex locis S. Scripturæ Joan. 3. et Marci ultimo citatis pro prima conclusione, et præsertim ex Tridentino laudato, in quibus agitur non solum de glorificatione, sed etiam justificatione. Item in eodem cap. 3 Joan., Christus non solum dicit, quod *qui incredulus est Filio non videbit vitam,* sed addit quod *ira Dei manet super eum,* id est remanet peccator et injustus.

2° Justus est Filius Dei adoptivus et hæres gloriæ : ergo si fides implicita sufficit ad justificationem, sufficit etiam ad gloriam ; quod non admittunt adversarii.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° juxta Apost. Hebr. 11 : sufficit ad salutem duo credere explicite, scilicet quod Deus sit, et quod inquirentibus se sit remunerator : ergo.

Resp. neg. ant. [1] Non enim dicit Apostolus quod sufficiat, sed quod oporteat illa duo credere explicite : fuit ergo necessarium omni tempore illa duo credere explicite ; sed non est sufficiens omni tempore.

Obj. 2° : Illud non est medium necessarium ad salutem sine quo homo potest justificari : atqui sine fide explicita mysteriorum Incarnationis et Trinitatis, homo potest in lege evangelica justificari : ergo. Min. patet in Cornelio qui dicitur religiosus ac timens Deum, imo et justus, licet tamen non haberet fidem explicitam Incarnationis et Trinitatis ; ut enim de illis instrueretur Petrus ad eum missus est, Act. 10 et 11. Ergo.

Resp. neg. min. [2] Ad probationem de Cornelio duplex est responsio : prima quod fuerit justificatus per fidem implicitam, quia nondum erat sufficienter promulgatum Evangelium : unde missus est Petrus, ut illum plenius de fide instrueret : ita sentit Auctor citatus. Neque obstat quod angelus dicat Cornelio, quod Petrus *loquetur ipsi verba in quibus salvus erit,* ut refertur Act. c. 11, quia cum tunc instabat præceptum fidei, quæ in locis vicinis jam prædicabatur, nec eam Cornelius posset diu ignorare, missus est Petrus ad ipsum, tum ut eam citius disceret et in

[1] Ibid. a. 8 ad. 1 [2] Hic q. 10 a. 4 ad 3

gratia crescerei, tum ne propter ignorantiam futuram, forte culpabilem, a justitia excideret: unde recte dictum est illi, quod Petrus illum ea doceret in quibus salvus esset.

Altera responsio est quod Cornelius non fuit justificatus antequam Petrum audiret: et ita videtur sentire S. Augustinus *de Prædest. Sanct.* c. 7. ubi dicit de Cornelio: « Si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Petrus. » Dicitur autem religiosus ac timens Deum propter quasdam ejus dispositiones ad justificationem, quomodo dicimus peccatores, dum pœnitentes se disponunt ad justificationem, religiose ac timorate vivere. Nec obstat quod etiam dicatur justus: sic enim dicitur ab iis quos miserat, qui non intelligebant in quo consisteret vera justitia: unde intelligebant justitia generali et vulgari modo, secundum quam homo bene morigeratus dicitur justus.

Quidam conantur utramque responsionem conciliare, dicendo quod Cornelius vixit, cum legis translatio fieret; et ideo fuit justificatus per fidem implicitam ante promulgationem evangelii, sed promulgato evangelio, quod instabat, debuerit ex præcepto habere fidem explicitam, ut salvus fieret.

Obj. 3° Qui habet fidem explicitam Dei ut auctoris gratiæ et remunatoris gloriæ, potest absque fide explicita Incarnationis et Trinitatis habere veram contritionem et perfectam Dei dilectionem: atqui hæc sufficiunt ad justificationem: ergo.

Resp. dist. maj. Potest attenta rei natura, conc. Attenta divina ordinatione, nego. Statuit enim Deus nemini dare in nova lege gratiam efficacem veræ contritionis et perfectæ dilectionis, quin prius aut simul infundat lumen fidei explicitæ, ut constat ex probationibus conclusionis.

Inferes: Ergo arctior est via salutis in nova lege quam in veteri, in qua homines poterant cum sola fide explicita Dei ut auctoris gratiæ et remuneratoris gloriæ justificari.

Resp. neg. illationem; quia in nova lege abundantior est gratia quam in veteri, et Deus æque facile potest sive per se, sive per angelos, sive per homines infundere fidem explicitam Incarnationis et Trinitatis, sicut fidem explicitam Dei ut auctoris gratiæ et remuneratoris gloriæ, quam omnes requirunt ad salutem.

Obj. 4°: Plures casus in quibus videtur sufficere ad salutem fides implicita, seu in voto, Incarnationis et Trinitatis, alioquin dicendum foreta legem vengelicam esse duriorem et viam salutis pluribus esse occlusam. 1° Puer enutritus in sylvis, aut inter barbaras nationes, si sequatur ductum rationis in fuga mali et prosecutione boni, justificabitur secundum D. Thomam: atqui tamen nihil audivit de evangelio. 2° Puer perveniens ad primum instans rationis, si convertatur ad Deum, justificabitur secundum eumdem S. Thomam: atqui tamen non potest in instanti instrui de præfatis mysteriis. 3° Sunt adeo rudes et stupidi ut non possint conceptu apprehendere hæc mysteria: idem dic de mutis et surdis a nativitate: atqui non potest dici quod salus sit illis impossibilis: ergo.

Propter hæc argumenta, quidam, ut observavimus, censent quod licet fides explicita istorum mysteriorum sit per se absolute necessaria, per accidens tamen ratione ignorantiæ invincibilis, possit suppleri per fidem implicitam. Sed hæc responsio displicet, 1° quia auctoritates et rationes conclusionum nostrarum probant necessitatem fidei explicitæ absolute et in omni casu relegantur; 2° quia etiam posset dici quod fides implicita Dei ut auctoris gratiæ et remuneratoris gloriæ sufficeret; 3° quia est contra S. Augustinum citatum in probatione primæ conclusionis, et contra D. Thomam qui in his casibus recurrit ad extraordinariam revelationem, quæ non est necessaria si fides implicita sufficeret. Unde

Resp. 1° retorquendo argumentum: Fides explicita Dei ut auctoris gratiæ, remuneratoris gloriæ, malorum vindicis et immortalitatis animæ, est secundum omnes necessaria necessitate medii ad salutem: atqui tamen contingere potest quod ista fides explicita desit in casibus objectionis, sicut fides explicita Incarnationis et Trinitatis; neque ideo lex evangelica debet dici durior et via salutis pluribus occlusa: ergo.

Resp. 2°. ad singula. Ad primum, « Certissime tenendum est, inquit Doctor noster[1], quod ei (de quo in casu) per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium » et Philippum ad eunuchum reginæ Candacis.

Ad secundum. Instans rationis non est physicum sed morale, habens aliquem durationem in qua sive a Deo, sive ab angelo, sive ab homine, potest puer instrui. Et quamvis hujusmodi instructiones in utroque casu sint extraordinariæ, non tamen debent dici miracu-

[1] Q. 14 de Vertia. 11 a.

losæ, quia connaturaliter sequuntur ad voluntatem Dei salvandi hominem et ad obligationem credendi explicite.

Ad tertium. Non requiritur ad fidem intelligentia sed assensus: unde S. Aug. 1 *cont. Epist. fundamenti*, cap. 4. « Turbam, inquit, non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. » Nullus autem est adeo hebes et stupidus qui auxilio gratiæ adjutus non possit mysteria Incarnationis et Trinitatis, saltem in confuso et quoad substantiam apprehendere: quod si neges, ii sunt annumerandi infantibus et amentibus qui sine fide actuali per solam fidem habitualem in baptismo susceptam salvantur.

Inst. 1° Juxta conclusiones nostras fides explicita horum mysteriorum non est necessaria nisi post promulgatum sufficienter Evangelium: atqui non est sufficienter promulgatum iis de quibus currit præsens objectio: ergo.

Resp. neg. min. Ut enim lex aliqua censeatur sufficienter promulgata, non requiritur quod cuilibet particulari et in quolibet loco promulgetur; sed sufficit quod sit promulgata in principalibus locis nationis seu provinciæ: unde notitia legis potest ad alios pervenire: sic autem fuit promulgatum Evangelium juxta illud Rom. 10: *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Inst. 2°. Evangelium non promulgabitur sufficienter nisi in fine mundi: juxta illud Matth. 24: *Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio:* ergo.

Resp. neg. ant. Ex verbis enim apud Matthæum sequitur tantum quod non adveniet consummatio sæculi, antequam sufficienter sit promulgatum Evangelium in toto mundo, non vero quod non promulgabitur, nisi instante consummatione. 2° Dato futuram tunc universaliorem promulgationem, non sequitur antea non fuisse sufficientem.

Obj. 5° Specialiter contra tertiam conclusionem. S. Augustinus lib. 1 *ad Simplicianum* q. 2 dicit: « In quibusdam tanta est gratia fidei quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ: in quibusdam vero tanta, ut jam corpori Christo et sancto Dei templo deputentur » : ergo potest dari fides sufficiens ad justificationem, quæ non sufficiat ad regnum cœlorum obtinendum.

Resp. neg. conseq. Quippe quæ nullatenus sequitur ex verbis S. Augustini: dicit enim S. Doctor in prioribus verbis posse esse talem fidem inchoatam et imperfectam, qualis reperitur in catechumenis et peccatoribus se disponentibus ex auxilio gratiæ ad gratiam justificationis, quæ non sufficiat ad regnum cœlorum; sed non dicit quod sufficiat ad justificationem: quin imo contrarium asserit in verbis posterioribus in quibus agnoscit eamdem fidem quæ sufficiat, ut quis deputetur sancto Dei templo, est in regno cælorum, et ut corpori Christi per justificationem incorporetur.

Ex dictis colliges eos qui præfata mysteria Incarnationis et Trinitatis quoad substantiam ignorant, etiamsi invincibiliter, esse absolutionis incapaces, et omnes confessiones in hac ignorantia factas, esse nullas et iterandas, neque sufficere ea aliquando credidisse, si de facto nunc ignorentur. Huc faciunt sequentes propositiones ab Innocentio XI damnatæ: « Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi » : est 64. « Sufficit illa mysteria semel credidisse «: est 65.

ARTICULUS III.

CÆTERÆ DIFFICULTATES CIRCA ACTUM FIDEI INTERNUM EXPENDUNTUR.

§ I.

Quæ sint credenda necessitate præcepti?

Dico: Omnes fideles in hoc statu legis evangelicæ tenentur ex præcepto obligante sub peccato mortali credere explicite, saltem quoad substantiam, et præcipuas circumstantias; 1° omnes articulos contentos in symbolo Apostolorum: 2° omnia præcepta Decalogi et Ecclesiæ: 3° orationem Dominicam: 4° sacramenta necessario suscipienda, quæ sunt tria: Baptismus, Eucharistia et Pœnitentia.

Ratio primæ partis est, 1° quia Apostoli ex præcepto Christi tenebantur illos articulos docere explicite, juxta illud Marci ultimo; *Prædicate evangelium omni creaturæ:* et ideo hoc symbolum composuerunt antequam inciperent prædicare: ergo inest fidelibus obligatio illos credendi. Inutile namque foret præceptum in-

struendi, si non sit obligatio credendi. 2° Quia nemo censetur verus christianus, nisi credat præcipua fidei christianæ capita, qualia sunt quæ continentur in symbolo Apostolorum. 3° Ex praxi ecclesiæ quæ olim nullum admittebat ad Baptismum, qui antea non recitaret hoc symbolum. 4°. Ita præcipitur cap. *Baptizandos de Consec.* q. 4. Unde *Cathechismus Romanus* p. 1. c. 1. n. 2 : « Quæ primum, inquit, christiani homines tenere debent, illa sunt quæ..... sancti Apostoli, Divino Spiritu afflati, duodecim symboli articulis distinxerunt. »

Ratio secundæ partis est, quia quilibet fidelis tenetur præcepta Decalogi et Ecclesiæ servare ; ergo et illa scire, seu credere.

Ratio tertiæ partis petitur 1° ex necessitate cognoscendi ea quæ a Deo petere debemus : hæc autem continentur in oratione Dominica ; 2°. ex communi sensu theologorum et fidelium qui vix pro Christiano haberent, qui hanc orationem nesciret : unde S. Aug. *serm.* 265 alias 215 : « Nescio, inquit, qua fronte se christianum dicat qui paucos versus in symbolo vel oratione Dominica parare dissimulat » ; 3° ex Innocentio III. cap. *Deus qui* de Pœnit et remiss.

Ratio quartæ partis est, quia hæc sacramenta rite suscipere non potest qui ea et dispositiones ad illa requisitas ignorat.

Dixi : « saltem quoad substantiam, et præcipuas circumstantias ; » quia, ut ait auctor[1], subtiles considerationes circa hæc mysteria tenentur aliqui magis, vel minus explicite credere, secundum quod statui, et officio uniuscujusque competit, magis pastores, doctores, prædicatores, confessarii qui aliis instruendis sunt deputati quam fideles de populo.

Neque etiam erit peccatum mortale, si quis ex negligentia non sciat quæ continentur in conclusione, memoriter et eo ordine quo recitantur communiter, modo facta inquisitione, aut data occasione illis utendi, statim intelligat credat et recte respondeat : erit tamen peccatum veniale propter quosdam textus juris qui ista memoriter teneri præcipiunt, quos tamen de obligatione sub peccato veniali communius intelligunt theologi, Navarrus, Laymam, Lopes et plures alii. Ab omni autem peccato excusatur qui propter hebetudinem mentis aut memoriæ labilitatem ea memoriter retinere non potest. Quomodo confessarius debeat se gerere erga pœnitentes ignorantes quæ scire tenentur, require in tract. de Pœnitentia.

[1] Q. 2 a. 7. o.

§ II.

Quandonam obliget præceptum fidei?

Suppono 1° præceptum fidei obligare per se, et non solum per accidens ratione alterius : dantur enim præcepta per se de actibus aliarum virtutum, quidni de actibus fidei? Neque Christus dixit, qui non crediderit, quando erit pœnitendum, aut aliquod aliud præceptum observandum, sed simpliciter et absolute, qui non crediderit condemnabitur. Unde Innoc. XI condemnavit hanc propositionem : « Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se. »

Suppono 2° duplex esse præceptum fidei, unum affirmativum assentiendi veritatibus revelatis ; aliud negativum non negandi fidem susceptam seu agnitam : hoc secundum obligat pro semper, non primum, sed determinato tempore, sicut alia præcepta affirmativa : quo autem tempore ?

Dico 1° : Præceptum fidei affirmativum obligat per se adultum rationis compotem statim moraliter ac credenda et credendi motiva ipsi sufficienter proponuntur : quia fides est medium necessarium ad salutem, ut diximus : tenetur autem adultus statim moraliter adhibere medium suæ saluti necessarium, præsertim cum si non credat, periculum sit ne agnitæ veritati positive dissentiat, sicque peccet contra præceptum negativum. Adde quod cum hoc præceptum per se aliquando obliget, non possit assignari tempus convenientius, quam primum instans vitæ moralis, aut sufficientis illuminationis.

Hinc colliges puerum fidelem inter fideles enutritum pervenientem ad usum rationis, et apprehendentem mysteria fidei tanquam a Deo revelata, teneri elicere actum fidei : similiter infidelem qui propositis fidei nostræ mysteriis et motivis credibilitatis, certo aut probabilius cognoscit fidem nostram esse veram, et alias sectas esse falsas : unde Innocentius XI damnavit hanc propositionem : « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. » Secus si probabilius reputet suam sectam esse veram, debet enim prudenter credere. Quod si dubitet et existimet nostram esse tutiorem, debet eam amplecti ; si neutra appareat tutior, in dubio tenetur sub peccato mortali diligenter inquirere de veritate, alias ignorantia veræ fidei fiet ipsi voluntaria et culpabilis. Nec dubito plures esse hujus conditionis hæreticos, præsertim

qui versantur inter catholicos. Ista pendent xe dictis de probabilitate in § 2.

Dixi : « statim moraliter », quia quoad pueros, non est nimis scrupulose cum ipsis agendum ; sæpe enim accidit quod etiam adepto usu rationis, mysteria fidei non sufficienter ipsis proponantur, aut quod non apprehendant obligationem gravem credendi ; unde raro peccant contra hoc præceptum non eliciendo statim actum fidei.

Quantum vero ad infideles adultos quibus plene et sufficienter fides est proposita, quamque saltem probabiliorem judicant, citius contra hoc præceptum affirmativum peccabunt, si brevi non assentiantur, eo magis quod, ut jam dixi, instet periculum dissentiendi positive veritatibus revelatis et sufficienter cognitis, sicque peccandi non solum peccato omissionis contra præceptum affirmativum, sed etiam peccato commissionis, scilicet hæresis, contra præceptum negativum non negandi veram fidem agnitam. Quanta autem mora requiratur ut sit mortaliter culpabilis, judicio prudentis relinquitur.

Utrum vero præter hunc casum præceptum affirmativum fidei obliget per se ? Multi affirmant, fundati præsertim in condemnatione propositionum sequentium ab Innocentio XI. Prima : « Satis est actum fidei semel in vita elicere » : est 17. Altera : « Sufficit illa mysteria (scilicet Trinitatis et Incarnationis) semel credidisse » : est 65. Adferunt etiam rationes, 1° Quod juxta S. Scripturam justus ex fide vivat. 2° Quod præcepta aliarum virtutum spei, charitatis, etc. pluries obligent, quidni et fidei. Hinc dicunt hoc præceptum fidei per se obligare in periculo mortis in quo obligant præcepta spei et charitatis, et homo attingit suum terminum. Item quando urget gravis tentatio contra fidem quæ superari non potest absque actu fidei (videtur tamen in hoc casu obligatio per accidens ut mox dicam). Item pluries in vita : sed quoties ? Mire variant. Quidam dicunt singulis diebus dominicis et festis, alii singulis mensibus, alii semel in anno, alii in majoribus solemnitatibus, alii aliter.

Opposita sententia etiam plurium tenet quod posito semel assensu fidei, ejus præceptum affirmativum non amplius obliget per se ; quia neque ex S. Scriptura, neque ex aliqua lege ecclesiastica potest assignari tempus determinatum in quo per se obliget : et aliunde cum sæpe obliget per accidens, non videtur necessitas adstruendi obligationem per se. Ad propositiones damnatas respondent juste damnari, quia sunt universaliores, nec distinguunt inter obligationem per se et per accidens, cum tamen certum sit sæpius occurrere obligationem per accidens.

Verum hæc responsio non videtur satis firma : istæ enim propositiones in sensu suorum auctorum sunt intelligendæ de obligatione per se, cum nullus unquam negaverit obligationem per accidens pluries eliciendi actum fidei, sicque in eodem sensu damnatæ : unde prima sententia tutior est et tenenda in praxi, sic ut quisque fidelis saltem in solemnioribus festis aut circa illorum tempora, vi hujus præcepti obligantis per se eliciat actum fidei circa omnia revelata.

Dico 2° Præceptum affirmativum fidei obligat per accidens quoties urget aliquod aliud præceptum quod sine fide impleri non potest ; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Non tamen tenetur in hoc casu exprimere in confessione omissionem actus fidei, si illi defuerit ; quia cum hoc præceptum non obliget per se et ratione sui, sed ratione alterius, sufficit istius alterius omissionem exprimere, ut jam alibi observavimus.

Hinc inferes hoc præceptum fidei affirmativum obligare per accidens, quando quis tenetur pœnitere, suscipere aliquod sacramentum, elicere actum spei, charitatis, religionis, ut orare, missam audire, seu celebrare, etc. In his tamen non videtur necesse quod interveniat actus fidei expressus et in actu signato quo quis dicat ; credo Deum esse quem nunc oro, credo sacramentum esse quod nunc suscipio, sed sufficit quod implicite et in actu exercito credat, quatenus ex notitia fidei sciens Deum esse, Redemptorem esse, hoc esse sacramentum, etc., intendit Deum orare, diligere, sacrum celebrare, sacramentum suscipere, etc. Item obligat per accidens hoc præceptum quando urget gravis tentatio contra fidem aut alteram virtutem quæ non nisi expresso fidei actu superari potest : quamvis enim si tentatio sit contra fidem, obligatio sit directe ex virtute fidei, non tamen directe ex præcepto affirmativo, sed ex periculo deserendi fidem, ideoque directe ex præcepto fidei negativo.

§ III.

Utrum ad assensum fidei requiratur motio voluntatis ?

Dico : [1] Ad assensum fidei requiritur pia motio voluntatis.

[1] Hic q. 2 a. 1 ad 3.

Prob. 1° Quia ad Rom. 10. dicit Apost. *Corde creditur ad justitiam,* id est voluntate movente intellectum ad credendum, ut explicat S. Doct. ibid. lect. 2. Et colligitur ex usu S. Scripturæ juxta quam cor pro voluntate sumi solet : unde S. Aug. *tract.* 26 *in Joan.* ait : « Intrare quisquis Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest nisi volens. »

2° [2] Intellectus non determinatur nisi vel ab objecto evidenti, vel a voluntate : atqui ad assensum fidei non determinatur ab objecto quod est necessario obscurum et inevidens : ergo.

3° Actus fidei est liber tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, scilicet in ratione assensus potius quam dissensus : ergo indiget motione voluntatis qua derterminetur intellectus ad assensum potius quam ad dissensum. Ant. constat tum ex Trid. sess. 6. cap. 6. mox citando : tum quia inter eos qui audiebant Christum et Apostolos prædicantes, et miracula facientes, quidam credebant, quidam non credebant Act. 28 : tum denique quia actus fidei est meritorius, ut dicam infra.

Dices 1° : Ad actum fidei humanæ non requiritur motio voluntatis : ergo nec ad actum fidei divinæ.

Resp. posse negari ant. Sed eo dato, nego conseq. Disparitas est quod actus fidei divinæ sit supernaturalis et longe firmior et difficilior actu fidei humanæ, et ideo ad hunc sufficere potest quædam evidentia moralis orta ex testimoniis, discursu et effectibus quæ non sufficit ad actum fidei divinæ ; quo enim res est firmius credenda et difficilior et magis supra cursum ordinarium, eo plura et efficaciora requiruntur ad determinandum intellectum ad credendum : unde in difficilioribus et singulariter extraordinariis non raro dicimus : « Non possum credere, nisi videro non credam » ; aut non nisi cum formidine oppositi credimus.

Dices 2° : Dæmones credunt Jacobi 2 : atqui non credunt ex pia motione voluntatis : ergo.

Resp. dist. ant. Dæmones credunt fide naturali, conc.; fide christiana et divina, nego. Credunt ergo dæmones non propter Dei auctoritatem, quod essentialiter requiritur ad fidem christianam, sed coacti evidentia signorum, quæ propter majorem intellectus perspicaciam, longe melius quam nos apprehendunt : sic nos ipsi si convicti motivis credibilitatis assensum præberemus rebus fidei præcise propter illa et non propter primam veritatem, fides nostra non foret supernaturalis et christiana.

Dices 3° : Voluntatis non est movere intellectum quoad specificationem, sed quoad exercitium tantum : ergo.

Resp. dist. ant. Quando objectum evidentia sua determinat intellectum, conc. Secus, nego. Est enim inter voluntatem et intellectum quædam sympathia et connexio qua sibi invicem suas virtutes communicant : unde sicut voluntas communicat intellectui ut per imperium moveat ad exercitium alias potentias, sic intellectus communicat voluntati, ut moveat quoad specificationem, quando deest evidentia in objecto intellectus.

Dixi « pia motio », quæ nempe sit ab auxilio gratiæ, alioquin non foret supernaturalis, et initium salutis esset a nobis, quod est damnatum in semi-pelagianis : unde concilium Arausic. 2. can. 5. definit contra ipsos « credulitatis affectum esse gratiæ donum » ; et Trid. sess. 6. cap. 6. quod peccatores « divina gratia excitati et adjuti... libere moventur in Deum credentes » etc. Non est tamen amor charitatis ut contendunt quidam neoterici, alioquin peccator non posset elicere actum fidei, quod est damnatum ab Alexandro VIII, in hac propositione : « Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina sed humana. » Item in Quenello proposit. 51 : « Fides non operatur nisi per charitatem » : Et proposit. 52 : « Fides non est absque amore et fiducia. » Quid enim prohibet quominus credam inimico quem aliunde veracem reputo ?

Est ergo hæc pia motio complacentia quædam seu affectus, non erga bonitatem divinam in se, quod requiritur ad amorem charitatis, sed erga summam Dei veracitatem vi cujus determinat intellectum ad assentiendum ea firmitate, quæ superet omnem firmitatem ortam ex quovis actu humano scientifico vel experimentali.

Petes 1° utrum actus fidei possit esse meritorius ?

Resp. affirmative ; [1] quia est supernaturalis et potest habere omnes alias conditiones requisitas ad meritum : unde Apost. Heb. 11 dicit quod sancti per fidem adepti sint repromissiones.

Petes 2° utrum ratio inductiva ad creden-

[1] Ibid. c. 1. a. 4.

[1] Ib. a. 9 o. — [2] Ib. a. 10 o.

dum, seu motiva credibilitatis minuant meritum fidei.

Resp. [1] Si motiva credibilitatis se habeant antecedenter ad assensum fidei, id est si illum causent per modum rationis formalis sicut divina veritas, ita ut propter illa assentiam sicut propter divinam auctoritatem, minuunt meritum fidei; quia in hoc consistit meritum fidei quod intellectus motus a voluntate se subjiciat Deo revelanti, seu credat propter solam auctoritatem seu veracitatem Dei, quæ est illius ratio formalis seu objectum formale quo: quapropter si motiva credibilitatis concurrant in eodem genere causæ ad actum fidei, minuunt ejus meritum. Si vero motiva credibilitatis se habeant consequenter ad assensum fidei, id est si illum non causent per modum rationis formalis, sed inducant tantum intellectum ut credat propter solam divinam auctoritatem, non minuunt meritum fidei, quia ejus objectum formale retinet totum suum influxum et est causa adæquata assensus fidei. Sicut dum magister proponit discipulo principia, discipulus assentitur principiis propter eorum veritatem et non propter propositionem magistri, quamvis necessaria fuerit propositio magistri, ut discipulus intelligeret et apprehenderet principiorum veritatem. Igitur « antecedenter et consequenter » in textu Auctoris, non intelliguntur de anterioritate et posterioritate temporis, sed de causalitate et non causalitate: sicque habes quod semper debeant præcedere tempore motiva credibilitatis, ut quis prudenter credat, sed quod non debeant ingredi rationem formalem assentiendi, alioquin minuitur meritum fidei.

ARTICULUS IV.

DE ACTU FIDEI EXTERNO.

Suppono actum fidei externum, [1] qui dicitur « confessio », ut annotavi supra, esse actum ab ipsa fide elicitum et non solum imperatum; quia actus dicitur ab aliqua virtute elicitus, qui licet non sit in eadem potentia, ac illa virtus ab ea tamen regulatur et dirigitur immediate, hoc est nullo alio habitu mediante, ut patet in omnibus actibus exterioribus virtutum: atqui confessio exterior fidei a fide regulatur et dirigitur immediate, nullo alio habitu mediante: ergo. Nec obstat quod confessio exterior fidei possit fieri ab eo qui nondum habet habitum fidei, quia suppositio nostra intelligitur de eo in quo est habitus fidei: ista tamen confessio illius qui nondum habet habitum fidei dicitur nihilominus actus fidei, quia ad illam disponit, et versatur circa ejus objectum, sicut eleemosyna facta ab eo qui non habet habitum misericordiæ, dicitur nihilominus actus misericordiæ.

Difficultas est de præcepto actus fidei externi, quod est duplex sicut diximus de actu interno, unum negativum non negandi fidem, alterum affirmativum confitendi fidem.

§ I.

De præcepto actus fidei externi negativo.

Dico: In nullo unquam casu, etiam vitandæ mortis, licet fidem corde retentam ore vel facto negare, falsamve exterius profiteri seu simulare.

Est contra Helcesaitas qui teste Eusebio lib. 6. *Hist.* cap. 31. docebant fidem in persecutionibus posse ore negari, modo corde servaretur: item contra Priscilianistas, teste eodem Eusebio ibid. cap. 70, apud quos erat vulgatum axioma: « Jura, perjura, secretum prodere noli »: item contra nonnullos hujus temporis politicos, qui in ea sunt opinione licitum esse cujusvis religionis ritus exercere, modo vera fides firma maneat in corde.

Constat 1° ex verbis Christi Matth. 10. et Lucæ 12. ubi dicit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Et Apost. 2. Timoth. 2: *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Est ergo præceptum divinum negativum non negandi fidem; ea est autem natura præcepti negativi quod semper et pro semper obliget.

2° Negare fidem est dicere Deum revelasse falsum, vel fidei dogmata non revelasse: atqui utrumque est mendacium Deo injuriosum: ergo nunquam licitum.

Dixi 1°: « Ore vel facto »: [1] quia utrinque est mendacium cum hac sola differentia quod mendacium « facto » dicatur simulatio.

Dixi 2°: « Vel falsam simulare, seu exterius profiteri »: quia falsam fidem seu religionem simulare et exterius profiteri perinde est ac veram negare; qui enim se verbo dicit aut facto exhibet calvinistam, se negat catholicum.

Id apprime intelligebat Eleazarus 2. Machab. 6. qui recusavit carnes porcinas manducare, et ita semper intellexit Ecclesia quæ Libellaticos tanquam reos negatæ fidei habuit, eo

[1] Hic q. 3. a. 1. o.

[1] Hic q. III. a. 1. o.

quod pecunia obtinerent libellum testantem ipsos sacrificasse idolis (quod tamen non fecerant) ut sic se a tormentis redimerent.

Si petas quandonam in praxi quis censeatur facto simulare aut profiteri exterius falsam religionem?

Resp. et sit regula generalis. Usurpare signa, ritus, cæremonias, vestes, actiones quæ sunt primario distinctiva sectæ a secta, seu quæ sive ex se, sive ex institutione, sive ex circumstantiis sunt primario significativa professionis falsæ fidei, est illam falsam fidem exterius profiteri; et ideo nunquam licitum. Quæ vero distingunt primario non sectam a secta, sed gentem a gente, seu quæ per accidens tantum indirecte et secundario sunt significativa professionis falsæ fidei, quamvis sint vitanda ne demus aliquibus occasionem credendi nos negasse fidem, subsistente tamen justa necessitatis causa huic deceptioni præponderante, possunt licite usurpari, quia hoc non est absolute falsam fidem profiteri. Ex hac regula rite intellecta et applicata, multos casus resolves: quosdam referam.

Hinc igitur inferes 1° flectere genua coram idolo, ei thus adolere, etiamsi intentio dirigatur ad occultum crucifixum, gestare imaginem Mahumeti in collo appensam, sumere cœnam calvinistarum, psalmos in eorum templis cantare, pulsare organa, contrahere matrimonium coram ministro benedicente nuptias secundum ritum suæ sectæ, nunquam esse licitum; quia hæc sunt primario distinctiva sectæ a secta, et primo per se falsæ religionis significativa.

Dices 1° : Naaman Syrus permittente Eliseo simulavit adorare cum rege idolum in templo Remmon 4. Reg. 5. Jehu ibid. 10, finxit se velle adorare Baal ut ejus sacerdotes interficeret et ibidem laudatur. S. Ambrosius *Serm.* 69. laudat S. Eusebium Vercellensem qui simulavit se esse arianum, ut filium ab hac hæresi avocaret: ergo.

Ad primum, communis responsio est quod quamvis Naaman usus sit verbo « adorare », alloquendo Eliseum, nihil tamen aliud petierit quam ut posset præstare regi obsequium civile, in aliis casibus etiam præstari solitum, scilicet regem sustentare honoris causa, dum adoraret in templo Remmon, quod non est magis illicitum quam dum famuli catholici comitantur dominas aut dominos hæreticos ad templum, deferentes eorum libros, sedes, extremitatem togæ, etc. hæc enim non sunt protestativa falsæ religionis, sed obsequia civilia. Nec tamen inde sequitur esse pariter licitum sustentare herum furantem; hæc enim sustentatio nullatenus ordinatur ad honorandum herum; non enim fur assumit socium ut honoretur, sed ad solum finem malum nempe furtum, et ideo est mala. At sustentatio de qua agitur ex usu et institutione ordinabatur ad honorandum regem; et ideo non mala.

Altera responsio, quæ videtur textui conformior, est quod Naaman non petierit ab Eliseo, an sibi liceret adorare seu sustentare regem adorantem, sed ut, casu quod id adhuc faceret, quod illicitum sciebat, Eliseus oraret ut Deus ipsi ignosceret? Cui respondit Eliseus: *Vade in pace* : quasi dixisset : Orabo pro te. Hunc sensum aperte indicat textus qui sic est: *Hoc solum est,* inquit Naaman ad Eliseum, *de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re : qui dixit ei : Vade in pace.*

Ad secundum[1], non est necesse simulationem Jehu excusari a peccato vel mendacio quia malus fuit, utpote ab idololatria Jeroboam non recedens : commendatur tamen et temporaliter remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal. Similiter ad tertium, S. Ambrosius laudat in S. Eusebio zelum veræ fidei, sed non simulationem.

Inferes 2° e contra licitum esse ex justa causa gestare vestem longam turcicam aut etiam quam « turbantem » vocant ad occultandam fidem : quamvis enim nunquam licitum sit fidem negare, licet tamen eam quandoque celare et dissimulare, nec illa vestis est primario ad distinctionem religionis, sed gentis, nec eam assumit catholicus ut credatur profiteri religionem turcicam, sed ut auferatur occasio attendendi et inquirendi de religione. Idem dic de vestibus aliarum nationum idololatrarum quæ non sunt destinatæ præcise usibus suæ religionis : idem de earum vexillis in bello, ut sic decipiantur et vincantur. Propter datas rationes probabilius arbitramur quod deferre in Italia pileum flavum, sicut ferunt Judæi, non sit simulare eorum religionem, adeoque nec illicitum ex causa. Item licitum est interesse sepulturæ hæreticorum exhibendo eis honorem civilem. Item arbitramur licitum esse in terris hæreticorum ad evitandum grave

[1] Hic q. III. a. 1. ad 2.

malum, non audire sacrum diebus dominicis et festis; et etiam, saltem probabilius, edere carnes diebus prohibitis : quia id posse catholicos variis de causis non ignorant hæretici, adeoque nulla inde exterior et apparens fidei negatio, quod si aliqui aliter suspicentur, per accidens est, et potest esse justa causa permittendi seu negligendi eorum suspicionem. Excipe nisi in contemptum religionis ad id adigerentur, aut in professionem falsæ sectæ incitarentur. Item non est illicitum contrahere matrimonium coram magistratu hæretico, aut etiam ministro, tanquam coram testibus tantum. Audire conciones hæreticorum eo fine ut eorum errores refutentur, seclusa prohibitione aut scandalo, non est illicitum ; ex levitate et curiositate, stantibus iisdem conditionibus et simul secluso periculo subversionis, est peccatum veniale tantum : sicut enim hæreticus audiens conciones catholicorum non ideo censetur catholicus, ita nec catholicus audiens conciones hæreticorum censendus est hæreticus. Item non est reus negatæ fidei, qui negat se esse sacerdotem aut religiosum, potest enim esse catholicus et non sacerdos aut religiosus. Secus si negaret se catholicum aut papistam, ubi nomine papistæ intelligitur catholicus. Quantum ad idolothyta : propter scandalum non licet ea manducare, secluso scandalo licet; ita colligitur ex Apostolo I Cor. c. 8. et 10.

Inferes 3°. contra Tertullianum non esse per se illicitum fugere in persecutione : quia non est ibi negatio fidei, quin potius quædam ejus professio; per hoc enim testatur fugiens se esse fidelem, et ne fidem in tormentis perdat, se, patriam, bona, parentes et amicos derelinquere. Id nedum verbo docuit Christus dicens Matth. 10 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam,* sed et facto confirmavit, fugiens Judæos volentes eum lapidare : cujus exemplum imitati sunt S. Paulus in sporta demissus 2. Cor. 11. S. Petrus eductus e carcere ab angelo, S. Athanasius et plures alii Sancti : idem dic de solutione mulctæ impositæ catholicis a rege hæretico.

Dixi « per se » ; quia per accidens posset esse illicitum fugere, ut si pastor esset necessarius ovibus, fugere non posset, etiamsi mors imminerct, nam *Bonus pastor animam ponit pro ovibus suis.* Etiam e converso posset esse per accidens obligatio fugiendi, puta si vita fugientis esset necessaria bono communi.

§ II.

De præcepto actus fidei externi affirmativo.

Dico[1] : Ex præcepto Christi tenetur fidelis aliquando fidem suam exterius confiteri.

Prob. Christus Matth. 10. dicit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Luc. 9 : *Qui me erubuerit et sermones meos, hunc filius hominis erubescet.* Et Apost. Rom. 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem :* ergo est aliquando necessaria confessio ad salutem.

Auctor hic duos casus assignat[2], in quibus hoc præceptum affirmativum fidei confitendæ obligat, scilicet : « Quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda : puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide. » S. Doctorem sequuntur omnes theologi : et merito ; supposito enim præcepto fidei confitendæ aliquando obligante, non possunt assignari casus in quibus urgeat magis ejus observatio, quam hi duo quos assignat S. Thomas.

Recte observat Sylvius verbum « substractionis » apud D. Thoman, non accipi mere negative pro eo quod est non exhibere honorem Deo, vel non impendere utilitatem proximo, alioquin confessio fidei semper esset in præcepto, siquidem dum exercetur Deus honoratur, et dum omittitur, aliquis honor subtrahitur Deo, sed accipi contrarie aut privative, ita scilicet quod censeatur subtrahi honor Deo debitus ex defectu confessionis, quando inde vel Deus magna afficitur injuria, vel magnus aliquis honor qui ad eum pervenire poterat ex confessione negligitur : similiter utilitas proximo impendenda subtrahitur, quando per omissionem confessionis aliquis a fide avertitur vel retardatur, aut aliquo magno commodo spirituali privatur, de quo non potest oportune aliter pro loco et tempore provideri.

Hinc inferes 1° interrogatum de fide ab auctoritate publica, sive privatim sive publice, teneri etiam cum periculo vitæ ingenue, sine tergiversatione et ambiguitate respondere, et fidem confiteri : non quia tyrannus habet verum jus interrogandi, sed quia est præceptum

[1] Hic q. 3. a. 2. o. [2] Ibid.

Christi locis citatis in probatione, præsertim cum loco citato Matth. jubeat nos non timere eos qui occidunt corpus, quod intelligi non potest de non neganda fide pro conservanda vita, sed de confessione expressa : paulo enim ante ibidem dixerat : *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos ; et ad præsides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus : cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini :* loquendum ergo non tacendum. Insuper quid hoc esset aliud quam Christum et ejus sermones erubescere ? Et ita semper intellexit Ecclesia in martyribus, qui a tyrannis interrogati fidem confessi sunt cum vitæ dispendio. Et ratio est; quia ex confessione fidei in hoc casu magnus honor obvenit Deo et fidei, fideles in ea firmantur et sæpe infideles convertuntur, cum e contra, si omittatur, magna Deo et fidei irrogatur injuria et infirmi in fide vacillant : cum enim infideles apprehendant christianos in hoc casu teneri fidem confiteri, ex omissione statim credunt eos non habere fidem, aut fidem non esse veram : unde merito damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum non damno » : est 18.

Dixi, « a potestate publica » : quia interrogatus ab aliquo privato, per se loquendo et secluso scandalo, non tenetur confiteri, sed potest uti æquivocatione, aut dicere: quid ad te ? Quis te constituit judicem? tum quia non inde tantus honor subtrahitur Deo ; tum quia infideles non apprehendunt fidelem teneri in hoc casu fidem confiteri, sicut cum interrogatur ab eo qui potestate publica fungitur : unde ex negata confessione, non reputant ipsum carere fide, aut fidem non esse veram, sed ipsum hujusmodi interrogationem contemnere, sicque neque honor Dei aut fidei, neque salus proximi periclitantur : neque etiam dicendus est erubescere Christum, nisi qui ipsum non confitetur, quando tenetur confiteri.

Inferes 2° videntem conculcari Eucharistiam, crucifixum, imagines aut reliquias Sanctorum, Deum aut fidem contemni, hæreticis colloquiis adstantium fidem periclitari, teneri contradicere et fidem confiteri, si sic ista possit impedire : sic enim exigunt honor Dei, indemnitas fidei et salus proximi.

Inferes 3° quod si princeps aut magistratus hæreticus præciperet ut omnes catholici se proderent, certam vestem aut signum ferendo, quo dignoscerentur esse christiani, hi non tenerentur obedire, nec sic suam fidem confiteri, quia istud præceptum foret nimis vagum, nec quis nisi personaliter interrogatus tenetur confiteri : sicque apprehendunt ipsi infideles. Unde nullus ex antiquis tyrannis hunc modum dignoscendi christianos adhibuit : quapropter ex non observatione hujus legis colligi non potest inobedientes esse christianos, aut eorum fidem non esse veram, sicque honor Dei et fidei non periclitatur.

Huc usque de præcepto divino fidem confitendi : ex præcepto autem ecclesiastico in Tridentino sess. 24. cap. 22. de Reformat. et in bulla Pii V *Sacro-sancta* tenentur professionem fidei edere omnes promovendi ad beneficia curam animarum habentia et ad canonicatus aut dignitates cathedrales. Item doctores et professores in academiis.

DISSERTATIO IV.

De habitu, subjecto, causis et effectibus fidei.

D. Th. Q. 114.

ARTICULUS I.

DE HABITU FIDEI PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1° utrum fides recte definiatur ab Apostolo Hebr. 11 : *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Resp.[1] hanc definitionem, quamvis verba non ordinentur sub forma definitionis, esse legitimam, quia continet omnia quæ pertinent ad fidei definitionem, ut patebit ex sequenti explicatione.

Dicitur [2] « substantia », græce « υποστασις » seu subsistentia; partim quia fides est inchoatio, basis et fundamentum spei nostræ; substantia enim est substratum omnibus qualitatibus; partim quia facit res sperandas subsistere in nostro intellectu, ac eis tam certo assentire ac si essent præsentes.

Dicitur [3] «argumentum non apparentium»; sumpto argumento pro ejus effectu, seu ut habet alia littera « convictio » : sicut enim argumentum inducit intellectum ad inhærendum alicui vero, ita per fidem intellectus firmiter adhæret veritatibus non apparentibus propter auctoritatem Dei revelantis.

Dicitur « non apparentium »; tum quia objectum fidei est non visum, tum ut significetur plura ad fidem pertinere quæ non sperantur, ut sunt bona præterita et mala peccatoribus obventura, v. g. infernus.

Per hanc definitionem fides distinguitur ab omnibus aliis habitibus intellectualibus. [4] Per hoc quod dicitur « substantia rerum sperandarum », distinguitur a fide humana quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam. Per το « argumentum ». distinguitur ab opinione, suspicione et dubitatione. Per το « non apparentium », distinguitur a scientia et intellectu primorum principiorum.

[1] Hic. q. 4. a. 1. o. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

Si quis ergo hæc verba in formam definitionis reducere velit, potest dicere quod fides sit [1] « Habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum firmiter assentiri non apparentibus propter auctoritatem Dei revelantis. » Et hæc definitio coincidit cum hac altera quæ communiter circumfertur : « Virtus divinitus infusa per quam intellectus firmiter assentitur iis quæ a Deo revelata sunt, propter ipsius revelantis auctoritatem. »

Petes 2° utrum fides sit in intellectu tanquam in subjecto ?

Resp. affirmative : [3] Quia credere, quod est proprium fidei, est actus intellectus, cum versetur circa verum ut tale ; sed quia fides pertinet ad intellectum secundum quod movetur a voluntate, ut dictum est, Auctor addit debere etiam esse habitum in voluntate, scilicet charitatem, ut actus fidei sit absolute et omnimode perfectus, id est ut naturaliter procedat ab utraque potentia et sit meritorius; non tamen ut sit perfectus in ratione assensus, ad hoc enim sufficit firma adhæsio intellectus ex pia motione voluntatis absque habitu.

Petes 3° utrum charitas sit forma fidei ?

Resp. non esse formam intrinsecam et essentialem; [3] hæc enim est ordo ad suum objectum; sed est forma extrinseca et accidentalis, quatenus per charitatem, fides, sicut omnes aliæ virtutes, ordinatur ad ultimum finem supernaturalem, sicque ex charitate habet quod suus actus sit perfectus et meritorius: unde illud Jacobi : *Fides sine operibus mortua est.*

[1] Ibid [2] Ibid [3] Ibid. a. 3. o. et ad 2.

Quamvis autem id verificetur de aliis virtutibus, illud tamen Auctor specialiter docet de fide; quia in S. Scriptura justus dicitur prius et potius vivere ex fide quam ex aliis virtutibus: unde ut ostenderet, unde fides haberet, quod esset viva, docet specialiter id habere ex charitate: et hinc fluxit apud theologos communis distinctio fidei in fidem vivam, seu formatam, et informem.

Petes 4° utrum fides informis sit virtus?

Resp. quod sit vera virtus sed imperfecta.

Prob. prima pars 1°: Quia est principium boni actus determinans intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis: unde quamvis non faciat habentem simpliciter bonum in genere moris, quod est proprium virtutis perfectæ, facit tamen bonum in suo genere, scilicet intellectivo. 2° Quia competit ei definitio virtutis: est namque bona qualitas mentis qua bene vivitur; est enim, ut dicebam modo, principium boni actus, et qua nemo ut principio male utitur. 3° Est idem habitus cum fide formata, ut mox dicam: adde præcepta non dari nisi de actibus virtutum; datur autem præceptum de actu fidei informis Hebr. 11: *Accedentem ad Deum, oportet credere quia est.*

Patet secunda pars; [1] quia fides informis non facit hominem simpliciter bonum, licet enim sit principium actus boni non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, scilicet vitam æternam, sicque non habet statum et modum perfectæ virtutis.

Dices contra primam partem: S. Th. hic q. 4. a. 5. o, postquam dixit fidem formatam esse virtutem, addit: « Fides autem informis non est virtus; quia etsi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis »: ergo.

Resp. S. Thomam loqui de virtute perfecta: id aperte constat ex eodem art. ad 3, ubi dicit quod fides formata et informis non differant specie sicut in diversis speciebus existentes; differunt autem sicut perfectum et imperfectum in eadem specie; unde fides informis, cum sit imperfecta, non pertingit ad perfectam rationem virtutis. » Eodem sensu intelligendus est S. Augustinus cum l. 4. *cont. Jul.* c. 3 dicit non esse veram virtutem nisi in justo.

Petes 5° utrum fides dicenda sit virtus intellectualis?

Resp. S. Thomas videtur negare in pluribus locis: sed intelligit S. Doctor virtutem intellectualem illam quæ perficit intellectum secundum proportionem naturæ, ut scilicet sit efficax ad objectum conspiciendum, vel in se, vel per resolutionem ad id quod in se conspicitur, ut loquitur in 3. d. 23. q. 2. a. 3. q. 3, quo sensu fides, quæ est de obscuris, non est virtus intellectualis: at si accipiatur virtus intellectualis generaliter pro ea quæ perficit intellectum in ordine ad verum, sive naturale, sive supernaturale, negari non potest quod fides sit virtus intellectualis, cum certum sit rerum divinarum cognitionem esse maximam illius perfectionem.

Petes 6° utrum sit idem habitus fidei formatæ et informis?

Resp. affirmative: Patet ex D. Th. mox citato. [1] Ratio est quia habitus non distinguuntur nisi secundum illud quod per se ad habitum pertinet: atqui distinctio fidei formatæ et informis non sumitur secundum illud quod per se pertinet ad fidem; sumitur enim secundum charitatem quæ est in voluntate, cum fides sit in intellectu: ergo. Confir. Fides formata et informis non differunt objecto: ergo.

Hinc inferes fidem manentem essentialiter eamdem, posse de formata fieri informem, ut dum justus peccat mortaliter, et e contra informem posse fieri formatam, ut dum peccator justificatur.

Dices: Animal mortuum non potest idem essentialiter manens fieri vivum: atqui fides informis est mortua: ergo.

Resp. neg. conseq. [2] Disparitas est quod forma qua animal est vivum est ipsi intrinseca et essentialis, scilicet anima, et ideo mortuum non potest fieri vivum idem manens, sed est aliud specie quod est vivum et quod est mortuum: sed forma qua fides dicitur viva, non est ipsi intrinseca et essentialis, sed extrinseca, scilicet charitas.

Inst. Opus mortuum non vivificatur: ergo nec fides mortua.

Resp. neg. conseq. [3] Disparitas est quod opus transeat, et ideo non potest iterum sumi ut vivificetur; habitus autem fidei informis manet: unde adveniente charitate potest vivificari.

Petes 7° utrum fides sit prima inter virtutes?

Resp. [4] esse primam per se ordine generationis, quia cognitio finis est prior ordine generationis ejus intentione et electione; nihil

[1] Ibid a. 5. ad 3.

[1] Ibid. a. 4. o. — [2] Ib. ad 2. — [3] In 3. d. 23. a. ult. ad 1. [4] Hic a. 7. o.

enim volitum quin præcognitum: atqui per fidem habetur cognitio finis, per spem et charitatem intenditur, et per virtutes morales eliguntur media: ergo.

Hinc juxta SS. Patres et Trid. sess. 6. cap. 7. «Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.»

Dixi «per se»; [1] quia per accidens potest aliqua virtus esse prior fide, quatenus scilicet est removens prohibens; removere enim prohibens, pertinet ad causam per accidens: sic fortitudo removens inordinatum timorem impedientem fidem, humilitas removens superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei, sunt per accidens priores fide; non sunt tamen perfectæ virtutes, imo nec essentialiter virtutes christianæ sine fide, vel actuali, vel habituali.

Dixi «ordine generationis»: tum quia possunt simul tempore infundi; tum quia ordine dignitatis charitas præcedit, juxta illud Apost. 1. Cor. 13: *Major autem horum est charitas.*

Petes 8° utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus?

Certitudo de qua hic agitur est firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile. Potest oriri, vel ex sola motione voluntatis determinantis intellectum ad inhærendum alicui objecto independenter ab alio legitimo motivo, ut contingit in hæreticis, qui quandoque firmius adhærent suis erroribus quam catholici veritatibus fidei, et hæc est impropria certitudo, quæ magis debet dici pertinacia, quam certitudo. Vel oritur hæc firmitas ex efficacia medii, seu motivi determinantis intellectum ad assentiendum veritati: et hæc est propria certitudo de qua quæritur: unde

Resp. Fides est certior quoad se omnibus cognitionibus naturalibus, non quoad nos. [2]

Prob. prima pars: [3] Fides habet certitudinem ex divina veritate quæ falli non potest, et quæ veritatibus revelatis certo applicatur per Ecclesiam infallibilem: cognitiones vero naturales habent certitudinem ex naturali lumine rationis quod (quamvis objectum circa quod versatur, quandoque sit certum) est tamen per peccatum tenebris involutum, et errori obnoxium, nec certum an recte rebus apprehensis applicetur: ergo.

Prob. secunda pars: [4] Illud dicitur magis certum quoad nos, quod intellectus plenius consequitur, quod est illi magis connaturale et proportionatum, quodque ipsum magis satiat et quietat, licet aliunde minus certo assentiatur: atqui cognitiones naturales sunt magis connaturales, et proportionatæ intellectui humano, magis ab ipso penetrantur, magis ipsum satiant et quietant propter rerum evidentiam, in qua ultimo quiescit intellectus humanus, quam fides quæ est de obscuris et inevidentibus: unde fit quod quamvis ex parte motivi sit certissima, patiatur tamen ex parte subjecti quosdam motus indeliberatos dubitationis propter debilitatem ingenii nondum videntis veritatem: ergo.

Et bene nota hoc solo sensu explicato juxta S. Thomam, fidem dici minus certam quoad nos, non vero ut quidam male intelligunt, hoc sensu quod intellectus magis certificetur per lumen naturale quam per lumen fidei: unde concludit S. Doctor quod fides sit «simpliciter certior, alia vero certiora secundum quid»: Et q. 10. *de Verit.* a. 12. ad 6: «Illa, inquit, quæ sunt fidei, certissime cognoscuntur secundum quod certitudo importat firmitatem adhæsionis: nulli enim credens firmius adhæret quam his quæ per fidem tenet. Non autem cognoscuntur certissime secundum quod certitudo quietationem intellectus in re cognita (evidenter scilicet) importat.»

Dices: Fidelis non est minus certus de hac disjunctiva: «Deus est trinus, vel non est trinus», quam de hac parte determinata, «Deus est trinus»; nihil enim est certius hoc principio: «Quodlibet est vel non est», in quo fundatur hæc disjunctiva: atqui disjunctivæ assentitur lumine naturali, parti determinatæ lumine fidei: ergo.

Resp. dist. min. Disjunctivæ assentitur lumine naturali solo, nego; adjuncto lumine fidei, conc. Ex hoc enim quod fide teneat Deum esse trinum, magis firmatur ad assentiendum toti disjunctivæ. Quod si quæstio esset de disjunctiva cujus pars non esset revelata et quæ solo lumine naturali cognosceretur, dicendum est quod ejus assensus simpliciter esset minus certus, quam assensus fidei, quod inde patet, quia fidelis potius negaret disjunctivam quam articulum quem fide tenet: cum autem dicitur nihil esse certius hoc principio: «Quodlibet est vel non est»: esto verum sit de certitudine quoad nos orta ex evidentia, ut explicuimus, non tamen simpliciter et ex parte motivi. Insuper non defuerunt etiam doctissimi qui revocaverunt in dubium, an per potentiam Dei absolutam istud principium non possit esse falsum; sed nec necesse est ad veritatem responsionis quod possit esse falsum; dantur enim

[1] Ibid. — [2] Q. 4. a. 8. o. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

gradus in certitudine, et potest una esse major altera, quamvis neutrius objectum possit esse falsum. Denique non est tam certum lumen rationis debite applicari veritati naturali, quam est certum lumen fidei applicari per Ecclesiam veritati revelatæ.

Plura huc spectantia require in tract. *de Deo* dissert. proœmiali art. 7. præsertim obj. 2.

Petes 9° utrum fides sit discursiva?

Resp. negative : quia, sicut eadem visione videmus colorem et lucem, sic eodem actu assentimur rei revelatæ et revelationi, objectum enim fidei est res revelata, non materialiter, sed formaliter ut revelata: in discursu autem assensus principiorum realiter distinguitur ab assensu conclusionis.

ARTICULUS II.

DE HABENTIBUS FIDEM.

Superiori articulo diximus fidem subjectari in intellectu, ut in subjecto quo : quæritur nunc de subjecto quod, et in quibus personis reperiatur : 1° an fuerit in angelo et homine in prima sui conditione? 2° an sit in peccatoribus? 3° an in dæmonibus et damnatis? 4° an in beatis et animabus in purgatorio? 5° an in hæreticis?

Dico 1°: [1] In angelis ante confirmationem et lapsum, et in primis parentibus ante peccatum fuit fides.

Prob. ex Apost. Heb. 11. [2] dicente : *Accedentem ad Deum oportet credere :* atqui angelus et homo in prima sui conditione erant in statu accedendi ad Deum : ergo fide indigebant. Confir. Angeli ante confirmationem et lapsum, et primi parentes ante peccatum, erant in via ad beatitudinem et peregrinabantur a Domino: qui autem sunt in via ambulant per fidem et non per speciem, ut docet Apostolus 2. Cor. 5. Ergo. Cum autem S. Augustinus dicit lib. 11. *de Civit.* c. 9. quod natura angelica nunquam sit peregrinata, intelligit quod nunquam fuit extra statum gratiæ.

Dico 2°: Fides remanet in peccatore qui non committit peccatum infidelitatis.

Prob. 1°. ex Apost. 1. Cor. 13, ubi dicit : *Si habuero omnem fidem..... charitatem autem non habuero, nihil sum :* quibus verbis aperte supponit charitatem posse separari a fide remanente, sicque fidem posse esse in peccatore.

2°. Ex Tridentino sess. 6. can. 8, sic definiente : « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem..... anathema sit. » Unde hæc conclusio est de fide. Huc facit hæc propositio 18 ab Alexandro VIII damnata : « Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina. » Item hæc 52. Quenelli : « Fides non est absque amore et fiducia.»

3°. Ratione : Non omne peccatum est contrarium fidei, nec destruit rationem formalem objecti ipsius; sic qui furatur, non ideo desinit credere Deum esse primam et infallibilem veritatem in dicendo : ergo.

Quando autem SS. Patres dicunt non esse fidem aut ullam virtutem sine charitate, loquuntur de fide viva et virtutibus in esse perfecto, ut jam monuimus.

Dico 3° : [1] In dæmonibus et damnatis non remanet fides infusa et supernaturalis.

Prob. Dæmones et damnati sunt spoliati omnibus donis gratuitis, præsertim iis quæ ordinantur ad beatitudinem, quam nec sperant nec sperare possunt : atqui fides est donum gratuitum ex sua natura ordinatum ad beatitudinem; est enim secundum Apostolum « *sperandarum substantia rerum* », et secundum Tridentinum initium salutis, radix et fundamentum justificationis : ergo. Confir. Ad fidem supernaturalem requiritur pia motio voluntatis, seu bonus affectus credulitatis erga primam veritatem revelantem : atqui nulla est in dæmonibus et damnatis pia motio voluntatis, nulla bona voluntas, quippe quæ est firmata in malo, et quamvis id quod agunt sit quandoque ex objecto proximo bonum, illud tamen semper agunt ex prava intentione finis, sicque est semper malum.

Dices 1°. Jacobi 2. dicitur : *Dæmones credunt et contremiscunt.* 2°. Fides non amittitur nisi per peccatum infidelitatis : atqui peccatum dæmonum et peccatorum fidelium non est peccatum infidelitatis : ergo. 3°. Character remanet in damnatis fidelibus: Quidni et fides? 4°. Dæmones et christiani damnati cognoscunt in inferno veritates supernaturales quas cognoverunt in via, puta Deum esse trinum : et esto habeant evidentiam revelationis, id non nocet fidei, ut dictum est superius : atqui has veritates cognoscere non possunt nisi per fidem quæ sola est supernaturalis inter virtutes intellectuales : ergo. 5°. S. Th. infra q. 18. ponit differentiam inter fidem et spem, quod fides remaneat in damnatis, non spes : ergo.

[1] Hic q. 5. a. 1. [2] Ibid.

[1] Ibid. a. 2. o. et ad 2.

Resp. ad primum : Dæmones credunt fide infusa ex pia motione voluntatis, nego ; fide naturali et quodammodo coacta, tum ex evidentia signorum, quæ perspicaci mentis acumine penetrant, tum miserabili experientia qua Deum vindicem sentiunt, conc. Neque refert quod S. Jacobus comparet eorum fidem cum fide peccatorum, quæ est vera fides infusa; tenet enim comparatio, non quoad utriusque fidei naturam, sed quoad utriusque sterilitatem, quia neutra sufficit ad salutem, cum utraque sit sine operibus. Solutio patet ex textu.

Dixi cum Auctore,[1] « quodam modo coacta»; quia non videtur quod fides dæmonum sit simpliciter coacta, ita ut ipsis nulla remaneat libertas negandi veritates fidei, sed aliquo modo et moraliter tantum, eo fere modo quo projectio mercium metu naufragii dicitur coacta, cum enim non habeant evidentiam rerum revelatarum, sed tantum evidentiam in attestante, hæc non simpliciter cogit ad assensum rei revelatæ, quæ semper manet in se obscura, ut superius dictum est.

Ad secundum, dist. Fides non amittitur in viatoribus nisi per peccatum infidelitatis, conc.; in iis qui sunt in termino, nego. Amittitur enim in iis tum ex defectu piæ motionis voluntatis, tum ex subtractione divinæ misericordiæ quæ illam conservabat.

Ad tertium, nego conseq. Disparitas est quod fides sit propter operationem salutis, cujus est initium et fundamentum : cum ergo in damnatis non sit, nec initium, nec spes salutis, nulla est fides : character autem non est determinate ad bonum opus, sed potentia indifferens ad bonum et malum : unde nihil obest quin remaneat in damnatis ad eorum confusionem et distinctionem ab infidelibus, sicut remanet in beatis ad eorum gloriam : comparatur enim signo militari quod relinquitur in victis ad eorum confusionem, et victoribus ad eorum gloriam : fides autem comparatur armis quibus spoliantur victi. Adde quod character sit indelebilis, non fides.

Ad quartum, nego min. Fides enim qua dæmones et damnati credunt et cognoscunt veritates supernaturales, licet dici possit supernaturalis ex parte objecti, est tamen naturalis ex parte motivi seu principii; est enim acquisita vel ex statu viæ, vel ex rerum eventu, vel ex prophetiis impletis, vel ex pœnis quas sentiunt : sicut si quis ex motivo mere naturali, puta ex relatione parentum, aut alicujus viri docti, crederet mysteria nostra, licet huius fidei objectum foret supernaturale, ipsa tamen in se et ex parte principii foret naturalis.

Ad quintum, S. Thomas non dixit quod in damnatis remaneat fides infusa, sed simpliciter fides, scilicet naturalis et acquisita, cum nec talis spes in eis remaneat, quia spei, etiamsi naturalis, objectum, est bonum sperantis apprehensum ut futurum, quale non est in damnatis.

Dico 4° :[1] Fides non remanet in beatis; bene tamen in animabus purgatorii.

Prob. prima pars 1°.[2] ex Apost. 1. Cor. 13 dicente: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus ; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est:* id est, cum venerit visio, evacuabitur fides : unde S. Aug. l. 14. *de Trinit.* c. 2: « Neque enim, inquit, jam fides erit (in patria) qua credantur quæ non videntur sed species qua videantur quæ credebantur. »

Prob. 2°.[3] Destructo objecto formali fidei, non substitit fides: atqui in beatis destruitur objectum formale fidei; est enim objectum formale fidei prima veritas non visa, quæ intuitive videtur a beatis: ergo.

Hinc manet probata secunda pars; animæ enim in purgatorio (idem dicendum de patribus qui erant in Lymbo) nondum fruuntur visione beata, sicque remanet in ipsis objectum formale fidei, scilicet prima veritas non visa. Adde quod sperent beatudinem, fundamentum autem spei est fides, cum nemo speret beatitudinem, nisi credat se posse illam adipisci.

Dices contra primam partem 1°. Irenæus l. 2. c. 47. et Tertul. l. de Pudicitia, videntur docere fidem remanere in beatis. 2°. Beati credunt futurum judicium, corporum resurrectionem et plures alias fidei veritates. 3°. Paulus in raptu vidit essentiam divinam et tamen non amisit fidem. 4°. Remanent in beatis plures virtutes morales, v. g. fortitudo, temperantia, etc., licet nullus erit earum actus, sed ad ornamentum tantum : quidni fides quæ est nobilior virtutibus moralibus ?

Resp. ad primum, Irenæum et Tertullianum posse intelligi de fide non secundum rationem formalem quæ est de non visis, sed secundum aliquid sui, scilicet secundum firmam certitudinem quæ remanebit : unde Irenæus dicit : « Semper fides quæ est ad magisterium nostrum, permanet firma», quasi diceret: cognitio de Deo remanet firma.

Ad secundum nego. ant. Beati enim hæc et

[1] Ib. ad 1.

[1] 1. 2. q. 67. a 3. o. — [2] Ibid in arg. s. 6. — [3] Ibid. 10.

alia cognoscunt vel intuitive in verbo, vel extra verbum per proprias species.

Ad tertium[1], Paulus in raptu non amisit fidem habitualem, quia visio non fuit ipsi permanenter communicata sicut beatis, sed transeunter tantum : non habuit tamen actum fidei incompossibilem cum actuali visione.

Ad quartum nego conseq.[2] Disparitas est quod licet fides sit nobilior virtutibus moralibus, quia versatur circa nobilius objectum, importat tamen imperfectionem respective ad illud, scilicet inevidentiam, et ideo non potest esse ornamentum in beatis, qui vident clare istud objectum : virtutes autem morales, cum non habeant imperfectionem respective ad suum objectum, possunt esse ornamentum in beatis.

Dico 5°:[3] Fides sive habitualis sive actualis non remanet in hæretico, qui vel unum tantum fidei articulum pertinaciter discredit. Est communis cum Auctore contra paucos.

Prob. 1°. Apost. Galat. 5.v. 5, iis qui sustinebant observantiam legalium esse necessariam ad salutem, dicit : *Evacuati estis a Christo*, id est a spiritu fidei, ut explicat versu sequenti. Tridentinum sess. 6. cap. 15: «Asserendum est inquit, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur», etc; quælibet autem hæresis etiam circa unum tantum articulum est infidelitas.

Prob. 2°. ratione[4]: cessante objecto formali a quo habitus et actus specificantur, cessant et destruuntur habitus et actus : atqui in hæretico qui pertinaciter negat vel unum articulum fidei, cessat objectum formale fidei tam habitualis quam actualis : ergo. Prob. min. Objectum formale fidei sive habitualis sive actualis est prima veritas in dicendo ut manifestata per Ecclesiam : atqui qui negat pertinaciter unum articulum fidei, non credit alios quos tenet, propter primam veritatem ut manifestatam per Ecclesiam, alioquin et hunc quem negat crederet, cum sit etiam, sicut alii, revelatus a prima veritate et propositus ut talis ab Ecclesia; sed hunc rejicit et illos tenet ex proprio judicio et propria electione : unde S. Aug. lib. 17. *cont. Faust.* cap. 3, alloquens Manichæos : «Qui, inquit, in evangelio, quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.»

Dices : Hæreticus hunc articulum negat, non quia credit Deum seu primam veritatem fallibilem in revelando, sed quia non apprehendit illum articulum ut revelatum; alios autem tenet, quia apprehendit illos ut revelatos, sicque in iis quos credit salvatur debita submissio primæ veritati: neque enim necesse est ad fidem quod credam primæ veritati ut manifestatæ per Ecclesiam, cum Deus per alia media quam per Ecclesiam possit fidem infundere, ut per Prophetarum testimonia, per miracula, per lumen interius, etc, sicut infudit Adæ, Abrahæ, Melchisedech, Apostolis et adhuc nunc infundit infantibus per baptismum.

Sed contra 1°. Quamvis non negemus propositionem Ecclesiæ non esse absolute necessariam ad veram fidem saltem privatam et eam posse a Deo infundi per alia media assignata, nulla tamen est ratio dicendi quod hæreticus de quo est quæstio, per hæc media illam habeat, et si illam haberet, esset animo paratus ad credendum omnia quæ ipsi ut revelata proponerentur per Ecclesiam cujus infallibilitas est etiam de fide. Quæro itaque unde noscit hunc articulum quem negat, non esse revelatum, et hunc quem credit, esse revelatum, cum uterque proponatur ut revelatus ab Ecclesia, quæ est medium ordinarium ex quo constat de revelatione : nihil aliud prorsus assignare potest quam proprium judicium quo sibi persuadet hunc esse revelatum et non istum: unde dici non potest quod unum credat propter primam veritatem, siquidem prima veritas sit utrique æqualiter applicata per Ecclesiam.

2°. Qui negat articulum fidei ab Ecclesia propositum ut revelatum, negat infallibilitatem Ecclesiæ in proponendis et discernendis revelatis : atqui hæc Ecclesiæ infallibilitas est articulus fidei a prima veritate revelatus in S. Scripturis : ergo negando hunc articulum negat primam veritatem esse infallibilem in revelando, sicque cessat absolute in eo motivum formale fidei pro omnibus ; cum enim istud motivum sit indivisibiliter unum et idem, dum cessat pro uno, cessat pro omnibus ; sicut si quis probet decem conclusiones ex uno principio, qui illud negaret in una, negaret in omnibus.

Prob. 3°. ab inconvenienti : Si hæreticus negans unum articulum, retineat fidem, esset fidelis ; dicitur enim fidelis qui habet fidem : atqui consequens est contra sensum communem : ergo.

Respondent non habere integram fidem, sed partem tantum ; fides enim est totum integrale constans partibus ; et ideo non debet dici fidelis.

[1]Hic q. 175. a. 3. — [2]3. p. q. 7. a. 3. ad 1. — [3]Hic q. 5. a. 3. o. — [4]Ibid.

Sed contra : Licet fides ex parte objecti sit totum integrale, quatenus respicit plura a Deo revelata, in ratione tamen habitus et qualitatis est una et simplex in unoquoque credentium; quia inclinat ad assentiendum pluribus sub uno et eodem indivisibili motivo, scilicet propter primam et infallibilem veritatem in dicendo: unde vel perit totus et integer in hæretico: si primum, habemus intentum ; si secundum, sequitur inconveniens oppositum.

Solvuntur objectiones contra ultimam conclusionem?

Obj. 1°. Apostoli in triduo mortis scandalum passi amiserunt fidem in Christum, neque tamen ideo amiserunt fidem circa alia mysteria, puta circa Trinitatem. Item Marci ultimo Christus exprobrat illis *incredulitatem et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt:* et S. Thomas dicitur: « incredulus » : atqui tamen non amiserunt prorsus et in omnibus fidem : ergo. Idem dic de Moyse qui dubitavit an posset habere aquam silice, et de Zacharia qui non credidit se habiturum filium.

Resp. ad primum, Apostolos in triduo mortis scandalum passos fuisse, non negando interius Christum, sed non confitendo exterius.

Ad alterum : Apostoli redarguuntur, Moyses et Zacharias puniuntur non quod essent pertinaces in negando aliquo articulo fidei sufficienter revelato, sed quod tardi essent ad credendum quod erat sufficienter revelatum ut tenerentur credere sub veniali, non tamen sufficienter ut tenerentur credere sub mortali: unde hærebant sine pertinacia et cum animo parato ad credendum omnia aperte et sufficienter revelata, sicque non erant hæretici.

Obj. 2°: S. Aug. l. *de Unico Baptismo* c. 5. Judæo ad Ecclesiam accedenti dicit : « Tene fidem resurrectionis mortuorum sicut tenebas, sed crede jam Christum resurrexisse a mortuis quod non credebas » : Et similiter hæretico : « Tene christianum baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, sicut tenebas; sed agnosce Christi Ecclesiam, toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem, cui sacrilega voce maledicebas. » Ergo Judæus juxta S. Augustinum habebat veram fidem resurrectionis mortuorum et hæreticus baptismatis.

Resp. dist. conseq. Ergo Judæus et hæreticus juxta S. Augustinum habent veram fidem naturalem et acquisitam, conc.; supernaturalem et infusam innixam divinæ auctoritati ab Ecclesia propositæ, nego. Hanc esse mentem S. Aug. constat; quia ibidem pariter dicit idololatræ: « Tene ab uno vero Deo mundum conditum esse, quod tenebas; sed noli credere Deos esse ligna et lapides et ipsius mundi particulas quas colebas » : sicut autem fides istius idololatræ qua credit Deum esse mundi conditorem non est supernaturalis et infusa, ita nec fides Judæi et hæretici.

Inst. S. Aug. l. *de Patientia* c. 26. dicit patientiam schismatici, qui ne Christum neget, patitur tribulationes, esse donum Dei: ergo ejus fides est supernaturalis.

Resp. quod fides schismatici sit donum Dei ex parte objecti; si enim Deus non revelasset mysteria fidei, nunquam ea cognovisset : non est autem donum Dei ex parte principii seu motivi credendi; non enim credit propter divinam veritatem revelantem, alias omnia crederet: unde dist. conseq. Hujus fides est supernaturalis ex parte objecti, conc.; ex parte principii, nego.

Obj. 3°. Hæreticus post hæresim eadem firmitate et facilitate credit articulos quos tenet ac ante: atqui hæc firmitas et facilitas non possunt provenire nisi ab habitu fidei: ergo.

Resp. neg. min. Intelligendo de fide supernaturali ; nam contingit quod hæretici eadem firmitate et facilitate credant et tueantur, non solum articulos fidei, sed ipsos suos errores, ita ut aliquando pro iis asserendis moriantur : firmitas ergo hæc provenit ex sola pertinacia voluntatis ; facilitas autem provenit ex habitu fidei acquisito, sive, juxta aliquos, per actus præcedentis fidei, non qua supernaturales, sed qua vitales : sive juxta alios, per actus fidei naturales ex parte principii, licet supernaturales ex parte objecti ; sæpe enim fidelis, vel ex instructione parentum, vel ex doctrina catechistarum, vel ex consuetudine, non attendendo ad primam veritatem revelantem, elicit actus fidei, qui cum sint naturales ex parte principii, generant habitum pariter naturalem, qui remanet in hæresi.

Inst. 1° : Hæretici dicunt se recipere quatuor Evangelia ut verbum Dei, et se assentiri contentis in eis propter auctoritatem Dei revelantis : non est autem ratio cur arguamus eos mendacii : ergo.

Resp. Sic equidem dicunt hæretici et sic existimant : unde non arguimus eos mendacii; sed falluntur ; cum enim prima veritas sit infallibilis simpliciter et in omnibus, qui hanc infallibilitatem negat in uno, non credit alia propter illam. Hanc autem negat hæreticus in

articulo quem discredit, ut probatum est; tum quia, cum prima veritas sit æqualiter omnibus applicata, non potest esse ratio cur unum credat, dum alterum negat, sed hujus ratio est proprium judicium : tum quia negando unum articulum ab Ecclesia propositum ut revelatum, negat infallibilitatem Ecclesiæ quæ est a Deo revelata, sicque negat primam veritatem esse in omnibus infallibilem.

Inst. 2° : Possum fide humana credere homini dicenti unum et non credere dicenti aliud : ergo similiter in fide divina.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod homo non sit universaliter infallibilis in dicendo, secus Deus; 2° quod auctoritas hominis dicentis non sit solum motivum credendi ea quæ dicit, sed etiam eorum verisimilitudo ; quædam autem sunt aliis verisimiliora. At in fide divina tota ratio credendi est prima veritas infallibilis in revelando.

Inst. 3° : Possum errare circa aliquam conclusionem unius scientiæ, et tamen non amittere habitum istius scientiæ circa alias conclusiones : ergo similiter.

Resp. neg. conseq. [1] Disparitas est quod in diversis conclusionibus unius scientiæ sint diversa media per quæ probantur, quorum unum potest cognosci sine alio : unde homo potest scire quasdam conclusiones ignoratis aliis, at omnibus articulis fidei fides inhæret propter unum medium, nempe propter primam veritatem propositam nobis per Ecclesiam, et ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.

Inst. 4° : Possum servare unum mandatum et non aliud, puta audire sacrum et non jejunare : ergo similiter possum credere unum articulum et non alios.

Resp. neg. conseq. [2] Disparitas est fere eadem, quia scilicet diversa mandata possunt observari saltem quoad substantiam propter diversa motiva proxima, puta propter honestatem cuique propriam : at unicum est fidei motivum, nempe prima veritas revelans infallibiliter in omnibus, quam ideo qui rejicit in uno, rejicit in omnibus.

Inst. 5° : Possum servare unum mandatum ex motivo communi omnibus et non aliud : sic possum audire sacrum ob auctoritatem Dei jubentis, et non jejunare ; possum diligere unum proximum propter Deum, et non alium ; possum ex motivo justitiæ solvere uni, et non alteri : ergo pariter possum credere unum articulum propter primam veritatem, et non alium.

[1] Hic a. 3. ad 2. — [2] Ib. ad. 3.

Resp. 1°, [1] neg. ant. Si enim ex perfecta obedientia, seu propter solam auctoritatem Dei jubentis unum mandatum observaret, omnia servaret : si ex solo Dei amore unum proximum diligeret, omnes diligeret ; et si ex solo amore justitiæ uni solveret, solveret et alteri : ab his ergo generalibus motivis decidit, qui unum mandatum transgreditur, et hoc sensu dicitur Jacobi 2: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*. 2°. Dato ant. nego conseq. Disparitas est quod in observatione mandatorum occurrere possint plura obstacula erga unum et non erga aliud : at in articulis fidei, hoc ipso quo creduntur propter divinam auctoritatem, non est difficilius unum credere quam aliud.

Inst. 6° : Unum actus contrarius habitui, v. g. temperantiæ, non destruit illum : ergo unus actus hæresis contrarius habitui fidei non destruit illum.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod unus actus contrarius habitui acquisito, puta temperantiæ, non tollat rationem formalem ejus objecti : unus autem actus hæresis tollit rationem formalem objecti fidei, ut probatum est. Unde quidam inutiliter hic laborant in inquirendo quomodo unus actus hæresis destruat habitum fidei? An physice, an moraliter, an per modum causæ formalis vel efficientis, an mediate, vel immediate? Patet enim ex dictis ipsum destrui ad destructionem objecti sui formalis : cum ergo hæreticus negans unum fidei articulum, neget primam veritatem, et per hunc actum physice destruat in suo intellectu objectum fidei, eodem modo destruit mediate habitum fidei.

Dices : Theologia remanet in hæreticis : ergo et fides : patet conseq. Quia theologia nititur principiis divina fide creditis.

Resp. neg. ant. Saltem loquendo de theologia quæ sit ejusdem rationis cum nostra; quia licet habeat idem objectum formale quod, non habet tamen idem objectum formale quo, nimirum virtualem et mediatam revelationem : objectum autem formale quod non specificat nisi ut substat objecto formali quo. Vide dissert. proœm. ad tract. de Deo a. 5. sub finem.

Petes utrum fides possit esse major in uno quam in alio?

Resp. [2] non posse esse majorem ex parte objecti formalis, quod in omnibus est unum

[1] Ibid. — [2] Ibid. a. 4. o.

et simplex, nempe prima veritas, sed posse esse majorem, tum ex parte objecti materialis quatenus unus plura credit explicite quam alter; tum ex parte subjecti, scilicet intellectus qui certius et firmius altero adhæret primæ veritati, et voluntatis quæ promptius et devotius se submittit Deo revelanti.

Neque solum fides potest esse major in uno quam in altero, sed in eodem diverso tempore, quia idem potest modo firmius, modo minus firmiter, modo devotius, modo minus devote rebus divinis assentiri : unde Apostoli Luc. 17, dicebant Christo : *Adauge nobis fidem*, et nos in collecta dominicæ 13 post Pentecosten oramus : « Da nobis fidei, spei, charitatis augmentum. »

S. Th. q. 6. probat fidem non solum formatam, sed etiam informem esse a Deo, tum quoad credibilia, quæ ab ipso solo revelari possunt; tum quoad assensum qui est supernaturalis. Ista constant ex his quæ diximus in tract. de Gratia contra pelagianos et semipelagianos.

Q. 7. probat duplicem esse effectum fidei, timorem scilicet tum servilem cum filialem, et purificationem cordis. Ex apprehensione mali pœnæ per fidem causatur timor servilis; ex apprehensione mali culpæ causatur timor filialis. Per fidem secundum se removetur impuritas erroris, per fidem autem formatam removetur impuritas affectus.

DISSERTATIO V.

De vitiis fidei oppositis.

Fidei opponitur infidelitas, confessioni fidei opponitur blasphemia. De hoc utroque vitio dicendum in præsenti dissert. Unde sit

ARTICULUS I.

DE INFIDELITATE IN COMMUNI

PER QUÆSTIUNCULAS.

Infidelitas in communi est carentia fidei : et est vel negativa, vel privativa, vel contraria. Infidelitas negativa est carentia fidei in eo qui nihil audivit de fide, vel non audivit sufficienter. Privativa est carentia fidei in eo qui audivit sufficienter de fide, et non vult ei assentiri, absque eo tamen quod contrarium asserat. Contraria est carentia fidei in eo qui sufficienter de fide instructus, non solum detrectat illam amplecti, sed etiam contrarium asserit et errorem positivum contra fidem sustinet. Equidem Auctor hic duas tantum infidelitates numerat, negativam et contrariam, sed contrariam paulo latius intelligit, prout comprehendit etiam privativam; dicit enim ibidem : « Potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem; qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei » : en infidelitas proprie contraria; « vel etiam contemnit ipsam » : en privativa.

Petes 1° utrum infidelitas sit peccatum?

Resp. 1° : [1] Infidelitas mere negativa non est peccatum sed pœna peccati.

Prob. 1°. Christus Joan. 15. dicit de Judæis : *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent :* quod exponens S. Aug. tract. 89. *in Joan.* dicit quod Christus loquatur de peccato quo non crediderunt in Christum : infidelibus autem negative Christus neque per se, neque per suos ministros locutus est, saltem sufficienter. 2°. Nemo peccat omittendo quod facere non potest : atqui qui nihil audiverunt de fide, aut non audiverunt sufficienter, non possunt credere, juxta illud Rom. 10: *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Perinde est ac si diceret : credere non possunt. 3°. Hæc propositio 65. inter Baianas; « Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est », damnata est a S. Pio V et Gregorio XIII.

Si dicas omnem infidelitatem esse volunta-

[1] Hic q. 10 a. 1. o.

[1] Ibid.

riam in Adamo, item et voluntate propria; quia dantur omnibus auxilia sufficientia ad fidem, resp. quantum ad primum, omnem infidelitatem prout pertinet ad peccatum originale cujus est pars, esse voluntariam in Adamo : at hoc voluntarium in capite non sufficit ad constituendum peccatum personale distinctum ab originali, quod hic quæritur, ad illud enim requiritur voluntarium proprium et personale. Secundum plene solutum est in tract. de Deo dissert. 7. art. 8. obj. 5. Require.

Resp. 2° : [1] Infidelitas privata et contraria est peccatum : 1° quia nemo condamnatur nisi propter peccatum : *Qui* autem *non crediderit, condemnabitur* Marc. ultimo ; 2° quia fides est medium necessarium ad salutem : ergo is cui sufficienter proponitur, tenetur eam acceptare.

Petes 2° utrum infidelitas sit in intellectu?

Resp. [2] esse in intellectu tanquam in subjecto, pendere tamen a voluntate movente : quia quæ privative vel contrarie opponuntur, sunt in eodem subjecto : fides autem cui infidelitas opponitur est in intellectu tanquam in subjecto, dependens tamen a voluntate movente : ergo.

Petes 3° utrum infidelitas sit maximum peccatorum?

Resp. [3] esse ex genere suo gravius omnibus peccatis quæ sunt contra virtutes morales; quia est magis directe contra Deum, quem virtutes theologicæ habent pro objecto, quam peccata quæ sunt contra virtutes morales.

Dixi : « ex genere suo » ; quia ex circumstantiis, peccata contra virtutes morales possunt esse graviora. Dixi etiam : « Peccatis contra virtutes morales » ; quia si quæstio sit de peccatis oppositis virtutibus theologicis, docet Auctor infra q. 34. a. 2, odium Dei quod opponitur charitati, esse gravius; de quo loco citato.

Petes 4° utrum omnia infidelium opera sint peccata?

Resp. negative. [4] Hanc quæstionem ex professo et pro meritis expendimus in tract. de Gratia, dissert. 3. a. 3. § 2. Require ibi.

Petes 5°. quot sint species infidelitatis?

Resp. [5] Si infidelitas attendatur secundum errorem in diversis quæ pertinent ad fidem, sunt quidem plures species infidelitatis, sed indeterminatæ quoad numerum; possunt enim errores in infinitum multiplicari.

Si vero infidelitas attendatur secundum comparationem ad fidem, [1] sunt tres species infidelitatis, nempe paganismus, judaismus et hæresis : quia peccatum infidelitatis consistit in renitendo fidei : tripliciter autem quis potest reniti fidei : vel enim renititur fidei quam nondum professus est se suscipere ut veram, et est infidelitas paganorum, qui sic dicti sunt a pagis, in quos, ab urbibus mandato imperatorum christianorum expulsi, se recipiebant ut colerent sua idola, antea gentiles dicebantur : vel renititur fidei quam professus est in figura, et est infidelitas Judæorum : vel tandem renititur fidei quam professus est in manifestatione veritatis, et est infidelitas hæreticorum.

Dixi : « quam professus est se suscipere » ; quia ad judaismum vel hæresim, videtur non requiri quod revera susceperit fidem in figura vel veritate manifestata, sed sufficere si exterius professus fuerit se suscipere : unde infantes hæreticorum non baptizati, qui ideo nunquam fidem susceperunt, dicuntur hæretici, eo quod secundum æstimationem profiteantur cum parentibus fidem Christi. Item ariani et paulinianistæ, quamvis non vere baptizati, propter eamdem rationem dicebantur a conciliis hæretici.

Ad paganismum pertinent athæi, deistæ et mahumetani : quia nunquam professi sunt se suscipere sive in figura, sive in veritate fidem Christi : licet enim mahumetani agnoscant Christum ut prophetam, non tamen eum agnoscunt ut Deum.

Apostasia non videtur distingui ab hæresi nisi secundum magis et minus : quia apostata deserit totam fidem quam professus est, hæreticus partem tantum; intellige « objective. » Similiter ad unam ex prædictis possunt reduci aliæ infidelitates.

Utrum autem hæ species distinguantur essentialiter, an accidentaliter tantum, dissentiunt theologi. Quidam volunt esse distinctionem accidentalem tantum, quia omnes conveniunt in ea ratione formali, scilicet reniti fidei, seu nolle acquiescere Deo revelanti, in quo sita est essentia infidelitatis; differunt autem tantum secundum modos accidentales, ratione quorum infidelitas censetur magis vel minus voluntaria, magis vel minus extensa : ita Wiggers.

Alii ponunt distinctionem essentialem; quia existimant hos diversos modos renitendi fidei constituere diversam rationem formalem in objecto fidei; quia, inquiunt, quando termi-

[1] Ibid. — [2] Ibid. a. 2. o. [3] Ibid. a. 3. o. — [4] Ibid. a. 4. o. — [5] Ibid. a. 5. o.

[1] Ibid.

nus a quo inducit diversam habitudinem erga terminum ad quem, ex illis simul junctis sumitur diversitas specierum essentialium, eo quod talis habitudo mutet rationem formalem objecti : sic alia est species fornicationis illius qui castitatem professus est, alia illius qui non est professus. Ita Sylvius.

Cæterum quidquid sit de ista levi speculatione : quantum ad praxim conveniunt utriusque sententiæ patroni, has diversas species esse exprimendas in confessione, sicut et determinatos errores, puta quod negaverit Trinitatem, aut Incarnationem, quod professus fuerit lutheranismum vel calvininismum, propter graviorem aut leviorem malitiam.

Petes 6° quæ species infidelitatis sit gravius peccatum ?

Resp.[1] quod in infidelitate duo possunt considerari, ut dictum est, quorum unum est comparatio ejus ad fidem : et ex hac parte aliquis gravius peccat contra fidem qui fidei renititur susceptæ, quam qui renititur fidei nondum susceptæ ; sicut gravius peccat qui non implet quod promisit, quam si non impleat quod nunquam promisit : et secundum hoc hæresis est gravior judaismo, et judaismus paganismo. Aliud quod in infidelitate consideratur, est corruptio eorum quæ ad fidem pertinent ; et secundum hoc, cum in pluribus errent gentiles quam Judæi, et Judæi quam hæretici, gravior est infidelitas gentilium quam Judæorum, et Judæorum quam hæreticorum, nisi forte quorumdam, puta manichæorum, qui circa credibilia plus errant quam gentiles. Harum tamen duarum gravitatum prima præponderat secundæ quantum ad rationem culpæ ; quia infidelitas habet rationem culpæ, ut dictum est, magis ex hoc quod renititur fidei, quam ex hoc quod non habet ea quæ sunt fidei ; hoc enim videtur magis ad rationem pœnæ pertinere : unde simpliciter loquendo, infidelitas hæreticorum est pessima.

Petes 7° utrum sit licitum disputare de fide cum infidelibus ?

Resp. 1°:[2] Attento jure naturæ, peccat 1°. qui fide semel suscepta, disputat tanquam dubitans de fide, et veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens ; quia dubius est in fide et infidelis : cap. *dubius* extra de hæreticis. Dixi : « fide semel suscepta » : qui enim nunquam fidem suscepit, et incipit dubitare, licite disputat ad inquirendam veritatem ; imo etiam fidelis qui eo fine disputat ut de veritate quam paratus est amplecti plenius instruatur, licet dubitando peccet, non videtur tamen peccare ex eo quod disputet. 2°. Peccat qui disputat cum scandalo infirmorum, quorum scilicet fides ex disputatione magis quassatur quam firmetur. 3°. Qui non est satis doctus ad argumenta infidelium solvenda.

E contra[1], attento eodem jure naturæ sufficienter eruditus licite et laudabiliter disputat cum infidelibus ad confutandos eorum errores, aut ad exercitium coram iis qui ex disputatione possunt proficere ; imo ad id tenetur, si ex ejus silentio fides infirmorum veniat in discrimen ; sic fecerunt Stephanus Act. 6. S. Paulus ibid. 9, et plures alii.

Resp. 2° : Attento jure ecclesiastico, prohibitum est sub pœna excommunicationis omnibus laicis disputare de fide, sive publice, sive privatim : ita cap. *Quicumque* de hæreticis in 6. ubi Alexander IV ait : « Inhibemus ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare : qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. »

Circa hoc decretum plura sunt observanda. 1°. Observandum est, eo non solum disputationem cum infidelibus prohiberi, sed omnem disputationem de fide catholica.

2°. Per « laicos » non intelligi illitteratos, ut quidam volunt, sed eos qui communiter intelliguntur laici, scilicet qui non sunt clerici vel Deo consecrati, ut habetur 12. q. 1. Unde quamvis fratres conversi dicantur laici ad distinctionem eorum qui sacris ordinibus initiantur, non sunt laici simpliciter, sed ecclesiasticæ personæ, cap. *non dubium* de Sentent. excommunicat. et cap. *Quisquis* 17. q. 4. Quapropter quamvis illis non competat, sicut nec monialibus disputare de fide, propter insufficientiam, præfato tamen decreto, nec illi nec istæ ligantur.

3°. Pœnam excommunicationis non esse latæ, sed ferendæ sententiæ, ut notat Glossa in idem caput, et ipsa verba indicant : et ideo Serra post Cajetanum, Ledesma et alios, docet quod hoc decretum non obliget sub mortali, quia, inquit, lex quæ aliquid sub pœna excommunicationis, suspensionis aut similis censuræ, non latæ, sed ferendæ sententiæ, non obligat ad mortale, nisi quis post sufficientem monitionem, contumax fuerit, aut aliunde constet de voluntate contraria legislatoris.

4°. Cum odiosa et pœnalia non sint extendenda, sed potius restringenda, то « dispu-

[1] Ibid a. 6. o. — [2] Ibid. a. 7. o.

[1] Ibid.

tare » est accipiendum formaliter dum fit ad persuadendum; seu, ut ait Cajetanus, «Quando vel fides defendenda, vel confutandus error, vel dubium de fide occurit » : non vero materialiter, cum fit honoris vel exercitii causa, sive publice sive privatim : sic videmus quotidie in publicis disputationibus laicos arguere et respondere in materiis fidei.

5°. Cum eodem Cajetano, quod in casu necessitatis, vel magnæ utilitatis, ut si hæretici fideles perverterent, et non adessent ecclesiastici qui fidei partes defenderent, liceret per epiikiam laico docto disputare. Item etiam extra hunc casum liceret in iis locis in quibus ista lex consuetudine contraria est abrogata, ut videtur esse in multis locis in quibus hæreses grassantur.

ARTICULUS II.

UTRUM INFIDELES SINT COGENDI AD FIDEM?

Inter infideles, ut jam vidimus, quidam nunquam susceperunt fidem, ut pagani et Judæi ; quidam illam aliquando susceperunt, ut hæretici et apostatæ ; item quidam subduntur principibus christianis, quidam non.

Dico 1°:[1] Infideles qui nunquam susceperunt fidem, sive subdantur principibus christianis, sive non, nullatenus sunt cogendi ad fidem ; possunt tamen cogi ut non impediant fidem, fideive prædicationem, blasphemiis, malis suasionibus, aut apertis persecutionibus.

Prob. prima pars : Nemo potest legitime cogere alium nisi habeat in eum jurisdictionem : atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in eos qui nunquam susceperunt fidem, juxta illud I. Cor. 5: *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Unde Trid. sess. 14. cap. 2, declarat quod «Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. » Similiter principes christiani nullam etiam jurisdictionem habent in extraneos; in subditos autem licet habeant potestatem ipsos gubernandi politice, non tamen eos cogendi ad fidem : quo enim jure illam haberent? Non jure naturali, quia præceptum fidei est supernaturale : non jure divino, nullum enim hujus potestatis extat vestigium in S. Scriptura vel traditione : imo ex modo quo Christus misit Apostolos ad prædicandum fidem, contrarium prorsus colligitur : mittit enim illos Matth. et Luc. 10. non ut milites armatos, sed ut agnos in medio luporum ; jubet ut non portent sacculum, neque peram, ut in patientia possideant animas suas, ut omnibus apprecentur pacem; quod si aliqui, neque eos, neque Evangelium recipere velint, non mandat ut vim adhibeant, sed simpliciter ut exeant et excutiant pulverem de pedibus suis : et cum Luc. 9. Samaritani Christum noluissent recipere, ideoque Jacobus et Joannes vellent eos igne Cœli consumere, increpando dicit illis Christus : *Nescitis cujus spiritus estis:* ergo.

Confir. Ecclesia cui nota est voluntas Christi prohibet ne infideles vi compellantur ad fidem. Concilium Toletanum IV occasione regis Sisebuti qui Judæos compulerat ad baptismum, zelum ejus laudans, sed factum improbans, sic statuit can. 57 : « De Judæis præcipit s. synodus nemini deinceps vim inferre..... Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi. » Innocent. III, cap. *Majores* de baptismo exponens præfatum canonem : « Est, inquit, Religioni christianæ contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad servandam christianitatem aliquis compellatur. » Cœlestinus III, cap. *Sicut Judæi* tit. de Judæis : « Statuimus, inquit, ut nullus invitos vel nolentes Judæos ad baptismum venire compellat. » Unde Gregorius l. 2. Epist. 50 : « Nova, inquit, atque inaudita est hæc prædicatio, quæ verberibus regis exigit fidem. »

Dices : Princeps christianus potest cogere suos subditos, ut deserant idolatriam : ergo et ut amplectantur fidem.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod colere plures et falsos deos sit contra legem naturæ, cujus custos et defensor est quilibet princeps in suis subditis; alioquin nulla lege posset illos constringere, cum nullæ leges humanæ obligent, nisi quatenus derivantur a lege naturali : et hinc laudatur Constantinus, quod idolorum templa destruxerit : at lex fidei est supernaturalis, ad quam non se extendit potestas sæcularis.

Cætera argumenta quæ contra hanc primam conclusionis partem objici solent et possunt, soluta habes dissert. 3. de Bapt. a. 4. Vide.

Prob. secunda pars : Ecclesia habet jus et mandatum a Christo prædicandi Evangelium in universo mundo : Si ergo hanc prædicationem impediant barbari, possunt principes christiani contra eos bellum movere, rebelles domare, sibique subjicere, non quidem ut eos ad credendum cogant, sed ut tueantur jura Ecclesiæ violata, et innocentes defendant, tam eos

[1] Ibid. a. 8. o.

qui jus habent prædicandi, quam eos qui habent jus audiendi : unicuique enim a natura competit jus defendendi innocentes.

Dices: Si principes christiani possunt compellere barbaros non sibi subditos, ut non impediant fidem blasphemiis, ut fert conclusio, et docet S. Th., sequitur quod possint compellere omnes barbaros, et etiam non sibi subditos, ut deserant idololatriam, quia juxta S. Thomam infra q. 94. a. 3. ad 2, idololatria est blasphemia: atqui consequens est falsum: ergo.

Resp. neg. sequelam. Ad probat. dist. Idololatria est blasphemia materialiter et facto, conc; formaliter et verbo, nego. Quando autem S. Doctor dicit posse cogi infideles, ut non impediant fidem blasphemiis, intelligit, et nos cum ipso, de blasphemia formali quæ consistit in verbis, ut docet infra q. 13. a. 1.

Dico 2°: [1] Infideles qui aliquando fidem susceperunt, ut hæretici et apostatæ, possunt corporaliter compelli ut impleant quod promiserunt, et servent quod semel susceperunt.

Prob. 1° ex jure : Cap. *contra Christianos* de Hæreticis in 6. cap. *Majores* de Baptismo et cap. *de Judæis* d. 45, desumpto ex concilio Toletano 4. decernitur ad fidei Christianæ observantiam cogendos esse etiam illos qui metu vel necessitate Baptismum susceperunt, et eos qui in infantia baptizati sunt, quamvis nunquam proprio actu illam professi fuerint. Idem definit Trid. sess. 7. can. 14. Porro si qui in infantia baptizati sunt, aut metu vel necessitate, ad fidem servandam sint cogendi: quanto magis alii desertores? Sententiam contrariam, quam aliquando tenuerat, S. Augustinus revocavit Epist. 48, his verbis: « Nam mea primitus sententia erat neminem ad unitatem fidei esse cogendum.... Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicorum timore legum imperalium conversa est. »

2°. Qui fidem profitentur et baptizantur, incorporantur Ecclesiæ, ut ejus subditi, et se obligant ad hanc fidem servandam: ergo a superioribus compelli possunt, ut suæ obligationi satisfaciant; sin minus, puniri corporaliter, sive per principes suos, sive per alios, quibus Ecclesia, aut proprius princeps id commiserit.

Dices: S. Th. in hoc eodem articulo, o, probat infideles qui nunquam susceperunt fidem non esse cogendos, quia voluntatis est credere : atqui eadem ratio militat pro hæreticis: ergo.

Respondet ipse Doctor ibid. a. 3 : « Sicut, inquit, vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis, ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis: et ideo hæretici sunt compellendi, ut fidem teneant. »

Petes utrum ritus infidelium sint tolerandi?

Resp. 1° [1] : Ritus infidelium principibus christianis subditorum per se loquendo non sunt tolerandi: quia infideles, etiam qui nunquam fidem susceperunt, servando suos ritus peccant contra legem naturæ, cujus, ut jam dixi, custos et defensor est princeps in suis subditis: qui autem fidem susceperunt, ut sunt hæretici, subjiciuntur Ecclesiæ et principibus christianis, etiam in iis quæ spectant fidem quam professi sunt, ideoque Ecclesia et principes tenentur in eis impedire peccata contra professionem fidei.

Dixi : « infidelium principibus christianis subditorum » ; quia quoad alios non subditos qui nunquam susceperunt fidem, neque Ecclesia, neque principes christiani ullam habent in eos jurisdictionem ; etiam quoad peccata quæ sunt contra legem naturæ, nisi essent in damnum proximi, ut si eorum ritibus occiderentur innocentes: unusquisque enim, ut jam dicebam, habet jus defendendi innocentes.

Resp. 2°. [2] Per accidens, ad vitanda scilicet pejora mala, aut ne impediantur majora bona, possunt tolerari ritus infidelium : quia humanum regimen derivatur a divino, et debet ipsum imitari; Deus autem permittit aliqua mala, ne eis sublatis majora bona tollerentur, vel pejora mala sequerentur: ergo similiter in regimine humano: unde S. Aug. l. 2. *de Ordine* cap. 4. dicit : « Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. »

Hinc inferes recte tolerari ritus Judæorum; [1] quia cum in iis olim præfigurabatur veritas fidei quam tenemus, hoc bonum provenit quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, et quasi in figura repræsentatur nobis quod credimus. Quantum ad ritus aliorum, attendendum est, ut dixi, ad mala quæ ex eorum prohibitione sequerentur, et ad bona quæ impedirentur.

Quærit auctor hic a. 12. utrum pueri Judæorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi ? Quam quæstionem resolvimus cum S. Doctore negative dissert. 3. de bapt. a. 4. Require ibi.

[1] Ibid.

[1] Ibid. a. 11. o. — [2] Ibid. — [1] Ibid.

ARTICULUS III.

DE HÆRESI.

§ I.

Quid et quotuplex sit hæresis ?

Hæresis est vox græca electionem importans : quia hæreticus proprio judicio eligit credendum quod vult. Huic affinis est vox « secta », dicta a sectando specialem opinionem. Et quamvis utraque vox possit sumi in bonam partem, usu tamen S. Scripturæ, Patrum et omnium theologorum sumitur in malam partem.

Dico 1° : Hæresis est « error pertinax fidei manifeste contrarius in eo qui fidem Christi in veritate professus est. » [2].

Hæc definitio constat genere et differentia : Error est genus, cæteræ particulæ sunt differentia. Explicatur.

Dicitur : « error », id est positivus assensus falsi, seu dissensus veri. Dicitur : « error contrarius fidei », quia hæresis est vitium oppositum fidei : unde error quantumvis pertinax contrarius veritatibus humanis, non est hæresis. Dicitur : « manifeste contrarius fidei », quia si quis teneret aliquid contrarium fidei, de quo certum et manifestum non foret quod illi esset contrarium, non esset hæreticus saltem formalis : illud autem est certo et manifeste de fide, quod est manifeste et certo a Deo revelatum, sive privatim, sive in S. Scripturis, sive in definitionibus Ecclesiæ, et quod tanquam de fide tenent omnes catholici. Dicitur : « contrarius fidei » simpliciter, et non « catholicæ fidei », ut multi ponunt ; quia arbitramur esse vere hæreticum qui repugnaret veritati privatim, sed sibi manifeste a Deo revelatæ : sicut enim accidentale est fidei, quod credat Deo revelanti privatim, vel publice per Ecclesiam, ut constat de fide Prophetarum et Apostolorum, quibus privatim revelata sunt mysteria nostræ fidei ; sic accidentale est hæresi, quod repugnet seu dissentiat Deo revelanti, privatim vel publice, modo constet de revelatione. Attamen non haberetur hæreticus ab Ecclesia, nec subjiceretur pœnis hæreticorum : hæ enim non sunt statutæ ab Ecclesia, nisi in eos qui suæ seu catholicæ fidei sunt rebelles. Dicitur : « error in eo qui fidem Christi in veritate professus est », ut distinguatur hæresis a paganismo et Judaismo.

[2] Colligitur hic q. II a. I.

Dicitur denique : error pertinax ; » et hæc particula indiget majori explicatione ; quia est proprius character hæreseos. Pertinacia est obstinata adhæsio propriæ sententiæ contra fidem sufficienter manifestatam, ita ut aliquis contradicat fidei, non ex ignorantia, neque propter rationes sufficienter moventes, sed sciens et volens ex sola motione malæ voluntatis, seu præcise quia vult, ita ut de illo dici possit, quod de pertinacibus in aliis materiis dici solet : « Stat pro ratione voluntas. »

Hujusmodi pertinaciam requiri ad hæresim patet, tum ex ipso nomine ; est enim, ut diximus, electio ; tum qui sicut ad fidem requiritur pia motio voluntatis inclinans intellectum ad assentiendum certo veritati obscure revelatæ, ita ad hæresim, quæ fidei opponitur, requiritur prava affectio voluntatis ad dissentiendum pertinaciter veritati per Ecclesiam propositæ, tum ex jure, cap. *Dixi*, cap. *Qui in Ecclesia* causa 24. q. 3. et Clement. *Ex gravi* l. 5, de Usuris, ubi non agnoscuntur pro hæreticis nisi qui fuerint pertinaces in negando aliquo articulo fidei : et concilium Lateran. sub Innocentio III, excusat ab hæresi abbatem Joachim, eo quod non fuerit pertinax ; tum ex S. Augustino, qui l. 5. *contra Donat.* c. 16. de errante circa fidem dicit : « Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestatæ sibi doctrinæ catholicæ fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. « Et l. 3. *de Anima* cap. ultimo : « Ista si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones numerantur. » Hinc in proverbium transiit istud dictum ejusdem S. Doctoris : « Errare potero, hæreticus non ero », defectu scilicet pertinaciæ. Idem S. Th. q. 8. de Malo et in cap. 11. I. Cor. lect. 4.

Hinc inferes 1° quod ad pertinaciam non requiratur diuturnitas temporis, neque quod quis sit pluries canonice monitus, sed sufficit dissensus voluntarius fidei per Ecclesiam sufficienter propositæ, quod potest haberi in instanti.

Inferes 2° eum qui ex ignorantia etiam culpabili, crassa et supina repugnat fidei, paratus tamen assentiri, si esset instructus, non esse hæreticum formalem ; quamvis enim mortaliter peccet contra præceptum fidei affirmativum, ignorando voluntarie quæ debet scire, non est tamen pertinax. Imo neque peccaret, si ignorantia ejus esset involuntaria et inculpabilis, ut contingit esse inter catholicos rudes, aut qui a parentibus et pastoribus incuris negliguntur, et etiam inter enutritos apud hæ-

reticos, qui nihil unquam de fide catholica, aut non nisi irrisiones et blasphemias contra illam audierunt, nec ullo dubio hac in re pulsantur, ita ut si alia necessitate medii credenda teneant, et sint animo parati cætera credere, si debite proponerentur, non videantur esse extra viam salutis. Nec obstat quod extra Ecclesiam non sit salus : ii enim ratione baptismatis, item fidei quam habent, et internæ dispositionis cætera credendi, dici possunt esse in Ecclesia.

Quod si ignorantia esset affectata, saltem eo fine ut liberius erret in fide, aut quia contemnit auctoritatem Ecclesiæ, ita ut etiam si ipsi constaret de ejus mente, nollet tamen acquiescere, is esset pertinax et hæreticus formalis.

Contra huc usque dicta de pertinacia dices : Ad alia peccata sufficit voluntarium in causa ; sic qui occidit hominem ex ignorantia culpabili, est vere homicida : ergo similiter in hæresi. Resp. neg. conseq. Quia alia peccata non dicuntur ab electione sicut hæresis, ad quam ideo non sufficit voluntarium commune, quo omne peccatum debet esse voluntarium, sed requiritur voluntarium speciale et pertinax oppositum fidei.

Inferes 3° ad pertinaciam et hæresim formalem non esse necesse quod quis agnoscat dogma, quod tenet, esse falsum, et oppositum esse verum et revelatum ; alias aut nulli, aut rarissimi essent hæretici, quippe qui communiter æstimant sua dogmata esse vera et revelata, contraria esse falsa et non revelata : nec enim fieri potest quod quis dissentiat vero agnito tali, nisi indirecte divertendo mentem ab ejus consideratione, ut forte contigit hæresiarchis, Luthero et Calvino ; sed sufficit quod veritatem ab Ecclesia infallibili propositam neget. Nec obstat, quod etiam non agnoscat auctoritatem infallibilem Ecclesiæ in proponendis veritatibus revelatis, sufficit quod possit et debeat eam agnoscere; tot enim ac tanta sunt illius motiva, ut non nisi voluntarie cæcutiens et pertinax eam negare possit: et hinc

Inferes 4° pertinaciam hæresis non esse immediate et directe contra veritatem revelatam, et veracitatem Dei revelantis: ut enim jam dicebam, hæretici nolunt agnoscere se sentire contra veritatem revelatam, et Dei veracitatem quin e contra contendunt suos errores esse veritates a Deo revelatas. Est igitur pertinacia hæresis immediate et directe contra auctoritatem infallibilem Ecclesiæ proponentis veritates revelatas, quam possunt et debent agnoscere, et quam pertinaciter negant; et quia Ecclesia infallibiliter proponit veritates a Deo revelatas, mediate et indirecte pertinacia hæresis est contra illas, deinde contra revelationem, ac demum contra primam veritatem revelantem.

Inferes 5° eum esse formaliter hæreticum, qui negat aliquam veritatem quam putat esse ab Ecclesia propositam et definitam, quæ tamen non est; quia affectu est pertinax contra auctoritatem Ecclesiæ.

Petes 1° utrum qui negaret conclusionem theologicam, v. g. qui in hoc syllogismo: Omnis homo est risibilis : Christus est homo, negaret hanc conclusionem : ergo Christus est risibilis, esset hæreticus ?

Resp. Vel agnoscit connexionem hujus conclusionis cum præmissis vel non : si non agnoscat, nullo modo est hæreticus ; quia ista conclusio non est immediate revelata, nec consequenter de fide : si vero connexionem hanc cognoscat, est hæreticus præsumptive seu illative ; quia hoc ipso quo est ipsi evidens connexio inter præmissas et conclusionem, negando conclusionem censetur negare alterutram præmissarum, non naturalem quæ est evidens : ergo alteram quæ est de fide.

Petes 2° utrum dubius in fide sit hæreticus ?

Videtur quod non ; quia dubius non habet errorem in intellectu, cum nec assentiat, nec dissentiat : dubium enim est suspensio inter assensum et dissensum.

Ante resolutionem distinguendum est duplex dubium : unum negativum, alterum positivum : negativum, quod quidam vocant in actu exercito, est quando quis apprehensa utraque parte opposita, an hoc sit verum vel falsum, neutri assentiens, absque ullo actu positivo suspensus manet: positivum, quod alii vocant in actu signato, est quando quis similiter apprehensa utraque parte opposita neutri assentiens, actu positivo judicat rem esse dubiam et incertam.

Suppono 1° quod qui involuntarie dubitat, non consentiendo dubio, sed illud per actum fidei prompte repellendo, meritum sibi acquirat : si negligenter se habeat ad repellendum sine periculo consensus, peccat venialiter; et talia sunt ordinarie dubia simplicium.

Suppono 2° quod qui voluntarie dubitat de articulo fidei ex ignorantia etiam crassa et supina, paratus illi assentiri si non ignoraret, peccat quidem mortaliter ratione ignorantiæ

aviter culpabilis, sed non peccato hæreseos ıia non est pertinax.

His notatis et suppositis ad petitionem fa- ım inter varias auctorum sententias,

Resp. 1°: Qui deliberate dubitat dubio posi- vo de aliquo articulo fidei sufficienter propo- o ab Ecclesia, v. g. qui judicat dubium esse detur purgatorium? An Christus sit in Eu- aristia? cum tamen sciat ita tradi et credita ta Ecclesia, est formaliter hæreticus, quia et non neget veritatem de qua dubitat, judi- t tamen positive eam et infallibilitatem Eccle- e non esse certas; sicque habet errorem po- ivum et pertinacem in intellectu, si non ex- icite contra veritatem fidei de qua dubitat, ltem contra ejus et infallibilitatis Ecclesiæ fir- itatem et certitudinem quæ est fidei essentia- : per quod solvitur argumentum initio po- um. Et de illo dubitante verificatur quod jure dicitur: « Dubius in fide est infidelis », curritque excommunicationem Papæ reser- tam non secus ac alii hæretici.

Resp. 2°: Qui de aliquo articulo fidei suffi- enter ab Ecclesia proposito dubitat dubio ne- tivo tantum, id est suspendit præcise judi- ım sine ullo positivo actu, quia v. g. vult ınc aliis attendere, vel non vult in re tanta odo defatigare caput, vel vult inquirere mo- a commodius et suavius assentiendi; aut opter similia motiva, non est formaliter hæ- ticus, quia cum non habeat judicium, illud im suspendit, non habet errorem positivum intellectu. Neque videtur per se peccare sal- n mortaliter, secluso periculo consensus in bium positivum, nisi tunc urgeat præceptum îrmativum fidei.

Si tamen talis suspensio judicii procederet ex otione voluntatis propter difficultates propo- as ab intellectu, non judicante tamen, quasi territæ et veritæ deceptionem; quidam non probabiliter existimant ibi includi malitiam ereseos, ita ut suspensio subsecuta ad illam alam motionem voluntatis, sit quoddam vir- ale et implicitum judicium de incertitudine jecti fidei. Cæterum res est admodum peri- losa; neque dubium est quin voluntarium bium negativum facile possit transire in po- ivum, aut ex illo oriri.

Dico 2°: Hæresis dividitur 1° in materialem formalem: formalis est quam definivimus et ıc usque explicuimus: materialis est error minis baptizati contra veritatem fidei ex norantia et sua pertinacia. Patet ex dictis.

2° Dividitur hæresis in internam tantum, ternam tantum, et in internam et externam simul. Interna tantum est error voluntarius contra fidem in sola mente sistens et nullo signo exteriori manifestatus; externa tantum est cum quis ore vel facto negat fidem corde retentam. Interna et externa simul, quæ est hæresis completa, est quæ mente concepta verbo vel signo exterius manifestatur, etiamsi nemo adsit; modo sit tale signum, ut si quis adesset, statim intelligeret negari articulum fidei; de quo plura modo.

3° Hæresis externa dividitur in occultam et manifestam: occulta est quæ nulli vel paucis innotescit: manifesta quæ multis nota est.

§ II.

De pœnis hæreticorum.

Pœnæ hæreticorum sunt duplicis generis: quædam sunt spirituales, ut excommunicatio, irregularitas, privatio omnis beneficii, jurisdictionis et dignitatis ecclesiasticæ, item et sepulturæ ecclesiasticæ. Aliæ sunt corporales, ut confiscatio omnium bonorum, exemptio subditorum a juramento fidelitatis, infamia et pœna capitis. Pœnæ temporales pertinent ad forum sæculare: unde iis omissis dicemus tantum de spiritualibus.

Dico 1°: Neque hæreticus materialis, neque mere internus, neque mere externus incurrit excommunicationem et alias pœnas spirituales hæreticorum.

Prima pars patet: hæreticus enim materialis non est vere et formaliter hæreticus, quia non est pertinax.

Secunda pars etiam constat; quia licet hæreticus mere internus sit in foro conscientiæ et coram Deo vere hæreticus, non est tamen talis in foro externo et coram Ecclesia, quæ non judicat de internis, et ideo pœnis ab ea decretis in hæreticos non subjicitur.

Quod opponi posset ex concilio Toletano et Tridentino, aliisque juribus, quibus sub pœna anathematis prohibetur non solum aliter « prædicare et docere », sed etiam « sentire et credere », solutum habes dissert. 4. de Legib. art. 1. obj. 2. nimirum per « prædicare et docere » intelligi auctores et fautores hæresos; per « sentire » vero et « credere » intelligi eos qui præfatis assentiuntur, assensu tamen exterius expresso. Confer locum citatum.

Tertia pars pariter constat; quia hæreticus mere externus, ut qui vel metu, vel spe lucri, vel ex ira, aliove simili motivo, fide corde retenta. profert propositionem hæreticam, cruci-

fixum, aut sanctorum imagines conculcat cultum idolo exhibet, hæreticorum cœnæ communicat, etc. quamvis gravissime peccet, non est tamen revera hæreticus : quia hæresis est error mentis; pœnæ autem ecclesiasticæ non feruntur nisi in eos qui revera sunt hæretici. Neque refert quod qui occidit hominem ex metu vel spe lucri, vere sit homicida : disparitas est quod ad homicidium sufficiat occisio hominis absque legitima auctoritate; ad hæresim autem requiritur error in mente.

Et hi omnes consequenter possunt absolvi a quolibet confessario ; nisi externus ab Ecclesia, quæ non nisi exteriora judicat, et per exteriora de interioribus præsumit, esset publice denuntiatus ut hæreticus, tunc enim propter scandalum foret vitandus, nec nisi Ecclesiæ reconciliatus deberet absolvi.

Dico 2°: Hæreticus internus hoc ipso quo suam hæresim exterius distincte et assertive manifestat, etiamsi nullo audiente aut vidente incurrit excommunicationem soli Papæ reservatam. Cap. *Excommunicamus* de Hæreticis, cap. *Noverit* de sententia excommunicat. et in bulla Cænæ.

Dixi 1°: « distincte manifestat », id est verbo, vel scripto, vel facto, aliove nutu seu signo quod vel ex natura sua, vel ex institutione, vel ex consuetudine, vel ex circumstanciis, distincte et determinate hæresim significat, ut si mente sentiens Christum non esse in Eucharistia, dicat vel scribat : « Christus non est in Eucharistia », aut hostiam sacram conculcet, aut in eam spuat, aut non genuflctat; aut caput non aperiat dum elevatur, si tamen hæc duo ultima appareant fieri deliberate : secus si signum sit indifferens ad significandum hæresim, vel aliquid aliud mente conceptum, ut si in eodem casu, dicat simpliciter, « non est », aut femur percutiat, vel caput inclinet, etc. quia revera non manifestat suam hæresim, cum hæc signa sint æquivoca.

Dixi 2° : «assertive manifestat », id est animo asserendi et profitendi suam hæresim ; unde non incurrit excommunicationem qui suam hæresim confessario, vel alteri aperit causa consilii aut instructionis tantum ; iste enim actus exterior non est malus sed bonus, neque ideo ab Ecclesia tam gravi pœna puniendus.

Item non incurrit excommunicationem qui in somno vel plena ebrietate suam hæresim exprimeret : nec obstat quod qui in ebrietate occidit hominem, possit puniri et excommunicari; disparitas est quod hæresis consistat et compleatur in intellectu, et quod verba non sint hæresis, sed illam tantum significent, non possunt autem illam ut præsentem significare, nisi ab ea procedant et imperentur, quod non contingit in dormiente vel ebrio verba hærecetica proferente : at homicidium licet supponat voluntarium in se, vel in causa, consistit tamen et completur in actu exteriori : unde hoc ipso quo actus exterior est voluntarius in causa ut in eo qui solet rixari in ebrietate, habet rationem veri homicidii, sicque potest puniri et excommunicari.

Item non incurrit excommunicationem qui manifestat se professum fuisse calvinismum, vel habere propositum profitendi, quia non manifestat hæresim quam habet, sed quam habuit aut habebit : neque qui exprimit hæresim ut aliorum, non ut suam, etiamsi ipse interius eam teneat : neque qui disputando, suam internam hæresim asserit, si ex disputatione appareat, quod non ex animo asserat, sed disputative tantum.

Dixi 3°: « etiamsi nullo audiente aut vidente » ; sufficit enim esse tale signum, ex quo, si quis adesset, statim intelligeret negari fidem ut explicui supra : talis enim hæresis pertinet ad forum exterius Ecclesiæ, sicque subjacet excommunicationi, quæ est fori exterioris ; quod autem probari non possit, non est quod secundum se non sit fori exterioris, sed per accidens defectu testium.

Quantum ad alias pœnas spirituales hæreticorum , quidam censent hæreticos manifestos, non hoc ipso privari suis beneficiis, sed requiri sententiam judicis, quia cap. *ut commissi, de Hæret.* in 6, Pontifex dicit esse privandos, aut privatos declarandos ; alii volunt hoc ipso privari titulo beneficii, sed non possessione.

Quantum ad sepulturam ecclesiasticam, Sylvius hic censet hæreticum manifestum debere illa privari ante sententiam judicis : quia cap. *Quicumque, de Hæreticis,* decernitur indefinite hæreticos, credentes, receptatores, defensores et fautores esse privandos sepultura, et qui aliter facere præsumpserint, excommunicantur. Verum supposita veritate hujus sententiæ arbitror esse intelligendam de hæreticis et aliis assignatis ita manifestis, ut nulla tergiversatione et nullo juris suffragio possent excusari, quod rarum puto in praxi : alioquin præberetur materia litibus et contentionibus.

Quantum ad irregularitatem , quidam volunt incurri statim ac hæresis fit exterior, licet maneat occulta, ex eodem cap. *Quicumque :* alii volunt debere esse notam et manifestam, quia Bonifacius VIII. cap. *Statutum* 2. eod. tit.

de Hæreticis, videtur interpretari laudatum caput *Quicumque*, quoad irregularitatem de hæreticis manifestis et probatis.

Neque solum hæretici incurrunt irregularitatem, sed ipsis credentes, eorum receptatores et fautores, imo et ipsorum filii, usque ad secundam generationem, si pater moriatur in hæresi; usque ad primam, si mater moriatur in hæresi, utroque capite citato *Quicumque* et *Statutum*.

Gravior est difficultas de privatione jurisdictionis : unde sit

§ III.

Utrum omnes hæretici manifesti priventur jurisdictione, sic ut non possint valide absolvere?

Suppono 1° hæreticos occultos retinere jurisdictionem, alioquin foret continua anxietas conscientiarum. Aliunde posito errore communi, qui currit in hæresi occulta, Ecclesia confert jurisdictionem, ut diximus in tract. *de Pœnitentia*.

Suppono 2° tempore D. Thomæ, omnes hæreticos manifestos privari jurisdictione, ita absolute resolvit S. Doctor infra q. 39. a. 3. o. Quæstio est igitur de jure recentiori in concilio Constantiensi. Unde

Dico : Hæretici etiam manifesti, nisi sint nominatim denuntiati, aut nisi ipsi recedant ab Ecclesia, retinent jurisdictionem et valide absolvunt.

Prob. ex bulla *Ad evitanda scandala*, Martini V. in concilio Constantiensi, in qua prout refertur a S. Antonino 3. p. tit. 25. c. 2, sic statuitur : « Ad evitanda scandala et multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus, tenore præsentium, misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus, in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia aut censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, vel contra collegium, vel universitatem, Ecclesiam, vel locum certum, vel certam terram a judice publicata et denuntiata specialiter et expresse : constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. » Deinde excipit solum notorios percussores clericorum. Ex quibus sic arguitur : Ecclesia concedit fidelibus ut possint recipere sacramenta ab hæreticis non denuntiatis expresse et nominatim : ergo eis relinquit jurisdictionem ad validam sacramentorum administrationem, alioquin nulla foret concessio facta fidelibus.

Confir. ex hodierna totius Ecclesiæ praxi : nemo enim putat hodie vitandos esse lutheranos et calvinistas notorie hæreticos et excommunicatos. Nemo vitat suum pastorem etiam quoad receptionem sacramentorum, quamdiu relinquitur in suo beneficio, quamvis sit omnium aut saltem plurium judicio manifestus jansenista et Ecclesiæ definitionibus rebellis : et sic de cæteris.

Dixi in conclusione: « vel nisi ipsi ab Ecclesia recedant » : tum quia hoc ipso quo recedunt ab Ecclesia, renuntiant ejus jurisdictioni, quam ideo Ecclesia non censetur illis continuare : tum quia concilium loquitur de hæreticis inter catholicos versantibus, quatenus si vitandi essent manifesti ante denuntiationem, generarentur pericula animarum et anxietates conscientiarum, dum non constaret esse manifestos, aliis affirmantibus, aliis negantibus, ut de facto contingit in casu jansenismi, et difficillimum sit laicis discernere certo an aliquis sit manifeste hæreticus vel non, cum materia hæreseos, ut plurimum superet eorum captum. Quibus de causis concilium merito statuit solos denuntiatos esse vitandos : hæ vero causæ cessant, dum ipsimet hæretici ab Ecclesia recedunt.

Neque ex dictis sequitur nullum pariter esse censendum peccatorem publicum, nisi denuntiatum, sicque nulli peccatori nisi denuntiato denegandam esse Eucharistiam : disparitas est enim 1° quod lex et praxis Ecclesiæ requirant denuntiationem pro hæretico ut privetur jurisdictione, non ipsius favorem, sed quia id exigit utilitas et tranquillitas fidelium : non requirit autem denuntiationem Ecclesia ut quis censeatur peccator publicus et a communione repellendus, quia id non exigit utilitas et tranquillitas fidelium. 2°. Non pertinet ad fideles judicare de jurisdictione ministrorum, et id sæpe ipsis foret impossibile, sed pertinet ad superiores qui illam concedunt; pertinet autem ad ministros judicare de suscipientibus sacramenta.

Obj. 1° : Hæc bulla non reperitur in actis concilii Constantiensis : ergo.

Resp. referri a S. Antonino concilio coætaneo, et ab omnibus passim auctoribus.

Inst. 1°: Hæc bulla refertur partim a concilio Basileensi sess. 20. et Lateran. sess. 11. cum majori exceptione; declaratur enim esse vitandos omnes notorie excommunicatos, quacumque de causa sint excommunicati : ergo.

Resp. hanc additionem ab his conciliis factam non esse usu receptam : unde Dominicus Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 4, postquam retulit hæc concilia dicit : « More et usu Ecclesiæ receptissimum est, ut non vitemus nisi illas duas excommunicatorum species (scilicet nominatim denuntiatos, et notorios percussores clericorum) quas prædictum concilium (Constantiense) jussit... Et ita absque ullo metu tenendum est. » Et patet ex confirmatione conclusionis.

Inst. 2°: Bulla non loquitur de hæreticis, sed de excommunicatis tantum : ergo.

Resp. dist. ant. Bulla non loquitur explicite de hæreticis, conc. ; implicite, nego. Loquitur enim bulla de omnibus excommunicatis absque ulla exceptione, hæretici autem sunt excommunicati : ergo loquitur saltem implicite de hæreticis.

Inst. 3°: Quamvis in dicta bulla dicatur, quod non sint vitandi manifeste excommunicati in administratione sacramentorum, non tamen licet ministrare illis sacramenta etiamsi non sint denuntiati : ergo nec ab illis recipere.

Resp. dist. ant. Non licet ministrare illis sacramenta attento jure divino et naturali, conc.; attento jure ecclesiastico, nego. Conferre sacramenta excommunicato manifesto prohibetur jure naturali et divino, quia est manifesta profanatio sacramenti nulli utilis ; prohibetur etiam jure ecclesiastico sub censura : bulla itaque tollit prohibitionem Ecclesiæ, ita ut censuram non incurreret qui sacramenta ministraret hæretico manifesto non denuntiato : at non tollit, nec tollere potest obligationem juris divini et naturalis. Receptio vero sacramentorum ab excommunicato potest esse utilis et necessaria, et prohibetur tantum ab Ecclesia, quæ prohibitio tollitur per dictam bullam et Ecclesiæ praxim. Nec refert quod peccent ministrando sacramenta, sicut omnes alii mali ministri; penes enim illos est, ut convertantur et non peccent, subestque legitima causa negligendi eorum peccatum.

Inst. 4°: Bulla loquitur de suspensis sicut de excommunicatis : loquitur enim de omnibus censuris : atqui manifeste suspensus, licet non denuntiatus, non retinet jurisdictionem : ergo nec manifeste excommunicatus.

Resp. 1° quosdam negare min. tum propter paritatem factam, tum quia æque est necessarium ad tranquillitatem conscientiarum, quod suspensus manifestus non denuntiatus retineat jurisdictionem, quam excommunicatus manifestus non denuntiatus; quia, sicut, seclusa declaratione Ecclesiæ, vix constare potest, an aliquis sit manifeste excommunicatus, aliis sæpe affirmantibus, aliis negantibus, et inde natum est sequi anxietatem conscientiarum, et turbationem fidelium, si non retineat jurisdictionem : ita similiter de manifeste suspenso, si non declaretur ab Ecclesia. 2° Juxta alios disparitas est quod excommunicatio non privet jurisdictione, nisi in quantum privat communicatione fidelium : hoc ipso ergo quo conceditur communicatio, relinquitur jurisdictio ; at suspensio immediate tollit jurisdictionem ; unde confiteri manifeste suspenso, est confiteri manifeste non confessario. Prima solutio magis arridet, et videtur conformior intentioni bullæ, intelligendo nimirum de suspenso per legem generalem; nam si personaliter suspendatur per sententiam particularem, non est casus bullæ, et est nominatim denuntiatus, certoque privatur jurisdictione; si tamen sententia maneret secreta, propter errorem communem haberet in exercitio jurisdictionem.

Obj. 2°: Hæreticus etiam ante excommunicationem non est amplius in Ecclesia nec ejus membrum : ergo privatur jurisdictione Ecclesiæ.

Resp. neg. conseq. Alioquin sequeretur quod hæreticus occultus, qui non est amplius membrum Ecclesiæ, etiam amitteret jurisdictionem : cum itaque hæreticus non denuntiatus, seu ab Ecclesia non recedens, sit adhuc intra ipsam, non simpliciter, sed secundum quid, et quoad exteriorem professionem, Ecclesia propter utilitatem fidelium ei continuat suam jurisdictionem. Vide plura huic argumento affinia dissert. 5. *de Sacrament. in genere* a. 3. inter objectiones a ratione obj. 1.

Inst.: Hoc ipso quo Papa fieret hæreticus manifestus, amitteret jurisdictionem : ergo similiter alii hæretici.

Resp. dato ant. neg. conseq. Disparitas est quod alii accipiant ab Ecclesia suam jurisdictionem quam ipsis continuat, donec denuntientur : at summus Pontifex suam non habet ab Ecclesia, sed a Christo ; nullibi autem est declaratum, quod Christus illam continuet Pontifici manifeste hæretico, cum id possit innotescere Ecclesiæ, et Ecclesia de alio pastore possit sibi providere. Communior tamen sententia tenet, quod Pontifici etiam manifeste

hæretico Christus ex speciali dispensatione propter bonum commune et tranquillitatem Ecclesiæ continuet jurisdictionem, donec ab Ecclesia declaretur manifeste hæreticus.

Cæterum observandum est, quod cum hæretici et alii excommunicati peccent sacramenta ministrando (in nullo enim per laudatam bullam relevantur, quippe quæ tota est in favorem fidelium, ut eorum periculis et anxietatibus obvietur) non liceat eos adire pro sacramentorum receptione, nisi ex legitima causa : tum quia periculum est ne sua jurisdictione abutantur in perversionem fidelium : tum quia ex præcepto charitatis et religionis tenemur, quando commode possumus, impedire peccatum proximi et irreverentiam sacramenti. Quæ sint legitimæ causæ vide dissert. 5. *de Sacrament. in genere* a. 6. concl. 2.

§ IV.

Quis possit absolvere ab hæresi.

Quidam existimant episcopum posse absolvere ab hæresi occulta ex Trid. sess. 24. cap. 6. de Reformat., ubi dicitur: « Liceat episcopis.... in quibuscumque casibus occultis, etiam apostolicæ Sedi reservatis delinquentes, quoscumque sibi subditos in diœcesi sua, per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere imposita pœnitentia salutari. Idem in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, et non eorum vicariis sit permissum. »

Verum communior et tutior sententia tenet huic facultati a Tridentino concessæ esse derogatum per bullam Cœnæ prout edita est post Tridentinum a Sixto V, Gregorio XIII, Clemente VIII, et Paulo V, non solum quoad hæresim, sed etiam quoad alios casus in hac bulla contentos : sic enim legitur : « A prædictis sententiis nullus per alium quam per romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus.... absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis, sæcularibus.... per nos et dictam Sedem, ac *cujusvis concilii decreta,* verbo, litteris, aut alia quacumque s. scriptura in genere et in specie concessorum. » Ante Tridentinum non legebatur : « Prætextu indultorum per *cujusvis concilii decreta* concessorum, sed prætextu cujuscumque privilegii, vel concessione Apostolica », ut constat ex S. Antonino 3. p. Tit. 24. cap. 72, et Summa Angelica verbo excommunicatio 6. casu. 31. Ex quo patet posteriores Pontifices addendo *cujusvis concilii decreta*, respexisse ad indultum concilii Tridentini : quapropter videtur dicendum quod extra periculum mortis, solus Pontifex, aut is cui commiserit, possit absolvere ab hæresi occulta, et ab illis casibus etiam occultis bullæ *Cœnæ* in locis in quibus hæc bulla viget.

Si dicas in pluribus diœcesibus inter casus episcopis reservatos reponi hæresim, resp. ita esse : tum quia olim erat ipsis concessum ab ea absolvere : tum quia solent episcopi a Summis Pontificibus obtinere facultatem absolvendi per se, vel per alios ab hæresi etiam manifesta ; ut patet ex bulla Gregorii XIII, ad episcopos Belgii anno 1576, et praxi episcoporum.

Petes utrum saltem virtute jubilæi possint confessarii absolvere ab hæresi occulta?

Resp. juxta plurium sententiam posse quando in bulla jubilæi comprehenduntur etiam casus bullæ *Cœnæ*. Attamen quia plures testantur hunc esse stylum Curiæ Romanæ, ut hæresis non comprehendatur sub generali clausula casuum bullæ *Cœnæ*, tutum non arbitror absolvere ab hæresi occulta virtute jubilæi, nisi in bulla fiat expressa mentio de illa, aut saltem evidenter indicetur; ut si bulla diceret, sicut quædam dixerunt, concessionem absolvendi « non suffragari hæreticis aut schismaticis specialiter declaratis aut condemnatis », id enim aperte innuit suffragari occultis. Et ita se resolvisse dicit Sylvius in jubilæo Innocentii X, anno 1644.

§ V.

De libris hæreticorum, et aliis prohibitis.

Suppono tanquam certum, Ecclesiam habere jus prohibendi et condemnandi libros hæreticorum, et alios perversam doctrinam continentes ; habet quippe jus invigilandi deposito fidei et impediendi ne fideles, quorum salus ipsi commissa est, pervertantur : at hæc autem necessarium est removeri libros hæreticorum, et alios fidei et morum corruptivos; et hæc fuit constans ejus praxis a primis sæculis. Sic concilium Nicænum jussit comburi libros Arii, teste Socrate l. 1. c. 6. et Nicephoro l. 8. c. 18 ; Valentiniani et Marciani edicto, quod legitur actione 3. concilii Chalcedonensis , Nestorii libri pariter addicuntur igni. Item cap. *Fraternitatis* de Hæreticis, prohibentur libri Pelagii. In synodo Constantiensi li-

bri Joannis Hus et Wicleffi etiam traditi sunt igni. Ante hæc omnia, tempore Apostolorum, *multi ex eis qui fuerunt curiosa sectati contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium;* Act. 19.

Permittuntur tamen libri paganorum, et quorumdam antiquorum hæreticorum, ut Tertulliani ; quia cum errores quos continent, sint noti et antiquati, nulli scandalo esse possunt, et aliunde prosunt, sive propter elegantiam styli, sive propter antiquitatis notitiam.

Dico: Excommunicantur excommunicatione Papæ reservata « hæreticorum libros, hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore ». Ita in terminis bulla *Cœnæ*, necnon plures Pontificum constitutiones, Pii IV constitut. 77, Sixti V constitut. 74, Clementis VIII constitut, 36, apud Cherubinum.

Suppono quod ista lex sit pœnalis et in materia odiosa, adeoque non extendenda, sed potius restringenda, et secundum rigorem terminorum intelligenda. Nec refert quod sit favorabilis fidei, sufficit quod sit odiosa respectu libertatis humanæ; alioquin nulla foret lex odiosa, cum nulla sit quæ non faveat bono communi. Explicatur itaque ista lex.

Dicitur 1° « libri », id est opus ea quantitate compositum, ut prudentum judicio censeatur liber : quidam requirunt decem folia, sive illud opus sit typis impressum, sive manuscriptum, modo sit per modum operis completi et libri typis mandata. Manuscripta enim etiam vocantur libri; sic erant ante inventionem artis typographicæ, et sunt plures bibliothecæ, quæ constant, ut plurimum, libris manuscriptis, sive etiam sit totum simul compactum, sive sit folium aut pars a libro separata; quia cum totum nihil aliud sit quam ejus partes, toto prohibito, prohibentur ejus partes : secus si esset folium errans, quod non esset pars alicujus libri, ut epistola, professio fidei, concio ; hæc enim non veniunt nomine libri. Posset tamen incurrere excommunicationem non reservatam latam regula decima indicis Romani contra legentes non solum libros, sed « etiam scripta hæreticorum, vel cujusvis auctoris ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata et prohibita », ut dicam infra.

Dicitur 2° « libri hæreticorum » formaliter qua hæreticorum, unde non incurreret excommunicationem bullæ *Cœnæ* legens librum illius, qui ante vel post compositionem libri fuit hæreticus, incurreret tamen excommunicationem non reservatam indicis, si liber fuit prohibitus propter hæresim, aut suspicionem falsi dogmatis : patet ex textu supra citato. Idem dicendum de libro auctoris catholici, cui hæreticus scholia et notas annexuit : remanet quidem liber catholici, sed sunt scripta hæretici. Nullam autem censuram incurrit qui legit libros non baptizatorum, quia non sunt hæretici.

Dicitur 3° « hæresim continentes », ad quod non videtur sufficere quod tractando ex professo de aliqua materia, puta de navigatione, de agricultura, de historia, inserat aliquam propositionem hæreticam transeunter, nihil adferendo pro aut contra, alioquin vix ullus liber hæreticorum posset legi, sed videtur requiri quod licet incidenter, theologice tamen asserat hæresim, eam aliquo saltem modo probando, aut argumenta solvendo.

Dicitur 4° « vel de religione tractantes » : quamvis igitur non contineat hæresim, sufficit quod de Religione tractet, puta explicando S. Scripturam, dogmata fidei, casus conscientiæ, etc. Dicitur autem de Religione tractare, non qui incidenter et occasione data, aliquam propositionem, aut levem digressionem inserit, etiamsi probando et defendendo, modo non contineat hæresim, sed qui ex professo et instituto, de fidei et Religionis doctrina agit et disserit, quamvis sine hæresi.

Has duas ultimas observationes intellige de hæreticis et non de hæresiarchis, quorum libri secunda regula indicis, cujuscumque sint argumenti, prohibentur in eorum detestationem et odium.

Dicitur 5° « legentes » ; etiamsi tantum oculis et non voce; quia hoc est legere, licet non sit recitare. « Legentes », inquam, et non solum audientes, etiam, saltem probabilius, si unus puta famulus ex heri mandato ipsi legeret; quia adhuc in rigore non legit, verba autem hujus legis pœnalis in omni rigore sunt accipienda : posset tamen peccare contra jus naturæ propter periculum perversionis et etiam incurrere excommunicationem, si non ut legens, saltem ut defendens. Item « legentes » intelligibiliter et idiomate sibi noto : unde probabilius arbitramur legentem idiomate sibi ignoto non incurrere excommunicationem, non quia in hoc casu cessat finis legis, qui est

periculum subversionis, ut quidam autumant, fatemur enim non cessare legem cessante ejus fine in aliquo particulari casu, sed quia existimamus hunc casum nunquam a legislatore fuisse comprehensum sub lege : præsumitur enim quod legislator nunquam intenderit hunc casum, ex quo nullum posset esse periculum perversionis. Nec obstat quod prohibeatur simplex retentio sine lectione : disparitas est quod retentio possit esse occasio lectionis scandalosæ, non lectio idiomate ignoto. Item « legentes » in materia sufficienti ad peccatum mortale; gravitas autem vel levitas materiæ in hoc peccato sicut in aliis desumenda est ex fine legis; qui hic est periculum subversionis: unde qui incidens in hæresim legit paucas lineas, peccat mortaliter, et incurrit excommunicationem , secus si advertens materiam esse indifferentem, puta historicam, legit paginam, quia in primo casu, non in secundo, se exponit periculo subversionis et contra totum finem legis agit. Confer quæ dixi dissert. 8. de Peccatis a. 3. §. 3. sub finem.

Dicitur 6° « legentes scienter » : unde qui legeret librum hæreticorum, ignorans etiam ignorantia crassa et supina, vel hunc librum esse hæreticorum vel esse prohibitum legere libros hæreticorum, vel esse prohibitum sub excommunicatione, illam non incurreret ; quidam addunt, etiamsi ignorantia sit affectata, propter istam particulam , « scienter. » Pro quo vide quæ dixi dissert. 5. de Peccatis a. 7.

Dicitur 7° « aut retinentes », sive ad legendum, sive ad ornatum, sive ob antiquitatem, sive ad involvendum merces, aut ad alium quemlibet usum; quia illorum librorum retentio est continua occasio præsentibus et futuris eos legendi cum periculo lapsus; intellige tamen retinentes sufficienti tempore ad peccatum mortale; quod desumi debet, ut dictum est, de lectione, ex fine legis, qui est idem, scilicet periculum subversionis vitandum; nam ex retentione sequitur periculum legendi, et ex lectione periculum subversionis. Confer dissert. 8. de Peccatis prius citatam.

Dicitur 8° « imprimentes», quales censentur omnes proxime concurrentes ad impressionem, ut disponentes typos, tingentes atramento, madefacientes chartas, prementes torcularia, corrector foliorum, director impressisionis, non vero conficientes et vendentes typos, chartas, atramentum; quia remote tantum concurrunt.

Dicitur 9° « defendentes », ut qui librum laudant, commendant, verbo vel scripto defendunt, occultant, aut alio modo impediunt, ne deferatur aut comburatur.

Dico 2° : Qui legit non solum hæreticorum libros, sed cujusvis auctoris scripta titulo hæresis probibita, incurrit excommunicationem non reservatam. Qui vero libros alios titulo prohibitos legit, peccat, sed non incurrit excommunicationem.

Ita regula decima indicis concilii Tridentini his verbis : « Si quis libros hæreticorum vel cujuscumque auctoris scripta ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniatur. »

Ulterius prohibetur lectio Bibliorum et controversiarum inter catholicos et hæreticos, vulgari idiomate sine licentia episcopi aut inquisitoris, regula quarta et sexta indicis præfati : item librorum qui res lascivas seu obscœnas ex professo tractant, narrant, aut docent, regula septima : et plurium aliorum in eodem indice. Verum observant auctores hunc indicem, non esse quoad omnia in toto rigore receptum.

Petes utrum qui legit in libris catholicorum quædam dicta exscripta ex libris hæreticorum, vel aliorum auctorum damnatorum, peccet, et incurrat excommunicationem ?

Resp. negative; quia imprimis non sunt libri hæreticorum, et quamvis possint dici eorum scripta, seu pars libri prohibiti, usu tamen recepto reputantur propria auctorum catholicorum in quorum libris sunt inserta, tanquam earum partes, et sic apprehendit sensus communis : unde praxis omnium auctorum catholicorum est, ut, occasione data, fragmenta hæreticorum vel aliorum auctorum damnatorum exscribant in suis operibus, sive ut eorum mens ac doctrina dignoscatur, sive ut eorum errores refutentur, sive etiam ut veritati asserendæ deserviant, quando nempe depromuntur ex libris prohibitis, sed auctorum aliunde catholicorum, qui licet in quibusdam lapsi sæpe tamen in pluribus egregie pro veritate scripserunt et decertarunt.

ARTICULUS IV.

DE APOSTASIA.

Apostasia græce idem est ac latine discessio seu desertio : [1] si generaliter sumatur, omne

[1] Hic q. 12. a. 1. o.

peccatum potest dici apostasia, quia est discessio a Deo et ejus mandatis. Specialiter autem sumpta est discessio a bono quod quis solemniter professus est; et est triplex, apostasia a fide, a Religione, et ab ordine.

Dico 1° : [1] Apostasia a fide est desertio totius fidei; et per hoc distinguitur ab hæresi, quæ est desertio fidei quoad partem tantum : hæc autem distinctio non est essentialis, eadem enim est definitio hæresis et apostasiæ, nimirum error pertinax in intellectu, in eo qui fidem in veritate manifesta suscepit. Quod vero apostata deserat totam fidem et hæreticus partem tantum, facit distinctionem accidentalem secundum magis et minus. Attamen secundum communiorem sententiam de circumstantiis notabiliter aggranvantibus confitendis, aperiendum est in confessione an fuerit apostasia vel hæresis : an apostata ad paganismum, vel judaismum, vel athæismum recesserit. Apostatarum a fide pœnæ eædem sunt ac pœnæ hæreticorum.

Dico 2° : Qui Religionem approbatam quam tacite vel expresse professus est, sine legitima superiorum licentia deserit cum animo non redeundi, etiamsi non dimisso habitu, est apostata : quia sicut habitus non facit monachum, sed professio vitæ religiosæ, sic dimissio habitus non facit apostatam, sed recessus a vita religiosa. Quod si dimittat habitum, ipso facto excommunicatur cap. *Ut periculosa*, tit. ne Clerici et Monachi, in 6. l. 3. Si vero non dimittat habitum, jure communi non excommunicatur, sed unusquisque consulere debet leges sui ordinis : in nostro prædicatorum ordine, excommunicatur ipso facto dist. 1. cap. 20. litt. A. Item si temere dimittat habitum animo scilicet vagandi, etsi cum voluntate redeundi, non est quidem apostata, attamen ipso facto excommunicatur cap. citato, *ut periculosa*.

Si vero non temere et causa vagandi, sed ex legitima causa dimittat habitum sive intra claustrum, puta causa somni, quietis, infirmitatis, etc. sive extra claustrum, puta metu mortis incedendo per terras infidelium, vel causa vitandi scandali incendendo noctu, aliave causa rationabili, non peccat, nec incurrit excommunicationem; quia laudatus canon est tantum contra dimissionem habitus temerariam quæ sit materia apta evagationi : « Ut periculosa, inquit, religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacite vel expresse professus in scholis vel alibi temere habitum suæ religionis dimittat... Si quis autem horum temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. » Dimissio autem habitus ex causa rationabili non est temeraria. Imo etsi temere et sine causa legitima dimitteret intra claustrum ibi remanendo, non incurreret excommunicationem, quia non foret materia apta divagationi.

Multi tenent quod religiosus qui temere et sine causa occultat habitum extra claustrum, ut nihil appareat, sit excommunicatus; quia talis occultatio est quædam moralis dimissio et apta materia vagandi. Posset forte reponi quod non sit stricte dimissio et quod ista lex pœnalis sit stricte intelligenda. Sed nolim contradicere sententiæ communi.

Dico 3° : Qui ab Ordine sacro sine legitima dispensatione retrocedit ad statum sæcularem, est apostata et peccat mortaliter; quia deserit statum cui per Ecclesiam erat solemniter mancipatus, et quem deserere vetant plures canones, pœnis impositis contra transgressores.

Qui vero recedit a minoribus, non est apostata, nec per se loquendo peccat, quia nullo jure huic statui adstringitur, sed se habet sicut novitius in religione, quam libere potest deserere.

ARTICULUS V.

DE BLASPHEMIA.

Blasphemia est vox græca significans idem ac latinæ maledictio : [1] sumitur a theologis pro maledictione derogante excellenti bonitati præcipue divinæ : unde

Dico 1° : [2] Blasphemia definiri potest : « Cordis vel oris locutio qua per modum convitii dicitur aliquid derogans excellentiæ divinæ bonitatis. » Seu brevius : « Contumeliosa contra Deum locutio. »

Explicatur : Dicitur 1° « cordis vel oris » ; quia utroque loquimur, et dæmones, qui nonnisi mente loquuntur, blasphemant.

Dicitur 2° « per modum convitii » : per quod distinguitur ab infidelitate simplici, quæ consistit in assensu contra fidem : ad blasphemiam autem non requiritur assensus contra fidem, sed sufficit quod de Deo dicatur aliquid per modum convitii.

Neque ad id requiritur, quod bene nota, explicita et expressa intentio Deum convitiandi

1 Ibid.

1 Ibid q. 13. a. l. o. — 2 Ibid.

et inhonorandi, sed sufficit virtualis et implicita, quatenus per verba, aut per modum ea pronuntiandi, juxta communem apprehensionem, Deus dehonoratur et contemnitur : unde non assentior iis qui dicunt non esse blasphemiam, sed tantum vanum usum divini nominis, quando quis indignando, non Deo, sed homini, profert caput, mortem, sanguinem Dei et similia: ista enim verba eo modo pronunciata, sunt Deo contumeliosa, licet alterius occasione prolata ; consequenter ibi est virtualis et implicita intentio dehonorandi Deum. Et alioquin raræ admodum forent blasphemiæ, cum tamen reputentur frequentissimæ. Unde S. Th. hic a. ad 3. dicit quod qui subito ex aliqua passione in verba blasphema prorumpit advertens ad eorum significationem, blasphemiam mortalem committat: qui autem hæc et similia profert non modo contumelioso, sed vel recitative, vel historice, non est blasphemus; unde specialiter attendendum est ad modum pronuntiandi.

Dicitur « derogans excellentiæ divinæ bonitatis » : et hoc fit non solum, quando directe contra Deum aliquid contumeliose dicitur, sed etiam contra sanctos et res sacras, non quidem secundum se, sic enim non esset proprie blasphemia, sed vitium irreligiositatis, duliæ oppositum, sed cum aliqua habitudine saltem virtuali ad Deum : sicut enim, inquit Auctor, [1] Deus in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in sanctis facit, ita et blasphemia, quæ fit in sanctos ex consequenti in Deum redundat. Qui ergo diceret S. Petrum esse impium et damnatum, B. Virginem esse meretricem, esset blasphemus: qui vero loqueretur de illis, non prout sancti sunt, sed prout fuerunt homines in terra, v. g. si nominaret S. Petrum calvum, S. Crispinum sutorem, non esset proprie blasphemus, cum hic nullus sit respectus ad Deum; sed si ista proferret ex odio et indignatione, peccaret mortaliter contra duliam et observantiam debitam sanctis; si autem ex joco vel levitate, esset peccatum veniale.

Itaque blasphematur 1° [2] denegando Deo quod ipsi convenit, vel asserendo de eo quod ipsi non convenit : et hoc sive fiat enuntiative, sive optative, sive imperative, sive sermone imperfecto, ut dicendo : Deus est injustus, Deus non curat res humanas, utinam non puniat peccata, non sit omnipotens aut omniscius, pudeat ipsum ista facere, dispereat, sit maledictus! vah! Dei potentiam, vah! qui destruis templum Dei, etc.; 2° tribuendo quod ei convenit, sed irrisorie et quasi quid vituperabile, ut nominando contemptibiliter membra Christi, aut sanctorum ; 3° tribuendo creaturæ quod est proprium Deo, ut omnipotentiam ; quia quidquid est proprium Deo, Deus est : tribuere ergo creaturæ quod est proprium Deo, est Deum dicere creaturam; 4° nominando contemptibiliter sanctos et res sacras ; 5° factis æquivalentibus verbis contumeliosis, ut spuere in crucifixum, in imagines sanctorum, projicere sanguinem in cœlum ut fecit Julianus Apostata.

Dico 2° : [1] Blasphemia dividitur 1° in hæreticalem et non hæreticalem : hæreticalis est quæ asserit aliquid contrarium fidei, aut negat aliquid ad fidem pertinens : non hæreticalis est quæ licet nihil contra fidem aperte contineat, ea tamen quæ sunt fidei contemptibiliter et contumeliose, quasi essent vituperabilia, profert.

Dividitur 2° blasphemia in eam quæ est secundum opinionem seu errorem intellectus tantum, non adjuncta detestatione seu odio voluntatis, ut dum calvinista dicit Deum esse causam peccati : in eam quæ est ex sola detestatione voluntatis, seu odio in Deum absque errore saltem explicite intellectus, ut qui profert contumeliose caput aut sanguinem Christi: et in eam quæ simul est secundum falsam opinionem intellectus et malitiam voluntatis, seu Dei odium, et hæc est perfecta et completa blasphemia : prima et tertia, ut patet, sunt hæreticales non secunda.

Quantum ad praxim observant communius auctores, quod quamvis tantum inter blasphemias hæreticales et non hæreticales, sit differentia essentialis, accusandi tamen sunt in confessione diversi modi blasphemiæ, an fuerint directe contra Deum, an contra sanctos tantum : inter sanctos, an contra B. Virginem : item an fuerint ex intentione expressa inhonorandi Deum, an ex implicita tantum : an tributum sit Deo quod non habet, negatum quod habet, aut exprobratum quod habet, etc. idque propter graviorem malitiam in uno modo quam in alio.

Dico 3° : [2] Blasphemia est ex genere suo gravissisum peccatum mortale, nec fieri potest veniale ex parvitate materiæ, sed solum ex indeliberatione involuntaria actus.

Patet prima [3] pars ex gravissimis pœnis quibus punitur : in veteri lege Leviti. 24, blasphemus lapidabatur : in jure canonico plures pœnæ statuuntur contra blasphemos, quas si

[1] Ibid ad 2. — [2] Ibidem ad 3.

[1] Ibid. o.—[2] Ibid. a. 2. o. et ad. 3.— [3] Ibid. in arg.s.c

refugiant, sepultura ecclesiastica sunt privandi cap. *Statutum* tit. de Maledicis et alibi. [3] 2° Quia graviter repugnat charitati, cum sit contra excellentiam divinæ bonitatis : item opponitur fidei et religioni, ut mox dicam.

Patet etiam secunda pars ; quia quatumvis quid secundum se leve dicatur, ut Deus dehonoretur et vilipendatur, est semper gravissimum malum.

Patet pariter tertia pars ; [1] quia in omni genere peccati indeliberatio involuntaria excusat a toto, vel tanto peccato ; quia ex ea fit quod actus non sit perfecte humanus : unde si quis subito ex aliqua passione prorumpat in verba blasphemiæ, priusquam attendat ad eorum significationem, peccat tantum venialiter, et non est proprie blasphemia.

Dixi : « indeliberatio involuntaria » ; quia si sit ex consuetudine quam blasphemus non curat pro viribus eradicare, non excusat a mortali, quia est voluntaria in causa, scilicet in ista consuetudine voluntaria. Ad hoc advertant confessarii.

Petes cui virtuti opponatur blasphemia ?

Resp 1° : [2] Certum est blasphemiam exteriorem hæreticalem opponi confessioni fidei : quia sicut confessione fidei asseritur aliquid conveniens divinæ excellentiæ, ita blasphemia exteriori asseritur aliquid illi repugnans : et de sola hac blasphemia hæreticali, Auctorem loqui hic a. 1. plures censent ; quia in aliis blasphemiis nihil falsi continetur. Alii tamen volunt etiam in aliis blasphemiis falsum contineri, sicque opponi etiam confessioni fidei : quia quamvis in eis vera de Deo proferat blasphemus, illa tamen reputat, vel vituperabilia quæ non sunt, vel possibilia quæ fieri non possunt, vel decentia quæ non decent ; et sic in iis est falsum, scilicet ex intentione blasphemantis.

Resp. 2° : Omnis blasphemia opponitur Religioni ; quia Religio habet pro objecto formali cultum et honorem Deo reddendum ; blasphemia vero Dei inhonorationem. Nec obstat si opponatur confessioni fidei, ut dictum est : potest enim idem vitium opponi diversis virtutibus sub diversa ratione : sic itaque blasphemia opponitur confessioni fidei, quatenus continent implicite vel explicite falsum de Deo ; opponitur Religioni, quatenus est Dei inhonoratio.

Advertant confessarii dum audiunt blasphemiam hæreticalem, interrogare pœnitentem, an interius senserit, sicut expressit : si sic enim, cum sit hæresis interna et externa, a nullo absolvi potest nisi a summo Pontifice, vel ejus delegato.

[1] Ibid. o. lb. ad. 5. — [2] lb. a. 1. c.

TRACTATUS DE REGULIS FIDEI

Numeratur quinque regulæ fidei : duæ inanimatæ, scilicet S. Scriptura et traditio : tres animatæ, scilicet Ecclesia, summus Pontifex et concilium generale.

DISSERTATIO I.

De Scriptura sacra.

ARTICULUS I.

QUID SIT, ET AN SIT SCRIPTURA SACRA?

Scriptura sacra variis nominibus insignitur : imprimis dicitur Scriptura « sacra », seu Litteræ « sacræ », tum ratione auctoris qui est Deus, tum ratione materiæ, quæ sunt mysteria fidei. 2° Dicitur « Testamentum » ; quia Deus in ea nobis declarat suam voluntatem et filiis hæreditatem relinquit, scilicet beatitudinem æternam. 3° Dicitur « Biblia », id est libri antonomastice.

Dico 1° : Scriptura sacra est verbum Dei scriptum.

Intellige τo « Dei » non per modum puri genitivi, ut cum dicitur : Liber Petri, sed per modum genitivi causantis, ut cum dicitur : Lex Cæsaris, testamentum Petri ; ita ut sensus sit, quod Scriptura sit verbum Dei ab ipso scriptum non immediate per se, sed ipso dictante per scriptorem sacrum, tanquam per calamum vivum : unde David Psal : 44. se vocat *Calamum scribæ velociter scribentis.*

Itaque τo « verbum Dei » in hac definitione, est genus in quo convenit Scriptura Sacra cum *traditionibus :* per hanc autem particulam, « scriptum », ab illis differt : quamvis enim traditiones possint scripto mandari, vel a Patribus, vel a conciliis, vel a Pontificibus, non tamen sunt verbum Dei ab ipso scriptum. Similiter si Deus approbaret aliquem librum, licet foret infillibilis auctoritatis, non esset tamen verbum Dei scriptum, nec Scriptura Sacra.

Dico 2° : Existit Scriptura sacra et divina.

Prob. 1° auctoritate infallibili Ecclesiæ quæ in variis conciliis, et ultimo in Tridentino Scripturam quam habemus proponit nobis, ut sacram et divinam : ergo. Supponit argumentum infallibilitatem Ecclesiæ de qua infra.

2°. Illa Scriptura est vere divina ; 1° quæ plura futura longe ante prædixit, prout revera et adamussim fuerunt postea impleta. 2° Quæ mirabili et stupendo modo annuntiata est, et propagata in toto mundo per homines pauperes, rudes et idiotas, quamvis plura contineat supra rationem et contraria sensibus. 3° Quæ infinitis prope miraculis est confirmata. 4° Quæ innumerabilium martyrum sanguine fuso

est sigillata et defensata. 5° Quam tot populi, tot nationes, repugnante licet natura, contradicentibus principibus, magistratibus et philosophis acceptarunt. 6° Denique quæ est adeo pura ac sancta, ut nihil nisi malum prohibeat, nihil nisi bonum jubeat: atqui nujusmodi est Scriptura quam dicimus sacram et divinam. Pro quo vide quæ latius dixi de motivis credibilitatis fidei nostræ : ergo.

3°. Deus est necessario ab hominibus colendus, ut auctor naturæ et gratiæ : nescit autem homo qua ratione, quo ritu Deus velit coli, nisi Deus ipse manifestet: id ergo Deus manifestavit hominibus. At quomodo manifestavit? vel per spiritum privatum, vel per viros sanctos, Prophetas et Apostolos a se delegatos: non per spiritum privatum, quia non est certus sed varius, et sæpe sibi contrarius, unum uni suadens, alteri oppositum, ut patet in hæreticis qui eo ducuntur; ergo per viros sanctos a se delegatos, Prophetas et Apostolos, qui veritates a Deo sibi revelatas litteris mandaverunt, et nobis transmiserunt.

Dices: Apost. 2. Corinth. 3. dicit : *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu ; littera enim occidit, spiritus autem vivificat:* ergo non datur Scriptura, sed id solum pro verbo Dei habendum est quod cuique privatim inspirat.

Resp. neg. conseq. Per « litteram » enim Apostolus intelligit legem mosaicam, et per spiritum, gratiam novæ legis : sensus igitur illius est : Idoneos non fecit ministros novi Testamenti, non nudam legem vobis proponendo, sed etiam conferendo gratiam qua lex impleatur, quatenus ad prædicationem nostram Deus vobis gratiam infundit. Littera enim, id est lex, occidit occasionaliter, dum difficilia præcipiendo, gratiam illa adimplendi, ex se non confert ; spiritus autem, id est gratia, vivificat, quatenus confert vim adimplendi præcepta et sic perveniendi ad vitam.

ARTICULUS II

UTRUM SINGULA SCRIPTURÆ VERBA SINT A SPIRITU SANCTO DICTATA?

Suppono omnes Scripturæ sententias esse a Spiritu Sancto inspiratas et dictatas, juxta illud 2. Timoth. 3 : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* et alioquin omnis Scripturæ nutaret auctoritas, posset enim sententiis non revelatis subesse falsum, et cum incertum foret quæ essent inspiratæ, et quæ non, nulli certo fides adhiberi posset. Quæstio est igitur, an non solum sententiæ, sed phrases, stylus, singula verba sint a Deo inspirata et dictata?

Dico: Probabilius videtur ad rationem Scripturæ Sacræ requiri quod non solum sensus et sententiæ, sed etiam singula verba sint a Spiritu Sancto dictata. Est communior quam fecit suam Academia Lovaniensis in sua censura contra Lessium.

Prob. 1° ex Scriptura. Jerem. 36, Judæis quærentibus quomodo Baruch ex ore Jeremiæ hos sermones scripisset, respondit Baruch: *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos*; *et ego scribebam in volumine atramento,* ubi τo « legens» innuit etiam verba ipsi a Deo inspirari. Psal. 44, scriptor sacer se dicit *Calamum scribæ velociter scribentis,* id est Spiritus Sancti; calamus autem nulla verba scribit, nisi ad quæ movetur a scriba. Christus Matth. 5, attendit ad unum iota, et unum apicem tanquam ad quid divinum. Apostolus 2. Timoth. 3: *Omnis Scriptura,* inquit, *divinitus inspirata utilis est,* etc. Non dicit omnis doctrina, omnis sententia, sed omnis Scriptura.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Chrysosth. Hom. 22 *in Genes.* : « Nihil hic scriptum est, inquit, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt, neque vel syllabæ, vel apiculus est in Sacris Litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus. » S. Aug. Epist. 14, dicit : « Se nullius hominis libris tantum deferre, quantum divinis Litteris, non ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba phrasimque dictantis qui est Spiritus Sanctus. » S. Gregor. in Præfatione *Moralis Exposit.* in Job dicit : « Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. »

Prob. 3° ratione : Scriptura Sacra est scriptura Dei, seu verbum Dei a Deo scriptum, ut diximus articulo præcedenti : atqui si Deus dictet tantum sensus et sententias, non ipsa verba, scriptori quo tanquam calamo utitur ; non poterit dici Scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, eo scilicet modo quo scribit, sed erit Scriptura hominis, et verbum ab homine scriptum, ut patet : ergo.

Confir. 1°. Sensus et sententiæ definitionum quas edunt concilia generalia, sunt dictatæ et inspiratæ a Deo, juxta illud Apostolorum in primo concilio : *Visum est Spiritui Sancto* : atqui tamen non sunt Scriptura Sacra, quia nempe verba non dictantur a Spiritu Sancto, sed reliquuntur arbitrio hominum : ergo.

Confir. 2°. Epistola cujus rex dictasset sensus et sententias, sed ipse eam non scripsisset, posset quidem dici epistola et mandatum regis, hoc est nomine et jussu regis scriptum, sed non esset scriptura regis nec verbum a rege scriptum: ergo similiter licet Deus inspiret sensus et sententias alicujus libri, si tamen ipse non scribat, eo saltem modo quo scribit, dictando verba homini quo utitur tanquam calamo, iste liber poterit dici mandatum, aut etiam si vis epistola Dei, id est nomine Dei scripta, sed non erit scriptura Dei, nec verbum a Deo scriptum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°: Ad verum alicujus verbum ab altero prolatum vel scriptum, sufficit ut ad illum referatur omnis sensus, nihilque asseratur, nisi quod principalis ille dixit aut dictavit, etsi non iisdem verbis materialibus : ergo pariter ad essentiam Scripturæ, sufficit quod Deus omnem veritatem scribendam mandaverit, etsi singula verba non dictaverit. Prob. ant. Ipse Christus et Evangelistæ citando Scripturas, ut verbum Dei scriptum, sæpe sensum tantum referunt, et non ipsa verba. Ex pluribus hæc duo exempla accipe : Matthæus cap. 3. ℣ 17, loquens de baptismo Christi, dicit: *Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Lucas vero cap. 3. ℣. 22, dicit: *Et vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi:* et tamen una tantum vox, non utraque audita est. Item Christus Matth. 26, citans Zachariam Prophetam dicit: *Scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis:* cum tamen apud Prophetam cap. 13. ℣. 7, legatur: *Percute pastorem et dispergentur oves:* ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. ant. Christus et Evangelistæ citando Scripturas, ut verbum Dei, sæpe tantum sensum referunt et non verba, referendo de præterito, conc. Sic enim intelligitur referri tantum substantiam verborum. Asserendo, de præsenti, nego. Sic enim intelligitur ipsa verba referri. Solutio fundatur in sensu et intelligentia communi; si enim referendo factum vel dictum præteritum, dicam, iste dixit hæc, scripsit hæc; audientes intelligunt hæc dixisse, aut scripsisse, quoad substantiam et non quoad ipsa verba : unde si duo narrantes idem factum vel dictum præteritum, conveniant in sensu, licet non in verbis, dicuntur idem narrare. At si dicam de præsenti : Hæc sunt verba Petri : Hæc sunt verba tua; designo non tantum sensum, sed etiam ipsa verba, et sic audientes intelligunt : cum ergo et Christus et Evangelistæ referant de præterito, sufficit ut sensu conveniant : at dicimus de præsenti, Scriptura Sacra est Scriptura Dei, est verbum Dei et a Deo scriptum; quod non potest verificari, nisi etiam verba ipsa scripserit, seu dictaverit.

Obj. 2°: Eodem sensu dicitur Scriptura divina quo sensu dicuntur litteræ regiæ, bullæ pontificiæ, etc. Atqui litteræ dicuntur regiæ et bullæ pontificiæ, quamvis sint tantum quoad sensum et sententiam dictatæ secretario, relicta ejus arbitrio verborum forma, modo a rege vel Pontifice subsignentur et sigillo alterutrius muniantur : ergo.

Resp. neg. ant. Sed eo sensu dicitur Scriptura Sacra quo sensu dicitur scriptura regis, non est autem Scriptura regis, nisi ab eo sint verba. Confer confirmationem secundam tertiæ probationis conclusionis. Vel dist. ant. Eodem sensu dicitur Scriptura sacra quo dicuntur formaliter litteræ regiæ, conc. Quo dicuntur auctoritative litteræ regiæ, nego. Itaque litteræ quarum sensus rex indicavit, sed quas ipse non scripsit, dicuntur quidem regiæ auctoritative, quia ejus nomine et mandato sunt scriptæ; at non sunt, nec dicuntur formaliter litteræ regiæ, si ipse eas non scripserit : jam autem scriptura est et dicitur formaliter Scriptura sacra et verbum Dei scriptum.

Obj. 3°: Auctor 2. lib. Machab. in fine petit veniam, si quid minus digne scripserit; similiter auctor ecclesiastici in prologo, et in fine ejusdem prologi dicit se et laborem et diligentiam et multam vigiliam adhibuisse ad compositionem sui libri : hæc autem non dicerentur, si Spiritus Sanctus dictaret sacris scriptoribus omnia et singula verba.

Item Apost. 1. Cor. 1. dicit : *Præcipio non ego, sed Dominus :* et paulo post : *Cæteris dico ego, non Dominus :* ergo non ex Spiritu Sancto, sed ex seipso hoc ultimum profert.

Item S. Lucas in præfatiuncula ad suum Evangelium, dicit se scripturum quæ audivit ex ore Apostolorum : sic etiam Marcus scripsit Evangelium. Alii Evangelistæ dicunt quandoque se vidisse quæ referunt : atqui in his non erat opus ut verba singula dictarentur a Spiritu Sancto : ergo.

Item S. Paulus 2. Timoth. 4. petit a Timotheo ut adferat secum penulam (est autem penula, pallionum contra pluvias) sæpe salutat hunc et illum, plura refert quæ ipsum personaliter spectant : in his autem non videtur

Spiritus Sanctus dictasse singula verba : ergo.

Respondent quidam, quod quamvis ut plurimum verba Scripturæ sint a Spiritu Sancto dictata, sæpe tamen, præsertim in familiaribus et notis, permitti sacris scriptoribus, ut utantur pro arbitrio verbis suis, cum speciali tamen assistentia Spiritus, ne quid falsum aut indecens proferant.

Sed contra : Ex hac responsione sequitur quod libri Canonici non sint Scriptura Sacra, quoad omnes suas partes, cum tamen Ecclesia in concilio Trid. sess. 4. cap. 1. omnes nobis proponat, ut Scripturam Sacram in singulis suis partibus; et ita apprehendant omnes fideles : unde hac solutione omissa

Resp. 1° ex his argumentis, ut plurimum pariter inferri etiam ipsas sententias non esse a Deo dictatas, ut attendenti patebit, ideoque cum nimis probent, nihil probant.

Resp. 2° ad singula. Ad primum, nego. min. Spiritus Sanctus enim se accommodavit genio, stylo et affectionibus cujusque scriptoris sacri, sicque concurrit dictando singula, ac si ipse scriptor de suo scripsisset : est quidem calamus Spiritus Sancti, sed calamus vivus et liber, quem ideo secundum ejus modum movet Spiritus. Hoc itaque posito : Spiritus Sanctus movit auctores 2. Machab. et Ecclesiastici, ut peterent veniam, non de falsitate, sed de stylo minus polito, ut forte nonnullis videbatur, idque præ modestia et secundum loquendi modum scriptoribus familiarem. Quantum ad laborem in scribendo, ad eum movit Spiritus Sanctus : aliunde potuit scriptor ignorare se a Spiritu Sancto moveri.

Ad secundum, nego conseq. Sensus enim Apostoli est quod Dominus non dicat ut Dominus præcipiendo conjugi ad fidem converso ut maneat cum uxore infideli, potest enim illam deserere, sed quod ipse Paulus id consulat, consilio tamen quod sit a Spiritu Sancto: unde ibidem postea dicit : *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.*

Ad tertium, nego min. Id enim necessarium erat non solum ad certitudinem supernaturalem, quæ longe major est certitudine sensuum; sed etiam, ut quæ scriberent, haberent dignitatem Scripturæ Sacræ : movit autem Spiritus Sanctus ut etiam significarent se vidisse, non ut inde major certitudo secundum se haberetur, sed respective ad ethnicos, quibus ignotus erat Spiritus Sanctus : si namque Apostoli evangelizando gentibus dixissent simpliciter : Hoc revelavit Spiritus Sanctus ; nihil obtinuissent : sed dicendo : Testamur quod vidimus, quod contrectavimus fidem audientium sibi conciliant, ut, postea instructi, credant propter Dei revelationem.

Ad quartum, nego min. Ut enim diximus, Spiritus dictator se accommodavit genio, desideriis, affectionibus et necessitatibus scribentium, quasi de suo scriberent.

Inst. Sicut Deus non deest in necessariis, ita nec redundat in superfluis : atqui superfluum videtur quod Deus de novo supernaturaliter infundat, quod jam naturali notitia cognitum erat sacris scriptoribus : ergo.

Resp. 1°. hoc argumento probari nec ipsas sententias a Spiritu Sancto fuisse dictatas. 2°. Nego min. Id enim, ut jam dixi, necesse erat ut narrata haberent certitudinem fidei et dignitatem Scripturæ Sacræ.

Si reponas ex sola inspiratione sententiarum haberi certitudinem supernaturalem : ita quidem, sed non habetur dignitas et excellentia Scripturæ Sacræ: sicut si Deus approbaret aliquem librum, esset quidem certitudinis infallibilis, non esset tamen Scriptura Sacra, idem dic de definitionibus conciliorum, ut jam observavimus.

Obj. 4° : Traditio divina est etiam verbum Dei : atqui in traditione divina non dictantur singula verba : ergo.

Resp. nego min. de traditione divina in suo fonte. Nunc quidem traditio dicitur, non quod singula verba sint in Ecclesia, sed quia derivatur ab illis verbis : nec aliud intelligitur quando dicitur; hoc vel illud est traditio. Sic cum dico v. g. traditio est quod liber Job sit canonicus, nemo apprehendit quod Deus dixerit hæc verba : « liber Job est canonicus », sed quod id substantialiter declaraverit : at quando dicimus, hæc est Scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, omnes intelligunt non solum sensum, sed etiam verba esse a Deo.

Obj. 5° ex Patribus : S. Basil. l. 5. *cont. Eunom.* c. 17. in hoc ponit discrimen inter Spiritum Sanctum et scriptorem creatum, quod scriptor creatus non semper ea quæ Dei sunt loquatur, sed quandoque sua; quæcumque autem Spiritus loquitur, sunt Dei. S. Aug. l. 2. *de Consensu Evang.* c. 14. dicit de Evangelistis: « Variant locutiones, salva tamen substantia. » Et S. Th. 2. 2. q. 176. a. 2. ad 1. dicit Epist. S. Pauli ad Hebr. hebraice scriptam, esse elegantiorem aliis ejusdem Apostoli Epistolis græce scriptis, quia « quantum.... ad ornatum et elegantiam locutionis.... instructus erat in propria lingua, non in aliena » : ergo.

Resp. ex his nihil evinci pro sententia oppo-

sita. Ad primum, sensus Basilii est quod quamvis scriptor creatus loquatur, etiam quoad verba materialia, ex motione et inspiratione, quædam tamen quandoque proferat, quæ non scit ex revelatione, sed vel ex auditu, vel visu, vel scientia humana; at vero Spiritus Sanctus nunquam loquitur nisi ex divina æternaque scientia. Adde hoc argumento probari non solum non omnia verba, sed nec omnes sententias esse a Deo inspiratas. Ad secundum, dicit S. Aug. Evangelistas variare locutiones, sed non negat id fieri ex motione Spiritus Sancti. Ad tertium, nihil aliud ex verbis S. Thomæ colligi potest quam quod Spiritus dictator se genio et stylo Pauli scribentis hebraice accommodaverit.

ARTICULUS III.

DE DIVISIONE SCRIPTURÆ SACRÆ.

1°. Scriptura Sacra dividitur in vetus et novum Testamentum. Vetus Testamentum est collectio librorum sacrorum, qui promittunt liberatorem venturum cum præceptis antiquæ legis. Novum Testamentum est collectio librorum sacrorum qui promissum liberatorem præsentem exhibent cum præceptis novæ legis.

Libri canonici veteris Testamenti erant olim juxta canonem Judæorum viginti duo tantum, secundum numerum litterarum alphabeti hebraici. Juxta vero canonem Ecclesiæ sunt quadraginta quinque; scilicet Pentateuchus seu quinque libri Moysis, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri et Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus et secundus, omnes numero quadraginta quinque.

Libri novi Testamenti sunt quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galathas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli, omnes numero viginti septem : summatim tam veteris quam novi Testamenti sunt septuaginta duo. Ita Trid. sess. 4. cap. 1. Ubi post recensitos hos omnes libros, prout recensuimus, sic statuit : « Si quis autem libros, ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit. »

Hunc porro canonem seu numerum librorum canonicorum concilii Trid. Patres acceperunt ab Eugenio IV in concilio Florentino, Eugenius IV a Gelasio Papa in concilio Romano septuaginta episcoporum, Gelasius ab Augustino lib. 2. *de Doctrina christiana* c. 8. Augustinus ab Innocentio I, anno 405, epist. 3. ad Exuperium, in qua scribit hos omnes libros ut divinos et canonicos esse suscipiendos secundum traditionem ab Apostolisis temporibus in Ecclesia Romana conservatam. Innocentius a concilio Carthaginensi 3. can. 47. et ex traditione, ut dicit.

Observandum duntaxat in concilio Carthaginensi, non fieri mentionem libri Baruch, quia sub Jeremia, cujus erat amanuensis, comprehenditur, et ideo solebant antiqui illum citare sub nomine Jeremiæ, ut observat Cano lib. 2. de Locis theologicis.

Sunt autem apocryphi tertius et quartus liber Esdræ, tertius et quartus Machabæorum, Oratio Regis Manasses captivi in Babylone, Appendix libri Job ubi describitur ejus genealogia, Præfatiuncula Threnorum quæ incipit : *Et factum est, etc.*, Epistola Jesu ad Abagarum regem, Evangelia quæ sub nomine Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ, Nicodemi et aliorum circumferuntur.

2°. Dividuntur libri canonici tam veteris quam novi Testamenti in protocanonicos et deuterocanonicos; protocanonici sunt de quibus nunquam fuit dubitatum : deuterocanonici sunt de quibus ante Innocentium I. et concilium Carthaginense tertium ab aliquibus fuit dubitatum, et hi sunt ex veteri Testamento, Esther, Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Hymnus trium puerorum Dan. 3., Historia Susannæ et Draconis, Daniel. 13 et 14., Oratio Azariæ, Oratio Jeremiæ circa finem Threnorum, primus et secundus Machabæorum. Ex novo Testamento deuterocanonici sunt, caput ultimum Marci ab eo loco *Surgens Jesus*, Historia de sudore Christi sanguineo et

de ejus confortatione per angelum Lucæ 22., Historia de muliere adultera Joan. 8., Hæc verba ex Epistola prima Joannis : *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* tota Epistola S. Pauli ad Hebræos, Epistola Jacobi et Judæ, secunda Petri, tertia Joannis, ac tandem ejusdem Apocalypsis : cæteri omnes hic non nominati sunt protocanonici.

Petes utrum libri deuterocanonici sint æqualis auctoritatis ac protocanonici.

Resp. affirmative ; quia tam in illis quam in istis est eadem prima veritas loquens et eadem infallibilis Ecclesia proponens. Neque obstat quod de deuterocanonicis, aliquando fuerit dubitatum, ut dictum est, istud enim dubium non fuit positivum ex parte Ecclesiæ, quasi illos judicasset aut declarasset dubios, sed ex parte quorumdam Patrum, quod dubium in illis aliquamdiu toleravit Ecclesia, donec tandem re plenius discussa et elucidata traditione, illos in canone inseruit.

ARTICULUS IV.

DE VARIIS SCRIPTURÆ SACRÆ VERSIONIBUS.

Suppono 1° vetus Testamentum originaliter scriptum fuisse hebraice, exceptis libris Tobiæ, Judith, Esdræ et Danielis, qui tempore captivitatis babylonicæ fuerunt scripti chaldaica lingua Babyloniorum. Excipitur etiam liber secundus Machabæorum, qui juxta S. Hieronymum scriptus est græce ; quidam idem opinantur de libro Sapientiæ, erat enim lingua græca familiaris Judæis.

Novum autem Testamentum scriptum est primitus græce, excepto S. Matthæi Evangelio quod fuit scriptum hebraice seu syriace. Idem tenent de Epistola ad Hebræos Hieronymus, Theodoretus et alii communius contra Origenem et Clementem Alexandrinum.

Suppono 2° Scripturam Sacram veteris Testamenti hebraice scriptam, tempore captivitatis babylonicæ, non quidem ex integro periisse, ut quidam dicunt, sed ex parte fuisse dissipatam et vitiatam, et ab Esdra sancto spiritu afflato, post captivitatem, fuisse restitutam.

Suppono 3° nulla nunc Scripturæ Sacræ extare autographa seu textus originales, sed apographa tantum, seu exemplaria, et versiones in alias linguas : præcipuæ versiones sunt Chaldaica, Syriaca, Græca et Latina.

Versio Chaldaica.

Versio seu potius paraphrasis Chaldaica veteris Testamenti facta est a tribus rabbinis, juxta quosdam quadraginta duobus circiter annis ante Christum : at alii, ex silentio Origenis, Epiphanii et Hieronymi de paraphrasi Chaldaica, colligunt non exstitisse ante tempora Hieronymi ; sed quidquid sit, constat nullius esse auctoritatis, cum scateat Judæorum fabulis et Talmudistarum nugis. Est autem discrimen inter versionem et paraphrasim, quod in versione, verba auctoris transferantur in aliud idioma de verbo ad verbum ; in paraphrasi autem magis sensus de sensu quam verbum de verbo exprimitur : unde hæc paraphrasis Chaldaica vulgo vocatur « targum », id est interpretatio.

Versio Syriaca.

Syriaca lingua nata est apud Judæos captivos ex hebraica et Chaldaica ; cum enim discerent linguam vernaculam Babyloniorum, quæ erat chaldaica, nec facile illam pronuntiarent, sed aliquid de suo hebraismo retinerent, effecta est tertia lingua ex utraque mixta, quæ a regione dicta est syriaca, et quæ postmodum fuit vulgaris, et materna apud Judæos e captivitate reduces, dictaque est hebraica : illa Christus et Apostoli usi sunt ; in ea evangelium Matthæi et Epistola ad Hebræos fuerunt scripta. Exstare versionem Syriacam veteris Testamenti certum est : at quo, vel quibus auctoribus, et quo tempore prodierit, incertum est.

Versio Græca.

Multæ fuerunt versiones græcæ : prima et præcipua est quæ dicitur septuaginta interpretum ; quamvis enim fuerint septuaginta duo ; attamen numero rotundo dicuntur septuaginta. Anno itaque ante Christum natum circiter 230, instante Ptolomæo Philadelphio rege Ægypti, Eleazarus Judæorum Pontifex ad ipsum misit septuaginta duos Judæos hebraice et græce peritissimos, sex ex qualibet tribu, qui libros veteris Testamenti ex hebræo in græcum verterent, novæ et locupletissimæ regis Ægypti bibliothecæ annumerandos. Ita refert Aristæus unus ex legatis Ptolomæi ad Eleazarum.

S. Irenæus l. 3. c. 35, S. Justinus in Orat. Exhortat. ad Gentes, Clemens Alexand. l. 1.

Stromat., S. Cyrillus, Catechesi 4, et alii Patres communius dicunt singulos in singulis cellulis inclusos insigni miraculo Scripturam ex hebræo græce iisdem plane verbis reddidisse : addit Justinus se apud Alexandriam cellularum vestigia vidisse. Attamen hanc historiam ridet et negat Hieronymus l. 2. *cont. Ruf. in præfat. in libros Paralip.* ubi ait : « Nescio quis primus auctor Alexandria septuaginta cellulas mendacio suo struxerit. » Nititur autem Hieronymus testimonio Aristæi, qui præsens erat, et rem totam prout vidit referens, cellularum non meminit, sed e contra, dicit « quod singulis diebus usque ad horam nonam conferendo, suam interpretationem absolverunt. » Exstat liber Aristæi in bibliotheca Patrum tomo 7, et ne diceretur ab aliquo juniore suppositus, plura ex illo citant Joseph, Philo, Eusebius, et alii, quæ in eo de verbo ad verbum leguntur.

Cæterum vera sit aut falsa hæc historia, omnes saltem conveniunt hanc versionem non sine speciali Spiritus Sancti assistentia fuisse peractam, tum propter mirabilem tot hominum in easdem sententias, et in eadem verba consensum, qui humanitus videtur impossibilis, tum quia opus integrum brevissimo tempore, spatio scilicet septuaginta duorum dierum, perfecerunt.

Neque enim solum Pentateuchum, ut quidam putant, interpretati sunt, sed omnes libros veteris Testamenti, exceptis forte duobus libris Machabæorum et Ecclesiastici, quos quidam censent nondum tunc fuisse conscriptos. Id autem constat ; quia Christus, Apostoli et Evangelistæ citant Psalmos et Prophetas juxta versionem Septuaginta ; et ipsa Hieronymus commentans in Prophetas passim citat versionem Septuaginta, eamque explicat ; et lib. 2. *Adversus Ruf.* c. 7 : « Universi tractatus mei, inquit, horum testimoniis texti sunt : commentarii in duodecim Prophetas, et meam et Septuaginta editionem edisserunt. » Unde cum in procemio *in Traditiones Hebraicas* et in cap. 16. Ezech. videtur dicere contrarium, vel loquitur ex aliorum sententia, vel subdubitans, re nondum plene discursa. Adde quod non sit verisimile Ptolomeum, voluminum Hebræorum novæ bibliothecæ suæ inserendorum cupidissimum, solo Pentateucho fuisse contentum, et alios non expetiisse.

Neque his obstat quod Aristæus, et quidam alii antiqui dicant a Septuaginta translatos fuisse libros legis, qui sunt Pentateuchus : nomine enim librorum legis non veniunt soli libri Moysis, sed omnes libri veteris Testamenti : sic Christus Joan. 10. dicit : *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : Dii estis ;* Et cap. 5 : *Ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis ;* quæ tamen in Psalmis leguntur. Et Apostolus 1. Cor. 14, citans Isaiam : *In lege,* inquit, *scriptum est.*

Secunda versio græca est Aquilæ circa annum Christi 130 ; tertia Theodotionis circa annum Christi 184 ; quarta Symmachi circa annum Christi 200. Aquila natione græcus ex christiano factus est judæus : Theodotion ex christiano factus marcionita, deinde judæus : Symmachus samaritanus, tum judæus, exinde christianus ac tandem ebionita : unde eorum versiones, quod ea quæ spectant capita fidei, nullius sunt ponderis.

Quinta versio græca est anonyma inventa in Jericho, unde dicta jericuntina. Sexta etiam anonyma reperta nicopoli, unde dicta nicopolitana.

Ad faciliorem omnium harum versionum usum, Origenes fecit *Tetrapla, Exapla et Octapla. Tetrapla* sunt volumen cujus quælibet pagina constat quatuor columnis : prima continet versionem Septuaginta, secunda Aquilæ tertia Symmachi, quarta Theodotionis. In Exaplis quælibet pagina habet sex columnas in quarum prima reponitur textus hebraicus litteris hebraicis ; in secunda idem textus græcis characteribus ; in quatuor aliis quatuor priores versiones. In Octaplis quælibet pagina habet octo columnas, in sex primis continentur quæ in Exaplis, in duobus ultimis quinta et sexta versiones anonymæ.

Deinde cum versio Septuaginta in multis esset adulterata, Lucianus martyr novam versionem aggressus est, quæ fuit in usu a Constantinopoli ad Antiochiam, ut testatur S. Hieronym. in præfat. in Paralip. Item alteram adornavit Hesychius presbyter jerosolimitanus plurium monachorum pater : seu potius uterque versionem Septuaginta in multis corruptam emendavit : unde a pluribus eorum versiones non distinguuntur a versione Septuaginta.

Versio latina.

Innumeræ fuerunt, teste S. Hieronymo in præfat. in Josue, et S. Aug. l. de *Doctrina Christiana* c. 11. versiones latinæ : sed inter illas una erat præcipua et in communi usu Ecclesiæ, cujus auctor ignoratur. S. Augustinus

de ejus confortatione per angelum Lucæ 22., Historia de muliere adultera Joan. 8., Hæc verba ex Epistola prima Joannis : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* tota Epistola S. Pauli ad Hebræos, Epistola Jacobi et Judæ, secunda Petri, tertia Joannis, ac tandem ejusdem Apocalypsis : cæteri omnes hic non nominati sunt protocanonici.

Petes utrum libri deuterocanonici sint æqualis auctoritatis ac protocanonici.

Resp. affirmative ; quia tam in illis quam in istis est eadem prima veritas loquens et eadem infallibilis Ecclesia proponens. Neque obstat quod de deuterocanonicis, aliquando fuerit dubitatum, ut dictum est, istud enim dubium non fuit positivum ex parte Ecclesiæ, quasi illos judicasset aut declarasset dubios, sed ex parte quorumdam Patrum, quod dubium in illis aliquamdiu toleravit Ecclesia, donec tandem re plenius discussa et elucidata traditione, illos in canone inseruit.

ARTICULUS IV.

DE VARIIS SCRIPTURÆ SACRÆ VERSIONIBUS.

Suppono 1° vetus Testamentum originaliter scriptum fuisse hebraice, exceptis libris Tobiæ, Judith, Esdræ et Danielis, qui tempore captivitatis babylonicæ fuerunt scripti chaldaica lingua Babyloniorum. Excipitur etiam liber secundus Machabæorum, qui juxta S. Hieronymum scriptus est græce ; quidam idem opinantur de libro Sapientiæ, erat enim lingua græca familiaris Judæis.

Novum autem Testamentum scriptum est primitus græce, excepto S. Matthæi Evangelio quod fuit scriptum hebraice seu syriace. Idem tenent de Epistola ad Hebræos Hieronymus, Theodoretus et alii communius contra Origenem et Clementem Alexandrinum.

Suppono 2° Scripturam Sacram veteris Testamenti hebraice scriptam, tempore captivitatis babylonicæ, non quidem ex integro periisse, ut quidam dicunt, sed ex parte fuisse dissipatam et vitiatam, et ab Esdra sancto spiritu afflato, post captivitatem, fuisse restitutam.

Suppono 3° nulla nunc Scripturæ Sacræ extare autographa seu textus originales, sed apographa tantum, seu exemplaria, et versiones in alias linguas : præcipuæ versiones sunt Chaldaica, Syriaca, Græca et Latina.

Versio Chaldaica.

Versio seu potius paraphrasis Chaldaica veteris Testamenti facta est a tribus rabbinis, juxta quosdam quadraginta duobus circiter annis ante Christum : at alii, ex silentio Origenis, Epiphanii et Hieronymi de paraphrasi Chaldaica, colligunt non exstitisse ante tempora Hieronymi ; sed quidquid sit, constat nullius esse auctoritatis, cum scateat Judæorum fabulis et Talmudistarum nugis. Est autem discrimen inter versionem et paraphrasim, quod in versione, verba auctoris transferantur in aliud idioma de verbo ad verbum ; in paraphrasi autem magis sensus de sensu quam verbum de verbo exprimitur : unde hæc paraphrasis Chaldaica vulgo vocatur « targum », id est interpretatio.

Versio Syriaca.

Syriaca lingua nata est apud Judæos captivos ex hebraica et Chaldaica ; cum enim discerent linguam vernaculam Babyloniorum, quæ erat chaldaica, nec facile illam pronuntiarent, sed aliquid de suo hebraismo retinerent, effecta est tertia lingua ex utraque mixta, quæ a regione dicta est syriaca, et quæ postmodum fuit vulgaris, et materna apud Judæos e captivitate reduces, dictaque est hebraica : illa Christus et Apostoli usi sunt ; in ea evangelium Matthæi et Epistola ad Hebræos fuerunt scripta. Exstare versionem Syriacam veteris Testamenti certum est : at quo, vel quibus auctoribus, et quo tempore prodierit, incertum est.

Versio Græca.

Multæ fuerunt versiones græcæ : prima et præcipua est quæ dicitur septuaginta interpretum ; quamvis enim fuerint septuaginta duo ; attamen numero rotundo dicuntur septuaginta. Anno itaque ante Christum natum circiter 230, instante Ptolomæo Philadelphio rege Ægypti, Eleazarus Judæorum Pontifex ad ipsum misit septuaginta duos Judæos hebraice et græce peritissimos, sex ex qualibet tribu, qui libros veteris Testamenti ex hebræo in græcum verterent, novæ et locupletissimæ regis Ægypti bibliothecæ annumerandos. Ita refert Aristæus unus ex legatis Ptolomæi ad Eleazarum.

S. Irenæus l. 3. c. 35, S. Justinus in Orat. Exhortat. ad Gentes, Clemens Alexand. l. 1.

Stromat., S. Cyrillus, Catechesi 4, et alii Patres communius dicunt singulos in singulis cellulis inclusos insigni miraculo Scripturam ex hebræo græce iisdem plane verbis reddidisse : addit Justinus se apud Alexandriam cellularum vestigia vidisse. Attamen hanc historiam ridet et negat Hieronymus l. 2. *cont. Ruf. in præfat. in libros Paralip.* ubi ait : « Nescio quis primus auctor Alexandria septuaginta cellulas mendacio suo struxerit. » Nititur autem Hieronymus testimonio Aristæi, qui præsens erat, et rem totam prout vidit referens, cellularum non meminit, sed e contra, dicit « quod singulis diebus usque ad horam nonam conferendo, suam interpretationem absolverunt. » Exstat liber Aristæi in bibliotheca Patrum tomo 7, et ne diceretur ab aliquo juniore suppositus, plura ex illo citant Joseph, Philo, Eusebius, et alii, quæ in eo de verbo ad verbum leguntur.

Cæterum vera sit aut falsa hæc historia, omnes saltem conveniunt hanc versionem non sine speciali Spiritus Sancti assistentia fuisse peractam, tum propter mirabilem tot hominum in easdem sententias, et in eadem verba consensum, qui humanitus videtur impossibilis, tum quia opus integrum brevissimo tempore, spatio scilicet septuaginta duorum dierum, perfecerunt.

Neque enim solum Pentateuchum, ut quidam putant, interpretati sunt, sed omnes libros veteris Testamenti, exceptis forte duobus libris Machabæorum et Ecclesiastici, quos quidam censent nondum tunc fuisse conscriptos. Id autem constat ; quia Christus, Apostoli et Evangelistæ citant Psalmos et Prophetas juxta versionem Septuaginta ; et ipsa Hieronymus commentans in Prophetas passim citat versionem Septuaginta, eamque explicat ; et lib. 2. *Adversus Ruf.* c. 7 : « Universi tractatus mei, inquit, horum testimoniis texti sunt : commentarii in duodecim Prophetas, et meam et Septuaginta editionem edisserunt. » Unde cum in procemio *in Traditiones Hebraicas* et in cap. 16. Ezech. videtur dicere contrarium, vel loquitur ex aliorum sententia, vel subdubitans, re nondum plene discursa. Adde quod non sit verisimile Ptolomeum, voluminum Hebræorum novæ bibliothecæ suæ inserendorum cupidissimum, solo Pentateucho fuisse contentum, et alios non expetiisse.

Neque his obstat quod Aristæus, et quidam alii antiqui dicant a Septuaginta translatos fuisse libros legis, qui sunt Pentateuchus : nomine enim librorum legis non veniunt soli libri Moysis, sed omnes libri veteris Testamenti : sic Christus Joan. 10. dicit : *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : Dii estis ;* Et cap. 5 : *Ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis ;* quæ tamen in Psalmis leguntur. Et Apostolus 1. Cor. 14, citans Isaiam : *In lege,* inquit, *scriptum est.*

Secunda versio græca est Aquilæ circa annum Christi 130 ; tertia Theodotionis circa annum Christi 184 ; quarta Symmachi circa annum Christi 200. Aquila natione græcus ex christiano factus est judæus : Theodotion ex christiano factus marcionita, deinde judæus : Symmachus samaritanus, tum judæus, exinde christianus ac tandem ebionita : unde eorum versiones, quod ea quæ spectant capita fidei, nullius sunt ponderis.

Quinta versio græca est anonyma inventa in Jericho, unde dicta jericuntina. Sexta etiam anonyma reperta nicopoli, unde dicta nicopolitana.

Ad faciliorem omnium harum versionum usum, Origenes fecit *Tetrapla, Exapla et Octapla. Tetrapla* sunt volumen cujus quælibet pagina constat quatuor columnis : prima continet versionem Septuaginta, secunda Aquilæ tertia Symmachi, quarta Theodotionis. In Exaplis quælibet pagina habet sex columnas in quarum prima reponitur textus hebraicus litteris hebraicis ; in secunda idem textus græcis characteribus ; in quatuor aliis quatuor priores versiones. In Octaplis quælibet pagina habet octo columnas, in sex primis continentur quæ in Exaplis, in duobus ultimis quinta et sexta versiones anonymæ.

Deinde cum versio Septuaginta in multis esset adulterata, Lucianus martyr novam versionem aggressus est, quæ fuit in usu a Constantinopoli ad Antiochiam, ut testatur S. Hieronym. in præfat. in Paralip. Item alteram adornavit Hesychius presbyter jerosolimitanus plurium monachorum pater : seu potius uterque versionem Septuaginta in multis corruptam emendavit : unde a pluribus eorum versiones non distinguuntur a versione Septuaginta.

Versio latina.

Innumeræ fuerunt, teste S. Hieronymo in præfat. in Josue, et S. Aug. l. de *Doctrina Christiana* c. 11. versiones latinæ : sed inter illas una erat præcipua et in communi usu Ecclesiæ, cujus auctor ignoratur. S. Augustinus

vocat « italam » quia latinam, S. Hieronymus « communem », S. Gregorius « veterem et vulgatam. » Alteram adorsus est S. Hieronymus, qui vetus Testamentum ex hebræo transtulit in latinum, et novum latinum emendavit, atque græcæ fidei restituit, ut ipsemet dicit in fine libri *de Scriptoribus Ecclesiasticis:* « Novum Testamentum, inquit, græcæ fidei restitui, vetus juxta hebraicum transtuli. » Et hæc versio seu editio S. Hieronymi, dicta est nova.

Hæ duæ versiones aliquam contentionum materiam subministrarunt, dum unaquæque suos haberet fautores. S. Augustinus citatus cum pluribus stabat pro itala seu veteri quoad vetus Testamentum ; quia, ut dicebat, erat « verborum tenacior cum perspicuitate sermonis. » S. Isidorus autem cum aliis stabat pro nova S. Hieronymi, donec tandem paulo post tempora S. Gregorii qui adhuc utraque utebatur, ex his duabus sit una conflata, quæ dicta est « Vulgata communis », qua nunc utitur Ecclesia ; non sic tamen quod in singulis libris, utraque sit permixta, sed quia in ea aliqua veteris Testamenti leguntur ex versione S. Hieronymi, scilicet Pentateuchus, libri Josue, Ruth, Regum, Paralipomenon, Tobiæ, Judith, Esther, Esdras, Prophetæ omnes, Cantica Canticorum, Proverbia, Ecclesiastes et Job : cæteri ex versione antiqua seu itala ; excepto quod psalterium, quamvis sit ex eadem versione, legamus ut emendatum a S. Hieronymo. Quantum ad novum Testamentum, totum est ex versione antiqua, sed ut emendatum et græcæ fidei restitutum a S. Hieronymo jussu Damasi Papæ, ut patet ex ejusdem S. Hieronymi præfatione in quatuor Evangelia. Hæc est itaque vulgata editio a tot sæculis communi Ecclesiæ usu probata et recepta, quam concilium Trid. sess. 4. cap. 1. declaravit authenticam.

Omitto versiones in linguas vernaculas : tot sunt enim quot diversæ nationes, Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, Flandrica, Polona, Anglica, etc., etc.

ARTICULUS V.

DE AUCTORITATE TEXTUS HEBRAICI ET GRÆCI, NECNON EDITIONIS SEPTUAGINTA.

Suppono codices hebræos et græcos ante Christum, imo et post Christum, ante S. Hieronymum, non fuisse notabiliter depravatos ; tum quia Christus et Apostoli qui alia crimina scribis et pharisæis exprobrarunt, istud falsationis Scripturarum, quod fuisset maximum, non tacuissent : tum quia versio vulgata veteris Testamenti pro majori parte est S. Hieronymi ex hebræo, et novi versionem idem S. Hieronymus correxit juxta exemplaria græca : vulgata autem editio est authentica : ergo huccusque manserunt integri substantialiter textus hebraicus et græcus.

Unde dum quidam Patres objiciunt Judæis falsationem S. Scripturæ, id non est intelligendum generaliter, sed vel de aliquibus particularibus Judæis falsificantibus suos proprios codices, vel de levibus erratis quæ moraliter vitari non possunt in tam frequenti codicum descriptione et tanto temporis spatio, sive scribarum oscitantia, sive ignorantia, sive inadvertentia, præsertim in hebraicis, ubi aliquando litteræ sunt sibi valde similes : et ideo dixi non esse notabiliter depravatos.

Dico : Textus hebraicus et græcus, prout nunc extant, non sunt authentici, nec irrefragabilis auctoritatis, sunt tamen ad plura utiles.

Prob. prima pars 1° ; quia Ecclesia suo judicio irreformabili illos non probavit, non authenticos declaravit, sicut declaravit authenticam editionem vulgatam.

2°. Quia non manserunt integri, sed pluribus et gravibus scatent erroribus. Inter alios sequentes accipe : Zachariæ 9, in Vulgata legitur : *Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ,* etc. Quibus verbis graphice describitur adventus Christi in Jerusalem : in hebræo autem loco « salvator » legitur « salvatus », qua brevi et simplici mutatione totum hoc testimonium de Christo evertitur. Item Psal. 15. ℣ 10, in Vulgata legitur : *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* : ex quo S. Petrus Act. 2. judæis probat Christi resurrectionem : in hebræo autem legitur : *Non dabis Sanctos tuos ad videndam foveam*; qua lectione evanescit testimonium resurrectionis Christi. Item Isaiæ 9. legitur in Vulgata: *Parvulus enim natus est nobis et Filius datus est nobis..... et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus,* etc. quæ omnia apprime Verbo incarnato conveniunt : at in hebræo, pro « vocabitur » legitur « vocabit », sicque non Christo, sed Deo vocanti conveniunt.

Quantum ad textum græcum, inter varios errores, desideratur in multis codicibus caput ultimum Marci : item in multis desiderantur

hæc verba 1. Joan. 5: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt;* quod fraude factum notat S. Hieronymus in præfat. in septem epistolas canonicas; in codicibus autem in quibus hæc verba reperiuntur, loco *Et hi tres unum sunt*, substitutum est : *Et hi tres in unun sunt*; quod de unitate consentientis voluntatis ad sensum arianorum posset intelligi. Item Joannis 7, loco *Nondum erat Spiritus datus*, legunt Græci: *Nondum erat Spiritus sanctus.*

Prob. secunda pars : Textus hebraicus et græcus sunt utiles : 1° ad firmandam in multis latinam vulgatam ; 2° ad corrigendos typographorum errores ; 3° ad determinandam dubiam vulgatæ significationem ; 4° dum ex varietate codicum dubitatur quæ sit vulgata lectio, ut textibus hebræis et græcis juvamur ad eam cognoscendam ; 5° valent ut verborum vis et proprietas melius percipiatur, et quæ sunt obscura et difficilia facilius intelligantur.

Dices 1° contra primam partem : Jura præscribunt recurrere ad textus hebraicos et græcos, cap. *Ut veterum* d. 9. cap. *Jejunium* d. 76. et cap. *De quibus* d. 20. Ergo.

Resp. Neque nos negamus recurrendum esse ad textus hebraicos et græcos in casibus assignatis in probatione secundæ partis conclusionis, non vero tanquam ad regulam infallibilem, juxta quam cuique privato liceat corrigere vel impugnare lectionem vulgatæ. Insuper duo primi textus juris citantur ex S. Hieronymo qui loquitur de textibus fontalibus, quales erant suo tempore adhuc sinceri : similiter tertius textus qui tribuitur Innocentio I ; sedebat enim Innocentius I tempore S. Hieronymi. Adde Innocentium I per « divina scripta græca », ad quæ dicit esse recurrendum, probabilius non intellexisse textum græcum Scripturæ, alioquin non omisisset hebraicum, sed scripta conciliorum et Patrum græcorum, quæ tunc nondum erant in latinum versa.

Dices 2° : Aqua purior est in fonte quam in rivulis : atqui textus hebraicus et græcus sunt fontes ex quibus versiones latinæ tanquam rivuli promanarunt : ergo.

Resp. dist. maj. Aqua purior est in fonte quam in rivulis per se, conc.; per accidens, nego. Si enim contingat fontem turbari et rivum a fonte sejungi, erit aqua purior in rivo quam in fonte; sic est autem in casu, fontes hebræi et græci sunt turbati, et ab illis præcisus est textus vulgatæ.

Quod diximus de textibus hebraicis et græcis, idem dicendum est de versione Septuaginta : quamvis enim in suo principio fuerit authentica, et etiam aliquandiu post Christum esset magnæ auctoritatis in Ecclesia, nunc tamen non est authentica, nec irrefragabilis auctoritatis, tum quia Ecclesia non declaravit authenticam, tum quia tempore S. Hieronymi erat jam notabiliter vitiata. Patet ex ipso Hieronymo qui in præfatione in 1. Paralip. dicit : « Si septuaginta interpretum pura et ut ab eis in græcum versa est editio permaneret, superflue me, Chromati episcoporum sanctissime atque dilectissime, impelleres ut hebræa tibi volumina latino sermone transferrem. » Et in cap. 30. Isaiæ et 5. Ezech. : « Datur mihi suspicio, inquit, non eos errasse a principio, sed paulatim scriptorum vitio depravatos. »

Nec refert quod Sixtus V, anno 1586, versionem græcam Septuaginta a se correctam jubeat, « ut ab omnibus recipiatur et retineatur » : non enim jubet eam recipi ut authenticam, sed, ut dicit, ut utilem, « ad latinæ vulgatæ editionis et veterum Patrum intelligentiam. »

ARTICULUS VI.

DE AUCTORITATE VULGATÆ EDITIONIS.

Dico : Vulgata editio, eaque sola est authentica et certa fidei regula.

Prob. Hæc et sola versio est authentica quam authenticam solemni decreto declaravit universalis Ecclesia ; est enim Ecclesia regula infallibilis discernendi Scripturam Divinam, ut probavimus dissert. 1. præced. tractatus a. 2. et probabimus adhuc infra : unde illud notum S. Augustini *contra Epist. Fundamenti* cap. 5. « Evangelio non crederem, nisi me commoveret Ecclesiæ auctoritas » : atqui Ecclesia solemni decreto declaravit editionem vulgatam authenticam, et ita de illa sola pronuntiavit, non de textibus hebraicis aut græcis, nec de quacumque alia versione : ergo. Prob. min. ex concilio Trid. sess. 4. cap. 1, ubi post enumeratos omnes libros veteris et novi Testamenti, sic decernit : « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit.... anathema sit. » Et cap. 2 : « Insuper, inquit, sacrosancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis edi-

tionibus quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat. » Et infra : « Decernit et statuit ut post hoc Sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur.

Equidem fatemur concilium non instituisse comparationem inter Vulgatam ex una parte et textus originales ac omnes alias versiones ex altera; sed tantum inter vulgatam versionem et alias versiones latinas, ut patet ex textu, sicque concilium non reprobasse positive et formaliter hoc decreto textus hebraicos et græcos et versiones alias a latinis : at nihilominus verum est quod de sola Vulgata et non de textu hebraico vel græco, nec de quacumque alia versione pronuntiaverit, quod sit authentica.

Hanc vocem « authenticum » a jure mutuati sunt theologi. Authenticum autem in jure est « scriptum aliquod quod ex se fidem certam et infallibilem facit in judicio, et supremæ est auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quæstionem verti debeat » : sic v. g. testamentum manu testatoris scriptum et signatum, est authenticum. Item copia aut versio hujus testamenti quem notarii publici aut magistratus testantur esse conformem autographo, est authentica, et hoc sensu nostra vulgata est declarata authentica, id est conformis in sententiis autographo seu textui originali, consequenter irrefragabilis auctoritatis et certa fidei regula, tamquam verum Dei verbum.

Dixi « regula fidei » et non judex, quæ duo male confundunt hæretici : sic v. g. testamentum defuncti est regula et norma hæreditatis dispensandæ : sed si oriatur inter hæredes controversia de vero sensu testamenti, ipsum testamentum non erit judex, sed homo intelligentia et auctoritate præditus, cui partes litigantes acquiescere tenebuntur : pariter verbum Dei seu Scriptura Sacra vulgatæ editionis est regula et norma fidei, sed si oriatur controversia de ejus vero sensu, consequenter de aliquo fidei dogmate, non ipsa erit judex, sed Ecclesia aut summus Pontifex, de quo iterum infra.

Dices 1° : Si sola vulgata latina sit authentica, sequitur quod ecclesiæ orientales, quæ græca, vel syriaca, vel æthyopica versione utuntur, Scripturam veram et verum Dei verbum non habeant.

Resp. eas posse facile habere corrigendo suas versiones secundum vulgatam : nec dubium quin ecclesiæ orientales catholicæ id præstiterint.

Dices 2° : Vulgata in pluribus non est conformis fontibus hebraicis et græcis : ergo.

Resp. dist. ant. Non est conformis fontibus vitiatis prout nunc extant, conc., fontibus puris ut olim extabant tempore S. Hieronymi, nego. Insuper quandoque videtur difformitas, licet nulla sit quoad sensum, aut si sit, inde sæpe provenit, quod una vox hebraica aut græca habeat plures significationes, quarum unam elegit interpres, alteram assumit lector.

Inst. S. Hieronymus in suis commentariis quandoque indicat quædam potuisse aliter aut melius verti quam sint in vulgata editione : ergo.

Resp. intelligendum esse S. Hieronym. de minutioribus quæ non variant sensum. Aliunde Ecclesia quæ Spiritu Sancto regitur existimavit S. Hieronymum plus divinitus adjutum fuisse in sua versione quam in suis commentariis, et ideo ejus versionem retinendam judicavit.

Dices 3° : Illa versio non est authentica quæ pluribus scatet mendis et erratis : atqui talis est versio vulgata latina : ergo.

Propter hoc argumentum gravis est difficultas inter theologos in quibus nostra vulgata editio sit authentica? An in omnibus, an in aliquibus tantum, et in quibus?

Omnes conveniunt esse authenticam in iis quæ spectant fidem aut mores, sic quod nihil contineat fidei aut bonis moribus repugnans, ex quo perniciosus error natus sit sequi. Et hinc tria infert noster Melchior Cano l. 2. *de Locis Theologicis* cap. 13. Primum, si qua morum et fidei quæstio inter catholicos exoriatur, eam definiri oportere per latinam hanc veterem editionem. Secundum, in fidei et morum disputatione non esse nunc temporis ad hebraica, græcave exemplaria provocandum, nec ex eis certam controversiarum fidem esse faciendam. Tertium, in his quæ ad fidem et mores pertinent non esse latina exemplaria per hebraica vel græca corrigenda. Hæc celebris et laudatus theologus.

Sed an hic sistat editionis vulgatæ authenticitas? Multi affirmant, negant alii, voluntque etiam in historicis et aliis esse authenticam, sic quod nihil falsi contineat. Utriusque sententiæ momenta proponam.

Rationes primæ sententiæ sunt : 1° quia Trid. citatum postquam declaravit Vulgatam authenticam, jubet ut post hoc emendatissime imprimatur : ergo supponit in ea esse vitia et menda. Et post correctionem Sixti V et Clementis VIII adhuc in ea reperiuntur errata, ut aperte innuit Clemens VIII in diplomate suæ editioni præfixo, dicens in hac vulgata editione visa esse nonnulla mutanda, quæ consulto mutata non sunt, idque communiter agnoscunt eruditi. 2° Quia Andræas Vega, qui concilio Tridentino interfuit, lib. 5 *de Justificat.* cap. 9. dicit quod concilium « eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam fœdatam errore ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset, atque ideo adjecit, ne quis illam quovis prætextu rejicere auderet. » Et addit quod cardinalis S. Crucis qui illi sessioni præfuit, pluries ipsi testatus fuerit, «nihil amplius patres voluisse firmare ».

Rationes secundæ sententiæ sunt : 1° quia Trid. sess. 4. cap. 1. jubet sub anathemate omnes libros S. Scripturæ « cum omnibus suis partibus.... prout in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis suscipi » : ergo nulla pars, nulla propositio continet falsum.

2° Concilium cap. 2. statuit ut nemo illam vulgatam rejicere quovis prætextu audeat : atqui si quid falsum contineret, posset rejici in sententia adversariorum, eo prætextu quod neque ad fidem, neque ad mores pertineat.

3° Si Vulgata contineret falsum etiam in minoribus, Ecclesia quæ jubet nos ea uti et pro sacra habere quoad omnes suas partes, induceret in errorem, etsi non perniciosum; absurdum est autem istud consequens; quamvis enim non sit absurdum quod aliquis error in iis quæ non spectant fidem aut mores irrepat inter fideles, absurdum est tamen quam maxime, quod Ecclesia quæ est columna veritatis et quam Christus docuit omnem veritatem, inducat fideles in hujusmodi errores.

4° Juxta communem sensum omnium et theologorum et fidelium tritamque fidei definitionem, omnia revelata in Scripturis Sacris et nobis ab Ecclesia proposita pertinent ad fidem : docentur enim omnes etiam pueri in scholis fidem esse donum Dei ac lumen quo illustratus homo credit omnia quæ Deus revelavit et per Ecclesiam nobis credenda proposuit : perperam ergo et male patroni prioris sententiæ distinguunt in Scripturis Sacris ab Ecclesia propositis quædam quæ pertinent ad fidem et quædam quæ non pertinent : aut dicant quid intelligunt per pertinentia et non pertinentia ad fidem. An forte sola substantia mysteriorum, ut Incarnationis, pertinet ad fidem et non circumstantiæ, ut quod angelus Gabriel missus fuerit ad B. Virginem, quod pastores adoraverint in præsepio, quod auditus sit concentus angelorum, quod B. Virgo visitaverit Elisabeth, quod Magi stella duce venerint ab oriente! etc. Attamen et hæ circumstantiæ sunt pariter revelatæ et ab Ecclesia propositæ, sicut ipsa mysterii substantia. Quod si hæ circumstantiæ etiam pertineant ad fidem ; cur non omnia alia æque revelata et ab Ecclesia proposita?

5° Si vulgata editio non sit authentica et fidei regula in historicis et aliis minoribus, poterit quisquis absque labe hæreseos negare omnia historica novi et veteris Testamenti : in novo historiam mulieris adulteræ et mulieris peccatricis, resurrectionem Lazari, curationem cœci nati, et paralytici, immissionem dæmonum in porcos et sexcenta alia, maxime integra fere Acta Apostolorum : in veteri libros Regum, Judith, Tobiæ, Esther, Judicum, Josue, Machabæorum, etc. Quis autem hæc negantem ferat, aut catholicum credat? Neque dicas hæc non posse negari, quia reperiuntur etiam in textibus hebraicis et græcis et in aliis versionibus : respondebit enim, neque textus hebraicos et græcos, neque alias versiones, sed solum Vulgatam sibi esse ab Ecclesia datam pro regula fidei.

Ad primam rationem primæ sententiæ, respondent hæc menda quæ tempore Tridentini erant in Vulgata, et quæ post correctionem Clementis VIII adhuc reperiuntur, esse levia scriptorum aut typographorum aut temere emendantium errata, non interpretis, quæque ex collatione codicum et ex antecedentibus et sequentibus corrigi possunt, sicque non impedire quominus sit authentica et fidei regula tam in rebus fidei et morum quam in aliis alioquin nulla foret unquam S. Scriptura authentica, cum sit moraliter impossibile ut copia seu versio sit ita conformis suo autographo quin irrepat aliquod leve mendum scriptoris aut typographi. Neque Ecclesia Vulgatam «veterem » probando, probavit errata scriptorum aut typographorum, aut male emendantium, hæc enim non sunt partes, sed vulnera Vulgatæ veteris : neque tamen, cuiquam privato licet corrigere mendum typographi quod communiter legitur in editionibus vulgatæ, sed illud debet proponi iis ad quos pertinet, ut accedente auctoritate Ecclesiæ emendetur.

Si dicas non esse verisimile correctores «consulto» et de industria præteriisse errata scribarum, typographorum et male emendantium : et tamen citata præfatio bibliorum dicit, « consulto relicta immutata quæ mutanda videbantur. »

Respondent id esse verisimile, tum quia dicunt correctores in eadem præfatione se ista præteriisse «ad offensionem populorum vitandam », potuissent autem offendi populi ex correctione quorumdam erratorum, etiamsi essent tantum scribarum, typographorum aut emendantium : tum quia non constabat esse errata; dicunt enim insuper correctores, se ea non emendasse, « quod facile fieri posse credendum est ut majores nostri, qui ex hebræis et græcis latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortasse,tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt.»

Si reponas eosdem correctores addere pro tertia ratione quod ipsis « propositum non fuit novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare » : quibus significatur ea mutanda, quæ non fuerunt mutata, esse errata interpretis.

Respondent id non absolute significari, sed conditionaliter tantum et ex suppositione, 1° quod vere essent errata, de quo ipsis non constabat, ut dictum est; 2° quod essent errata interpretis, quod non affirmant.

Ad secundam rationem respondent magis standum esse definitioni Ecclesiæ, quam relationi unius theologi.

Hanc secundam sententiam tenent Lorcas, Turianus quos citat et sequitur Sylvius lib. 1. *Controv.* q. 2. a. 13, Bonfrerius *Prœloq.* cap. 15. lect. 3, Basilius Pontius p. 3. cap. 2, Annatus *in Apparatu* lib. 3. a. 5. et alii plures.

Attamen quia prima sententia videtur communior, ejus responsiones ad rationes secundæ sententiæ hic subjicio. Itaque

Ad primam respondent concilium loqui de insignioribus Vulgatæ partibus, puta libris, capitulis et versiculis, non autem de singulis illius verbis aut voculis.

Ad secundam, merito prohibet Tridentinum Vulgatam sub quocumque prætextu rejicere, quia quamvis contineat quædam levia errata, non licet privata auctoritate ea corrigere, sed expectandum est judicium Ecclesiæ. Vel intelligendum est concilium non licere eam rejicere quoad ea quæ fidem et mores spectant.

Ad tertiam, patet responsio ex dictis, scilicet quod Ecclesia jubeat vulgatam haberi pro sacra, quoad partes insigniores præsertim quæ spectant fidem et mores, non quoad minutiora, et ideo non inducit in errorem.

Ad quartam; hæc minutiora errata quæ non spectant fidem aut mores, non proponuntur nobis ab Ecclesia ut revelata : doctrinam autem fidei et morum dicunt ea esse omnia quæ spectant mysteria religionis nostræ, consilia divinæ voluntatis, quæ fidem et religionem juvant, pietatem alunt, mores informant; non autem pertinere ad fidem et mores quædam nomina locorum, urbium, fluminum, plantarum et similia.

Ad quintam, fatentur hæc salva fide non posse negari, tum quia sunt insigniores partes et libri integri, qui ex decreto Ecclesiæ pro canonicis habentur : tum quia in his historicis plurima sunt quæ spectant consilia divinæ voluntatis, pietatem et mores.

Juxta has duas ultimas responsiones paucis videntur differre ambæ sententiæ.

ARTICULUS VII.

UTRUM LICEAT LEGERE SCRIPTURAM SACRAM IN LINGUA VULGARI?

Dico 1°: Lectio Scripturæ Sacræ in lingua vulgari non est per se mala, nec absolute prohibita ab Ecclesia.

Prob. Quia si versio in lingua vulgari sit fidelis, eadem est substantialiter ac hebraica, græca, vel latina ; neque ulla lex in Ecclesia extat, qua absolute prohibeatur. Calumniantur ergo Ecclesiam hæretici, dum clamitant eam eripere filiis suis panem spiritualem, et testamentum Patris sui.

Dico 2° : Stante lege, non est omnibus promiscue licitum legere Scripturam Sacram in lingua vulgari, sed iis solum quibus id concessum est ab episcopis, aut inquisitoribus, vel a suis prælatis, si agatur de regularibus.

Ita regula quarta indicis concil. Trid. his verbis : « Cum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua, passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri : hac in parte judicio episcopi aut inquisitoris stet, ut cum consilio parochi vel confessarii, bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerunt, ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei, atque pietatis

augmentum capere posse ; quam facultatem scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius bibliis ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ vero qui prædictam facultatem non habenti biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum amittant, aliisque pœnis pro delicti qualitate, episcopi arbitrio subjaceant. Regulares vero nonnisi facultate a prælatis suis habita, ea legere aut emere possint. » Quam regulam Pius IV, bulla *Dominici Gregis* data anno 1564 et Clemens VIII, bulla *Sacrosanctum* 1593, præfixis ipsi indici observari mandarunt.

Hujus autem legis æquitatem probat ipsa ratio quam profert regula, nempe quod, « experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri.» Enimvero cum in S. Scripturis plura sint intellectu difficilia, ut ipse S. Petrus epist. 2. c. 3. expresse et specialiter testatur de Epistolis S. Pauli et quædam apparenter contradictoria, plebeii, ut plurimum illitterati, ex S. Scriptura male intellecta in varios abirent errores, quod experientia comprobatum est, cum inde omnes fere hæreses natæ sint. Deinde quis putas sensus erit rustici aut mulierculæ legentis in Osea, *Fac tibi filios fornicationum,* in Canticis, *osculetur me osculo oris sui,* item adulterium Davidis, incestum Thamar, quod Joseph inebriaverit fratres suos, quod Sara, Rachel et Lia dederint ancillas suas in concubinas viris suis, etc., nonne apprehendet, ut licita, quæ sunt pessima et ad ea patranda provocabitur, aut S. Scripturam ut mendacem rejiciet ? et ideo Christus monet Ecclesiam in Apostolis : *Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis:* quæ verba S. Chrysostomus, hom. 12, Oper. Imperfecti, interpretatur de mysteriis fidei in S. Scriptura. Insuper periculum est ne versiones S. Sripturæ in linguam vulgarem sint infideles, ut jure præsumitur de versionibus hæreticorum, et constat de famosa versione Montensi, toties a summis Pontificibus reprobata, cujus sexaginta millia exemplaria anno 1691 feruntur jam distributa fuisse. Tandem si biblia vulgari lingua passim permitterentur, contingeret quod jam suo tempore damnabat S. Hieronymus *Epist. ad Paulinum,* ubi dicit : « Sola Scripturarum ars est quam sibi passim omnes vindicant..... hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. » Cui præcecinerat Apost. 1. ad Timoth. 1. dicens : *Volentes esse legis doctores; non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Dices 1° : Christus Joan. 5 generaliter monet Judæos, ut scrutentur S. Scripturas : et SS. Patres hortantur fideles, imo quasi præcipiunt legere Scripturas : inter alios S. Chrysostomus homil. 9. *in Epist. ad Coloss.* « Audite, inquit, obsecro, sæculares omnes..... comparate vobis biblia animæ pharmaca, si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite »: ergo.

Resp. ad primum in textu non haberi *scrutemini*, sed *scrutamini* quod Estius et alii plures interpretes intelligunt indicative, id est, inquiritis et legitis S. Scripturas. Verum esto intelligatur imperative, Christus ibi alloquitur scribas et pharisæos qui callebant linguam S. Scripturæ, scilicet hebraicam, lingua enim vulgaris tunc erat syriaca, et cum nollent ejus divinitatem agnoscere remittit eos ad S. Scripturas ut confundantur : unde nihil inde contra conclusionem.

Ad secundum, SS. Patres hortantur fideles ad lectionem S. Scripturarum, quia tunc inde uberes fructus sperabant ob docilitatem legentium, quod his temporibus sperari non potest saltem in pluribus, ut infelici experientia notum est. Mutatis ergo circumstantiis Ecclesia prohibet uno tempore quod permisit altero.

Dices 2°: Lectio Scripturæ Sacræ in lingua vulgari est æque bona et utilis ac in lingua latina : ergo non magis illa quam ista debet prohiberi.

Resp. dist. ant. Est æque bona et utilis, etc. et est æquale periculum abusus in utraque, nego. Et non est æquale periculum abusus, conc. Qui enim intelligunt linguam latinam, communiter sunt doctiores aliis, et recurrere possunt ad interpretes pro intelligentia S. Scripturæ. Insuper rarius occurrunt versiones latinæ infideles quam vernaculæ.

Inst. 1°: S. Scriptura est testamentum et epistola Dei ad nos pro nostra omnium instructione : atqui non est æquum prohibere filiis legere testamentum patris, et subditis legere epistolam ad eos directam pro eorum instructione : ergo.

Resp. neg. suppositum minoris : non enim prohibetur absolute lectio S. Scripturæ in lingua vulgari, sed tantum requiritur conditio ut cum fructu legatur et removeatur abusus :

neque ii in quibus non reperitur conditio sinuntur ignorare quæ ex illo testamento et ex illa epistola illos spectat, sed de iis instruuntur per pastores, catechistas et prædicatores ; 2°. dist. min. Non est æquum, etc. si ex lectione, etc. non sequatur gravius inconveniens, conc. secus, nego. Et sic ageretur in civilibus.

Inst. 2° Juxta S. Augustinum prædicanda est prædestinatio, etsi aliqui inde offendantur : ergo.

Resp. neg. conseq. 1° quia S. Augustinus id dixit contra pelagianos qui negabant necessitatem gratiæ, in quo casu necessaria erat ad eos revincendos prædicatio prædestinationis ; nihil autem simile in nostro casu occurrit. 2° Prædicatio prædestinationis inspirat homini humilitatem, Dei amorem, fiduciam in ejus misericordia, atque intimum sensum de ejus supereminenti altitudine ac supremo et universali dominio : ad hæc autem non requiritur necessario lectio Scripturæ Sacræ, sed haberi possunt per pastores, confessarios et pias lectiones.

Inst. 3°: Fit abusus in vino, in Eucharistia et in pluribus aliis quæ tamen non prohibentur: ergo.

Resp. neque prohiberi absolute, ut jam toties dixi, lectionem S. Scripturarum, sed requiri conditionem ut caveantur abusus, quod pariter fieri posset circa vinum, Eucharistiam et alia. Non fit tamen circa vinum, quia generalior est ejus convenientia, neque circa Eucharistiam, quia est præceptum Domini de ea sumenda : secus quoad utrumque de lectione S. Scripturæ. Deinde quid simile habemus circa Eucharistiam, etenim propter diminutionem charitatis et mores corruptos, nunc non probatur tam frequens usus Eucharistiæ, quam in primativa Ecclesia.

Petes 1° utrum saltem pastores, concionatores et ii qui ad hæc munia disponuntur, possint legere S. Scripturam in lingua vulgari ?

Respondet probabilius affirmative Sylvius lib. 1 *Controv.* q. 2. a. 14, dicitque hanc sententiam esse communi virorum doctorum et proborum usu probatam. Rationem adfert ex ipso concilio Trid. in cujus sess. 22. cap. 8. præfatis mandatur ut inter missarum solemnia exponant per se vel per alios aliquid ex eis quæ in missa leguntur, ut sunt Epistolæ et Evangelia: non est autem consultum quod quilibet parochus aut concionator ista vertat in linguam vulgarem, tum quia non omnes sunt hujus capaces, tum quia id magnam varietatem et confusionem pareret in Ecclesia : quapropter ii videntur habere licentiam ab ipso concilio.

Petes 2° utrum qui curæ animarum non deputantur, sciunt tamen linguam latinam, possint legere S. Scripturam in vulgari lingua ?

Resp. quosdam affirmare, contrarium tamen ut probabilius tenet laudatus Sylvius, quia hi videntur comprehendi in prohibitione generali ; lex enim dicit generaliter regulares (inter quos multi callent linguam latinam) non posse legere aut emere biblia lingua vulgari edita, nisi obtenta facultate a suis prælatis, et id forte quia versiones vulgares sunt frequentius vitiatæ. Cæterum intellige nisi usus contrarius prævaluerit, ut jam dicturus sum. Itaque

Dixi in conclusione « stante lege » ; quia in pluribus locis consuetudo contraria legi derogavit, et in quibusdam penitus abrogavit : sic in his partibus et in pluribus aliis sine scrupulo leguntur vernacule Epistolæ et Evangelia missæ, officium hebdomadæ sanctæ, compendia historiæ veteris et novi Testamenti ; bibliopolæ vendunt omnibus promiscue biblia in lingua vulgari, non inquirentes, an qui emunt habeant licentiam in scriptis. Denique in Gallia, Germania, Hollandia promiscue leguntur ab omnibus biblia vernacula, scientibus et non contradicentibus episcopis, imo quibusdam hanc lectionem suadentibus. Neque repugnat aliquam legem vigere in uno territorio et non in alio.

« Quid autem facere debeamus nos, inquit P. Henno tract. *de Virtutibus* d. 2. q. 1. a. 5. concl. 3. aliique Gallis vicini (degebat tunc Tornaci in Belgio) apud quos sunt innumera biblia gallica, saltem novi Testamenti, in omnibus fere familiis honestioribus dispersa ; apud quos, inquam, aliqui episcopi et pastores plurimi, non solum novi Testamenti lectionem permittunt, sed præcipiunt aut insinuant? Certe nec scio, nec video, nisi quod in illis servet unusquisque Ecclesiæ suæ morem receptum. » Prudenter tamen laudatus theologus monet non esse facile permittendam lectionem veteris Testamenti, nisi viris id intelligentibus, et cavendum esse a versionibus adulteratis.

ARTICULUS VIII.

DE SCRIPTURÆ SACRÆ SENSIBUS.

Sensus S. Scripturæ nihil est aliud quam verborum ejus immediata, meditatave significatio a Deo intenta.

Dico 1° : [1] Duplex est in genere sensus Scripturæ Sacræ, litteralis seu historicus, et mysticus seu spiritualis.

Prob. [2]: Auctor Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia quod ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid: illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis : illa vero significatio qua res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis seu mysticus qui super litteralem fundatur et eum supponit : sic hæc vox «manna» significat litteraliter cibum levem; iste autem cibus levis significat mystice Eucharistiam.

Sensus litteralis dicitur a D. Thoma et passim a theologis, historicus, non quod semper historiam referat, ut patet in hac propositione : *Diliges Dominum Deum tuum* ; sed ad distinctionem sensus mystici qui fundatur in historia seu re gesta; et quia quælibet propositio sensus litteralis inserta est historiæ tanquam pars ejus.

Dico 2° : Duplex est sensus litteralis, unus proprius et grammaticalis, alter improprius et metaphoricus. Sensus proprius et grammaticalis est is quem verba ex sua primaria significatione significant; sic leo proprie et grammaticaliter significat animal rugibile : improprius et metaphoricus est dum verba ad impropriam significationem transferuntur propter aliquam similitudinem : sic in hac propositione ; « vicit Leo de tribu », leo significat improprie et metaphorice Christum.

Dico 3°: [3] Triplex est sensus spiritualis seu mysticus, scilicet allegoricus, moralis seu tropologicus et anagogicus : quia vel res significatæ per verba, significant aliquid aliud pertinens ad Ecclesiam militantem, et est sensus allegoricus respondens fidei ; vel significant aliquid pertinens ad mores, et est sensus moralis respondens charitati ; vel significant aliquid pertinens ad Ecclesiam triumphantem seu æternam beatitudinem, et est sensus anagogicus respondens spei : hi tres sensus cum litterali exprimuntur his tritis versibus :

> Littera gesta docet, quid credas allegoria,
> Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Inter alia sit exemplum : hæc vox « Jerusalem » juxta S. Hieronymum in cap. 16. Ezech. litteraliter significat urbem Palestinæ, allegorice significat Ecclesiam militantem, moraliter animam justi, anagogice Ecclesiam triumphantem.

Dices 1°: Hi tres sensus continentur etiam sub litterali ; istud enim : *Et Verbum caro factum est*, pertinet ad fidem Ecclesiam militantem : istud : *Diliges Dominum Deum tuum*, pertinet ad mores ; et istud : *Ibunt justi in vitam æternam*, pertinet ad Ecclesiam triumphantem.

Resp. ita quidem esse, sed non sunt sensus mystici ; nos autem modum loquendi SS. Patrum et interpretum sequentes, omisso sensu litterali, dividimus, et bene, sensum mysticum in has tres species.

Dices 2°: Sensus metophoricus videtur pertinere ad sensum mysticum ; dum enim dicitur: *vicit leo de tribu Juda*, per leonem animal, quod est res significata, significatur Christus : ergo.

Resp. neg. ant. et ejus probationem : non enim per leonem ut est res, in hac propositione significatur Christus ; alioquin verum esset quod leo, verum animal, vicisset ; sensus enim litteralis est semper verus : sed per hanc vocem, « leo », translatam propter similitudinem ad sensum improprium, significatur immediate Christus. Itaque sensus litteralis significatur per verba ut verba sunt proprie vel improprie sumpta, sensus autem mysticus significatur per res ut res sunt. Quod ut melius percipiatur, observandum est quod jam dixi, in omni sententia S. Scripturæ reperiri sensum litteralem cum sit fundamentum spiritualis, et ideo eo secluso nullus foret sensus : sensus autem litteralis semper est verus, cum Spiritus Sanctus non possit dicere falsum : quando ergo sensus proprius et grammaticalis est falsus seu repugnans, tunc sensus litteralis est improprius et metaphoricus : sic cum Christus Math. 5. dicit : *Si oculus scandalizat te, erue eum,* sensus proprius et grammaticalis est repugnans, alioquin revera esset eruendus oculus, sed est sensus litteralis metaphoricus, quatenus τo « oculus » significat quidquid nobis est æque pretiosum ac oculus. E contra cum dicitur Psal. 77 : *Pluit illis manna*, manna litteraliter significat cibum levem, et hic sensus litteralis grammaticalis est verus : iste autem cibus levis significat mystice Eucharistiam, ut jam dictum est.

Petes 1° ad quem sensum pertineat parabolicus ?

[1] 1. p. q. 1. a. 10. o. [2] Ibid. [3] Ibid.

exemplarium, atque assidua Patrum et interpretum lectio.

Petes 11° quid sit sensus accommodatitius?

Resp. Quod sit sensus quem verba S. Scripturæ habent, non ex intentione Dei, aut scriptoris sacri, sive litteraliter sive mystice, sed ex intentione hominis ea applicantis ad significandum aliquid simile illi quod exprimitur in S. Scriptura. Unde non est sensus S. Scripturæ, sed hominis detorquentis veram significationem S. Scripturæ ad aliud propter similitudinem; sicut si quis hæc verba Rebeccæ dicta de Jacob et Esau, Genes. 25: *Major serviet minori*, applicaret natu minori alicujus familiæ, cui natu major servire debeat.

Hoc sensu accommodatitio plura dicta de sapientia æterna applicat Ecclesia Divæ Virgini, plura dicta de Noe, Moyse et Aarone Eccli. 44 et 45, ut: *Inventus est justus et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi. Similem illum fecit in gloria sanctorum. Statuit illi testamentum æternum et dedit illi sacerdotium,* applicat SS. Confessoribus Pontificibus.

Petes 12° utrum liceat cuique privato usurpare verba S. Scripturæ in sensu accommodatitio?

Resp. in rebus bonis et ex bono fine licitum esse, modo tamen non proferatur ut sensus S. Scripturæ. In nugis, jocis, adagiis irreligiosum est. In falsis, scurrilibus, adulationibus, detractionibus, impudicis, impium et sacrilegum.

DISSERTATIO II.

De traditionibus.

ARTICULUS I.

QUID, QUOTUPLEX SIT TRADITIO, ET QUANTÆ AUCTORITATIS?

Traditio generaliter est doctrina ab uno alteri scripto, vel voce communicata : unde Apost. 2. Thessal. 2: *Tenete,* inquit, *traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam,* id est sive voce, sive scripto. Dicitur « doctrina », quia traditio hic non sumitur pro actu transmittendi, sed pro re transmissa.

Specifice autem sumpta traditio prout distinguitur a S. Scriptura, est doctrina ab uno alteri viva voce communicata. Est vel bona, vel mala, vel inutilis. Item vel spectat politiam civilem, vel fidem et mores fidelium. Hic agitur de traditione bona spectante fidem et mores fidelium.

Dico 1°: Traditio sic sumpta definiri potest: « Doctrina ad fidem et mores christianos pertinens, viva voce a suo auctore communicata.» Dicitur: « a suo auctore »; quia non obstat traditioni, si semel a suo auctore sola voce communicata, postea ab aliis scripto mandetur: hujusmodi sunt baptismus parvulorum, perpetua virginitas B. Mariæ, jejunium quadragesimale, celebratio festorum Paschæ et Pentecostes, et plura alia.

Dico 2°: Traditio ex parte originis dividitur in divinam, apostolicam et ecclesiasticam. Divina est quæ a Deo Patriarchis, vel a Christo discipulis, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, viva voce ad pastores communicata est. Apostolica est quam Apostoli auctoritate apostolica, tanquam Ecclesiæ præfecti, instituerunt. Ecclesiastica est quam concilia, aut summi pontifices aut SS. Patres introduxerunt.

Observandum tamen hæc vocabula, divina, apostolica, ecclesiastica, quandoque a SS. Patribus confundi : etenim traditiones divinas interdum vocant apostolicas et ecclesiasticas,

quia licet sint immediate a Deo, per Apostolos promulgatæ sunt, et per Ecclesiam ad nos transmissæ. Interdum etiam apostolicas et ecclesiasticas vocant divinas, non quod sint immediate a Deo, sed quia Apostoli, aut Ecclesiæ prælati eas instituerunt inspirante Spiritu Sancto ut instituerent, vel quia eas instituerunt auctoritate a Deo accepta, vel quia ad exemplum Christi eas instituerunt, ut v. g. jejunium quadragesimale.

Ratione materiæ, traditio dividitur in dogmaticam et moralem, seu ritualem. Prima versatur circa dogmata, ut Patrem esse ingenitum, esse quatuor Evangelia, septem sacramenta, B. Mariam fuisse ante, et post partum virginem, etc. Secunda spectat mores, ut observandum esse jejunium quadragesimale, celebrandum festum Paschæ, etc.

Ratione temporis, dividitur in temporalem, quæ ad tempus tantum fuit instituta, ut est abstinentia a sanguine et suffocato, trina immersio in baptismo : et in perpetuam, quæ instituta est, ut perpetuo duratura, ut baptismus parvulorum, validitas baptismi ab hæreticis collati.

Dico 3°: Traditio divina est infallibilis auctoritatis et fidei regula : quia est verbum Dei, non minus quam Scriptura Sacra : Scriptura Sacra autem non est infallibilis auctoritatis et fidei regula, quia est scripta, sed quia est verbum Dei : unde Trid. sess. 4. cap. 1. declarat se, « Pari affectu et reverentia suscipere ac venerari » traditiones divinas ac Scripturam Sacram. Ex quo colliges ex traditione divina firmum et efficax posse formari argumentum, sicut ex S. Scriptura Divina.

Traditio apostolica tantæ est auctoritatis quantæ sunt decreta apostolica. Traditionis vero ecclesiasticæ ea est auctoritas, quæ est legum ecclesiasticarum : unde traditiones apostolicæ et ecclesiasticæ patiuntur dispensationem, derogationem et abrogationem.

Petes quæ sit regula dignoscendi traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam ?

Resp. 1°: Regula dignoscendi traditionem in communi, ea est quam statuit S. Aug. lib. 4. *contra Donat.* c. 24: « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, sed semper retentum, non nisi apostolica auctoritate traditum certissime creditur. »

Resp. 2°: Regula dignoscendi traditionem divinam, prout ab apostolica distinguitur, est, si Ecclesia tenet aliquid tanquam de fide, aut aliquid, quod non nisi a Deo potest institui, esse servandum, est traditio divina nobis per Apostolos transmissa. Ratio est quia Ecclesia errare non potest : ergo quod dicit esse de fide, aut esse servandum, ita est. Subsumo: atqui nihil est de fide, nisi sit a Deo immediate traditum, neque id quod a solo Deo potest institui vere dicitur servandum, si a Deo non sit institutum : ergo. Sic sunt traditiones divinæ, baptismus parvulorum, validitas baptismi hæreticorum, perpetua virginitas B. Mariæ, tria sacramenta, baptismum, confirmationem et ordinem esse iterabilia, etc.

Dixi : « per Apostolos nobis transmissa » : quia Ecclesia post tempora Apostolorum non habet novas revelationes, sed omnia fide tenenda revelata sunt Apostolis a Deo, sive per Christum loquentem, sive per Spiritum Sanctum dictantem et docentem omnia juxta promissiones ipsis factas a Christo Joan. 14 et 16. Quando ergo Ecclesia definit aliquid a Deo traditum, et fide divina credendum, non condit novum articulum fidei, id enim jam erat de fide, etsi non explicita, Apostolis revelatum; sed declarat quod id quod non noscebatur esse fidei, ita nunc esse habendum; ut jam alibi observavimus.

Altera regula dignoscendi traditionem divinam est : quando Patres priorum sæculorum tenent unanimiter, tanquam de fide, aliquid non scriptum, et oppositum damnant ut hæreticum, est traditio divina.

Quæstio hic potissimum est de traditionibus divinis, quas non esse admittendas contendunt hodierni hæretici, gnosticorum, valentinianorum et marcionitarum in hoc exempla secuti : unde Calvinus lib. 4. *Inst.* c. 2, § 8 hanc regulam statuit : « Esto hoc firmum axioma, non aliud habendum esse verbum Dei, cui detur in Ecclesia locus, quam quod lege primum ac Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur » : unde sit

ARTICULUS II.

UTRUM TRADITIONES DIVINÆ SINT NECESSARIO ADMITTENDÆ ?

Dico : Præter Scripturam Sacram, necessario sunt admittendæ traditiones divinæ.

Prob. 1° ex S. Scriptura : Apost. 2. Thessal. 2, dicit : *State et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam,* id est sive voce, sive scripto : et loquitur de traditionibus divinis, et ad fidem pertinentibus, quia hortatur ibi Thessalonicenses, ut permaneant

in fide : unde S. Chrysostomus ad hæc verba ait : « Hinc patet quod non omnia per epistolam tradiderunt (Apostoli) sed multa etiam sine litteris ; eadem vero fide digna sunt, tam illa, quam ista ; itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus : traditio est, nihil quæras amplius ». Idem Apost. 2. Tim. 1 : *Formam habe*, inquit, *sanorum verborum quæ a me audisti.* In quæ verba S. Chrysostomus citatus iterum ait : « Non modo per litteras, sed etiam verbis, discipulo quæ essent agenda dictavit, quod plurimis et aliis in locis ostendit dicens (2. Thesal. 2.) sive per verbum, sive per epistolam quasi per nos missam.» Item cap. 2 : *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu : et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt, et alios docere :* hæc autem vocabula : *quæ a me audisti per multos testes,* aperte indicant Apostolum loqui de traditis voce, non scripto.

Prob. 2° ex SS. Patribus : præter Chrysostom. jam citatum, Dionysius *de Eccles. Hierarch.* c. 1, de Apostolis loquens, dicit : « Primi illi nostri muneris sacerdotalis duces... summa illa, et supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, nobis tradiderunt.» Irenæus l. 3. c. 3 : « Traditionem apostolorum, inquit, in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire.» Et cap. 4 : « Quæ sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem : et si de aliqua modica quæstione disputatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et eis sumere de præsenti quæstione, quod certum et liquidum est. Quid autem si neque Apostoli reliquissent nobis S. Scripturas? Nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum Sanctum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt per Jesum Christum Dei filium. »

Tertullianus *de Corona Militis* c. 4, post enumeratas quasdam observantias christianæ religionis de baptismo, de oblationibus pro defunctis et similibus dicit : « Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules, scripturam nullam invenies : traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo conservatrix et fides observatrix : rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexit, disces. »

Origenes in cap. 6. Epist. Rom. : « Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditione accepit, etiam parvulis baptismum dare. »

S. Basilius *de Spiritu Sancto* cap. 27, ait : « Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto recepimus, quorum utraque parem vim habet ad pietatem. » Et hom. 28, *contra Sabellium, Arium et Anomœos :* « Et ne Spiritum Sanctum, inquit, a Patre et Filio separes, absterreat te dominica traditio; Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, martyres confirmarunt, satis tibi sit ut dicas quemadmodum S. Cyrillus (*Catechesi* 5.). Videte itaque, fratres, ut servetis traditiones quas nunc accepistis et in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis. »

Epiphanius *Hæresi* 61 : « Oportet ex traditione uti, non enim omnia a Divina Scriptura possunt accipi, quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione SS. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus, *sicut tradidi vobis.*» Et *Hæresi* 69 : « Respondete nobis, Arii discipuli : Ingenitum dicimus omnes simul Patrem et increatum, et admirabilis est dictio scilicet : ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite, neque enim lex, neque Prophetæ, neque Apostoli. »

S. Hieronymus in *Dialogo contra Luciferianos* cap. 4 : « Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret : nam et multa alia quæ per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.»

S. Augustinus lib. *contra Donatistas* cap. 24, tradit regulam pro dignoscendis traditionibus; vide art. præcedenti. lib. 2. cap. 7, loquens de non rebaptizandis hæreticis : « Multa, inquit, quæ non inveniuntur in litteris eorum (Apostolorum) neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam Ecclesiam custodiuntur, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.» Lib. 3. *contra Maximin.* cap. 3 : « Da testimonia ubi adoratur Spiritus Sanctus, quasi non eis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar, tu ubi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum? Et tamen verum est. »

Plures alios Patres omitto qui legi possunt apud controversistas.

Prob. 3°: Ecclesia aliquando stetit solis traditionibus sine Scriptura : ergo traditiones non sunt rejiciendæ. Prob. ant. Tempore legis naturæ, ab Adamo ad Moysen, nulla fuit Scriptura, sed ex sola traditione habebatur fides de creatione mundi, de futura vita, de remedio peccati originalis, de cultu Dei, etc. Tempore legis scriptæ a Moyse ad Christum licet plura fuerint scripta, erat tamen sola traditio de remedio peccati originalis pro fœminis, de divinitate librorum canonicorum et de multis aliis : unde Deuteron. 32, dicitur : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit, majores tuos, et dicent tibi.* Et Eccle. 8 : *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis.* In nova autem lege, antequam Apostoli et Evangelistæ post ascensionem Christi scriberent aliquid, stetit Ecclesia et fides Christi solis traditionibus : ergo.

Prob. 4°: Multa sunt fide divina credenda, quæ et ipsi hæretici credunt, quæ tamen non continentur expresse in S. Scriptura, sed sola traditione tenentur, ut quod Pater sit ingenitus, quod parvuli sint baptizandi, quod baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi, quod Dei-para ante et post partum manserit virgo, quod sint quatuor Evangelia et non plura, etc. Hæc, inquam, et multa alia fide divina creduntur in Ecclesia, hæc ipsi hæretici credunt, et tamen non continentur in Scriptura, sed ex sola traditione habentur ; imo ipsorum principium quod firmissime credunt « nihil esse recipiendum nisi in Scriptura expressum », non invenitur in Scriptura : ergo velint nolint, traditiones admittere coguntur.

Confir. Unde sciunt hæretici Scripturam quam tantopere commendant, esse sacram et divinam? Non ex ipsa Scriptura, id namque non dicit, et si diceret, non magis teneremur illi credere quoad hoc, quam quoad alia, nisi prius aliunde nobis constaret quod sit divina ; non est enim infallibilis, nisi quia divina : ut ergo illi asserenti se esse divinam credam, debet mihi prius aliunde constare quod sit divina, alioquin omni libro asserenti se esse a Deo, etiam ipsi Alcorano, tenerer credere ut Scripturæ Divinæ : ex sola ergo traditione habetur quod hæc et non alia Scriptura sit sacra et divina.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°: Traditiones reprobantur in S. Scriptura : ergo. Prob. ant. 1°. Deuteron. 4. dicitur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor: nec auferetis ab eo.* 2° Apocal. ultimo: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas.* 3°. Galat. 1 : *Licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Matth. 15 : *Irritum fecistis mandatum meum propter traditionem vestram.* Ergo.

Resp. neg. ant. Ad primum, Moyses prohibet aliquid addi verbo Dei quod loquitur, prava interpretatione illud corrumpendo, alterando, impugnando : non autem prohibet addere aliud verbum Dei sive scriptum, sive traditum, alioquin rejiciendi forent omnes libri canonici scripti post Deuteronomium.

Ad secundum, eadem est responsio : vel dicendum S. Joannem prohibere ne quid addatur Apocalypsi quasi esset pars illius: sicut enim noluit rejicere omne aliud verbum scriptum præter Apocalypsim, ita nec traditum.

Ad tertium, το *præter* in verbis Apostoli sumitur pro *contra* ut illud ejusdem Apostoli Rom. cap. ultimo; observate eos *qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt,* id est contra doctrinam. Et patet tum quia Apostolus ibi reprehendit Galatas quod se abduci permiserant per falsos apostolos a veritate quam illis annuntiaverat ; tum quia alioquin damnaret quæ ipsemet alibi et postea scripsit, item Evangelium et Apocalypsim S. Joannis, quæ post Epistolam ad Galatas scripta sunt. Observat autem S. Chrysostomus Apostolum ex industria dixisse *præter* et non *contra*, ut perstringeret, non solum eos qui aperte, sed etiam qui occulte docent aliquid contrarium prædicationi Evangelii, quo licet non totum subvertitur Evangelium, ex parte tamen et secundum quid labefactatur ; et ita intelligendus est Theophilactus dum dicit : « Neque etiam si prædicaverint contraria, intulit Apostolus, sed si prædicaverint aliquid præter id quod prædicavimus », quo scilicet labefactetur minima pars doctrinæ quam prædicavimus. Idque eo verius est, quod Theophilactus commentaria S. Chrysostomi pene de verbo ad verbum exscribat, S. Chrysostomus autem præter id quod diximus ex ipso, eamdem explicationem habet hom 1. in Epist. ad Galat.

Obj. 2°: Sufficit S. Scriptura: ergo inutiles sunt traditiones. Prob. ant. Apost. 2 Timoth. 3, dicit : *Ab infantia sacras litteras nosti quæ te possunt instruere ad salutem quæ est in Christo Jesu: omnis doctrina divinitus inspi-*

rata utilis est ad docendum..... ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Joan. 20: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc, hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes habeatis vitam in nomine ipsius* : ergo.

Resp. neg. ant. Ad primum litteræ quas Timotheus didicerat ab infantia erant litteræ veteris Testamenti; tunc enim novum nondum erat scriptum; poterant autem litteræ veteris Testamenti instruere Timotheum initiative non consummative. Addit Apostolus omnem doctrinam divinitus inspiratam esse utilem, ut perfectus sit homo Dei; at non dicit esse sufficientem : sic pietas est utilis ut homo sit perfectus pastor in regimine Ecclesiæ, at non sufficit.

Ad secundum, Evangelista loquitur non de sufficienta doctrinæ, sed miraculorum quæ Christus fecerat, quæ sat numerosa erant ad persuadendum hominibus Christum esse filium Dei. Ita etiam intelligendi sunt S. Aug. et S. Cyrillus in hunc locum.

Hoc argumentum de sufficientia S. Scripturæ hæretici latissime urgent ex SS. Patribus : omnes referre longum foret : quosdam referam, deinde statuam qnasdam regulas generales ad aliorum intelligentiam.

Obj. 3°: Ex S. Irenæo qui lib. 3, *Adversus Hæreses* c. 1, hæc habet: « Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconisaverunt, postea vero per Dei voluntatem in S. Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostræ ». Ergo.

Resp. in primis S. Irenæum non asserere Apostolos scriptis mandasse omnia quæ prædicaverant. Insuper agit ibi contra marcionistas qui rejiciebant scripta Apostolorum et illis alia falsa opponebant, dicentes Spiritum Sanctum in Apostolis non fuisse locutum *sed reperiri veritatem aliquando in Valentino, aliquando in Marcione, aliquando in Cerintho*, ut ibidem dicit Irenæus. Non ergo ibi rejicit traditiones s. præsul, sed probat apostolica scripta esse recipienda ex suis auctoribus.

Inst. 1°: S. Irenæus cap. sequenti redarguit Valentinianos, qui dum S. Scripturis premuntur, confugiunt ad traditiones, « quasi non possit inveniri veritas ab his qui nesciunt traditiones » : ergo.

Resp. S. Irenæum loqui ne traditionibus humanis quas Valentiniani obtrudebant, rejectis apostolicis scriptis: addit enim ibidem : « Cum autem ad eam iterum traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem». Ad hæc obmutescere deberent hæretici. Attamen

Inst. 2°: S. Irenæus l. 4. cap. 66, dicit inveniri in S. Scripturis « universam actionem et omnem doctrinam et omnem passionem Christi ». Ergo.

Resp. juxta S. Irenæum, omnem doctrinam in S. Scripturis contineri quoad subjectam materiam : probat enim ibi contra marcionistas, actiones et passionem Christi fuisse prædictas a Prophetis et expositas ab Apostolis, ideoque omnem de his doctrinam contineri in S. Scripturis : « Legite, inquit ibidem, diligentius id quod ab Apostolis est Evangelium nobis datum, et legite diligentius Prophetas, et invenietis universam actionem et omnem passionem Domini nostri prædictam in ipsis ». Nihil inde contra traditiones. Quanta vero perspicuitate earum necessitatem adstruit S. Irenæus, patet ex probationibus conclusionis.

Obj. 4°: Tertullianus lib. *Adversus Hermogenem* cap. 2, dicit: « Adoro Scripturæ plenitudinem..... scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat *væ* illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum. »

Resp. Tertullianum adorare plenitudinem S. Scripturæ non quoad omnia dogmata in specie, sed quoad illud quod propugnabat adversus Hermogenem, scilicet Deum creasse mundum ex nihilo et non ex præjacente et coæterna materia produxisse ut dicebat Hermogenes, contra hæc apertissima S. Scripturæ verba : *In principio Deus creavit cœlum et terram*: unde jure timendum erat Hermogeni *væ* destinatum adjicientibus S. Scripturæ aliquid quod sit ipsi contrarium. Patet si integer textus referatur: « Adoro, inquit Tertullianus, Scripturæ plenitudinem, qua mihi et factorem manifestat et facta. An autem de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi? Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat *væ* illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum. »

Inst. Tertull. lib. *de Carne Christi* cap. 7. Hermogenem alloquens, dicit : « Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers »: ergo.

Resp. his verbis Tertullianum non rejicere traditiones quas ibid. cap. 2, diserte adstruit,

sed quæ ex proprio cerebre et sui erroris officina proferebat Hermogenes, scilicet Judæos Math. 12. ℣. 47, nuntiasse Christo « tentandi gratia matrem et fratres quos non habebat »: sic interpretabatur Hermogenes, ne humanam Christi generationem fateretur: cui reponit Tertullianus : « Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers.»

Obj. 5°: Origenes hom 1. *in Jeremiam* dicit: « Necesse est nobis Scripturas Sanctas in testimonium vocare : sensus quippe nostri et enarrationes sine iis testibus non habent fidem » : ergo.

Resp. Originem sic loqui non de omni Religionis dogmate, sed de singulari quodam Prophetæ oraculo, hoc scilicet : *Ecce ego constitui te hodie super gentes et regna ut evellas et destruas*, etc. quod de Jeremia figurate dictum, de Christo esse intelligendum ex testimoniis veteris et novi Testamenti probare aggreditur.

Obj. 6° : Cyprianus Epist. 74 *ad Pompeium* contra hanc sententiam Stephani: « Nihil innovetur nisi quod traditum est ; (dicit) unde ista traditio? Ea facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur »; ergo.

Resp. Cyprianum traditionem de non rebaptizandis hæreticis rejecisse, quia illam commentitiam existimabat, in quo erravit, non vero alias quas legitimas putavit.

Obj. 7°: S. Basilius *in Asceticis* cap. de Vera et Pia Fide, dicit: « Manifestum hoc infidelitatis argumentum fuerit et signum superbiæ certissimum, si quid eorum quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non sunt scripta introducere » : ergo.

Resp. hæc ultima verba, « aut eorum quæ non sunt scripta introducere, » in quibus est vis argumenti, intelligenda sunt de iis quæ contraria sunt S. Scripturæ aut ab ea aliena, ut patet ex sequentibus ibidem.

Inst.: S. Basilius epist. 80, dicit : « Stemus arbitratui inspiratæ a Deo Scripturæ. »

Resp. juxta S. Basilium standum esse S. Scripturæ quando aliquod dogma clare exprimit : si autem de aliquo dogmate taceat aut subobscure loquatur, non negat S. Basilius recurrendum esse ad traditiones quas diserte asserit locis inter probationes citatis.

Obj. 8°: S. Chrysost. hom. in Psal. 95: « Si quid dicitur absque Scriptura, inquit, auditorum cogitatio claudicat » : ergo.

Resp. sensum S. Chrysostomi esse, quod si aliquid dicatur sine S. Scriptura, ex propria inventione, non ita persuadeatur, ac si testimonio S. Scripturæ fulciretur ; præmiserat enim : « Non oportet quidquam dicere sine testibus solaque animi cogitatione. »

Inst. : S. Chrysost. hom. 13 in 2 Epist. ad Cor. Scripturam Sacram vocat, « exactam rerum omnium lancem ac normam » : ergo.

Resp. S. Chrysostomum non dixisse S. Scripturam, sed legem Dei esse « exactam, etc. » Lex autem verbo scripto et tradito continetur.

Objicitur insuper S. Chrysostomus ex hom. 49 *Operis Imperfecti,* sicut SS. Hieronymus et Ambrosius ex commentariis in Epistolas Pauli : sed hæc opera falso tribui ss. doctoribus conveniunt eruditi.

Obj. 9°: S. Hieronymus in cap. 23 Matth. dicit : « Hoc quia de Scripturis non habet au- » ctoritatem, eadem facilitate contemnitur » qua probatur » : ergo.

Resp. S. Hieronymum ibi loqui de singulari facto, hoc scilicet, Zachariam filium Barachiæ occisum inter templum et altare esse Zachariam patrem Joannis Baptistæ, quod aliqui « ex quibusdam apocryphorum somniis » affirmabant : unde non legitimas traditiones, sed apocrypha scripta hic refellit S. Hieronymus.

Inst. 1°: S. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Tit. dicit : « Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem » : ergo.

Resp. S. Hieronym. ibi arguere garrulos subversores qui perversam doctrinam « etiam divinis testimoniis roborare » nituntur, sine quibus nullam haberent fidem apud audientes. Quid hoc ad traditiones ?

Inst. 2°: S. Hieronymus in 1. cap. Aggæi habet : « Quæ absque auctoritate et testimoniis Scripturarum, quasi traditione apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei » : ergo.

Resp. S. Hieronymum ibi rejicere traditiones fictas ut aperte significant hæc verba ; « Sponte reperiunt atque confingunt. »

Inst. 3°; S. Hieron. in cap. 1. Micheæ, dicit: « Ecclesia Christi.... non est egressa de finibus suis, id est de Scripturis Sanctis : » ergo.

Resp. Ecclesiam non exire de S. Scripturis, cum admittit traditiones ; quia S. Scripturæ commendant traditionum auctoritatem. Insuper agit ibi S. Hieronymus contra hæreticos qui perversis interpretationibus S. Scripturas corrumpentes, « domum suam, » non in S. Scripturis, « sed in vicinia Scripturarum » construunt.

Obj. 10°: S. Aug. lib. 2. *de Doct. Christiana*

c. 9. ait : « In his quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi » : ergo.

Resp. hunc textum intelligendum esse de omnibus quæ ab unoquoque christiano sunt explicite credenda, et quæ ad morum præcepta in genere pertinent, qualia sunt præcepta fidei, spei et charitatis, non vero de omnibus omnino credendis implicite ab unoquoque, explicite vero a pastoribus et doctoribus, nec de singulis præceptis in specie ; alias sibi aperte contradiceret S. Augustinus, dum lib. 5, *de Bapt.* c. 23, scribit : « Sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. »

Inst. 1°: S. Aug. lib. 2. *de Peccat. Meritis* c. 36: « Ubi de re obscurissima disputatur, inquit, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando » : ergo.

Resp. S. Augustinum supponere rem obscurissimam quæ neque in S. Scriptura clare exprimitur, nec aperta traditione asseritur ; nam si traditio aperte illi faveat, jam desinit esse obscurissima. Hanc esse S. Augustini mentem constat ex eo quod ibi loquatur de quæstione, quæ nec Scriptura nec traditione tum dirimi poterat, utrum scilicet anima rationalis a solo Deo crearetur, an simul cum carne a parentibus propagaretur ?

Inst. 2°: S. Aug. ibid. subdit : « Illud credo quod etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset. »

Resp. equidem haberi clarissima Scripturarum testimonia de his quæ homo ignorare non potest sine dispendio salutis, sed hæc sunt capita fidei christianæ, non omnia omnino fidei dogmata.

Inst. 3°: Lib. *de Bono Viduitatis* cap. 1, dicit : « Quid igitur amplius te doceam quam id quod apud Apostolum legimus ? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit » : ergo.

Resp. S. Augustinum non agere ibi de universis fidei dogmatibus sed de bono viduitatis duntaxat, et quoad hoc dixit quod S. Scriptura sit fidei nostræ regula ; quia Apostolus boni illius præstantiam satis explicuerat, quod si velis intelligi regulam genelarem fidei, dicam esse regulam inadæquatam, non adæquatam, nisi adjuncta traditione.

Objicit Rivetus plura ex Catechesibus Cyrilli, quæ probant tantum nihil esse tradendum de præcipuis mysteriis fidei quæ continentur in symbolo, nisi quod legitur in S. Scripturis. At non negat Cyrillus esse necessariam traditionem ad ipsas S. Scripturas cognoscendas et intelligendas, atque ad probanda dogmata, quæ licet non sint præcipua, nec in symbolo contineantur, pertinent tamen ad fidem.

Hic quoad Patres sisto, ne sim tædiosus : sed ex dictis collige regulas sequentes ad aliorum intelligentiam et solutionem.

1° Quando Patres dicunt Scripturam sufficere, omnia contineri in Scripturas et similia, vel loquuntur in subjecta materia quam tractant, aut de qua disputant contra hæreticos, vel intelligunt omnia promiscue et explicite credenda necessario ab omnibus fidelibus, ut sunt præcipua fidei mysteria, Trinitas, Incarnatio, etc. non vero omnia omnino quæ pertinent ad fidem Ecclesiæ et ab ejus rectoribus et doctoribus explicite creduntur, ut hos libros esse canonicos, Patrem vocari ingenitum, baptismum hæreticorum esse validum, etc. vel Scripturam sumunt late pro omni verbo Dei sive scripto, sive tradito, ut superius explicui.

2° Patres commendando necessitatem et sufficientiam S. Scripturæ, non ideo excludunt traditiones, quin potius illas astruunt, siquidem ipsa Scriptura earum necessitatem asserat.

3° Quando SS. Patres videntur rejicere traditiones, intelligendi sunt de traditionibus falsis, apochryphis, humanis, rejectis vel non receptis ab Ecclesia.

Obj. 11°: Quod est mutationi obnoxium non potest esse fidei regula : atqui traditiones sunt mutationi obnoxiæ : ergo. Prob. min. Traditiones de melle et lacte baptizatis porrectis, de trina immersione in baptismo, de Eucharistia in privatis domibus sumpta, de usu calicis, sunt jam antiquatæ. Idem de millenario Christi regno, et de conceptione maculata B. Virginis: ergo.

Resp. traditiones primo loco assignatas spectare non fidem, sed disciplinam et ritum tantum, ideoque subjacere correctioni et dispensationi Ecclesiæ. Quantum ad millenarium Christi regnum et conceptionem maculatam B. Virginis, nunquam de iis habita fuit traditio divina aut apostolica, quia de neutro fuit constans, certa omnium sententia, aut fere omnium neque ut talem unquam agnovit Ecclesia, cujus partes sunt traditiones veras a falsis, sicut S. Scriptu-

ram veram a falsa discernere. Adde immaculatam conceptionem B. Virginis non haberi ab Ecclesia ut dogma fidei, sed ut piam sententiam.

Inst.; Testimonium Patrum est testimonium humanum, proindeque insufficiens ad fidem divinam : ergo.

Resp. fidem nostram divinam niti divinæ revelationi, testimoniis autem Patrum ut testibus tantum hujus divinæ revelationis.

Repones : Sensus Patrum plerumque est obscurus et incertus : ergo.

Resp. concesso ant. neg. conseq. Quia sicut Ecclesia ex assistentia Spiritus Sancti est infallibilis in discernendis S. Scripturis et earum sensibus, ita in discernendis Patrum sensibus et traditionibus.

Obj. 12° : Non est ratio cur sacri scriptores non omnia scripserint, aut unum potius quam aliud scripserint : ergo.

Resp. neg. ant. Scriptores enim sacri non intenderunt componere summam integram totius doctrinæ christianæ, sed pro diversitate occasionum tradere diversa dogmata et præcepta. Insuper non conveniebat omnia fidei mysteria scripto tradere, ne ab ethnicis irriderentur. Tandem quæcumque scripsissent Apostoli, semper erat necessaria traditio ut eorum scripta pro divinis agnoscerentur.

Inst. 1° : contra hanc ultimam responsionem quæ est una ex præcipuis rationibus nostris : traditio non est necessaria ut Scriptura pro sacra et divina dignoscatur : ergo. prob. ant. Sufficit declaratio infallibilis Ecclesiæ : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat nego conseq. Quia cum Ecclesia non habeat novas revelationes, non declarat infallibiliter aliquam Scripturam esse divinam, nisi ex priori revelatione quæ est ipsa traditio.

Inst. 2° : Ecclesia declarat infallibiliter traditionem esse divinam sine alia traditione, alias iretur in infinitum : ergo potest declarare Scripturam esse divinam sine traditione.

Resp. neg. conseq. Quia cum traditio, ut dixi, sit ipsa revelatio, est primum principium in rebus fidei : unde non solum rem revelatam sed etiam seipsam et suum auctorem manifestat, sicut primum principium in philosophicis seipsum manifestat, manifestando principiatum, sicut lux seipsam manifestat, manifestando colores. At S. Scriptura, cum se habeat tantum, ut secundum principium, res quidem contentas manifestat, sed non suum auctorem. Patet in humanis : si quis viva voce aliquid declaret, hæc declaratio et rem et suum auctorem manifestat ; sed si scribat, scriptura rem scriptam manifestat, sed non sum auctorem : unde ut dignoscatur auctor debet ipse comparere, et declarare hanc esse suam scripturam et signaturam, quæ declaratio non indiget alia declaratione.

DISSERTATIO III.

De Ecclesia.

ARTICULUS I.

QUID SIT ECCLESIA ?

Ecclesia est vox græca, latine *evocatio*, sive quia omnes ad se vocat, ut quidam volunt, sive quia Deus, ut alii, præveniente sua gratia omnes ad eam vocat. Hæc de etymologia nominis.

Quantum autem ad ejus significationem, Ecclesia generalissime sumpta significat quemcumque cœtum, seu congregationem, sive civilem, ut Psal. 106 : *Exaltent eum in ecclesia plebis;* sive malam, ut Psal. 25: *Odivi ecclesiam malignantium;* sive bonam, ut Rom. 16: *Salutant vos ecclesiæ Christi*. communi vero Scripturam et SS. Patrum usu, ecclesia sumitur in bonam partem pro Ecclesia Christi. Unde

Dico 1°: Ecclesia Christi generaliter sumpta,

secundum omnem statum, locum et tempus, « Est congregatio fidelium in vero Dei cultu adunatorum sub Christo capite »; et sic comprehendit fideles veteris Testamenti, non solum eos qui pertinebant ad synagogam, scilicet Judæos, sed etiam alios fideles extra synagogam, quales erant Job, Melchisedech, etc. Idem comprehendit beatos, etiam angelos in cœlo, animas patientes in purgatorio et fideles viatores. In beatis dicitur ecclesia triumphans, in animabus purgatorii ecclesia patiens, in viatoribus ecclesia militans; non quod sint diversæ ecclesiæ, sed diversæ partes, seu diversi status ejusdem Ecclesiæ.

Dices 1°: Tempore veteris Testamenti Christus nondum venerat : ergo.

Resp. Hoc non obstante, fideles veteris Testamenti credebant Christum venturum, et intuitu ejus meritorum futurorum, salutem consecuti sunt, et ideo Christus erat illorum caput.

Dices 2° : Christus non est caput angelorum, quia sunt diversæ ab eo naturæ, neque ex ejus meritis salutem sunt consecuti : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probationem, licet non sint ejusdem naturæ specificæ, sunt tamen ejusdem naturæ genericæ; conveniunt enim generice cum Christo, quoad animam, quod sufficit ad rationem capitis moralis, et quamvis ejus meritis non sint salvati, varias tamen ab eo nunc recipiunt influentias, quæ etiam sufficiunt ad rationem capitis, ut diximus in tract. de Incarnatione.

Dices 3°: Beati in patria non habent fidem : ergo non sunt fideles.

Resp. dici fideles a fide quam habuerunt in via, et qua sunt consecuti salutem : sicut dicuntur martyres, non quia patiuntur in cœlo, sed quia passi sunt in terra, et hac passione cœlum meruerunt.

Verum quia tota præsens dissertatio est potissimum de ecclesia militante, assignanda ejus definitio: unde

Dico 2°: Ecclesia Christi militans, est « Societas fidelium baptizatorum ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum participatione, eodem cultu inter se adunatorum, sub uno capite Christo in cœlis, et sub ejus in terris vicario, Summo Pontifice. »

Dicitur , societas *fidelium baptizatorum* ; quia baptisma est janua Ecclesiæ, nec nisi per illud potest quis fieri membrum Ecclesiæ, ut declarant Florentinum et Trid sess. 14. cap. 2. et nos alibi probavimus.

Dicitur : *in ejusdem fidei professionne, etc. adunatorum* ; quia cum Ecclesia sit societas in ordine ad ultimum finem supernaturalem, qui est Dei possessio, adunatio debet esse in mediis, ad hunc finem consequendum necessariis, quæ sunt virtutes, sacramenta et cultus Dei.

Dicitur ; *sub uno capite,* etc. quia Ecclesia in S. Scripturis vocatur civitas, regnum, ovile, corpus: non est autem civitas, regnum, ovile, corpus sine subordinatione civium gubernatori, populorum regi, ovium pastori, membrorum capiti : Christum autem esse Ecclesiæ caput constitutum declarat S. Scriptura Ephes. 1: Deus *ipsum dedit caput super Ecclesiam ;* et cap. 5 : *Quoniam vir est caput mulieris, sic Christus est caput Ecclesiæ*; de quo plura dixi in tract. de Incarnatione, dissert. 9. a. 1. Quia vero Christus nunc in cœlis existens, non apparet amplius in terra, debet esse aliquis ejus vicarius, et hunc esse Pontificem Romanum, constat ex eo quod Christus dixit illi in persona Petri Joan. 21: *Pasce oves meas*, et ex pluribus aliis de quibus dissert. seq.

Dices : Vacante Sede Romana, non est Christi vicarius : ergo tunc deficit Ecclesia.

Resp. neg. conseq.; quia Ecclesia est semper parata recipere vicarium qui eligetur, et illi obedire, sicque censetur semper subesse Christi vicario, et remanet vera Christi Ecclesia.

Observandum hic 1° quod hoc vocabulum *synagoga* significabat apud Judæos , quod apud nos significat Ecclesia, cum hoc discrimine, quod Ecclesia sit congregatio filiorum per gratiam ; synagoga, congregatio servorum per timorem.

Observandum 2° quod per metonymiam sumendo continens pro contento, Ecclesia etiam significet locum, in quem religionis causa conveniunt fideles : sic templa vocamus ecclesias, quo sensu dixit Apost. 1. Cor. 11. *Convenientibus vobis in ecclesiam,* Et cap. 14. *Mulieres in ecclesia taceant.* Eodem sensu locus, in quem conveniebant Judæi, dicebatur synagoga.

ARTICULUS II.

QUI SINT IN ECCLESIA ?

Quæstionem hanc præcedenti immediate subjicio ; quia ex notione et definitione Ecclesiæ sequitur et elucescit ; de multis autem procedit : 1° de solis prædestinatis ; 2° de solis justis ; 3° de catechumenis ; 4° de hæ-

reticis; 5° de schismaticis et excommunicatis : unde sit

§ I.

Utrum omnes et soli prædestinati sint in Ecclesia?

Dico : Nec omnes, nec soli prædestinati sunt in Ecclesia. Est contra wiclesistas, et ex parte contra lutheranos et calvinistas.

Patet prima pars ; quia absurdum est dicere S. Paulum Ecclesiam persequentem, Judæos judaisantes, ethnicos, turcas, etc. in sua religione pertinaces, Ecclesiam Christi odio aut ludibrio habentes esse in Ecclesia : atqui quidam ex istis sunt aut erant prædestinati, id saltem constat de S. Paulo, nec dubium est plures ex Judæis et ethnicis qui conversi sunt ad fidem fuisse prædestinatos : ergo.

Prob. secunda pars : 1° Christus Matth. 3, comparat Ecclesiam areæ, in qua sunt triticum et paleæ igne inextinguibili comburendæ; ibidem 13, sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, in qua non solum boni continentur sed etiam mali ejiciendi; ibidem 22, convivio nuptiali, in quod intrant qui non habent vestem nuptialem, et ideo mittendi in tenebras exteriores; Apostolus comparat magnæ domui in qua sunt vasa, alia ad honorem, alia in contumeliam : atqui certum est prædestinatos non esse comburendos igne inextinguibili, non esse ejiciendos, non mittendos in tenebras exteriores, nec esse vasa in contumeliam : ergo non soli prædestinati sunt in Ecclesia.

2° Hi omnes sunt in Ecclesia qui illam per sacramentum fidei, hoc est baptismum, sunt ingressi : atqui non soli prædestinati sunt baptizati : ergo.

3° Cum prædestinatio nemini sit cognita, si Ecclesia solis prædestinatis constaret, Ecclesia foret invisibilis, cujus oppositum infra probabimus, neque pastores agnoscere possent suas oves, neque oves suum pastorem.

Dices 1°: Arca Noe fuit figura Ecclesiæ : atqui hi soli erant in arca qui erant salvandi ab aquis : ergo hi soli sunt in Ecclesia, qui salvandi sunt a damnatione

Resp. dist. maj. Arca Noe fuit figura Ecclesiæ quantum ad aliquid, conc ; quantum ad omnia, nego. In duobus arca Noe fuit figura Ecclesiæ. 1° Quod sicut in arca fuerunt animalia munda et immunda, ita in Ecclesia sunt boni et mali : 2° sicut extra arcam, nullus fuit salvatus, sic extra Ecclesiam nullus est salvandus.

Dices 2°; Soli prædestinati sunt oves Christi, juxta illud Joan. 10: *Oves meæ vocem meam audiunt*; et Matth. 25, ubi oves separantur ab hædis: ergo soli prædestinati sunt in Ecclesia.

Resp. neg. ant. Quamvis enim locis S. Scripturæ citatis, per oves significentur soli prædestinati, non sic tamen alibi, ut Joan. 21: *Pasce oves meas*, et Psalm. 71: *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ ;* quibus in locis non possunt per oves intelligi soli prædestinati, sed omnes qui per baptismum intrant Ecclesiam : alioquin nec Petrus potuisset cognoscere quas oves haberet pascendas, et prædestinati non secus ac reprobi furori Dei subjicerentur.

Subsumes : Atqui istæ oves, quibus significantur alii quam prædestinati, non sunt in ovili seu in Ecclesia : ergo. Prob. ant. Joan. 10: *Alias oves habeo,* inquit Christus, *quæ non sunt ex hoc ovili :* ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. Christus ibi loquitur de gentilibus qui ad fidem erant convertendi, ideoque erant oves secundum prædestinationem : et hi non erant ex hoc ovili, id est, de Ecclesia ex gente Judaica collecta, sed adducendi erant in aliud ovile, hoc est Ecclesiam Christi ex Judæis et gentibus congregandam ; sequitur enim : *Et illas oportet me adducere et fiet unum ovile et unus pastor.*

Dices 3° : Ecclesia Cantic. 4, dicitur *Hortus conclusus, fons signatus*; S. Aug. autem lib. 5. *de Baptismo* cap. 28, dicit electos esse hunc hortum conclusum et hunc fontem signatum: ergo.

Resp. S. Augustinum dum dicit electos esse hunc hortum, loqui de Ecclesia secundum proportionem ejus excellentiorem : neque dicit omnes et solos electos esse in Ecclesia, sed significat tantum quod sic eos concludit, aut aliquando concludet, ut ab illa non recedant. Cæterum Ecclesia dicitur *hortus*, quia fideles in ea producunt fructus bonorum operum ; dicitur conclusus, quia munitur Dei et angelorum custodia ; dicitur fons, quia est fons doctrinæ salutis ; dicitur *signatus,* quia illam non intrant pagani et hæretici quamdiu remanent tales.

Dices 4° : Apostolus, Hebr. 3, distinguens inter Christum et Moysen quod iste sit servus, ille filius, dicit : *Christus vero tanquam Filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei, usque ad finem, firmam retineamus :* ergo non sumus in domo Dei,

seu Ecclesia, si non perseveremus usque in finem.

Resp. neg. conseq. Ibi enim Apost. hortatur duntaxat Hebræos ad perseverantiam in fide, non obstantibus contradictionibus et persecutionibus, significans nihil eis profuturum, membrum Ecclesiæ fuisse, si usque in finem non perseverent.

Dices 5°: Joannes Epist. 1, cap. 2, loquens de iis qui a fide defecerant, dicit : *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*; et Aug. lib. *de Correpl. et Grat.* cap. 9, expendens hæc verba : « Sunt quidam, inquit, qui Filii Dei propter susceptam, vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec tamen sunt Deo... Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, et quando videbantur in nobis, non erant ex nobis : » ergo qui non sunt prædestinati, etiamsi videantur esse in Ecclesia, non sunt tamen.

Resp. neg. conseq.;quia tam Apostolus quam S. Augustinus loquuntur de filiis Dei secundum prædestinationem : unde vere dicunt : Exierunt a nobis, sed non erant ex nobis, seu in Ecclesia, secundum prædestinationem scilicet, quamvis essent secundum fidem et sacramentorum communionem.

Inst.: S. Aug. lib. 3. *de Doctrina Christiana* cap. 321, dicit : « Non est verum Domini corpus, quod cum illo non erit in æternum : ergo.

Resp. dist. ant. Non est verum Domini corpus quod cum illo non erit in æternum secundum aliqua saltem membra, conc.; quod non erit cum illo in æternum secundum omnia membra, nego. S. Augustinus ibi agit contra Ticonium quemdam donatistam, qui corpus Christi seu Ecclesiam bipartitam fecerat, unam prædestinatorum, alteram reproborum, et dicit non esse Christi corpus aut Ecclesiam, cujus aliquod saltem membrum aut pars non sit futura cum ipso in æternum, sicque non esse corpus aut Ecclesiam solorum reproborum. Eodem sensu intelligendum est quod dicit in psal. 131: « Sunt, inquit, qui non perseverant, non ergo sunt ipsi Ecclesia. » Id est non sunt pars ea Ecclesiæ quæ cum Christo mansura est in æternum : « Ipsi, inquit, non pertinent ad illud modo tabernaculum, tunc domum. »

§ II.

Utrum soli justi sint in Ecclesia?

Dico : Non soli justi, sed peccatores etiam manifesti sunt in Ecclesia.

Prob. 1° ex tribus comparationibus areæ, sagenæ et convivii, de quibus conclusione præcedenti, pariter enim probant de peccatoribus ac de non prædestinatis. Adde parabolam decem virginum, cui comparatur Ecclesia; quinque erant fatuæ, et tamen in Ecclesia, a qua tandem ejiciuntur. Item figuram arcæ Noe in qua erant animalia munda et immunda.

2° Christus Matth. 18, præcipit ut peccator privatim correptus et non emendatus, denuntietur Ecclesiæ, quam si non audierit, ab ea ejiciatur : ergo supponit peccatores in Ecclesia. 1 Cor. 5, in ecclesia Corinthiorum invenitur incestuosus.

3° Christus instituit in Ecclesia sacramentum Pœnitentiæ quo peccatores resurgerent et sanarentur : ergo supponit esse in Ecclesia peccatores, alioquin frustra esset istud sacramentum.

4° Ecclesia est societas fidelium baptizatorum in eadem fide, sub eodem capite ordinata: atqui peccatores qui nec sunt hæretici, nec schismatici, nec excommunicati, sunt fideles baptizati in eadem fide, sub eodem capite ordinati : ergo.

Eamdem doctrinam tradunt SS. Patres: Chrysost. in psal. 39; Hieron. contra Lucifer. c. 8; Aug. præsertim, qui specialiter opponitur, l. 3, *de Doct. Christiana*, c. 32, tract. 6, in Joan.: « Nos fatemur, inquit, in Ecclesia bonos et malos esse, sed tanquam grana et paleam. » Tribus libris *contra Epist. Parmen.* tribus aliis *contra Epist. Petil.* in quorum ultimo cap. 12, dicit : « Homo sum de area Christi, palea si malus, granum si bonus : non est hujus areæ ventilabrum lingua Petiliani. » Item in Breviculo collationum contra Donatistas ; et tandem lib. ad eosdem post collat. c. 9 et 10.

Argumenta contra hanc conclusionem require in tract. de Incarnatione dissert. 9. a. 2, § 1, ubi reperies insuper plures propositiones damnatas Quesnelli, hanc et præcedentis § conclusionem spectantes. Unum tantum argumentum hic addam illic omissum.

Dices : Isaias 35, de Sion, id est de Ecclesia dicit : *Non transibit per eam pollutus..... non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam;* et cap. 52: *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus..... recedite, recedite, exite inde,pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Ergo.

Resp. hæc ad litteram intelligi de temporali persecutione Judæorum. Hortatur itaque Isaias Judæos, ut finito tempore captivitatis recedant

ab infidelibus, prædicitque eos non amplius subjiciendos incircumcisis, neque ab eis suas terras amplius esse vastandas. Mystice autem hæc significant, quod portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, et quod fideles debeant recedere a moribus et religione infidelium.

Insuper observandum est pro intelligentia quorumdam Patrum, Augustini præsertim, peccatores non esse membra viva et perfecta Ecclesiæ suo capiti per charitatem unita, sed imperfecta, et quamvis non mortua, mortificata tamen, sola fide conjuncta : unde quando dicunt peccatores non esse in Ecclesia, intelligunt non esse in ea, ut membra viva et perfecta; vel sumunt Ecclesiam pro ea parte, qua solos justos continet, quamvis enim non sint duæ ecclesiæ, sunt tamen quasi duæ ejus partes, altera justorum, altera peccatorum. Insuper juvat audire S. Augustinum, l. 2. *Retract.* c. 18, ubi ait : « Ubicumque in his libris (contra donatistas) commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa : nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum, quotidie dicit : *Dimitte nobis debita nostra..* »

§ III.

Utrum catechumeni sint in Ecclesia?

Dico : Catechumeni non sunt re et proprie in Ecclesia.

Prob. 1° : Nullus ingreditur Ecclesiam, et fit ejus membrum, nisi per baptismum, ut dictum est art. præced. Atqui catechumeni non sunt baptizati : ergo. 2° Qui sunt in Ecclesia, capaces sunt sacramentorum Ecclesiæ; horum autem catechumeni non sunt capaces, cum baptismus sit janua ad alia sacramenta, ut dixi de baptismo : ergo. 3° Patres, Tertull. *de Præscript.* c. 41, S. Chrysosth. hom. 24. in Joan, S. Cyrillus *Catechesi* 1, S. Aug. tract.11, in Joan., distinguunt fideles a cathecumenis.

Dixi : *re et proprie* : quia cum catechumeni postulent ingredi Ecclesiam, et jam habeant fidem, et quandoque charitatem, possunt dici esse in Ecclesia proxime et in voto, sicut si aliquis dicatur esse in domo, quia est in vestibulo domus, ut statim intret : et hoc sensu intelligendum est quod alibi dixi eos pertinere ad Ecclesiam, scilicet inchoative, et tu aspirantes qui se Ecclesiæ legibus sponte subjiciunt; et ideo salvari possunt. Nec obstat quod extra Ecclesiam non sit salus; id namque intelligitur de eo qui nec re, nec in voto est in Ecclesia, eoque sensu intelligitur S. Aug. tract 5. in Joan., ubi dicit : « Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ catechumeni », scilicet voto et proxima dispositione.

Dices 1° : Chistus influit in catechumenos fidem, quandoque charitatem : ergo sunt membra Ecclesiæ.

Resp. neg. conseq. Quamvis enim Christus influat in omnia membra Ecclesiæ, non tamen in ea sola influit : patet non solum in catechumenis, sed etiam in excommunicatis, si vere eos pœniteat.

Dices 2° : Job, Melchisedech, et quidam alii erant in Ecclesia Dei : atqui tamen non erant circumcisi : ergo licet catechumenus non sit baptizatus, est in Ecclesia Christi.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod circumcisio non fuerit data, ut quid necessarium omnibus ad salutem, et incorporationem Ecclesiæ Dei, sed uni populo judaico, ut signum fidei Abrahæ qui credidit se futurum patrem Christi promissi; unde data est pro maribus tantum, et non pro fœminis. Baptismus autem institutus est, ut ubique terrarum prædicaretur tanquam quid necessarium ad salutem, et quo omnes Christo, et ejus Ecclesiæ incorporarentur.

§ IV.

Utrum hæretici sint in Ecclesia?

Dico : Hæretici non solum manifesti, sed etiam occulti et interni non sic sunt in Ecclesia, ut sint vera ejus membra.

Sic propono conclusionem propter hæreticos occultos et internos, de quibus est potissimum difficultas, qui licet sint in Ecclesia secundum quid, id est exterius et apparenter ; probabilius tamen arbitramur non esse de Ecclesia, nec vera ejus membra ; sicut si lupus pelle ovina tectus reperiretur inter oves, esset in ovili, sed non esset de ovili, ut vera ejus pars.

Prob. 1° : Juxta concilium Lateran. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, S. Thomam 3. p. q. 8. a. 4. ad 2, *Catechismum Romanum* 1. p. cap. 10. q. 2, ex S. Augustino, Ecclesia est societas fidelium : atqui hæretici etiam occulti et interni non sunt fideles : ergo. Neque obstat quod exterius fidem profiteantur, inde namque sequitur tantum, quod appareant

fideles, et pro talibus habeantur, non tamen quod sint.

2° Ecclesia est corpus habens unionem non solum externam, sed etiam internam membrorum inter se, et cum capite : atqui hæretici etiam occulti nullam habent unionem internam inter se et cum capite, fides enim est primum uniens, et fundamentum cæterorum.

3° Christus non est caput actuale hæreticorum etiam occultorum : ergo non sunt membra Ecclesiæ. Prob. ant. De ratione capitis non solum est supereminentia et perfectio, sed præcipue influxus in membra : atqui Christus nihil influit supernaturale in hæreticos etiam occultos; quid enim influeret? non fidem qua carent ; non ipsam professionem exteriorem fidei, quia Christus non influit in sua membra hypocrisim, simulationem et mendacium, qualis est hæc hæreticorum simulata fides.

Si dicas influere gratias actuales; contra 1° quod istæ gratiæ actuales non sint quid permanens ; vinculum autem uniens membra alicujus corporis inter se, et cum capite, debet esse aliquid permanens, ut patet in naturalibus et civilibus ; sic non dicitur aliquis de corpore alicujus familiæ, aut membrum illius, licet soleat eam aliquando invisere. 2° Quia alias sequeretur quod Christus esset etiam caput infidelium non baptizatorum, si quidem in eos etiam influat gratias actuales.

Repones inde sequi hæreticum occultum esse membrum mortuum, non tamen non esse membrum. Resp. neque esse membrum mortuum, sed præcisum ; membrum enim mortuum est adhuc interius connexum cum corpore : at hæreticus, etiam occultus, non connectitur amplius interius cum corpore, sed seipsum per hæresim abscindit, debetque comparari parti, seu membro abscisso latenti sub veste, ratione cujus apparet adhuc membrum, licet non sit ; quod magis petebit ex S. Augustino. Unde

4° S. Aug. lib. 4 *de Bapt.* cap. 16, ubi de hæretico occulto qui alicujus emolumenti temporalis causa in catholica unitate manet, dicit : « Non solum separatus habendus est, verum etiam tanto sceleratior quanto magis errori hæresis et divisioni unitatis fallaciam simulationis adjungit. » Idem lib. *de Unitate Ecclesiæ*, c. 25, de occultis hæreticis : « Multi, inquit, tales sunt in sacramentorum communione cum Ecclesia, et tamen jam non sunt in Ecclesia. » Et infra : « Antequam visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem qua convincitur et arguitur, inimicum gestat animum, jam præcisus est. » Et q. 11, *in Math.* de eo qui interius pertinaciter errat contra fidem, dicit : « Hæreticus est et foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur. » Similiter lib. 2. *contra Litt. Petiliani* c. 108, de iisdem hæreticis occultis : « Nec ideo, inquit, putandi sunt esse in Christi corpore quod est Ecclesia, quia sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. »

Dices : Juxta Apostolum, 2 Timoth. 2, in magna domo sunt vasa aurea et argentea, lignea et fictilia: atqui magna domus est Ecclesia, vasa lignea et fictilia sunt hæretici juxta S. Augustinum lib. 4. cont. Donatist. cap. 12. Ergo.

Resp. neg. min. pro secunda parte : Per vasa enim lignea et fictilia non intelliguntur hæretici, sed infirmi et carnales, id est peccatores, ut interpretatur Cyprianus epist. 52. S. Augustinus vero contrarium non dicit ex propria sententia, ut patet ex probationibus, sed permotus auctoritate, ut credebat, Cypriani : « Et istos, inquit, de quibus ait Apostolus, sermo eorum sicut cancer serpit, vellem intelligere foris fuisse, sed Cyprianus ipse me non sinit. » Verum constat, et id ostendunt Lovanienses ad cap. 12 citatum lib. 4 contra Donat. Cyprianum Epistola 52 laudata, per vasa fictilia non intellexisse hæreticos, sed peccatores ; agit enim ibi contra Novatianum, qui Ecclesiam solis justis constare, et peccatores neque ad pœnitentiam, neque ad Ecclesiam recipiendos esse dicebat, cui ideo exprobrat S. Præsul ipsum prætendere quod Apostolis non fuit concessum, scilicet agrum dominicum universis zizaniis et magnam domum omnibus vasis fictilibus expurgare : ubi patet quod Cyprianus intelligat per vasa fictilia, peccatores ad sensum Novatiani et non hæreticos : id adeo manifestum quod in ipsa epistola asserat Novatianum esse extra Ecclesiam, et nemini non notum est quod rejecerit baptisma hæreticorum, maxime quia non erant in Ecclesia. Quapropter quidam, salva reverentia S. Augustino debita, dicunt ipsum non satis attendisse ad verba Cypriani ; alii quod intelligat hæreticos esse in Ecclesia non simpliciter, et tanquam ejus membra, sed secundum quid tantum et apparenter, quatenus vel eamdem fidem exterius profitentur, si sint occuli, vel saltem iisdem sacramentis utuntur, si sint manifesti.

Plura alia argumenta contra hanc conclusionem videri possunt in tract. *de Incarnat.* dissert. 9, a. 2. Ea non repeto ; quia quæstio

non est tanti momenti et controversia videtur esse inter theologos magis de modo dicendi quam de re. Aliud esset si quæstio moveretur juxta systima Jurii, ministri calviniani, in tract. *de Unitate Ecclesiæ*, edito anno 1688, qui contendit Ecclesiam universalem complecti in suo sinu omnes hæreticos etiam manifestos, qui non errant circa articulos fidei fundamentales, eosque ideo, non obstante hæresi, posse salvari.

Verum, ut paucis rem expediam : 1° Istud systema Patribus incognitum et ad usque Jurii tempora inauditum, ipsa sua novitate est reprobandum : etenim Patres priorum sæculorum, omnesque fideles, fatente ipso Jurio, nomine Ecclesiæ catholicæ non intellexerunt nisi unicam communionem a qua excluderentur quicumque hæretici saltem manifesti : dicere autem cum Jurio eos errasse et falsam Ecclesiæ idæam sibi finxisse, puniendæ temeritatis est, ne dicam insensatæ : ita sane post sexdecim sæcula soli Jurio reservatum erat scire quid sit Ecclesia. 2° Injustitiæ accusandi forent totius Ecclesiæ Patres et episcopi, qui quoscumque hæreticos a sua communione repellebant, et ad eam atque ad Ecclesiam non recipiebant, nisi ejuratis omnibus hæresibus. 3° Jurius contradicit S. Scripturæ : *Unus Dominus, una fides*, Ephes. 4. 4° Hæreticus circa unum articulum fidei qualiscumque sit, non habet fidem circa alios, ut probavimus tractatu superiori. 5° Tandem nondum huc usque convenire potuerunt novatores, quinam sint articuli fidei fundamentales.

§ V.

Utrum schismatici et excommunicati sint in Ecclesia ?

Dico : Schismatici et excommunicati excommunicatione majori non sunt in Ecclesia.

Prob. Licet utrique possint retinere fidem, imo excommunicati habere charitatem si vere pœniteant, de facto tamen sunt ab Ecclesia præcisi ; quia schismatici a capite et a membris voluntarie se separant ; est enim schisma voluntaria scissio : excommunicati auctoritate legitima ab eodem corpore separantur : ergo neutri sunt amplius socii seu consociati ; Ecclesia autem est societas.

Confir. Ecclesia in parasceve orat pro schismaticis sicut pro hæreticis, ut ad Ecclesiam redeant : et Christus, Math. 18, loquens de excommunicato dicit : *Sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.*

Dices 1° : Omnes sectæ orientales, præsertim ecclesia græca, sunt schismaticæ : durum est autem dicere eas omnes extra Ecclesiam esse : ergo.

Resp. neg. maj. Plures enim in oriente et inter græcos agnoscunt Romanum pontificem : nec omnes qui illum explicite non agnoscunt dicendi sunt schismatici formales ; plures sunt enim qui adhærent animo et affectu Ecclesiæ capiti a Christo instituto, et qui explicite adhærerent Romano pontifici, si instruerentur.

Dices 2° : Orto schismate sæculo decimo quarto inter Urbanum VI et Clementem VII, alii adhærebant Urbano, alii Clementi : ergo omnes unius factionis erant schismatici et extra Ecclesiam.

Resp. neg. conseq. Omnes enim tunc adhærebant ei quem bona fide credebant legitimum pontificem, animo parati adhærere illi quem Ecclesia in concilio generali legitimum declarasset.

Dices 3° : S. Aug. l. *cont. Donatistas*, post collationem, c. 20, dicit : « A populo Dei non separamus quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitentiæ locum redigimus » : ergo.

Resp. S. Augustinum loqui vel de separatione perpetua absque spe reditus et salutis, vel de separatione ab hominibus piis et sanctis qui sunt vere Dei populus et viva Ecclesiæ membra. Pro quo

Observandum est esse in Ecclesia triplicem communionem : prima, est pure interior et invisibilis per gratiam et charitatem per quam quis unitur capiti et membris. Secunda, est partim interior, partim exterior in sacramentorum participatione, suffragiorum et orationum communicatione et in cura pastorum circa suas oves, quæ omnia licet sint exteriora, habent tamen effectus internos. Tertia, est pure exterior in externa communicatione sacra vel civili. Itaque excommunicatio privat secunda et tertia communione, sed non privat prima directe et per se : et quamvis supponat hanc privationem ex peccato mortali propter quod fertur, potest tamen peccator vere pœnitere, et sic habere communicationem internam per charitatem cum fidelibus piis et sanctis, qui, ut dixi, sunt vere et proprie populus Dei.

Observandum insuper fuisse olim quasdam species excommunicationis impropriæ, ut quando episcopus denegabat alteri suam communionem, quando alicui episcopo denegaba-

tur consessus in concilio, quando ejus litteræ commendatitiæ non acceptabantur ab aliis et ad illum non dabantur : sed cum hujusmodi excommunicationes non procederent a potestate clavium, atque sæpe in non subditos exercerentur, non erant veræ et propriæ excommunicationes, neque excludebant ab Ecclesia : hac observatione occurres quibusdam factis antiquitatis quæ contra conclusionem opponuntur.

ARTICULUS III.

UTRUM ECCLESIA SIT VISIBILIS?

Lutherani et calvinistæ visi sunt primitus agnoscere visibilitatem Ecclesiæ, cujus notæ essent secundum ipsos, pura verbi Dei prædicatio et sincera sacramentorum administratio. At cum catholici peterent ab ipsis ut assignarent hanc Ecclesiam visibilem ante suam reformationem, hæserunt illis aquæ : assignare non poterant Ecclesiam Romanam a qua tanquam a synagoga satanæ recesserunt, aliam invenire non poterant nec possunt, in qua visibiliter omnia dogmata quæ ipsi tenent, docerentur. Ut ergo ab hoc laqueo se extricarent, quidam finxerunt duplicem ecclesiam, unam invisibilem prædestinatorum, alteram visibilem prædestinatorum et reproborum : alii dixerunt Ecclesiam etsi visibilem, tunc pene extinctam fuisse, ita ut non videretur amplius. Misera sane effugia.

Quæstio est de visibilitate præsenti Ecclesiæ per oculos corporeos, cum judicio et certa persuasione quod sit Ecclesia Christi, alioquin foret visibilis materialiter et non formaliter sub ratione Ecclesiæ, sicut v. g. qui videret leonem nesciens quid sit leo, videret quidem animal quod est leo, sed non videret formaliter sub ratione leonis.

Duo in Ecclesia attendi possunt : unum interius, quod quidam vocant animam Ecclesiæ, et est fides qua membra Ecclesiæ inter se et cum capite interius colligantur : aliud exterius, quod vocant corpus Ecclesiæ, scilicet societas exterior eorum qui publica ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum et pastorum communione conjunguntur : licet autem id quod est interius sit in se invisibile, dicitur tamen Ecclesia visibilis, per suum exterius : sicut licet anima hominis sit in se invisibilis, homo tamen ex facie dicitur visibilis.

Dico : Ecclesia Christi est perpetuo visibilis.

Prob. 1° ex S. Scripturis : Isa. 2. dicitur : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes :* hunc montem S. Hieronymus in hunc locum intelligit Ecclesiam.

Psal. 18 : *Posuit in sole tabernaculum suum,* id est in manifesto, inquit S. Aug. tract. 2, in Epist. Joan. et tract. de Cantico novo c. 5, utrobique addens per tabernaculum intelligi Ecclesiam.

Matth. 5 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita :* de quo textu S. Aug. l. 2, *contra Crescon.* c. 36, ait : « Extat Ecclesia cunctis clara atque conspicua, quippe civitas quæ abscondi non potest super montem constituta.» Item parabolæ areæ, agri, sagenæ quibus Christus Ecclesiam expressit, aperte significant eam esse visibilem.

Act. 20, episcopi dicuntur positi ut regant Ecclesiam Dei. Paulus, ad Galat. 1, fatetur se persecutum fuisse Ecclesiam Dei. Act. 8, legitur suscitatam fuisse persecutionem contra Ecclesiam : non poterant autem regere et persequi Ecclesiam nisi visibilem. Et Matth. 18, frater incorrigibilis denuntiandus est Ecclesiæ, quam si non audierit, habendus est ut ethnicus et publicanus; quomodo autem potest denuntiari Ecclesiæ et audire Ecclesiam, si sit invisibilis.

Prob. 2° ex Patribus : præter SS. Hieronymum et Augustinum jam laudatos, Origenes hom. 30, *in Matth.*: «Ecclesia, inquit, plena est fulgore, ab oriente usque ad occidentem. » S. Cypri. l. *de Unitate Ecclesiæ* n. 4: « Ecclesia Domini luce perfusa est, per orbem totum radios suos porrigit. »

Prob. momentis theologicis : 1° Omnes tenentur accedere ad Ecclesiam extra quam non est salus, ut fatentur ipsi hæretici : atqui id impossibile foret si Ecclesia sit invisibilis. 2° Ecclesia est societas hominum, hi autem sunt visibiles. 3° In Ecclesia fit exterior professio fidei, administrantur sacramenta, prædicatur verbum Dei, exercetur jurisdictio per superiores in inferiores, congregantur concilia, eduntur definitiones fidei, conduntur leges : hæc autem omnia sunt visibilia : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Juxta Scripturas, Ecclesia est spiritualis: ergo invisibilis. Prob. ant. Jerem. 31 : *Dabo,* inquit Deus, *legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero*

eis in Deum, et ipsi mihi erunt in populum. Joan. 4 : *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* 1 Pet. 2 : *Superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Hebr. 12 : *Non accessistis ad tractabilem montem..... sed ad Sion montem et civitatem Dei viventis, etc.* Mons autem est Ecclesia. Luc. 17, Pharisæis Christum interrogantibus quando veniret regnum Dei temporale, ut existimabant? respondit Christus: *Non venit regnum Dei cum observatione neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos est: et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desideretis videre unum diem filii hominis et non videbitis : et dicent vobis : Ecce hic et ecce illic : Nolite ire, neque sectemini.* Ex quibus duo colliguntur : primum quod regnum Dei, quod est Ecclesia, sit intra nos, consequenter spirituale et invisibile : secundum quod si Ecclesia esset visibilis, posset dici, hic aut illic est Christus.

Resp. dist. ant. Ecclesia est spiritualis secundum quid, ratione scilicet formæ interioris quæ est fides, charitas, etc. conc.; simpliciter et absolute, nego. Est enim corpus constans capite et membris visibilibus : sic licet homo sit spiritualis quoad animam, est tamen visibilis per corpus. Insuper Ecclesia potest dici spiritualis ratione sui auctoris, ratione effectuum et finis supernaturalis, quæ omnia sunt spiritualia : quod autem est his modis spirituale, potest esse corporeum et visibile, ut patet de sacramentis.

Ad primum, non agitur ibi de Ecclesia, sed de lege nova comparative ad veterem, et significatur quod lex nova sit lex gratiæ et charitatis, seu ipsa gratia et charitas scripta et diffusa in cordibus ; lex vetus autem sit lex timoris, et quantum ex se, tantum extrinsecus sonans : ex quo sequitur, non quod Ecclesia sit invisibilis, sed quod plura invisiblia contineat, nempe virtutes et dona Sancti Spiritus.

Ad secundum, hæc verba : *Veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate*, non significant quod omnis cultus exterior sit rejiciendus, siquidem Christus ipse eum in pluribus occasionibus adhibuerit ; sed *Adorabunt in spiritu*, significat quod sacrificia christianorum non offerentur in uno tantum loco determinato, neque erunt carnalia et ad litteram sicut sacrificia Judæorum, sed quod poterunt offerri ubique et quod procedent ex corde et spiritu charitatis ad quem Deus maxime attendit. *Adorabunt in veritate* significat quod christiani non adorabunt amplius in figuris, sicut Judæi, sed in re figurata.

Ad tertium, Ecclesia dicitur domus spiritualis, vel ratione formæ interioris, scilicet fidei et charitatis, vel ratione auctoris, finis et effectus ut diximus, est tamen corporea et materialis, cum constet capite et membris corporeis.

Ad quartum, S. Th. et quidam alii intelligunt de ecclesia triumphante: alii, ut servetur antithesis, intelligunt de Ecclesia generaliter sumpta, quæ licet, qua militans, sit visibilis, non tamen qua triumphans.

Ad quintum, non agitur ibi de Ecclesia ; sed per regnum Dei intelligitur gratia seu conformius ad litteram ipse Christus : exponit enim ibi Dominus duplicem suum adventum : de primo dicit quod Messias non venerit cum observatione, id est cum signis et pompa, et quod sit intra ipsos quos alloquebatur, seu in ipsorum consortio et ipsis præsens. De secundo ait: *Dicent : ecce hic aut illic, nolite ire* : id est, nolite credere Antichristo et falsis ejus apostolis.

Obj. 2°: Forma Ecclesiæ, nempe fides est interior et invisibilis : ergo Ecclesia est invisibilis.

Resp. neg. conseq. Ut enim aliquid sit et dicatur visibile, non requiritur quod ex omni parte videri possit, sed sufficit quod ex aliqua parte videatur : sic homo est visibilis, quia secundum faciem externam videtur, licet anima ejus in se non videatur : idem dic de omnibus substantiis corporeis et visibilibus, in quibus tamen ratio substantiæ non videtur. Sic ergo in Ecclesia, forma interior nempe fides, non videtur in se, sed videtur corpus habens caput et membra visibilia, externa fidei professione, sacramentis, cultu, regimine, coadunata.

Inst.: Ideo homo est visibilis quia licet ejus anima in se non videatur, attamen per functiones naturales et necessario cum illa connexas se manifestat, alioquin non videretur homo, sed cadaver ; idem dic de substantiis corporeis, in quibus ratio substantiæ per accidentia se manifestat : atqui id dici non potest de Ecclesia, quia cum professio exterior fidei, sacramentorum administratio et cætera exteriora, non sint necessario connexa cum fide, ut patet in hypocritis, fidem interiorem non manifestant : ergo.

Resp. dist. min. Exteriora Ecclesiæ non manifestant fidem interiorem in aliquibus particularibus, conc.; in corpore, nego. Quamvis

enim non sit certum quod hic vel ille qui fidem exterius profitetur, illam intus habeat, est tamen certum, non ratione connexionis naturalis, sed ex ordinatione divina quod vera fides sit in eo corpore seu societate quæ fidem exterius profitetur, et habet certas notas quod sit vera Christi Ecclesia, de quibus statim.

Inferes : Ergo potest etiam videri cœtus prædestinatorum.

Resp. 1° neg. suppositum ; quia nunc non datur cœtus prædestinatorum solorum in unum coadunatus : est enim in hac vita triticum mixtum palea. 2° Dato supposito, nego illationem ; quia non sunt certæ notæ cœtum prædestinatorum distinguendi, sicut sunt dignoscendi Ecclesiam seu cœtum fidelium.

Repones : Illæ notæ debent credi et ad faciendam fidem deserviunt : ergo per eas non videtur Ecclesia.

Resp. notas Ecclesiæ et videri et credi : videmus signa exteriora ; hæc autem esse notas veræ Ecclesiæ credimus ex S. Scripturis et symbolis fidei : et cum deprehendimus societatem cui illæ notæ conveniunt, credimus eam esse veram Christi Ecclesiam. Illæ itaque notæ efficiunt Ecclesiam visibilem, et insuper deserviunt ut hanc Ecclesiam visibilem credamus esse veram Ecclesiam: sic miracula Christi videbantur et ipsum visibilem efficiebant, simulque intuentes movebant ut in eum crederent.

Obj. 3° : Quod creditur non videtur ; atqui credimus Ecclesiam : ergo eam non videmus.

Resp. dist. maj. Quod creditur non videtur ea parte qua creditur, conc.; ea parte qua non creditur, nego. Videmus itaque societatem fidelium et credimus eam esse veram Christi Ecclesiam, esse in ea veram fidem, regi Spiritu Sancto, etc. Sic videmus effusionem aquæ super hominem cum certa verborum forma, et credimus esse sacramentum baptismi : sic S. Thomas vidit humanitatem Christi et credidit ejus divinitatem exclamans, Joan. 2 : *Dominus meus et Deus meus.*

Petes utrum visibilitas competat sectis hæreticorum ?

Resp. non competere eo gradu quo competit Ecclesiæ Christi ; quia non sunt toti orbi conspicuæ sicut Ecclesia Christi, neque semper fuere visibiles ; ante Lutherum enim et Calvinum, ubi videbantur? Neque insigniora conspiciuntur in eis sicut in vera Ecclesia, perpetua et imperturbata successio suorum pontificum, congregatio conciliorum, ejectio hæreticorum, etc.

ARTICULUS IV.

DE NOTIS VERÆ ECCLESIÆ.

Dum agimus cum ethnicis qui non admittunt S. Scripturas, ut ostendamus eis veritatem religionis ac Ecclesiæ nostræ, procedimus per rationem, proponendo eis motiva credibilitatis quibus quisque lumen rationis sequens moveri debet ut credat hanc Ecclesiam esse veram, quam tot ac tanta motiva suadent. Dum vero agimus cum hæreticis qui S. Scripturas admittunt, procedimus cum eis ex S. Scripturis et per eas demonstramus veram Ecclesiam habere certos characteres seu notas quibus dignoscatur, atque eas soli Ecclesiæ Romanæ convenire.

Notæ alicujus rei debent esse illi propriæ et non communes, alias non magis illam rem designarent quam aliam, non quod singulæ seorsim debeant esse illi propriæ, sed saltem omnes collective. Item debent esse notiores re quam demonstrant.

Dum dicimus esse certas veræ Ecclesiæ notas, non est sensus quod istæ notæ reddant veram Ecclesiam in se evidentem, alias ab omnibus agnosceretur, et non esset objectum fidei, credimus tamen Ecclesiam, ergo eam non videmus. Sed sensus est quod istæ notæ reddant Ecclesiam evidenter credibilem, ita ut sit evidenter credibile Ecclesiam, cui istæ notæ conveniunt, esse veram Ecclesiam, et culpandus sit qui non credit.

His prælibatis quæruntur duo: primum an et quæ sint notæ veræ Ecclesiæ? Secundum cui Ecclesiæ competunt, an Romanæ, an sectis novatorum?

§ I.

An et quæ sint notæ veræ Ecclesiæ?

Dico : Quatuor sunt notæ veræ Ecclesiæ, scilicet, quod sit una, sancta, catholica et apostolica. Ita symbolum Constantinop. et partim Apostolicum.

Vera Ecclesia est una.

Prob. Cantic. 6, dicitur : *Una est columba mea*; Joan 10 : *Fiet unum ovile et unus pastor*; Ephes. 4 : *Unum corpus*; luculenter Apost. 1, Cor. 12 : *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt,*

ita et Christus: etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.

Eamdem unitatem Ecclesiæ ostendunt parabolæ quibus Christus illam expressit, agri in quo uno crescunt zizania cum bono semine, sagenæ quæ una bonos et malos pisces congregat, arcæ quæ bona grana et paleas colligit: idem dicendum de figuris quibus designata est Ecclesia, scilicet paradisi terrestris, arcæ Noe, domus Raab, et templi Jerosolymitani.

Hanc unitatem late probat Cyprianus l. *de Unitate Ecclesiæ* et Epist 76, et Augustinus in suis operibus contra donatistas et alibi.

Dicitur autem Ecclesia una, non tantum unitate numerali, quia est unica, sed pluribus aliis titulis, potissimum duobus. 1° Unitate concordiæ seu consensionis in eumdem finem ultimum et in eadem media ad illum, nempe in eamdem fidem præsertim, eadem sacramenta, eumdem cultum et eadem præcepta ad salutem necessaria: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma,* Ephes. 4. 2° Unitate ordinis seu dispositionis ordinatæ plurium sub eodem regimine unius capitis: *Unum ovile, unus pastor,* Joan 10.

Dices 1°: Apost. Rom. 16, dicit : Salutant vos omnes ecclesiæ : ergo.

Resp. esse plures ecclesias particulares quæ sunt partes unius universalis, sicut plures provinciæ sunt partes unius regni.

Dices 2°: Si unitas Ecclesiæ consisteret in concordia animorum respectu mediorum ad eumdem finem ultimum, ad eam requireretur charitas : atqui id dici non potest, alias qui non haberet charitatem non esset in Ecclesia : ergo.

Resp. dist. sequelam : Ad eam unitatem requireretur charitas, ut esset perfecta, conc.; ut esset simpliciter unitas, nego. Hanc enim facit eadem fides.

Inst.: Qui habent easdem qualitates, non dicuntur unus, sed similes : ergo nec eadem fides facit unitatem.

Resp. dist. Si hi qui habent easdem qualitates sint entia per se completa, conc.; si sint partes unius totius tendentis in eumdem finem, quales sunt omnes catholici, nego.

Repones : Consensio animorum reperitur inter Ecclesiæ hostes : ergo unitas concordiæ non est Ecclesiæ nota.

Resp. dist. ant. Consensio animorum in rebus malis reperitur inter Ecclesiæ hostes, conc.; in eodem fine ultimo et eisdem mediis ad illum, nego. Talis autem est concordia quæ penitur nota Ecclesiæ.

Dices 3°: Diversa regna possunt subjici eidem principi : ergo ex parte unius capitis non habetur unitas Ecclesiæ.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod diversa regna sint tota integra et per se completa, quibus est per accidens quod unus princeps præsit, id enim non habetur ex institutione divina aut naturali : at omnia membra Ecclesiæ, ex institutione divina, sunt per se partes unius totius eidem capiti subditi.

Inst.: Unitas ordinis sub eodem capite convenit aliis quam Ecclesiæ : ergo saltem non est nota Ecclesiæ.

Resp. dist. ant. Unitas ordinis sub eodem capite in iisdem rebus et eodem modo convenit aliis quam Ecclesiæ, nego; in diversis rebus et non eodem modo, conc. Unitas itaque ordinis sub uno capite in Ecclesia est quoad regimen ecclesiasticum in rebus fidei, sacramentorum usu, præceptorum observantia, cultu divino, etc. Item ab ipso Christo ducit originem et sine interruptione perseverat: hujusmodi autem unitas nulli nisi Ecclesiæ convenit.

Vera Ecclesia est Sancta.

Prob. Cant. 6 dicitur *decora, columba, pulchra ut luna, electa ut sol;* 1 Pet. 2: *Genus electum, gens sancta;* Ephes. 5: *Pro ea se tradidit Christus ut illam sanctificaret.* Est autem sancta, 1° ratione capitis et sponsi qui est Christus, Sanctus sanctorum et fons totius sanctitatis; 2° ratione finis, scilicet cultus divini, cui per baptismum consecratur; 3° ratione aliorum sacramentorum, officiorum, cæremoniarum, legum, quæ omnia spirant sanctitatem; 4° ratione doctrinæ quæ ducit ad sanctitatem acquirendam vel augendam.

Vera Ecclesia est Catholica.

Hæc vox [1] Catholicum est græca composita ex κατα, quod significat secundum, et ex ολον quod significat *totum*: hinc κατολον, id est, secundum seu per totum: catholicum igitur idem est ac universale.

Est autem vera Ecclesia catholica seu universalis, [2] 1° ratione loci, quia est per totum orbem diffusa; Psal. 71: *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos terræ orbis;* Psal. 18: *In omnem terram exivit sonus eorum;* Marc. 16: *Euntes in mundum universum;* 2° ratione conditionis personarum;

[1] Ibid. [2] Ibid.

quia cujusvis conditionis personas sive Judæos, sive gentiles, sive nobiles, sive ignobiles, sive masculos, sive fœminas, denique cujuscumque nationis aut conditionis homines ad se vocat et volentes complectitur : Psal. 2: *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 21 : *Convertentur ad Dominum universi fines terræ et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.* Marci 16 : *Prædicate evangelium omni creaturæ.* Apocal. 5 : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum;* 3° ratione durationis: Daniel. 2 : *Suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur.* Matth. ultimo : *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* 4° ratione doctrinæ, quia docet quæcumque sunt vel credenda, vel facienda, vel vitanda.

Circa universalitatem loci observandum est posse dupliciter accipi, vel pro diffusione simultanea et permanenti per totum orbem, vel pro diffusione successiva tantum. Si primo modo sumatur, intelligenda est universalitas non in rigore metaphysico, sed moraliter pro diffusione in plures et præcipuas partes orbis, ita ut Ecclesia sit magis diffusa quam quælibet alia secta, quo sensu Daniel. 2 et 8 dicitur quod Nabuchodonosor occupaverit omnia regna mundi, et quod Alexander imperabit universæ terræ ; non quod hi reges revera imperaverint toti orbi, sed pluribus et præcipuis provinciis. Si secundo modo sumatur, intelligenda est universalitas rigorose, ita quod Ecclesia nunc in plures et præcipuas partes diffusa, paulatim et successive diffundetur in alias partes, donec tandem ubique recipiatur, juxta illud Coloss. 1 : *Evangelium in universo mundo est, et fructificat et crescit :* ubi, juxta Aug. epist. 80, præsens ponitur pro futuro propter certitudinem effectus, uti frequens est in S. Scripturis : constat enim tunc temporis Ecclesiam non fuisse ubique diffusam.

Circa universalitatem personarum est etiam observandum eam non esse intelligendam de omnibus et singulis personis, sed de omni natione, gente et genere personarum ; non enim omnes et singulæ personæ omnium gentium sunt promissæ, sed omnes gentes ; credit itaque omnis gens in omnibus qui electi sunt, inquit Aug. epist. laudata.

Dices: Idololatria fuit olim catholica seu universalis : ergo catholicitas non est nota veræ Ecclesiæ.

Resp. neg. ant. 1° quia idololatria non fuit in omnibus una religio, sed in diversis diversa, cum diversi diversos Deos colerent. 2°. Non ab omnibus ut vera admittebatur : etenim veri Dei cultores eam rejiciebant, et ipsimet gentilium sapientiores eam observabant, non tanquam veram religionem quæ diis placeret, sed politice tantum, quia legibus præcipiebatur. Ita refert S. Th. *Opusc.* 70 ex Seneca et S. Aug.

Vera Ecclesia est apostolica

Ratione scilicet originis et successionis non interruptæ; quia fundata a Christo qui dicitur *Apostolus confessionis nostræ*, Hebr. 3, et ab Apostolis propagata et firmata, atque ab eis derivata, usque nunc perseverat : unde Christus est fundamentum Ecclesiæ primarium, quo sensu dicitur 1 Cor : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus ;* Apostoli autem fundamentum secundarium : et idcirco Ephes. 2 fideles dicuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum* : Apocal. 21 : *Murus Civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum :* et Christus Joan 17: *Non pro eis*(Apostolis) *autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Hanc notam dignoscendi veram Ecclesiam passim urgent Patres, Tertullianus, lib. *de Præscript.* cap. 32: « Si quæ, inquit, ecclesiæ audent intersere se ætati apostolicæ, quia sub Apostolis fuerant, possumus dicere, edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctoremet antecessorem. » S. Hieron., *contra Lucifer.* cap. ultimo, dicit : « In illa esse Ecclesia permanendum quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hunc durat. »

§ II.

Cui ecclesiæ hæ quatuor notæ conveniant?

Dico : Hæ quatuor notæ soli Ecclesiæ Romanæ conveniunt, non sectis hæreticorum.

Prob. prima pars : 1° Ecclesia Romana est una unitate consensionis in ultimum finem, et in eadem media, scilicet eamdem fidem, eadem sacramenta, eumdem cultum, etc. Item est una unitate ordinis seu ordinatæ dispositio-

nis omnium catholicorum sub eodem regimine unius capitis Romani pontificis. Hæc per se patent. Nec obstat quod catholici doctores in pluribus inter se dissentiant, ea enim in quibus dissentiunt non sunt dogmata fidei, sed opiniones liberæ de quibus Ecclesia nihil definivit : unitas autem quæ ponitur nota Ecclesiæ est unitas fidei.

2° Ecclesia Romana est sancta ratione sui capitis Christi, aliorum suorum fundatorum, Apostolorum scilicet, et eorum successorum, SS. Patrum qui illam adversus hæreses defenderunt, et suorum martyrum, qui suo sanguine illam sigillarunt. Est sancta ratione finis, scilicet cultus divini cui tota consecratur, ratione sacramentorum, legum, officiorum, sacrificiorum, cœremoniarum, quæ omnia sanctitatem spirant. Est sancta ratione doctrinæ, quæ non nisi quod in S. Scripturis aut traditione continetur proponit credendum, non nisi virtutem præcipit, non nisi vitia prohibet. Adde in hujus sanctitatis confirmationem innumera miracula a Christo et Apostolis patrata, ac in S. Scripturis relata; deinde ea quæ operati sunt viri sancti et apostolici, quæque referunt Tertul. l. *ad Scapulam*, c. 4, et *Apolog.*, c.5; Euseb. l. 5. *Hist.*, c. 5; S. Basilius, l. *de Spiritu Sancto*, c. 29; S. Hieron., *de Viris illustribus* ; S. Aug. lib. 22 *de Civit.* cap. 8 ; deinde plurimi scriptores fide digni. Hæc autem omnia negare, ut proterve faciunt hæretici, quid est nisi omnibus historiis fidem detrectare?

3° Ecclesia Romana est catholica ratione loci et conditionis personarum. Si loquamur de catholicitate permanenti et simultanea, quæ, ut observavimus, debet intelligi moraliter pro diffusione in plures et præcipuas orbis partes, plusquam quælibet secta, certum est eam convenire Ecclesiæ Romanæ; hæc enim floret in Europa, in America, in pluribus regnis, provinciis et insulis orientis; et quamvis non ita nunc, sicut olim, floreat in Africa, et in quibusdam provinciis Asiæ et septentrionalibus Europæ, plures nihilominus adhuc reperiuntur in illis veræ fidei et ecclesiæ Romanæ cultores, ita ut sit longe magis extensa quam quælibet secta. Si loquamur de catholicitate seu universalitate successiva, constat etiam eam convenire ecclesiæ Romanæ : hæc enim sola ab exordio usque nunc annuntiavit, et annuntiat nomen et evangelium Christi apud exteras et dissitas nationes, quas in dies sibi aggregat, missis quacumque missionariis, donec tandem in fine mundi compleatur diffusio et universalitas, juxta illud Matth. 24: *Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus ; et tunc veniet consummatio.* Item est catholica ratione doctrinæ, quippe omnes errores damnat, nullum docet. Tandem ita est catholica ut semper sic vocata fuerit, et sic adhuc vocetur : unde S. Aug. *contra Epist. Fundamenti*, c. 4: « Me, inquit, in Ecclesia Romana tenet ipsum catholicæ nomen quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. »

4°. Ecclesia Romana est apostolica 1° ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ. Ecclesiam priorum sæculorum fuisse apostolicam et Apostolorum doctrinam tenuisse fatentur hæretici; si qua ergo ab illo tempore mutatio accidit in Ecclesia Romana, et ab hac apostolica doctrina defecerit, ostendi possunt quæ in omni insigni mutatione contingunt, quod et quale sit istud novum dogma, quis immutationis et defectionis auctor, quo loco, quo tempore cœpit, quos oppugnatores habuit? Hæc nobis ostendant hæretici in Ecclesia Romana. Quoties aliqua hæresis caput erexit, statim se opposuere catholici, et usque ad sanguinis effusionem verbis et scriptis contra steterunt; et dum Roma caput mundi nova dogmata cuderet, nova sacramenta fingeret, totus mundus quasi somno correptus siluisset! Quis credat? Item Ecclesia Romana est apostolica ratione successionis non interruptæ pastorum suorum ab Apostolis : unde S. Aug. superius citatus dicit: « Tenet me (in Ecclesia Romana) ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum. »

Confirm. tota hæc prima pars : Ecclesia Romana in prioribus sæculis, et adhuc tempore concilii Constantinopolitani, in quo assignatæ sunt quatuor præfatæ notæ veræ Ecclesiæ, erat vera Christi Ecclesia, et competebant illi istæ notæ, id fatentur hæretici : atqui vera Christi Ecclesia deficere non potest, ut modo probabimus : ergo.

Prob. secunda pars conclusionis ; Sectæ hæreticorum non habent unitatem consensionis in una fide. Patet 1° ex eorum variationibus in dogmatibus, quas in clara luce posuit illustrissimus Bossuetius; 2° ex tot sectis in quas

scissi sunt lutheranismus et calvinismus, quæ tamen remanent in eadem universali Ecclesia, secundum ipsos, si non errent circa veritates fundamentales : imo anno 1631, in synodo Charentonensi ex lutheranismo et calvinismo facta est una communio, et una ecclesia, quamvis notum sit eos in pluribus dogmatibus dissentire, præsertim circa Eucharistiam; 3° cum pro regula fidei privatum spiritum sequantur, tot sunt inter eos opiniones fidei quot capita, et qui hodie credit unum, cras credit contrarium. Non habent etiam unitatem ordinatæ dispositionis sub uno capite; tot sunt enim inter eos capita quot ministri, quippe qui alicui uni non subordinantur, suntque sine missione et jurisdictione, ut mox dicam.

2° Non habent sanctitatem : 1° non habent ex parte suorum auctorum : notum quippe est Lutherum, Calvinum, Zwinglium, etc. non fuisse sanctos, sed pluribus vitiis obnoxios. 2° Non habent ex parte doctrinæ : Deum quippe faciunt auctorem peccati, imo dicunt ipsum ad peccandum cogere, et impossibilia præcipere. Insuper docent plures errores jam olim ab Ecclesia damnatos: cum Simoniacis docent bona opera esse inutilia; cum Novatianis nullum esse Pœnitentiæ sacramentum præter Baptismum ; cum Donatistis Ecclesiam solis prædestinatis constare, et esse invisibilem ; cum Aerianis, non esse orandum pro mortuis, et episcopum a presbytero non differre. 3° Non habent ex parte principiorum moralium : docent namque solam fidem justificare, nullumque peccatum quamtumvis grave, etiamsi adulterium, homicidium, sodomiam, habentibus fidem imputari, et ideo quantumvis scelestum, modo credat se esse a Deo electum, nunquam gratiam amittere : ita Lutherus, *de Captivit. Babyl.*, cap. de Baptismo, et Calvinus, lib 5 *Institut.*, cap. 19. Quæ sola duo principia viam aperiunt omnibus vitiis, occludunt virtutibus. Insuper notum eos cœlibatum sacerdotum et vota monastica damnare, claustra et templa diruere, bona monasteriorum invadere, imagines frangere, invocationem Sanctorum, satisfactiones et bona opera, jejunia, abstinentias, et quidquid sapit mortificationem rejicere.

3° Non habent catholicitatem : 1° non habent ratione loci, latent quippe in angulo Europæ, in aliis autem mundi partibus, in Asia, in Africa, in America, non sunt, aut si quidam in his exteris nationibus reperiuntur, habentur pro hæreticis; 2° non ratione personarum, cum enim doceant quemque posse in sua religione salvari, modo saltem non erret circa veritates fundamentales, non omnes ad se vocant; 3° non habent ratione temporis : ante Lutherum enim et Calvinum non erat eorum ecclesia, et aliquando non defecturam nullum habent fundamentum, imo jam defecisse in Gallia et in multis Belgii provinciis notum est.

4° Non habent apostolicitatem : 1° non habent ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ, si quidem doceant errores quos vetus Ecclesia apostolica damnavit, ut diximus, et fatetur ipse Calvinus, l. 3 *Instit.*, c. 4. et 5 de Satisfactionibus, de Cœlibatu sacerdotum, de Precibus pro mortuis, et de Jejunio quadragesimæ; 2° non ratione successionis apostolicæ in suis pastoribus : cui enim successit Lutherus ? cui Calvinus ? Unde merito dicimus ipsis cum Tertulliano, lib. *de Præscript.*, c.32: «Edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, etc », ut in fine § præcedentis; 3° non ratione missionis legitimæ in suis pastoribus : inprimis non habuerunt missionem ordinariam, a quo enim illam habuissent ? Non ab Ecclesia Romana quando ab ea recesserunt, quia tunc vel erat hæretica, et sic non erat vera Ecclesia habens auctoritatem mittendi, vel non erat hæretica, et sic sectarii sunt schismatici, hæretici et excommunicati, atque ideo omni auctoritate, quam in Ecclesia habere potuerunt regendi ecclesias et constituendi legitimos ministros, exciderunt : aliam societatem vel ecclesiam a qua habuerint missionem ordinariam assignare non possunt : non etiam habuerunt missionem extraordinariam ; hæc enim vel in S. Scripturis exprimi debet, vel miraculis probari, qualis fuit missio Moysis, Prophetarum, Apostolorum, et ipsius Christi : quis enim credat homini dicenti se a Deo missum cum auctoritate episcopali, se accepisse potestatem ministros instituendi, institutos deponendi, doctrinam novam annuntiandi, antiquam reformandi, conciliorum definitiones expendendi et rejiciendi, Ecclesiæ antiquos usus improbandi, novos inducendi, atque omnes teneri ei credere : quis, inquam, credet, nisi missionem tam extraordinariam et tanti momenti signis et miraculis comprobet: atqui neque Lutherus, neque Calvinus, neque eorum successores, hanc missionem ullis miraculis comprobarunt: « Nullus eorum adhuc extitit, inquit Erasmus *in Diatribe de lib. arbit.* qui vel equum claudum sanare potuerit. »

ARTICULUS V.

UTRUM ECCLESIA POSSIT DEFICERE, SEU ERRARE IN FIDE ET MORIBUS?

Ecclesia potest duobus modis considerari : 1° ut est congregatio omnium fidelium tam prælatorum quam subditorum; 2° prout est congregatio prælatorum et doctorum : hæc dicitur Ecclesia repræsentative et docens, prima dicitur Ecclesia credens. Quæstio est utrum utraque sit infallibilis, prima in credendo, secunda in docendo, seu, ut alii dicunt, utrum Ecclesia habeat infallibilitatem tam activam quam passivam?

Inter hæreticos, quidam, ut observavimus superius, distinguunt inter Ecclesiam invisibilem prædestinatorum et visibilem compositam ex prædestinatis et reprobis; primam dicunt infallibilem, non secundam. Alii dicunt Ecclesiam visibilem esse absolute indefectibilem, sic tamen obscurari posse ac pene extingui, ut non sit amplius visibilis : suppositum impugnavimus in præcedentibus, asserendo unam Ecclesiam perpetuo visibilem : unde pro præsentis quæstionis resolutione contra eosdem

Dico 1°: Ecclesia visibilis non potest deficere aut errare in rebus fidei et morum credendis.

Prob. 1°. ex prophetiis veteris Testamenti : Isa. 6: *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam, non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Oseæ 2 : *Sponsabo te mihi in sempiternum... et sponsabo te mihi in fide.* Micheæ 4 : *In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium et sublimis super colles et fluent ad eum populi... nos autem ambulabimus in nomine Domini nostri in æternum.* Psal. 47: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum.* Psal. 88: *In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi; et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.* Psal. 128 : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea,* id est a tempore quo cœpi esse, *etenim non potuerunt mihi,* scilicet prævalere. In his agi de Ecclesia visibili probant hæ voces : *mons, domus, dies, thronus, expugnare,* etc.

Prob. 2° clarissime ex novo Testamento : Matth. 16 : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* utique visibilem in homine visibili fundatam, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ibidem, cap. 28: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi :* super quæ verba S. Th., *in Catena,* dicit : « Non cum illis solum dixit se futurum esse, sed et cum omnibus qui post illos credunt, non enim usque ad consummationem sæculi Apostoli mansuri erant, sed sicut uni corpori fidelibus loquitur. » Luc 1: *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Alia testimonia proferentur conclusione sequenti.

Prob. 3° ex Patribus : S. Chrysost. *Serm. de Pentecost.* : « Non senescit, inquit, non contrahitur et multis oppugnationibus non opprimitur... Putas eam te posse lædere, sed non poteris, Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » S. Ambros. *lib. de Salomone,* c. 4: « Etsi (Ecclesia) undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, nunquam potest sustinere naufragium. » S. Hieron. *ad cap.: 4. Isa.:* « Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur. » Idem in *cap. 4 Amos.* S. Augustinus *lib. de Symb. ad catechum.*, c. 6: « Ipsa est Ecclesia sancta... pugnare potest, expugnari tamen non potest : hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincent eam. » Evidens est SS. Patres loqui de Ecclesia visibili ; Ecclesia enim invisibilis non pugnat nec impugnatur, fluctibus et procellis non quatitur, ex illa non exeunt hæreses, etc.

Prob. 3° ratione : 1° Extra Ecclesiam non est salus : ergo si Ecclesia visibilis deficiat, salus fit impossibilis ; quis enim Ecclesiam invisibilem ingredi potest? 2° Si Ecclesia possit deficere, nemo erit securus de sua fide, nec ipsi lutherani et calvinistæ, potest enim pariter eorum ecclesia deficere ; et unde sciunt non defecisse, cum defectio, ut dicunt, accidat hominibus non advertentibus? 3° Ut articulo præcedenti arguebamus, si Ecclesia Romana defecerit, ut contendunt hæretici, debent assignare in quo defecerit, quo auctore, quo loco, quo tempore ; hæc enim omnia notantur in mutatione insigni, qualis hæc foret. Ad hæc autem obmutescunt; fallor · quidam dicunt contigisse anno 600 ; alii anno 763 ; alii anno 1200 ; cui credas? Crede omnes fabulatores et ariolos. Aliunde non sat est designari tempus, debent insuper notari dogmata, locus, auctores, oppugnatores.

Respondent ista notari non posse ; quia, in-

quiunt, defectio non simul et semel contigit, sed successive et hominibus non advertentibus. At hanc responsionem esse miseram, ne dicam fatuum effugium, nemo non videt. Quis enim sibi inducat in animum dogmata præsentiæ realis, cultus et invocationis Sanctorum, horrendas idololatrias aut superstitiones secundum sectarios, necessitatem confessionis auricularis, rem adeo arduam et difficilem, purgatorium, suffragia pro mortuis, vota monastica et plura alia in veram religionem irrepsisse nemine advertente? Quis, inquam, hæc credat? Nisi supponat omnes homines tunc temporis fuisse stipites, aut somno lethargove correptos.

Dico 2° : Ecclesia in suis pastoribus repræsentata, sive per orbem diffusa, sive in unum congregata, errare non potest in rebus fidei et morum proponendis et definiendis.

Prob. ex conclusione præcedenti : Si Ecclesia in suis pastoribus repræsentata, sive per orbem diffusa sive congregata, posset errare in rebus fidei et morum proponendis et definiendis, sequeretur quod omnes fideles seu Ecclesia sumpta pro congregatione omnium fidelium posset errare in credendo et deficere : falsum consequens, ut probatum est : ergo et ant. Prob. sequela, quia fideles non credunt nec credere debent aliud quam quod ipsis proponunt universi pastores ; eos enim instituit Christus ut subditum gregem pascerent, regerent et docerent in rebus fidei et morum, Act. 20 : *Posuit vos episcopos Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.* Matth. 28 : *Docete omnes gentes* : jussit ut omnes illos audirent et eis obedirent, Luc. 1° : *Qui vos audit me audit.* Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* : unde quæcumque diximus pro infallibilitate Ecclesiæ in credendo, probant ejus infallibilitatem in docendo.

His adde sequentia : 1° ex S. Scripturis : Christus alloquens Apostolos et in eis eorum successores episcopos, dicit, Joan. 14, ℣. 16 : *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ibidem, ℣. 26 : *Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis,* Item cap. 16 : *Cum venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Apost. I Timoth. 3 : *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei, columna et firmamentum veritatis.*

Si dicas ex his testimoniis sequi Ecclesiam nullam unquam ignorasse veritatem, quod tamen patet esse falsum ex novis conciliorum definitionibus, resp. his testimoniis duo significari : primum affirmativum, nempe quod Spiritus docebit omnem veritatem ; alterum negativum ex affirmativo sequens, scilicet quod non permittet errorem veritati contrarium; istud semper impletur: primum autem, quando Ecclesiæ necessitas vel utilitas exigit ut de aliqua veritate de novo instruatur.

2° ex Patribus : S. Irenæus *lib. 4 cap.* 43 : « Eis, inquit, qui in Ecclesia sunt præsbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis.... qui episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt ». Tertul. *de Præscript.*, c. 21 : « Constat omnem doctrinam quæ cum illis ecclesiis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. » S. Cyrillus *ad Pupinianum* : « Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt : Qui audit vos me audit, qui rejicit, me rejicit » Et *Epist. synod.* ad Nestorium : « Hæc est catholica apostolicaque fides in qua universi occidentis et orientis orthodoxi episcopi consentiunt. » S. Hieron. *contra Luciferianos* : « Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare. » S. Aug., *lib.* 7 *de Bapt.*, *cap.* 53 : « Nobis tutum est.... fiducia securæ vocis asserere quod in gubernatione Domini nostri Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. » Lib. de *Unitate credendi*, c. 18 : « Nolle Ecclesiæ primas dare, vel summæ impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. » Denique notum est illud ejusdem S. Doctoris, *Epist. contra epist. fundamenti*, cap. 5 : « Ego evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. »

Dixi 1° : « Ecclesia sive dispersa sive congregata » ; quia, cum promissiones infallibilitatis sint factæ Ecclesiæ, et eadem sit semper Ecclesia, sive dispersa, sive congregata, in utroque statu gaudet privilegio infallibilitatis : et certe Christus non intelligebat de Ecclesia congregata in conciliis, cum dixit : *Ecce vobiscum sum omnibus diebus*, cum non omnibus diebus, sed rarissime congregentur concilia. Insuper Patres laudati loquuntur de Ecclesia dispersa. De Ecclesia vero congregata redibit sermo dum de conciliis, ubi plura huc spectantia dicenda reservantur, ne omnia simu confundamus.

Dixi 2° ; *in rebus fidei et morum :* quantum ad mores, intelligenda est conclusio de moribus spectantibus communem omnium fide-

lium salutem: unde Ecclesia errare non potest, sive definiendo aliquid esse bonum et honestum quod est malum et inhonestum, et e contra aliquid esse inhonestum et malum quod est bonum et honestum; sive præcipiendo aliquod quod communi fidelium saluti sit noxium, aut prohibendo quod illi est necessarium seu utile. Ratio est 1° quia hoc esset errare in fide; fides enim omne virtuosum et honestum approbat, omne vitiosum et turpe reprobat; 2° esset contra sanctitatem Ecclesiæ; 3° Ecclesia male pasceret fideles, non enim solius fidei, sed etiam morum doctrina pascuntur fideles.

Quantum vero ad mores spectantes personas privatas et facta particularia, quorum cognitio pendet ex testimonio fallibili hominum, Ecclesia potest per ignorantiam errare, ut si conjunctos in facie Ecclesiæ cum impedimento dirimente occulto jubeat simul cohabitare, vel innocentem juridice probatum nocentem excommunicet: in quibus casibus error non est juris, sed facti ab humano et fallibili testimonio dependentis: eadem ratione errare potest in referendis actis Sanctorum. Addit Joannes a S.Thoma, *disput.* 9, *de Fide*, art. 3 post Suarem et Bannem, Ecclesiam posse errare circa circumstantias, applicationem et executionem legis, puta, nimium præcepta et censuras multiplicando, nimium rigorem in executione exercendo; quia, inquit, hæ videntur pertinere quasi ad prudentiam et directionem legis, magis quam ad ejus substantiam et moralitatem. Idem videtur sentire Cano, *lib.* 5 *de Locis theolog*, cap. 5, q. 5, dicens: « Se non omnes Ecclesiæ leges approbare, non universas pœnas, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta commendare: sic enim nonnullas ejusmodi leges esse, in quibus si non aliud præterea quidquam, at prudentiam certe modumque desideres. » Verum hæc, si intelligantur de legibus omnes christianos spectantibus, propter reverentiam doctissimorum virorum refero, affirmare non audeo.

De canonisatione Sanctorum et de sensu librorum, seu factis dogmaticis, sunt speciales et graves difficultates, de quibus infra. Sed etiam

Petes utrum Ecclesia sit infallibilis in approbatione ordinum religiosorum?

Resp. in approbatione alicujus ordinis religiosi duo intervenire judicia: primum hanc religionem esse bonam, evangelio conformem et perfectioni acquirendæ utilem: in hoc judicio errare non potest Ecclesia, alioquin erraret in communi doctrina morum, cum omnibus hanc religionem proponat ut bonam, et viam ad perfectionem. Aliud est judicium utrum hic et nunc expediat hunc ordinem admittere? Et de hoc judicio non ita constat esse infallibile; quia non e scientia solum, sed e prudentia pendet: at saltem temeritatis notam non effugeret, qui, contra communem Ecclesiæ sensum, erroneum assereret.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° plura ex veteri Testamento, ex quibus constat Ecclesiam aliquando defecisse: 1° Ecclesia defecit in Adam et Eva peccantibus. 2° Tempore Noe, *cum cuncta cogitatio cordis esset intenta in malum*, Genes, 6. 3° In deserto, dum omnis populus adoravit vitulum aureum, Exod. 32. 4°. Tempore Eliæ, 3 Reg., c. 19, ubi propheta dicit: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus et quærunt animam meam ut auferant eam.* 5° Jerem. 2, dum dixit Deus: *Omnes me dereliquistis.* 6° Tempore captivitatis Babylonicæ. 7° Tandem tempore Christi synagoga defecit: ergo.

Resp. 1° hæc omnia et plura alia similia non obstare conclusioni nostræ quæ est de Ecclesia christianorum post Christum natum, et non de ecclesia veteris Testamenti: et hoc propter duo: 1° quia ecclesiæ veteris Testamenti non sunt factæ promissiones quales fecit Christus ecclesiæ novi Testamenti; non enim illi dictum est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, neque, *portæ inferi non prævalebunt adversus illam;* 2° quia ecclesia veteris Testamenti non coarctabatur intra synanogam, poterat enim extra illam salus haberi, ut patet de Job, Melchisedech, Ninivitis et aliis. Extra vero Ecclesiam novi Testamenti non potest haberi salus: unde necesse est ut semper subsistat visibilis. Cæterum non concedimus ecclesiam veteris Testamenti seu synagogam periisse, nisi eo tempore quo cessare et in novam transmutari debebat; non enim erat perpetuo duratura: unde ad singula.

Resp. 2° ad primum: 1° Ecclesia fundata in Christo mediatore futuro vel præsenti, de qua est quæstio, non incepit in Adam et Eva ante suum peccatum, gratia enim, quam in sua creatione acceperunt, non fuit ex meritis Christi futuris, ut docuimus in tract. de Incarnatione; sed incepit duntaxat vel in Adam et Eva

pœnitentibus, vel, ut alii volunt, in Abel. 2° Ecclesia non extinguitur nisi per peccatum infidelitatis; peccatum autem Adam et Evæ non fuit infidelitatis, sed inobedientiæ: nec obstat quod videantur dubitasse de revelatione dum dixerunt, « *Ne forte moriamur* », id enim non dixerunt dubitando de revelatione, sed quia illam acceperunt ut comminatoriam, quasi dixissent: « Debemus abstinere ab esu fructus; quia Deus posset nos morti addicere, sicut minatus est ». 3° Si Ecclesia in iis defecit, non solum Ecclesia visibilis, sed etiam invisibilis defecit; in his enim duobus utraque consistebat; sequelam autem non admittunt hæretici.

Ad secundum: Tempore Noe equidem cuncta cogitatio cordis erat intenta in malum, sed non in malum infidelitatis, quo solo deficit Ecclesia.

Ad tertium : Neque Moyses caput populi, neque Levitæ adoraverunt vitulum: Aaron autem tunc nondum erat creatus Pontifex.

Ad quartum : 1° Elias loquitur de solo regno Israel seu Samariæ, non de regno Juda in quo tunc florebat vera religio. 2° Cum Elias dicit : *Relictus sum solus*, non est sensus quod ipse solus esset fidelis in universo Israel, siquidem Deus ibidem illi dicat : *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*; sed quod solus Propheta esset relictus, quia omnes alii Prophetæ, vel erant occisi a Jezabel, vel in captivitate detenti causam Dei defendere non poterant.

Ad quintum, « To omnes » in hoc loco, sicut in pluribus aliis S. Scripturæ locis, non significare omnes omnino et singulos, sed multos: sic Exod. 9 : *Mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum*. Philipp. 2: *Omnes quæ sua sunt quærunt* : ideoque observat S. Augustinus, l. *contra Donatistas post. collat.* c. 2, morem esse S. Scripturæ quod Prophetæ et Apostoli reprehendant universum populum quasi omnes essent mali, licet multi sint boni; et quandoque consolentur universum populum quasi omnes essent boni, licet multi sint mali.

Ad sextum: Judæis in captivitate Babylonica liberum fuit observare suam legem, erat in eis concilium Sanedrim, ritusque suæ religionis palam exercebant, exceptis sacrificiis quæ in solo templo Jerosolimitano fas erat offerre.

Ad septimum : 1° Tempore Christi defecit synagoga, quia non erat instituta ut in æternum duraret sicut Ecclesia novi Testamenti, sed usque ad Christum tantum, cujus erat figura: adveniente autem veritate, evanescit figura. 2° Non tam defecit synagoga tempore Christi quam in melius mutata et excellentiorem statum adepta : etenim pro circumcisione accepit baptismum, pro infirmis et egenis elementis accepit sacramenta quæ sunt vasa gratiæ, pro agno paschali Christum ipsum, et pro sacrificiis cruentis animalium sacrificium incruentum Filii Dei.

Inst. 1°: Ipsa etiam Ecclesia novi Testamenti interiit tempore passionis Christi, cum non solum synagoga et tota gens Judaica, sed etiam ipsi Apostoli a Christo defecerunt, prout prædixerat illis Christus Matt. 26 : *Omnes scandalum patiemini in me in ista nocte:* et ideo in hebdomada sancta unicus cereus remanet accensus, ad significandum scilicet omnes Apostolos, excepta B. Virgine, a fide defecisse ; idque asserit S. Bernardus, *tract. de Lamentatione Virginis Mariæ :* « In ipsa sola, inquit, in triduo illo fides Ecclesiæ stabat. » Idem videtur sentire S. Aug. *in hæc verba Psal.* 68 : *Defecerunt oculi mei*: « A latrone, inquit, Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando a fide defecerunt. »

Resp. 1° conclusionem nostram procedere de Ecclesia Christi formata, fuit autem formata duntaxat in die Pentecostes. 2° Nego ant. et ejus probationem: tempore enim passionis Christi Joseph ab Arimathea, Luc. 22, Nicodemus, Joan. 19, Centurio et ii qui, Matth., 27, leguntur timuisse et dixisse : *Vere filius Dei erat iste :* viri et mulieres de quibus dicitur, Luc. 23: *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilea:* denique ibidem : *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum illud et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*; ii, inquam, omnes fidem in Christum habebant, quod est etiam verisimile de septuaginta duobus discipulis. Quantum ad Apostolos, passi sunt scandalum, non amittendo fidem, sed eam non confitendo exterius, ut debebant. Equidem alibi Christus arguit eorum incredulitatem, non quod fidem, quam de anterioribus habebant, amiserint, sed quia erant tardi ad credendum ejus resurrectionem, quod non erat infidelitas proprie dicta, sed infirmitas venialis ; non enim intellexerant quæ dixerat ipse Christus, dum cum eis loqueretur de sua resurrectione. Cerei extincti in hebdomada sancta, ut alibi jam notavi, significant non Apostolos deficientes, sed Prophetas occisos, et unus qui remanet accensus significat Christum qui semper arsit, conjunctus luci divinitatis.

Opus laudatum non est S. Bernardi, quippe continet ineptias : insuper sensus posset esse quod in B. Virg. fides firmior et magis explicita remanserit quam in aliis. Sensus S. Aug. est quod Apostoli victi fuerint a latrone in professione exteriori fidei, dum palam dixit : *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*, a qua fidei professione Apostoli ex metu defecerunt.

Inst. 2° : Tempore Arianismi, præsertim in concilio Ariminensi, Ecclesia defecit : unde S. Hieronymus, *in Dialogo contra Lucifer*. dicit: « Miratus est universus orbis se esse arianum » : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat.: Id dixit S. Hieronymus hyperbolice, ut ex ipso probatur : cæterum hoc tritum hæreticorum argumentum ad fibras usque dilutum cum historia concilii Ariminensis habes in tract. de Trinitate digress. 3, ad dissert. proœmialem, illuc recurre, ne cogar eadem repetere.

Obj. 2° Aliquando defecturam Ecclesiam testantur S. Scripturæ : ergo. Prob. ant. 1° 1 Paralip., c. 15, Azarias Propheta dicit : *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero.* 2° Daniel. 9 : *Deficiet hostia et sacrificium.* 3°, Luc. 18: *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* 4° 2 Thessal. 2 : *Nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis,* id est, antichristus : intelligitur autem discessio generalis, alioquin non foret signum antichristi, cum frequens sit aliquos a fide deficere : ergo.

Resp. neg. ant. Ad primam probationem : Ista verba intelliguntur de regno Israel seu Samariæ; et dato quod intelligerentur de regno Judæ, nihil probarent; quia, ut dictum est, Ecclesia universalis non concludebatur intra ecclesiam Judæorum seu synagogam, ut patet in Job, Melchisedech, Ninivitis, Centurione, eunucho reginæ Candacis, etc.

Ad secundam : intelligitur de eversione Jerusalem per Romanos et de cessatione hostiæ legalis, per mortem Christi abolendæ.

At dices apud eumdem Danielem cap. 12 legi : *A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et postea fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta :* atqui per juge sacrificium hic intelligitur sacrificium novæ legis, ibi enim designatur tempus persecutionis antichristi quæ durabit mille ducentis nonaginta diebus, seu annis tribus cum dimidio : ergo.

Resp. : Juge sacrificium novæ legis, agente Antichristo auferetur quantum in ipso erit, ita ut nullus publice audebit missam celebrare ; at obtinere non poterit ut omnino auferatur, permanebit enim, juxta Apostolum 1 Cor. 11, donec veniat Christus.

Ad tertiam : Ibi sermo est de fide firma et excellenti quæ in paucis tunc reperietur, ut interpretatur S. Augustinus lib. *de Unitate Ecclesiæ* c. 15, vel id dicitur propter multitudinem malorum et paucitatem bonorum.

Ad quartam : Discessio tempore antichristi erit universalis ; quia erit per totum orbem diffusa, non sic tamen ut omnes inficiat.

Inst.: S. Ephrem *Serm. de Antichristo*: « Omnes, inquit, communi voto parique sententia summo cum gaudio ipsum (antichristum) constituent regem. » Et S. Aug. Epist. 80 : « Quando sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, Ecclesia non apparebit. » Ergo.

Resp. ad primum : S. Ephrem loquitur, non de omnibus absolute, sed de omnibus quos in errorem induxerit antichristus. Ad secundum: Distinguenda est duplex Ecclesiæ conspicuitas, una essentialis quæ consistit in veræ fidei et religionis professione, in usu sacramentorum et observantia præceptorum Christi : altera accidentalis quæ consistit in externo apparatu et splendore, cujusmodi sunt habere templa magnifica, sine metu ad sonum campanarum ecclesias frequentare et officia publica celebrare, abundare ministris, libere prædicare verbum Dei, etc. De hac posteriori perspicuitate, non de prima loquitur S. Augustinus et alii Patres, si forte sint qui eumdem modum loquendi teneant.

Obj. 3°: Ecclesia comparatur lunæ : atqui luna potest deficere, et sic deficit ut non appareat amplius : ergo.

Resp. dist. maj. Ecclesia comparatur lunæ quoad aliqua, conc.; quoad omnia, neg. In hoc ergo tenet comparatio : 1° quod sicut luna accipit lumen a sole, sic Ecclesia a Christo ; 2° quod sicut luna successive et paulatim crescit, sic crevit Ecclesia : ita S. Aug. in Psal. 10 et 103; 3° quia, sicut luna patitur mutationes, sic Ecclesia modo est in pace, modo procella persecutionis agitatur.

Obj. 4° : Ecclesia sive credendo sive definiendo est libera : ergo errare potest.

Resp. dist. ant. Tota Ecclesia sive credendo sive definiendo est libera libertate contradictionis, conc.; libertate contrarietatis, nego. Suppositis enim Christi promissionibus, quamvis possit non credere præcise secundum se, quod sufficit ad libertatem, non potest tamen con-

trarium fidei credere, quod requiritur ad errorem. Paritas est in Christo, qui supposita ejus impeccabilitate, erat liber circa mortem a Deo præceptam libertate contradictionis, non contrarietatis, ut explicuimus in tract. de Incarnatione. Alii sic distinguunt : Tota Ecclesia est libera physice, conc.; moraliter, nego. Quia Christus tot gratiis illam illustrat, ut quamvis singuli possint errare, nunquam tamen omnes simul errent.

Inst.: Singuli seorsim sunt liberi, sive libertate contrarietatis, sive physica, tam in credendo, quam in definiendo : ergo et omnes collective.

Resp. neg. conseq. quia promissiones infallibilitatis factæ sunt omnibus collective, non singulis seorsim : unde a sensu distributivo ad collectivum non valet hic argumentum.

Obj. 5°: Potest contingere quod omnes Ecclesiæ pastores sint cœci, ignorantes, corrupti et inducentes in errorem : ergo. Prob. ant. ex Isa. 56, ubi dicitur : *Speculatores ejus cœci omnes, nesciunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia.* Et Jerem. 8 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt a sumno usque ad novissimum.* Ergo.

Resp. per omnes intelligi multos, phrasi S. Scripturæ familiari, ut prius observavimus : vel hæc dicta esse de pastoribus legis mosaicæ, quibus Christus non promisit infallibilitatem, sicut promisit pastoribus novæ legis.

Obj. 6° : Dum mortuo summo pontifice vacat sedes Romana, deficit Ecclesia: ergo. Prob. ant. : abcisso capite deficit corpus: ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Abscisso capite naturali deficit corpus, conc. ; abscisso capite morali, quale est summus Pontifex, nego. Non enim est tanta dependentia corporis politici a capite morali, sicut corporis naturalis a capite naturali; hoc enim abscisso, statim moritur corpus, at non sic de capite morali, mortuo enim, v. g. rege Galliæ, non deficit monarchia : similiter mortuo papa non deficit Ecclesia, sed permanet sedes Romana, et societas fidelium sub regimine suorum pastorum, parata acceptare supremum caput eligendum.

Contra infallibilitatem Ecclesiæ circa mores.

Obj. 1°: In solis fidei rebus Christus Ecclesiæ suæ promisit infallibilitatem dum dixit : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua :* ergo.

Resp. 1° neg. ant. Hoc ipso enim quo Christus instituit Ecclesiam suam sanctam, cum officio et obligatione pascendi fideles, ipsam instituit infallibilem circa mores; alioquin, si in his erraret, nec foret sancta, nec bene pasceret fideles. Item, dum promisit Spiritum sanctum qui doceret Ecclesiam omnem veritatem utique necessariam ad salutem, etiam promisit infallibilitatem circa mores, quia veritas faciendorum non minus est necessaria ad salutem quam veritas credendorum.

Resp. 2° dato ant. neg. conseq. Quia, si Ecclesia erraret circa mores approbando, aut præcipiendo malum, ut bonum, aut e contra, erraret contra fidem; quia, ut diximus, fides approbat omne quod est bonum, et improbat omne quod est malum.

Obj. 2° : Si Ecclesia esset infallibilis in doctrina communi morum, sequeretur quod omnes veritates morales quas definiret aut proponeret fidelibus essent de fide : falsum consequens : ergo et ant. Prob. maj. a pari : Sic, quia Ecclesia est infallibilis circa dogmata, quæcumque circa illa definit aut proponit, sunt de fide. Prob. min. Nihil est de fide, quod non sit revelatum in S. Scriptura vel traditione : atqui non omnes veritates morales, quas Ecclesia definit aut proponit fidelibus, sunt revelatæ in S. Scriptura vel traditione, v. g. quod hic contractus sit usurarius, vel simoniacus; id enim eruitur lumine naturali ex ipsa contractus natura : ergo.

Resp. neg. maj. et ejus probationem : Ratio enim cur dogmata ab Ecclesia definita sint de fide, non est præcise, quia est infallibilis circa illa, sed et quia aliunde sunt revelata ; nec quicquam obstat quominus Deus concedat Ecclesiæ infallibilitatem circa non revelata, quando sunt necessaria communi fidelium saluti : sic Ecclesia est infallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica, et tamen, quia factum dogmaticum non est revelatum, juxta probabilem plurium sententiam, non est fidei divinæ, sed ecclesiasticæ tantum, ut infra dicemus: sic iterum Ecclesia secundum communem sententiam est infallibilis in canonisatione Sanctorum, et tamen probabilius est non esse de fide, quod canonisatus sit Sanctus, de quo etiam infra. Multa autem Ecclesia proponit fidelibus, quæ non sunt revelata, præsertim præcipiendo vel prohibendo : sic, v. g. præcipit celebrationem festorum, jejunia, auditionem missæ, etc. prohibet Eucharistiam dari infantibus, laicos communicare sub utraque specie; et hæc non sunt fidei divinæ, quia non

sunt revelata : est tamen semper fidei divinæ, quod Ecclesia in his præcipiendis vel prohibendis errare non possit. Alia autem Ecclesia proponit circa mores quæ sunt revelata, tunc maxime cum procedit definiendo, qua definitione posita, quæ erant tantum de fide quoad se, quia ignorabatur revelatio, fiunt de fide quoad nos : sic sunt plerumque de fide quæ definivit circa tot propositiones laxioris et strictioris moralis, etiam (ut non omittam exempla instantiæ) circa contractus simoniacos aut usurarios; non enim ejus definitiones in his et similibus soli lumini naturali nituntur, sed maxime his quæ habentur in S. Scriptura vel traditione circa usuram, simoniam et alias materias.

Obj. 3°: Ecclesia aliquando mutat suas leges, et quæ uno tempore præcipit, altero prohibet, aut e contra : ergo non est infallibilis circa mores.

Resp. dist. ant. Ecclesia aliquando mutat suas leges in his quæ sunt intrinsece bona, vel intrinsece mala, nego. sicut enim hæc sunt invariabilia, ita leges Ecclesiæ de illis sunt invariabiles. In his quæ spectant disciplinam, et quosdam ritus, conc.; quia hæc possunt expedire saluti pro uno tempore, et non pro altero : unde quæcumque mutatio accidat, Ecclesia est semper infallibilis in his proponendis.

Obj. 4°: Recitatio officii ecclesiastici pertinet ad mores : atqui in eo multa falsa continentur : ergo.

Resp. dist. min. In eo multa falsa continentur contra veritatem historiæ, conc. Diximus autem supra Ecclesiam in historicis, quæ pendent ex testimonio fallibili hominum posse errare. Falsa contra fidem, aut bonos mores, nego. Quod si hujusmodi forte reperiantur in quibusdam breviariis, ea nunquam probavit universa Ecclesia, quippe quæ omnium breviariorum examen non suscepit.

ARTICULUS VI.

UTRUM ECCLESIA SIT SUPREMUS JUDEX CONTROVERSIARUM FIDEI?

Necessitatem alicujus supremi et infallibilis judicis in rebus fidei, cui omnes morem gerere teneantur, probant ipsæ controversiæ, quæ de ipsis rebus fidei quotidie emergunt : res namque fidei sunt abstractæ, sublimes, occultæ, non omnes sunt capaces examinis et discussionis rerum tam sublimium et inevidentium : unde si non sit aliquis supremus judex, cujus auctoritate infallibili contineantur homines, nihil erit fixum in religione, erimus perpetuo fluctuantes omni vento doctrinæ abrepti, disputationes erunt interminabiles, et dum unusquisque in suo sensu abundabit, tot erunt dogmata quot capita.

Inter hæreticos quidam pro summo judice assignant ipsam Scripturam Sacram, quam volunt esse claram et apertam : alii assignant afflatum Spiritus Sancti unicuique privato, seu ipsam S. Scripturam secundum hunc privatum spritum intellectam. Alii, ut Brentius, principes sæculares. Nos non negamus Scripturam Sacram esse regulam, normam et legem juxta quam dirimendæ sunt controversiæ; sed cum hæc regula sit mortua, et sæpe circa illam oriantur difficultates, quas ipsa dirimere non potest, requiritur ulterius aliqua regula viva, seu potius judex, qui supremo et infallibili judicio definiat quid hæc regula mortua ferat et contineat : sicut in humanis lex est regula et norma juxta quam debent lites dirimi : at insuper necessarius est judex, qui, auditis partibus, pronuntiet qua parte stet lex, et cujus sententiæ parere teneantur litigantes.

Supposita Ecclesiæ infallibilitate in rebus fidei definiendis asserta art. præced., sequitur eam esse hunc supremum judicem controversiarum fidei; idque nos jam non semel probavimus, 1° in tract. præced. dissert. 1 a. 2, ubi ostendimus regulam discernendi revelata non esse ipsam S. Scripturam, neque spiritum privatum, sed Ecclesiam ; 2° in præsenti tractatu, dissert. 1, a. 8, petit. 9, ubi probavimus quod judicare de sensu S. Scripturæ non sit ipsius S. Scripturæ, neque spiritus privati, sed Ecclesiæ.

Verum quia hæc quæstio est summi momenti; posito enim semel quod Ecclesia sit supremus et infallibilis judex controversiarum fidei cui omnes teneantur morem gerere, convelluntur omnes hæreses et sectæ. Id cum probe intelligant novatores, non nihil tentant ut hanc veritatem cardinalem concutiant : quapropter, præsuppositis iis quæ jam dixi locis citatis, quæ huc revocanda sunt, quæstionem iterum examini subjicio, et

Dico : Supremus et infallibilis controversiarum fidei judex non est Scriptura Sacra, neque spiritus privatus, neque princeps sæcularis, sed Ecclesia.

Prob. prima pars : 1° Scriptura Sacra est obscura et intellectu difficilis, atque in diversas partes trahitur, ut probavimus dissert. 1, a. 8, petit. 7 : ergo opus est aliquando inter-

prete qui ejus obscuritatem, ambiguitatem et difficultatem tollat.

2°. In S. Scriptura duo sunt, littera et sensus : circa litteram plurimæ sunt controversiæ : an ea quam habemus sit verum Dei verbum ? an sit conformis suo autographo ? an hi vel isti libri sint canonici vel non ? Lutherus rejicit epistolam ad Hebræos, epistolam S. Jacobi, et Apocalypsim ; has Calvinus admittit : quis dirimet controversiam ? Non ipsa S. Scriptura; nullibi enim dicit hos libros esse vel non esse canonicos, et quamvis diceret, non teneremur credere nisi aliunde prius constet esse canonicam. Circa sensum : S. Scriptura in varios et contrarios sensus trahitur, de iisque sunt præcipuæ controversiæ : inter alias celebris est de sensu horum verborum, *Hoc est corpus meum* : calvinistæ intelligunt in sensu figurato, lutherani et catholici in sensu litterali : quis inter illos erit judex ? Non ipsa S. Scriptura quæ est objectum et materia controversiæ : ergo quærendus est alius judex, alioquin disputabitur usque ad finem mundi : dicat calvinista lutheranum male intelligere, idem regeret lutheranus calvinistæ.

Confirm. : Judex alicujus controversiæ debet partes litigantes audire, pronuntiare sententiam, et posse partes compellere ad acquiescendum sententiæ, alias frustraneum esset judicium : hæc autem præstare non potest S. Scriptura : ergo.

3° Multa sunt fide credenda quæ non continentur in S. Scriptura : ipsa canonicitas, ut ita dicam, Scripturarum, baptismus infantium, validitas baptismi hæreticorum, perpetua virginitas B. M. V. et plura alia quæ nobiscum admittunt sectarii : unde S. Aug. l. 5. *de Bapt. contra Donatist.* c. 23 : « Sunt, inquit, multa quæ tenet universa Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. » In his autem clarum est Scripturam non posse esse judicem : ergo. Confer dissert. 1 citatam præsentis tract. a. 8, petit. 7 et 9.

Prob. secunda pars : 1° Judex in aliqua causa debet esse publicus, partibus litigantibus notus, eas audire, ab ipsis audiri et habere auctoritatem illas compellendi, ut stent judicio, alioquin nihil proderit : atqui ista non competunt spiritui privato cujusque, ut patet: ergo.

2° Judex in aliqua controversia debet esse unus, non varius, non incertus, non sibi contrarius : atqui spiritus privatus est varius in variis, incertus et sæpe sibi contrarius, dictans unum uni et contrarium alteri : sic dictat lutherano hos libros esse canonicos, dictat calvinistæ non esse canonicos ; dictat lutherano hæc verba, *Hoc est corpus meum*, esse intelligenda de præsentia reali ; dictat calvinistæ esse intelligenda de præsentia spirituali et figurata : dicet calvinista lutherano eum non duci bono spiritu, idem reponet lutheranus calvinistæ : quis erit judex ? In æternum disputabunt, sicut jam a ducentis annis disputant.

Confir.: Quæro a lutheranis et calvinistis quomodo socinianos, qui ex eis exierunt et errant circa Trinitatem et Incarnationem, aliosve hæreticos revincere poterunt et ab errore convertere ? Non per Scripturas, nam et illi hæretici illas admittunt, sed secundum suum privatum spiritum intellectas : at quomodo probabunt eos male intelligere Scripturas? Dicent forte eos non habere Spiritum bonum ? verum hoc isti negabunt. Evidens est itaque quod hoc novo commento præcludatur via conversioni hæreticorum et aperiatur omnibus hæresibus.

3° In omni republica bene ordinata est judex publicus qui legem interpretatur et secundum illam omnes controversias dirimit, nec permittitur cuiquam privato legem secundum suum spiritum et libitum interpretari, alias omnia sudeque subverterentur : id norunt ipsi hæretici : quanto magis ergo id debet admitti in Ecclesia quam Christus instituit et ordinavit? Nisi velis esse tot fidei dogmata quot capita, eaque ut plurimum sibi contraria, et tolerandas esse omnes hæreses, quo nihil est absurdius : ergo.

4° Non omnes sunt capaces examinare et discutere res fidei quæ sunt obscuræ, abstractæ et sublimes : ergo nec eas definire per suum spiritum privatum. Si dicas id haberi ex Spiritu sancto cuique privato inspirante et revelante quid sit fidei vel non. At contra 1° omnes contendunt habere hanc inspirationem et revelationem, et tamen non omnes idem sentiunt : ergo Spiritus sanctus contraria revelat. 2° Si unicuique in quolibet casu Spiritus Sanctus revelet quæ sunt fidei, omnes gaudebunt privilegio immediatæ revelationis sicut Prophetæ et Apostoli et alii auctores sacri. Item omnes etiam stupidissimi absque studio et labore in intelligentia legis et Scripturæ evadent doctissimi et doctoribus ipsis doctiores. Aliunde hinc non agitur de revelatione privata, sed de communi toti Ecclesiæ circa eamdem et communem fidem.

Confir. Insolentissimæ præsumptionis est

quod plebeius ignarus, sartor, sutor, rusticus, mulierculа prætendat se melius intelligere legem et Scripturam quam præclarissima et doctissima totius orbis ingenia, sive dispersa, sive in synodis congregata : sic est autem si privatus cujusque spiritus sit supremus judex controversiarium fidei.

Dices : Quando concilium synagogæ negavit et condemnavit Christum, non fuisset insolentissimæ præsumptionis reus, sed plurimum laudandus privatus judæus qui a judicio synagogæ dissensisset et Christum pro Messia agnovisset : ergo similiter nunc in controversiis fidei. Ita respondebat olim pseudo-minister Claudius illustrimo et doctissimo Bossuetio in colloquio privato.

Resp. neg. conseq. Multiplex est disparitas, 1° quia non erant factæ synagogæ promissiones infallibilitatis sicut Christi Ecclesiæ ; 2° quia synagoga quæ ad Christum usque tantum erat duratura, tunc deficiebat, imo jam defecerat ; 3° et præcipue quia erat tunc alter supremus et visibilis judex controversiarum in materia fidei, cui omnes obedire et adhærere tenebantur, nempe ipse Christus qui palam et omnibus fidem prædicabat, et missionem suam probabat voce e cœlo delapsa coram populo, Joannis testimonio, Scripturarum et Prophetiarum explicatione, ac innumeris et patentissimis miraculis : non ergo ille secutus fuisset spiritum privatum, posthabito judicio infallibili supremi et visibilis judicis, sed laudandus fuisset cum Apostolis, septuaginta duobus discipulis et pluribus aliis qui adhærebant Christo, sicque istud exemplum non abstergit maculam insolentissimæ præsumptionis in hæreticis qui concedunt cuilibet particulari, ut definitiones totius Ecclesiæ possit et debeat ad examen revocare easque reformare secundum suum privatum spiritum.

Prob. tertia pars : Nullibi in Scriptura legitur Christum constituisse principes sæculares judices controversiarum fidei, non enim illis, sed Apostolis et eorum successoribus dixit : *Euntes docete*, etc. aut quid simile : est quidem princeps, juxta Apost. Rom.12, Dei minister, non ut judicet Ecclesiam, sed ut eam defendat : unde scribebat celebris Osius Constantio imperatori : « Nec te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes ; sed a nobis potius hæc discas : tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. » Id agnoverunt religiosi imperatores, Constantinus in concilio Nicæno apud Eusebium, l. 3 *de Vita Constantini* cap. 10; Theodosius junior *in Epist. ad synodum Ephes;* Basilius imperator *in S. Synodo.*

Quarta pars sequitur ex dictis : Necesse est agnoscere regulam vivam et judicem supremum controversiarum fidei, ut ostendimus initio articuli : atqui is non est Scriptura sacra, non privatus spiritus, non princeps sæcularis : ergo Ecclesia ; nihil enim aliud est assignabile.

Confirm. 1° Is jure assignatur judex supremus controversiarum, qui est infallibilis in iis definiendis : atqui talis est Ecclesia, ut probatum est art. præced. Ergo. Confirm. 2° ex praxi Ecclesiæ tempore Apostolorum : cum exorta est controversia de legalibus observandis a gentibus conversis, non fuit terminata per solam Scripturam, neque per spiritum privatum, neque per principem sæcularem, sed per Ecclesiam Jerosolymis congregatam : ergo.

Solvuntur objectiones.

Quæ objiciunt hæretici contra obscuritatem Scripturæ require dissert. 1 hujus tractatus a.8, petit. 7 et 8. Quæ objiciunt pro sufficientia Scripturæ, dissert. præced. a. 2, obj. 2. Quantum ad id quod objiciunt nos committere circulum vitiosum, probando veracitatem infallibilem Ecclesiæ per Scripturam, et veritatem Scripturæ per Ecclesiam, plene dilutum habes tract. præced. dissert. 1 a. 2, ibi enim ostendimus veracitatem infallibilem Ecclesiæ non probari primo ex S. Scriptura, sed ex notis et motivis credibilitatis, sicque ex illa parte nullum commiti circulum : deinde ostendimus quod, posita veracitate Ecclesiæ ex motivis credibilitatis, credamus veritatem S. Scripturæ quam nobis proponit ut regula discernens revelata, veritates autem contentas in S. Scriptura credamus propter Dei revelantis auctoritatem : et quia S. Scriptura continet infallibilitatem Ecclesiæ, illam firmius credimus propter Dei veracitatem, tanquam propter formale motivum fidei : unde non est circulus formalis et vitiosus, sed materialis tantum, quia non reditur ad idem sub eadem ratione : Ecclesia in ratione causæ applicantis probat veritatem S. Scripturæ : S. Scriptura in ratione causæ formalis probat veracitatem Ecclesiæ. Exemplum posuimus in ministro qui defert litteras regias. Confer locum citatum. Præterea

Obj. 1° : Act. 17 de Beroensibus dicitur : *Susceperunt verbum cum omni aviditate* (a

Paulo) *quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*. Joan. 5 Christus dicit Judæis: *Scrutamini Scripturas..... illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*: ergo omnia dogmata ad unius S. Scripturæ normam debent expendi.

Resp. neg. conseq. Ad primum : Cum Beroenses audivissent Paulum annuntiantem mortem et resurrectionem Christi ex testimoniis veteris Testamenti, illud scrutabantur,non quasi dubitantes de fide, quam miraculis probaverat Paulus, *nam cum omni aviditate susceperant verbum* Dei, sed ut magis confirmarentur in fide, videntes ea quæ Paulus prædicabat esse consentanea iis quæ longe ante prædixerant Prophetæ: sic licite catholici intelligentes scrutantur Scripturas, non dubitantes de sua fide, sed ut Ecclesiæ consensum cum S. Scripturis cognoscant, et inde magis firmentur in fide. Quanquam nec dubitantibus prohibeatur inquisitio veritatis, si fiat cum humilitate et docilitate.

Ad secundum : Vox græca ερευνατε est anceps potestque esse indicativi modi *scrutamini*, vel imperativi *scrutamini* : si primum, Christus exprobrat Judæis, quod frustra legerent S. Scripturas, cum illæ de ipso haberent testimonium, et tamen nollent credere : si secundum, postquam Christus probasset Judæis testimonio Joannis et Patris, nec non miraculis, se esse Messiam a Deo promissum, culpat eos quod nollent credere; et ideo ut confundantur, remittit ad S. Scripturas quæ apertum de ipso habent testimonium : ex quo sequitur quod hæretici, qui nolunt credere Ecclesiæ sint culpandi sicut Judæi, qui nolebant credere Christo, et ut confundantur remittendi sunt ad S. Scripturas in factis apertis. Hæc sane nihil eis prosunt, quin potius nocent.

Obj. 2° : 1 Joan. 2 v. 27 dicitur : *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis : et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos ; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium*; ergo afflatus Spiritus Sancti cuique privato est interpres S. Scripturæ, et judex controversiarum fidei.

Resp. neg. conseq. Non enim hic loquitur S. Joannes de quæstionibus dubiis et controversis, sed de mysteriis fidei certis, quæ quilibet fidelis debet scire, et quæ ipsi, quos alloquitur, sciebant ex Apostolis, seu ex unctione quam in baptismo et confirmatione acceperant: unde ỳ. 21 dixerat : *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam*. Neque excludit instructionem doctorum et pastorum, sed pseudoapostolorum, et pseudodoctorum, de quibus ỳ. 18 dixerat : *Nunc antichristi multi facti sunt*; et ỳ. 26 immediate præcedente eum qui objicitur : *Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos* : alioquin cur ipsemet Joannes hac prolixa epistola instrueret fideles? Cur Christus posuisset in Ecclesia sua pastores et doctores?

Inst. 1° : Jerem. c. 31, ỳ. 3 et 34, Deus loquens de tempore legis evangelicæ, dicit : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam..... Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, omnes enim me cognoscent a minimo eorum usque ad maximum :* ergo idem quod ante.

Resp. sensum esse, legem veterem esse scriptam in lapidibus ad terrorem ; legem novam esse per gratiam scriptam in cordibus ad amorem; est enim spiritualis et animo insculpta : omnes erunt instructi, et cognoscent Dominum, vir non docebit ultra proximum, id est, non opus erit magno labore, nec prolixa et molesta instructione externa ad persuadendam hominibus veri Dei cognitionem, sicut in veteri lege, dum Prophetæ clamabant « *Cognosce Dominum,* » et parum proficiebant; dum Rabbini et doctores legis mare et aridam percurrebant, ut facerent unum proselytum; quia in nova lege Deus sic illuminabit mentes et movebit corda per gratiam, ut omnes facile et brevi cognoscent, ut contigit Apostolis prædicantibus, qui non tam prædicatione quam miraculis, Deo insuper intus illuminante et corda movente, plura hominum millia convertebant: unde illud Act. 2: *Compuncti sunt corde*, et cap. 16; *Deus aperuit cor Lydiæ, ut intenderet his quæ dicebantur a Paulo*: erunt ergo, juxta Prophetam, omnes instructi in fide veri Dei ; at non propterea omnes statim intelligent omnia quæ in S. Scripturis continentur: est enim una omnium christianorum fides, sed non est una omnium intelligentia.

Eodem collimant plura alia S. Scripturarum testimonia quæ opponunt hæretici : hæc, v. g. quibus dicitur homines doceri a Deo, Isa. 54 et Joan. 6 ; Deum omnibus postulantibus sapientiam affluenter dare, Jacobi 1; oves Christi vocem ejus audire, Joan. 10; homines non debere vocari Rabbi, unum esse magistrum Christum Matth. 23.

His enim et similibus testimoniis non aliud significatur, quam quod, dum pastores exterius instruunt et prædicant, Deus interiori gra-

tia mentem illustret, et cor moveat, ut credamus, sine quo inutilis foret exterior prædicatio ; idque longe uberius præstat in nova lege quam in veteri. At vero inde excludi ministerium exterius Ecclesiæ, prædicando, instruendo, interpretando, commentum est prorsus ridiculum : ut quid enim ipsi Apostoli tanto zelo prædicabant, tot litteras pro instructione fidelium scripserunt? Ut quid Christus pastores et doctores in sua Ecclesia instituit, ut jam supra dicebam, ut quid ipsi hæretici docent et prædicant? Unde S. Aug. *Tract.* 3 *in Epist. Joan.*: « Videte, inquit, fratres, magnum sacramentum : sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine : admonere possumus per strepitum vocis nostræ, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster..... Cathedram in cœlo habet qui corde docet: propterea ait et ipse in Evangelio : *Nolite vobis dicere magistrum in terra, unus est magister vester Christus* », qui scilicet intus doceat.

Inst. 2°, 1 Thessall. 5 ℣. 21: dicitur : *Omnia probate, quod bonum est tenete.* 1 Joan. 4 ℣. 1: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Joan. 7 v. 17 : *Si quis voluerit voluntatem ejus* (scilicet Dei) *facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquor.* 1 Cor. 2 ℣. 15: *Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur:* ergo quisque ex privato spiritu, maxime si sit probus et justus, potest intelligere S. Scripturas et judicare de rebus fidei.

Resp. neg. conseq. Ad primum et secundum ibi est sermo de dubia revelatione : erant enim tunc inter christianos qui, quasi prophetantes, nova tanquam revelata proferebant : erant et pseudo-prophetæ, qui falsa pro veris suggerebant: de his recte monet uterque Apostolus omnia probare, et quod bonum est, id est, sanæ et christianæ doctrinæ consentaneum, tenere. At de his quæ erant certa, et ab Ecclesia definita ac probata, ut erant quæ ipsi Apostoli docuerant, non dicit Paulus, *Probate*, sed, *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam.*

Ad tertium: Sensus est quod probitas multum conducat ad cognoscendum, an aliqua doctrina sit ex Deo; tum quia Deus probis et amicis copiosiores illustrationes infundit; tum quia probi et justi carent certis impedimentis cognoscendi S. Scripturam et veritates fidei, qualia sunt passiones excœcantes hominum mentes, et corda eorum depravantes: unde Christus Joan. 5 dicebat pharisæis: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis ?* Non est autem sensus quod quisquis privatus, hoc ipso quo est probus, possit per se intelligere omnia S. Scripturæ arcana et difficilia : quot enim rustici probi, quot fœminæ sanctæ, quibus hoc intelligentiæ donum non est concessum, et inter SS. Patres, qui certo erant probi et justi, numquid aliqui erraverunt ?

Ad quartum ; Spiritualis judicat omnia, id est, non solum terrena, sed etiam cœlestia : dixerat prius Apostolus : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei:* unde cum addit, *Spiritualis autem*, id est, fide instructus, *judicat omnia*, scilicet non solum terrena et naturalia, ut animalis homo, sed etiam cœlestia, seu supernaturalia fidei ; *et ipse a nemine*, qui non est spiritualis, *judicatur*, id est, argui et condemnari potest: non ergo inde sequitur quod homo spiritualis, seu fidelis, omnia omnino, et divina et terrena possit judicare : res est evidens in exemplis mox productis; sunt viri simplices, plebæi et rustici, sunt et mulieres, ad sensum Apostoli spirituales: num isti et istæ possunt de omnibus omnino terrenis et cœlestibus, temporalibus et supernaturalibus judicare? SS. Patres fuere admodum spirituales, an non aliqui male judicarunt?

Obj. 3° : Christus Joan 5 ℣. 34 dicit: *Ego autem non ab homine testimonium accipio :* atqui acciperet testimonium ab homine, si Ecclesia esset judex S. Scripturæ et controversiarum fidei : ergo.

Resp. Christum non accipere testimonium ab homine, quasi illo indigeat, ut probet suam divinitatem et suam missionem, habebat enim testimonium Patris et miraculorum, ut ibidem dicit: accipit autem testimonium ab homine, scilicet Joanne Baptista, propter Judæos, ut sic ad fidem perducerentur; quia testimonium Joannis Baptistæ, quem consuluerant de adventu Messiæ, plurimi faciebant. Non ergo Christus hic rejicit omne testimonium humanum in controversiis fidei, ut fingunt hæretici, sed solum declarat se sui causa non indigere, nostri vero causa esse adhibendum, quoties necessarium vel utile fuerit, sicut hic ipse adhibuit propter Judæos. Adde judicium Ecclesiæ non debere censeri pure humanum, cum sit ex ductu et inspiratione Spiritus sancti.

Inst. 1°: Si Ecclesia judicet de S. Scriptura, erit supra S. Scripturam : absurdum consequens : ergo.

Resp. dist. maj. Si Ecclesia judicet de S. Scri-

ptura, quoad veritatem eorum quæ S. Scriptura continet, erit supra S. Scripturam, conc.; si judicet de S. Scriptura tantum, quoad sensum ejus legitimum, nego. Non ergo Ecclesia judicat, an ea quæ continentur in S. Scriptura sint vera vel falsa; notissimum est enim ipsi omnia esse vera; sed judicat quis sit sensus ejus legitimus : ex quo non magis est supra S. Scripturam quam judex interpretans legem sit supra legem aut legislatorem.

Inst. 2°: Si Ecclesia sit supremus judex controversarium fidei, dominabitur fidei nostræ: atqui hoc est contra Apostolum 2 Cor. 1 ỳ. 23, ubi dicit : *Parcens vobis, non veni ultra Corinthum, non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri : nam fide statis :* ergo.

Resp. 1° neg. sequelam maj. Neque enim Apostolus, neque Ecclesia, ex hoc quod sit supremus judex controversiarum fidei, dominantur fidei nostræ, sed sunt duntaxat instrumenta quibus Deus utitur, ut ipse dominetur fidei nostræ.

Resp. 2° neg. min. Non enim sensus Apostoli est quod non velit aut non debeat dominari supra fidem Corinthiorum, sed quod, ob fidem quam ab ipso didicerant, non velit in eos usurpare dominationem in propria sua commoda, ut domini temporales : sic ergo accipe verba Apostoli : *Parcens vobis, non veni ultra Corinthum,* ne cogerer auctoritate apostolica corrigere crimina, quibus quidam ex vobis sunt obstricti ; *non quia dominamur fidei vestræ,* id est, non quia ob fidem quam vobis prædicavimus, et ministerio nostro accepistis, velimus nos gerere ut dominos vestros, et potestate nostra abuti in privata commoda, sed quod *adjutores* esse velimus gaudii vestri, procurando vobis consolationem per correctionem eorum qui sua malitia vos offendunt. Ita S. Anselmus apud Tirinum, et communiter interpretes : nihil horum juvat sectarios.

Obj. 4° : Ut plurimum ignoratur a fidelibus quodnam sit judicium Ecclesiæ circa res fidei: ergo Ecclesia non potest esse regula fidei.

Resp. judicium Ecclesiæ de his quæ omnes fideles tenentur credere explicite, ut Deum esse trinum, esse incarnatum, animam esse immortalem, usus sacramentorum, etc. facile cognosci ex singulorum fide et praxi, quæ circa se ea produnt. Quantum ad ea quæ omnes explicite credere non tenentur, puta, hunc librum esse canonicum, possunt rescire a pastoribus.

Inst. : Non constat inter catholicos, cui hæc suprema auctoritas definiendi res fidei competat, an soli Romano pontifici, an episcopis sine pontifice, an soli Ecclesiæ congregatæ in conciliis, an etiam dispersæ, an sufficiat consensus tacitus episcoporum, an requiratur expressus, etc.: ergo statui non potest Ecclesia tanquam judex supremus controversiarum fidei.

Resp. neg. conseq. Quia duo constant apud catholicos, quæ sufficiunt ad substantiam quæstionis : primum, judicem controversiarum fidei non esse Scripturam Sacram, neque spiritum privatum, neque principem sæcularem, sed Ecclesiam. Secundum, ipsam Ecclesiam repræsentari per summum pontificem cum majori parte episcoporum : cætera pertinent non ad substantiam, sed ad modum quæstionis : de quibus infra.

ARTICULUS VII.

UTRUM JUDICIUM ECCLESIÆ DE SENSU LIBRORUM, SEU, UT VOCANT, DE FACTIS DOGMATICIS, SIT INFALLIBILE?

§ I.

Prænotanda.

Movetur hæc quæstio occasione libri Jansenii, episcopi Iprensis. Cum Innocentius X, constitutione quæ incipit *Cum occasione,* data 3 Maii 1653, quinque famosas propositiones extractas ex libro Jansenii cui titulus, *Augustinus Cornelii Jansenii episcopi Iprensis,* damnasset; fautores Jansenii hanc damnationem admiserunt, dixeruntque has quinque propositiones, ut jacent, esse hæreticas, verum eas non reperiri in libro Jansenii, aut in ejus sensu non esse damnatas.

Ut hoc effugium præcluderet Alexander VII, bulla quæ incipit *Ad sacram,* data decimasexta Octobris 1656, constitutionem Innocentii X confirmans et innovans, declaravit has quinque propositiones ex libro Jansenii, cui titulus *Augustinus*, esse excerptas, ac in sensu ab auctore intento damnatas. Tum, ad instantiam Ludovici XIV, formulam edidit cui tenerentur subscribere episcopi et alii, in qua expresse dicitur has quinque propositiones esse excerptas ex libro Jansenii, et in sensu ab auctore intento damnatas.

Hanc constitutionem ut eluderent jansenistæ, confugerunt ad distinctionem facti et

juris, dixeruntque Ecclesiam esse infallibilem in quæstionibus juris definiendis, at non in quæstionibus facti, sicque persistunt in sua priori cavillatione, scilicet doctrinam propositionum damnatam, esse hæreticam, sed eam falso attribui libro Jansenii, et hoc vocant factum.

Novum effugium non ita pridem excogitavit theologus Belga in opusculo cui titulus, *Via pacis*: distinguit inter sensum quis, et sensum qualis : sensus quis, seu grammaticalis, est naturalis et obvia significatio alicujus propositionis : sensus qualis est qualitas sensus : quis an sit verus vel falsus, orthodoxus vel hæreticus. Concedit judicium Ecclesiæ de sensu qualis esse infallibile, non de sensu quis, dicitque de facto errasse definiendo sensum quis quinque propositionum esse sensum Jansenii, et illum damnando quasi esset Jansenii. Verum non advertit iste auctor Ecclesiam non posse judicare de sensu qualis, nisi judicet prius de sensu quis, et ipsum supponat; non enim potest dicere hanc propositionem : Mandata Dei sunt impossibilia, continere sensum hæreticum, nisi prius cognoscat quid significet, aut quem sensum habeat ista propositio.

Si dicas Ecclesiam posse judicare qualis sit sensus alicujus propositionis absque eo quod cognoscat quis sit ejus sensus, dicendo, v. g. hanc propositionem hoc vel illo sensu intellectam esse hæreticam, tunc enim judicat qualis sit sensus, et non quis sit.

Resp. 1° Ecclesiam non solere sic condemnare propositiones, nisi quando sunt ambiguæ, sed regulariter damnare propositionem determinate secundum suum sensum naturalem et obvium, in quo casu debet hunc sensum cognoscere : neque obstat quod possimus judicare de sensu qualis totius Scripturæ Sacræ absque eo quod cognoscamus quis sit ejus sensus : disparitas est enim quod Scriptura Sacra non sit materia controversa, sed hoc ipso quo nobis constat esse Scripturam Sacram, seu Dei verbum, certa fide cognoscimus omne quod in illa continetur esse verissimum. At quæ definit Ecclesia circa sensum librorum et propositionum sunt materiæ controversæ, quæ subjiciuntur ejus examini et judicio ; judicium autem supponit notitiam causæ.

Resp. 2° Si Ecclesia sit fallibilis in judicando quis sit sensus propositionis quam condemnat, est pariter fallibilis circa sensum quis propositionum, quibus explicat quo sensu hæc propositio damnatur : non enim est magis infallibilis circa sensum quis propositionum quas profert, quam circa sensum quis propositionum quas interpretatur et judicat, cum sit utrobique eadem ratio : sicque non teneor credere hanc propositionem hoc vel illo sensu intellectam esse hæreticam, quamvis id dicat Ecclesia ; quia forte errat circa sensum quis propositionum, quibus id judicat et proponit : est enim infallibilis, ut vult objiciens, circa sensum quis propositionum.

Cæterum quæstio procedit de sensu quis et qualis propositionum, scriptorum, librorum præsertim Jansenii : intellige sensum quis seu grammaticalem theologice sumptum, id est, in ordine ad hoc ut cognoscatur, an contineat veritates fidei et morum, an eis contradicat ? utrum sensus ejus libri sit sensus quinque propositionum, isque hæreticus ? quod, ut dixi, vocant factum.

Factum autem triplex communiter distinguitur : unum personale et particulare, v. g. an Titius commiserit crimen, an sit legitime ordinatus ? etc. Aliud generale quod spectat totam Ecclesiam, v. g. an canonisatus sit vere sanctus ? an Benedictus XIV sit summus pontifex ? an concilium Tridentinum sit œcumenicum ? Tertium dogmaticum, seu doctrinale; an aliquis liber, aliqua epistola, aliqua propositio contineat veram vel falsam doctrinam ? Sic, v. g. utrum mandata Dei sint impossibilia ? abstrahendo ab omni propositione verbali vel scripta est quæstio juris et dogmatis : utrum autem hæc doctrina, hic sensus contineatur in ista propositione, in isto libro, puta Jansenii ? est quæstio facti dogmatici.

Quantum ad facta particularia et personalia quæ nituntur tantum testimoniis humanis fallibilibus, neque ad regimen totius Ecclesiæ omniumque fidelium salutem pertinent, communis sententia est Ecclesiæ judicium posse errare : unde S. Th. *Quodl.*, 9 a. 16, dicit : « In aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de ejusmodi, possibile est judicium Ecclesiæ errare. » Quantum ad facta generalia totam Ecclesiam spectantia, dicemus infra. Quæstio itaque nunc est de factis dogmaticis seu doctrinalibus : utrum judicium Ecclesiæ de doctrina, seu sensu alicujus textus, seu scripti, sit infallibile ?

Defensores Jansenii communiter distinguunt inter textus breves et longos : fatentur judicium Ecclesiæ de sensu et doctrina brevis textus esse infallibile, et ideo admittunt quinque

famosas propositiones, prout jacent, esse hæreticas, et legitime damnatas. Negant autem de sensu seu doctrina textus longi alicujus libri aut epistolæ, et ideo contendunt doctrinam et sensum libri Jansenii esse immunem a censura, Ecclesiamque errasse, tribuendo illi sensum et doctrinam hæreticam ; quippe qui, ut aiunt, nihil aliud continet quam puram S. Augustini doctrinam : unde quantum ad hoc Ecclesiæ judicium de facto Jansenii existimant sufficere, si pro eo silentium, ut vocant, respectuosum seu obsequiosum observent, absque eo quod interius credere teneantur doctrinam libri Jansenii esse hæreticam, et ut talem damnare. Hoc autem reprobavit Clem. XI in bulla *Vineam Domini Sabaoth,* septimo data Kal. augusti 1705.

Quantum ad subscriptionem formularii Alexandri VII, rigidiores jansenistæ tenent eam non posse fieri simpliciter, absque mendacio et perjurio : alii molliores posse fieri simpliciter, eo prætextu quod, ut sibi fingunt, cadat super dogma, quoad assensum interiorem, et super factum, quoad obsequiosum silentium, præsertim post pacem Clementis IX contra sensum obvium formularii.

Non est itaque quæstio, an liber cui titulus, *Augustinus Jansenii,* sit genuinus Jansenii fœtus, an illi suppositus? Hoc factum est mere personale et historicum, de quo non judicat Ecclesia, sed de sensu et doctrina hujus libri, qui sub nomine Jansenii circumfertur, sive sit illius, sive non.

Neque est quæstio utrum quinque famosæ propositiones totidem verbis contineantur in libro Jansenii? sed utrum sensus propositionum sit sensus libri.

Neque tandem quæstio est de sensu personali et interno, quem habuit Jansenius scribendo hunc librum, an revera habuerit in mente sensum quem verba, quibus usus est, præ se ferunt : id quidem jure præsumitur, nisi velis ipsum aut ignarum fuisse, qui nesciret significationem naturalem et obviam verborum, vel fallacem, qui illam alio detorserit : cæterum id non definit Ecclesia, quæ de internis non judicat : unde cum damnavit quinque famosas propositiones in sensu ab auctore intento, nihil aliud intellexit per sensum ab auctore intentum, quam sensum naturalem et obvium quem verba præ se ferunt, ut declaravit Innocentius XII in Brevi ad episcopos Belgii dato sexto Februarii 1694. Dicitur autem ab auctore intentus ; quia, ut jam dixi, præsumitur illum intendisse, si, ut supponitur, cognoverit significationem verborum, et sincere locutus fuerit.

§ II.

Resolutio quæstionis.

Dico : Judicium Ecclesiæ de sensu librorum, seu de factis dogmaticis, est infallibile.

Prob. 1° iisdem S. Scripturæ testimoniis, quibus probavimus infallibilitatem Ecclesiæ in quæstionibus juris seu controversiis fidei : Matt. 16 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* Ecclesiam. Ibidem 28 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Joan. 14: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Ibidem 16: *Cum venerit autem ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ibidem 21 ; *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 1 Timoth. 3: *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis :* atqui hæc subsistere non possunt, si Ecclesia sit fallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica : ergo. Prob. min. Pone Ecclesiam revera falli judicando librum hæreticum, puta, Institutiones Calvini, continere sensum orthodoxum et doctrinam catholicam, et e contra librum catholicum, puta, opera S. Augustini continere sensum erroneum et doctrinam hæreticam, hocque judicium omnibus fidelibus proponat; fideles credent quæ legent in Institutionibus Calvini, Deum esse auctorem peccati, ipsum impellere ad peccandum, solam fidem justificare, habenti fidem nulla peccata imputari, bona opera esse inutilia, Corpus Christi non esse realiter præsens in Eucharistia : hæc, inquam, et plura alia impia et hæretica, in his Institutionibus contenta, credent catholica, et e contra quæcumque S. Augustinus propugnavit contra manichæos, donatistas, pelagianos, etc. credent hæretica, sicque universa Ecclesia inducetur in errorem, portæ inferi prævalebunt adversus eam, non erit amplius columna et firmamentum veritatis, Christus non erit cum ea omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, Spiritus Sanctus non docebit illam omnem veritatem, et non manebit cum illa in sempiternum, male pascet oves et agnos, præbendo illis pascua venenata pro sanis : ergo. His S. Scripturarum testimoniis concilium V generale probabat suam auctoritatem in condemnandis tribus Capitulis.

Si dicas quod in hac hypothesi Ecclesia non

erraret circa dogma, sed circa factum, seu attributionem dogmatis tali vel tali libro, sicque portæ inferi non prævalerent contra illam.

Resp. : Esto Ecclesiam docentem, seu pastores, non errare circa dogma, verissimum est tamen quod inducerent omnes fideles in errorem circa dogma, non enim possunt cognoscere dogma nisi in facto, scilicet in libro, vel propositione, quam Ecclesia approbat vel condemnat : si ergo Ecclesia approbet Institutiones Calvini, fideles omnia, quæ in illis continentur, acceptabunt ut catholica. Quod si forte quidam doctores privati reclament, et dicant Ecclesiam in hoc judicio errasse, ab omnibus fidelibus reputabuntur tanquam schismatici, temerarii et rebelles solemni Ecclesiæ judicio. Non ergo sufficit ad servandum fidei depositum, et ad officium pastoris, quod Ecclesia docens intendat asserere veritatem, aut proscribere errorem, sed hæc veritas et hic error reperiri debent in his locis quæ Ecclesia indicat, alias male instrueret, et male pasceret fideles, qui sensum interiorem pastorum seu Ecclesiæ docentis penetrare non possunt.

Totum hoc pluribus in locis innuit Apostolus : Ephes. 5 : *Nemo vos seducat inanibus verbis* 1. Timoth. 6 : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* 2 Timoth. 1 : *Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti in fide... bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in vobis.* Ibid. 2 : *Profana autem et vaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum, ut cancer, serpit :* his omnibus aperte significat Apostolus depositum fidei perdi, et errorem atque hæresim induci libris, sermonibus et verbis, hoc est, factis dogmaticis. Unde Auctor 2. 2, q. 11, a. 2, ad 2 : « Per verba, inquit, quæ quis loquitur, suam fidem profitetur, est enim confessio actus fidei : et ideo si sit inordinata locutio circa ea quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei. »

Confirm. 1° Dogma proponendum fidelibus est inseparabile a facto, et ita cum eo connexum, ut dogma non possit proponi infallibiter, quin factum eadem infallibilitate proponatur : atqui Ecclesia est infallibilis in proponendo dogmate : ergo in facto dogmatico proponendo. Min. constat ex antecedentibus. Prob. maj. Quamvis dogma possit mente perpendi et examinari sine facto, non potest tamen proponi fidelibus, sive vitandum, sive tenendum, absque facto, id est, absque textu propositionis aut libri ; quod si sit fallibilis proponendo textum, nemo tenetur illi credere, quia forte errat : ergo.

Confirm. 2° ; Christus nunquam deest suæ Ecclesiæ in his quæ sunt necessaria ad depositum fidei custodiendum et ad communem fidelium salutem : id constat ex ipsius promissionibus, de quibus supra : atqui ad depositum fidei servandum et ad communem fidelium salutem necesse est, ut veram, vel saltem doctrinam in libris expressam, pascua sana et venenata infallibiliter discernere possit, atque controversias quotidie emergentes de sensu librorum supremo judicio componere, ut ex se et ex jam dictis patet : ergo.

Prob. 2° ex usu constanti Ecclesiæ : 1° Concilium Nicænum, lib. in epistola synodica ad ecclesiam Alexandrinam, apud Socratem lib. 1, c. 9, dicit : « Placuit concilium communibus suffragiis anathema denuntiare, et ipsi (Ario) et nefariæ ejus propositioni, et verbis sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis onerandum. »

2° Sensum obscurum et involutum libri Pelagii deprehendit et damnavit Ecclesia, ut testatur Innocentius I, lib. epist. inter Augustinianas 183 : « Librum, inquit, qui ejus esse diceretur, evolvimus, in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphema, nihil quod placeret, et nihil pene quod non penitus displiceret, a quovis damnandum, atque calcandum... anathematizet ergo ista quæ sentit, etc. » Innocentii autem judicio acquieverunt ducenti quatuordecim episcopi in concilio Africano, anno 417, et alii per orbem dispersi.

3° Concilium Chalcedonense, act. 4, declarat hæreticum quicumque non diceret anathema Eutycheti, et act. 8, dixerat Theodoretum esse hæreticum et foras ejiciendum, eo quod post plures instantias nollet simpliciter et sine explicatione dicere anathema Nestorio, quod tamen tandem præstitit : hoc factum ad rem præsentem omnino pertinens late discussum et vindicatum adversus cavillationes novatorum, require in tractatu de Incarnatione, digress. 2 ad dissert. 4, sect. 5.

4° Concilium V generale Constantinop. 2, act. 8, damnavit scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis et Ibæ Edesseni, vulgo tria Capitula ; imo ad hoc unum et ad damnationem scriptorum Origenis fuit congregatum : neque solum damnavit hæc tria Capitula, ut nestoriana, sed anathematizavit quicumque ea defenderet, aut excusaret, aut non condemnaret.

5° Concilium Lateranense IV declarat hæreticum, qui probaret aut defenderet doctrinam abbatis Joachim in suo libello de Trininate. Aliud prius concilium Lateranense sub Martino I, anno 649, can. 18, sic definit: « Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobiscum eadem credens, non respuit et anathematizat anima et ore omnes quos respuit et anathematizat, nefandissimos hæreticos cum omnibus impiis eorum scriptis, usque ad unum apicem, sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia, hoc est, sanctæ et universales quinque synodi..... sit condemnatus .»

6° Concilium Constantiense, sess. ultima, præscribit formulam qua interrogari debeant, qui suspecti sunt errorum Wicleffi, Joannis Hus et Hieronymi de Praga, sic : « Utrum credant quod condemnationes Joannis Wicleffi, Joannis Hus et Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale concilium Constantiense, fuerint rite et juste factæ et a quolibet catholico pro talibus tenendæ, et firmiter asserendæ. Item utrum credant, teneant, asserant Joannem Wicleffum de Anglia, Joannem Hus de Bohemia, et Hieronymum de Praga fuisse hæreticos, et pro hæreticis nominandos ac deputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversas, propter quos et quas, et eorum pertinacias, per sacrum concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati. » Nec obstat quod non solum de libris et de doctrina pronuntiet, sed etiam de personis, circa quas tamen potest errare: neque enim circa personas, attento sensu obvio scriptorum illorum, errare potest; quantum autem ad sensum internum, se hæreticos notorie sua pertinacia prodiderant : unde de personis sub utraque ratione pronuntiare poterat : denique concilium Trid., sess. 22, can. 6, definit : « Si quis dixerit canonem missæ continere errores, ideoque abrogandum esse , anathema sit. »

In his omnibus agitur, ut patet, de sensu librorum et auctorum, seu de factis dogmaticis, atque in iis definiendis Ecclesia agnoscit suam auctoritatem infallibilem, alioquin quomodo posset declarare hæreticos et anathematizare eos qui judicio incerto et fallibili non acquiescerent ? Si vero Ecclesia se in his exhibet infallibilem, ita est indubie, alias erraret in dogmate.

Ad hæc nihil habent quod respondeant jansenistæ nisi quod ista facta dogmatica erant clara et aperta, de quibus nulla erat controversia; factum autem Jansenii est obscurum, involutum et valde controversum.

At 1° quibus ista persuadeant non video, nisi forte stipitibus aut mulierculis: nemini enim, qui e limine salutavit historiam ecclesiasticam aut theologiam positivam, non notum est quot controversiæ, quot dissidia, quot strages occasione istorum factorum Ecclesiam turbaverint; quot episcopi aliunde orthodoxi, vel ex obscuritate factorum, vel ex præjudiciis, vel ex nimia propensione in auctores, ab eorum parte steterint, et ideo ab Ecclesia sint male habiti. 2° Si, hoc ipso quo factum dogmaticum aliquibus videtur obscurum et ab eis in controversiam vocatur, Ecclesia sit in eo definiendo fallibilis, liceatque ejus judicia in dubium et ad examen revocare, nihil erit fixum in Ecclesia, omnes hæreses reviviscent et nulla poterit efficaciter comprimi, nulla est enim aut fuit quæ non habuerit aut habeat suos fautores, et quod uni videtur clarum, alteri apparet obscurum. 3° Si infallibilitas in definiendis factis dogmaticis sit Ecclesiæ necessaria, ut mox probavimus, longe magis urget hæc necessitas in obscuris quam in claris, ista enim sese produnt, non illa.

Prob. 3° ratione : Ecclesia est infallibilis in definiendo quis sit sensus S. Scripturæ et traditionis : ergo et in definiendo quis sit sensus alicujus libri vel propositionis theologice sumptus. Ant. admittitur ab adversariis et constat; hoc ipso enim quo Ecclesia definit infallibiliter nostram Vulgatam esse authenticam seu conformem suo autographo, debet judicare infallibiliter quis sit ejus sensus et eum esse conformem suo autographo. Aliunde si Ecclesia errare posset in explicando sensu S. Scripturæ vel traditionis, tota corrueret religio in S. Scriptura et traditione fundata. Prob. conseq. Hoc ipso quo quis cognoscit infallibiliter quis sit sensus alicujus propositionis aut libri, cognoscit eadem infallibilitate quis sit sensus cujuscumque propositionis ipsi conformis aut ipsi contrarius, ubicumque reperiatur : sic qui cognoscit infallibiliter quis sit sensus hujus propositionis : Mandata Dei sunt possibilia, cognoscit eadem infallibilitate quis sit sensus hujus propositionis conformis; Homo potest implere Dei mandata , et istius oppositæ : Mandata Dei sunt impossibilia : ergo si Ecclesia sit infallibilis in definiendo quis sit sensus Scripturæ Sacræ et traditionis, est infallibilis in definiendo quis sit sensus cujuscumque propositionis aut libri. Prob. ant. Sensus cujuscumque propositionis habet relationem ad quemlibet

alium sensum sibi conformem aut sibi oppositum, sicque cognitio illius importat duo extrema, scilicet conformitatis vel oppositionis super quæ cadit; relativorum enim eadem est cognitio: ergo hoc ipso, etc.

Confirm.:Ad eamdem scientiam juris pertinet cognoscere non solum quis sit sensus legum, sed etiam quis sit auctorum interpretantium leges, alias cognoscere non posset an interpretatio sit conformis vel contraria legi: ergo similiter ad eamdem infallibilem Ecclesiæ cognitionem pertinet cognoscere non solum quis sit sensus S. Scripturæ et traditionis, sed etiam quis sit sensus auctorum interpretantium S. Scripturam et traditionem, alias non posset judicare, an interpretatio sit conformis vel contraria S. Scripturæ et traditioni.

Prob. 4° ab inconvenientibus : Si Ecclesia sit fallibilis in definiendo quis sit sensus scriptorum, seu in factis dogmaticis definiendis, sequitur 1° quod nutet traditio adeoque authenticitas S. Scripturæ in traditione fundata. Prob. sequela; quia traditio non habetur nisi ex scriptis conciliorum et SS. Patrum: ergo si Ecclesia errare possit in definiendo quis sit sensus illorum scriptorum, nutat traditio in eo fundata. Explicatur amplius: Quamvis jus sit Scripturam Sacram et traditionem esse verbum Dei, et omnes veritates in eis revelatas esse fide tenendas, est tamen factum dogmaticum quod nostra Vulgata contineat verbum Dei, quod sensus ejus sit conformis sensui autographi, quod sensus SS. Patrum sit talis vel talis, quod conspirent ad formandam traditionem, quod canones conciliorum, puta Nicæni aut Tridentini, contineant dogmata catholica: hæc, inquam, sunt facta dogmatica, in quibus definiendis si errare possit Ecclesia, corruit tota religio.

Sequitur 2° quod nullus hæreticus, nullus liber, quantumvis perniciosus, possit convinci hæreseos et ut talis damnari: dicent enim omnes hæretici, ariani, nestoriani, pelagiani, eutychiani, lutherani, calvinistæ, exemplo jansenistarum, se omnes hæreses abhorrere, se nihil nisi S. Scripturæ consentaneum scripsisse, quod si Ecclesia aliter eorum libros intellexerit, sit quæstio facti, in quo est fallibilis, sicque resurgent omnes hæreses antiquæ, novæ suscitabuntur, absque eo quod Ecclesia possit illis occurrere efficaciter.

Sequitur 3° quod Ecclesia sit etiam fallibilis in jure; quando enim Ecclesia condemnat aliquam propositionem ut hæreticam, eam damnat in sensu obvio; si ergo Ecclesia erret et non intelligat quis sit sensus obvius, sed alium pro obvio apprehendat, propositio damnata ut hæretica erit catholica in sensu obvio, adeoque damnata ab Ecclesia in sensu catholico.

Prob. 5° argumento ad hominem : Admittitis, jansenistæ, quinque famosas propositiones esse recte damnatas et hæreticas, atque Ecclesiam in his damnandis esse infallibilem: atqui hoc est factum dogmaticum, non secus ac quod textus libri Jansenii sit hæreticus, estque hoc primum factum difficilius resolvendum et minus periculosum quam secundum: ergo. Prob. min. 1° Quod sit factum patet; sicut enim est quæstio facti, utrum textus libri Jansenii contineat dogma hæreticum, ita quæstio facti est, utrum textus unius propositionis contineat idem vel simile dogma. Nulla disparitas adferri potest. 2° Quod sit difficilius resolvendum, quia in textu longiori totius libri potest dignosci sensus ex antecedentibus et consequentibus, ex titulo, ex forma procedendi et toto discursu; hæc autem non reperiuntur in brevi textu unius propositionis. 3° Quod sit minus periculosum, quia in simplici propositione nuda et brevi nihil invenitur quod alliciat et incitet ad sui sequelam, sicut allicit liber per annotationes, suppositiones, principia, probationes, refutationes, varios et gratos dicendi modos, per male explicatos aut truncatos, aut intrusos S. Scripturæ, Patrum et conciliorum textus, etsimilia, quæ omnia, juncta cum fama et celebri auctoris nomine, lectores facile et insensibiliter inescant, ac tandem in suas partes attrahunt.

Confirm.: Secundum vos Ecclesia infallibiliter approbavit textum S. Augustini, quidni infallibiliter damnavit textum Jansenii? cum textus S. Augustini sit fusior et obscurior textu Jansenii, quippe qui, ut prætenditis, est explicatio S. Augustini.

§ III.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°: Christus non promisit infallibilitatem Ecclesiæ, nisi in rebus fidei: atqui factum dogmaticum, v g. quod liber Jansenii contineat errores, non est fidei: ergo. Prob. min. Nihil est fidei quod non sit revelatum: atqui non est revelatum, quod liber Jansenii contineat errores: ergo.

Huic argumento quod magni faciunt, et quo pro ense et clypeo utuntur jansenistæ, duplex

est responsio, quarum alterutra ad frangendum eorum contumaciam sufficit.

Prima responsio negat majorem, quæ omnino gratis et absque ullo S. Scripturæ aut traditionis testimonio asseritur; quin potius contrarium constat ex probationibus conclusionis: est enim necessaria hæc infallibilitas in factis dogmaticis, etiamsi non sint fidei, nec revelata, ut portæ inferi non prævaleant adversus Ecclesiam, ut Ecclesia permaneat columna et firmamentum veritatis, ut depositum fidei custodiat, bene pascat oves et omnium fidelium saluti provideat: Christus autem non deficit in necessariis suæ Ecclesiæ cui promisit adesse omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, et eam docere omnem veritatem. Hæc itaque infallibilitas, juxta præsentem responsionem, non ex revelatione, sed ex speciali assistentia Spiritus Sancti habetur. Enimvero contendunt jansenistæ Ecclesiam judicio infallibili pronuntiasse opera S. Augustini contra pelagianos et semi-pelagianos continere doctrinam catholicam : estne magis revelatum istud factum quam factum Jansenii?

Inst. 1°: Si factum Jansenii non sit revelatum, non est credendum fide divina, sed humana tantum: atqui quod creditur fide humana tantum est incertum et errori obnoxium : ergo.

Resp. factum Jansenii, juxta datam responsionem non esse credendum, neque fide divina, neque mere humana, sed fide ecclesiastica, quæ est quasi media inter divinam et humanam, sed firmissima et certissima, utpote innixa speciali assistentiæ Spiritus Sancti, et inde infallibilitati Ecclesiæ in his rebus : neque dicas hanc assistentiam esse ipsam revelationem ; aliud enim est alicui revelare veritates, aliud auxiliari et adesse, ne a veritatibus revelatis deviet : patet in definitionibus conciliorum quibus non fiunt novæ revelationes, alioquin Patres forent scriptores sacri, et definitiones eorum forent Scriptura Sacra, sed quibus assistit Spiritus Sanctus ne errent.

Inst. 2° : Quidquid definitur in conciliis, excepta sola fide , retractari potest : ergo, si factum Jansenii non sit fidei, judicium Ecclesiæ circa illud non est infallibile. Prob. ant. S. Leo, *Epist. ad Maximum Antiochenum*, de concilio Chalcedonensi loquens, dicit : «Si quid sane ab his fratribus, quos ad synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis... Quidquid enim præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam adjudicandi habere rationem. » Quæ verba referens Pelagius II, *Epist. ad episcopos Istriæ*, addit : «Aperte nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic (in concilio Chalcedonensi) extra fidei causas de personis gestum est, retractetur ; specialis quippe synodalium conciliorum causa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat si ad judicium revocetur » ; et infra de epistola Ibæ, quæ est factum dogmaticum, dicit: « Licenter unusquisque eam reprehenderet, etiamsi episcopi in eodem concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent » : ergo.

Resp. dist. ant. Quidquid, excepta fide, definitur in conciliis solutis et a summo pontifice non confirmatis, retractari potest, conc.; in conciliis subsistentibus, et a summo pontifice confirmatis, nego. Concilium autem Chalcedonense, de quo loquuntur summi pontifices, fuit absolutum act. 6, antequam ageretur de tribus Capitulis, et non nisi quoad damnationem eutychianismi fuit a S. Leone confirmatum, ut probabimus infra dum specialiter de tribus Capitulis dicemus.

Inferes : Ergo qui negant factum Jansenii non sunt hæretici.

Resp. ita quibusdam videri, qui censent eos duntaxat temerarios, inobedientes, rebelles et excommunicatos. Possent tamen dici hæretici, non præcise quia negant factum Jansenii, quod juxta hanc responsionem non est revelatum, sed quia, illud negando, negant infallibilitatem Ecclesiæ in his definiendis, quæ infallibilitas videtur revelata et de fide : de quo infra.

Secunda responsio omissa maj. negat min. Ad probat.. Quidam negant min. juxta tertiam probationem; quia cum sensus S. Scripturæ et traditionis sit revelatus, sensus cujusque libri aut propositionis ipsi conformis vel oppositus est etiam revelatus, quia est eadem relativorum cognitio, ut dictum est.

Alii distinguunt eamdem min. sic : Factum Jansenii non est revelatum immediate, conc ; mediate, nego. Solutio explicabitur in sequenti responsione.

Subsumes : Atqui quod est tantum mediate revelatum non est objectum assensus fidei, sed theologiæ, ut diximus in prima parte : ergo.

Resp. dist. subsumptum : Quod est tantum mediate revelatum, ut effectus in causa, vel proprietas in essentia, non est objectum fidei, sed theologiæ, transeat ; quod est tantum mediate revelatum, ut pars in toto, nego. Itaque veritas

a Deo revelatur dupliciter : 1° immediate in se in particulari, ut hæc: Deus est trinus, Christus est homo ; 2° mediate in alio , et hoc iterum dupliciter: vel ut effectus in causa, seu proprietas in essentia, ut hæc, v. g. : Christus est risibilis , revelata est in hac : Christus est homo , ut in sua causa ; vel ut pars in suo toto, ut hæc : David peccavit in Adam , revelata est in hac universali, ut pars in toto: Omnes in Adam peccaverunt. Esto ea quæ revelantur ut effectus in causa non sint objectum fidei, sed assensus duntaxat theologici, quia effectus continetur tantum virtualiter in causa : quæ tamen revelantur ut partes in toto, sunt objectum fidei ; quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter, et veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quæ in illa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera in quantum propositiones particulares, quas continet, sunt veræ : unde eo ipso quo revelatur formaliter propositio universalis, revelantur etiam formaliter propositiones particulares, sicque ad idem fidei lumen pertinent. Porro revelatum est universaliter omnem textum, omnem propositionem , omnem librum ab Ecclesia damnatum esse vere damnabilem, id namque comprehenditur sub infallibilitate Ecclesiæ revelata : ergo et hunc textum hujus propositionis, puta Jansenii.

Dixi : transeat subsumptum ; quia quidam volunt quod hoc ipso quo aliqua veritas deduci potest ex articulo revelato, etiamsi ut effectus ex causa, ut quod Christus sit risibilis, ex hoc quod sit homo, si de facto deducatur per infallibilem Ecclesiæ declarationem, censeatur sufficienter revelatum, ut sit de fide; quia Ecclesiæ declaratio est locutionis et revelationis divinæ quædam extensio et complementum : unde est fidei, non quia est virtualiter revelata et vi discursus naturalis deducta, sic enim est objectum theologiæ tantum, sed quia ab Ecclesia infallibili est declarata, et ab illo articulo, in quo latebat educta, eo fere modo, inquiunt, quo sexta synodus definivit contra monothelitas esse duas in Christo voluntates, quia sunt duæ naturæ, quod foret fidei, etiamsi duæ voluntates non essent formaliter expressæ in S. Scripturis.

Inst.: Dato quod sit de fide omnem textum ab Ecclesia damnatum esse damnabilem, non tamen est de fide hunc textum Jansenii damnatum ab Ecclesia esse damnabilem: ergo. Prob. ant. Veritas hujus propositionis particularis : Hic textus Jansenii est damnabilis, non cognoscitur, nisi mediante hoc discursu humano : Omnis textus ab Ecclesia damnatus est vere damnabilis : atqui textus Jansenii est ab Ecclesia damnatus: ergo textus Jansenii est vere damnabilis : atqui cognitio seu assensus veritatis quæ innititur discursui humano non est fidei : ergo. Insuper minor hujus syllogismi non est de fide : ergo nec conclusio quæ, juxta regulas dialectices, sequitur debiliorem partem.

Resp. neg. ant. Ad primam prob. dist. min. Assensus veritatis quæ innititur discursui humano, ut causæ moventi ad assentiendum, non est fidei, conc; ut causæ applicanti motivum assentiendi seu ipsam revelationem , nego. Non repugnat ergo cognitioni seu assensui fidei quod supponat aliquem discursum, non tanquam motivum propter quod præbeatur assensus, sed per quem revelatio universalis applicetur huic particulari subjecto, ut patet in hac propositione : David peccavit in Adam , quæ, licet sit fidei, indiget tamen, ut credatur , hoc discursu : Omnes posteri Adami in ipso peccaverunt : atqui David est ex posteris Adami : ergo David in Adamo peccavit : iste discursus non est causa seu motivum propter quod credo Davidem in Adam peccasse, sed est tantum applicatio hujus revelationis universalis : Omnes in Adam peccaverunt , huic particulari subjecto, scilicet Davidi, et ista revelatio est motivum cur credam Davidem peccasse in Adam; ita in nostro casu.

Ad secundam probat. nego hanc regulam dialectices habere locum in discursu mere applicativo; quia propositio universalis, quæ ponitur in majore, non est causa propositionis particularis quæ ponitur in conclusione; cum, ut dictum est, propositio universalis nihil aliud sit quam omnes propositiones particulares : minor autem naturalis hæc : atqui textus Jansenii est damnatus ab Ecclesia , est tantum explicatio majoris universalis et ejus applicatio ad hoc determinatum subjectum : unde si propositio universalis sit de fide, non obstante minori naturali, conclusio particularis in majori contenta, ut pars in toto, erit etiam de fide.

Repones : In hoc syllogismo : Omnis hostia rite consecrata est adoranda : atqui hæc hostia est rite consecrata : ergo est adoranda , quamvis conclusio contineatur in majore de fide ut pars in toto, non est tamen de fide propter minorem naturalem : ergo similiter in casu nostro.

Resp. neg. conseq. quia, ut aliqua propositio particularis contenta in universali de fide sit quoad nos de fide, debet nobis certo constare eam contineri in universali de fide; certo autem nobis constat per solemne Ecclesiæ judicium textum Jansenii esse ab ea damnatum; at non ita constat hanc hostiam esse rite consecratam : si tamen nulla sit ratio dubitandi quin sit consecrata, potest adorari, quia ad hoc sufficit judicium prudentiale seu practice verum.

Urgebis : Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei : atqui factum Jansenii non continetur in verbo Dei : ergo. Item Ecclesia non habet novas revelationes, nec articuli fidei successione temporum crescunt : atqui hæc duo videntur admittenda, si factum Jansenii sit revelatum et fidei divinæ : ergo.

Resp. harum instantiarum solutiones fluere ex dictis. Ad primum, dist. min. Factum Jansenii non continetur in verbo explicite et immediate, conc.; implicite et mediate, nego. Continetur enim in hac universali propositione revelata : Omnis textus ab Ecclesia damnatus est damnabilis. Ad secundum, hæc revelatio universalis mox dicta non est nova, sed fuit ab initio, consequenter damnatio textus Jansenii non est novus articulus fidei, sed explicatio et applicatio revelationis universalis ad particulare et determinatum subjectum : sicut cum nascitur homo, est de fide quod peccaverit in Adam, non est tamen nova revelatio, neque novus articulus fidei, sed explicatio tantum et applicatio hujus revelationis universalis : Omnes peccaverunt in Adam, ad particulare et determinatum subjectum. Confer. dicenda art. ultimo seq. diss.

Insistes : Tria Capitula erant facta dogmatica : atqui non pertinebant ad fidem : ergo. Prob. min. ex S. Leone et Pelagio II citatis in prima instantia prioris responsionis. Item Pelagius I, *Epist. ad Childebertum* Francorum regem, dicit quæstionem Trium Capitulorum « esse extra fidem. » Pelagius II, altera epistola ad episcopos Istriæ, vocat quæstiones de Tribus Capitulis superfluas: et S. Gregorius, *Epist. ad Constantium* Mediolanensem, loquens de Tribus Capitulis, ait « pro nulla re scissuram factam esse »: ergo.

Pro solutione hujus et sequentis instantiæ consulenda sunt quæ infra dicemus de causa Trium Capitulorum : his nunc suppositis,

Resp. dist. maj. Tria Capitula erant facta dogmatica ex aliqua parte, conc.; ex omni parte, nego. Utrum scripta Theodoreti et Ibæ continerent hæresim nestorianam, erat factum dogmaticum. Utrum vero Theodorus posset post mortem anathematizari in quinto concilio, et expediret damnare scripta Theodoreti et Ibæ, sub eorum nominibus, de quibus maxime fervebat disputatio. Non erat factum dogmaticum, sed privatum et personale. Igitur de Tribus Capitulis ex hac parte consideratis loquuntur pontifices in instantia. Insuper occasione Trium Capitulorum motæ sunt variæ aliæ quæstiones, quas Pelagius II potuit vocare superfluas. Item et quia de rebus ab Ecclesia definitis superfluum est disputare, cum tunc non disputatio sed obedientia requiratur.

Persistes: S. Gregorius, *Epistola ad episcopos Hiberniæ*, loquens de quinta synodo, in qua Tria Capitula fuerant condemnata, dicit; « Nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed de quibusdam solummodo personis esse actitatum »: et Pelagius II, *Epist. ad episcopos Istriæ*, loquens de his quæ in eadem quinta synodo peracta fuerant, dicit « Nihil nunc nisi de personis agitur»: atqui constat in ea quinta synodo actum fuisse de sensu librorum Theodori, Theodoreti et Ibæ : ergo hujusmodi facta sunt pure personalia et ad fidem non pertinent.

Resp. vere dixisse S. Gregorium nihil de fide convulsum fuisse in quinta synodo, quia illæsa mansit auctoritas concilii Chalcedonensis pro qua pugnabant occidentales. At non dixit nec dicere potuit nihil in ea de fide actum fuisse, siquidem decem prima capita contineant anathematismos contra varias hæreses. Dixerunt ergo SS. Pontifices actum esse tantummodo in hoc concilio de personis, 1° quia nulla facta est nova definitio fidei, sed priores tantum fuerunt confirmatæ; 2° quia quæstio præcipue mota erat de personis Theodori, Theodoreti et Ibæ : utrum scilicet Theodorus in pace Ecclesiæ defunctus posset anathematizari, et scripta Theodoreti et Ibæ, quos orthodoxos agnoverat concilium Chalcedonense, deberent damnari eorum nominibus appellatis : ita ut de sensu scriptorum seu Trium Capitulorum (quod erat factum dogmaticum ad fidem pertinens) vix disputaretur nisi respective ad personas; utrum, ut mox dicebam, deberent damnari sub eorum nominibus : pauci enim admodum occidentales defendebant sensum obvium scriptorum : ad hæc igitur respicientes, SS. Pontifices dixerunt illic actum fuisse de personis tantum.

Itaque, juxta hanc secundam responsionem, factum Jansenii est credendum fide divina, et

censendi sunt hæretici qui illud negant, non solum quia inde convincuntur negare infallibilitatem Ecclesiæ, sed etiam quia istud factum est revelatum, sicut revelatum est quinque famosas propositiones continere hæreses, Institutiones Calvini esse hæreticas, canones concilii Tridentini asserere dogmata fidei, textum Vulgatæ esse conformem suo autographo et continere verbum Dei, quis sit sensus Patrum conspirans ad fundandam traditionem : sicut, inquam, hæc sunt fide divina credenda, et hæreticus foret qui ea negaret, ita qui factum Jansenii negat: atque eo titulo Theodoretus fuit a concilio Chalcedonensi declaratus hæreticus, quia post plures expostulationes, nolebat dicere sine explicatione anathema Nestorio.

Cæterum, juxta utramque responsionem, constat non sufficere silentium obsequiosum erga factum Jansenii, sed assensu interiori fidei sive divinæ sive ecclesiasticæ esse credendum, atque formulario Alexandri VII, absque exceptione, limitatione aut explicatione esse subscribendum, ut declaravit Clemens XI, bulla *Vineam Domini Sabaoth*, eosque esse perjuros qui sine isto assensu interiori dictæ formulæ simpliciter subscribunt.

Obj. 2° : Ecclesia non potest judicare quis sit sensus alicujus libri nisi dependenter a regulis grammatices: atqui Ecclesia non habet infallibilitatem grammaticalem : ergo.

Resp. omissa maj. dist. min. Ecclesia non habet infallibilitatem grammaticalem simpliciter et absolute, conc. min ; in quantum necesse est ut non erret circa sensum librorum theologice sumptum, nego. Quia Deus providens de aliquo fine, providet de requisitis ad illum : sic, v.g. quia Ecclesia errare non potest in acceptanda fidei regula, puta concilio œcumenico, errare etiam non potest in agnoscendo pro baptizatis, sacerdotibus et episcopis, eos qui illud componunt : unde Ecclesia in casu non dependet a regulis grammatices, sed de eis judicat ex speciali assistentia SpiritusSancti: et partim propter hanc rationem potest negari major, partim quamvis aliqua propositio impingeret in regulas grammatices, puta hæc : Mandata Dei sunt impossibiles ; posset nihilominus Ecclesia judicare quis sit ejus sensus theologice sumptus, an significet dogma conforme vel contrarium fidei? Et ideo omisi majorem.

Obj. 3°: Sexta synodus generalis erravit circa sensum epistolarum Honorii, damnando illum ut hæreticum : et ita docent Bellarminus et Baronius : ergo.

Resp. neg. ant. Non enim Honorius fuit condemnatus in ea synodo ut hæreticus sententia, sed ut fautor hæreseos, de quo latissime vide tract. de Incarnat., digres. hist. ad dissert. 18, sect. 4.

Quantum ad Bellarminum et Baronium, 1° hoc dixerunt obiter, non discussa ex professo præsenti quæstione, quæ tunc non ventilabatur, præsertim cum ipsi doceant Ecclesiam esse infallibilem in aliis factis non revelatis, ut in canonisatione sanctorum. 2° Errorem circa sensum epistolarum Honorii non tribuunt toti concilio, sed græcis tantum. 3° Non respexerunt factum Honorii ut dogmaticum, sed ut personale et criminale : agebatur enim in concilio de persona Honorii, an declarandus esset hæreticus ex sensu epistolarum; non autem an iste sensus contineret dogma toti Ecclesiæ proponendum ut fugiendum vel tenendum ; non enim monothelismus fuit damnatus in sensu Honorii. 4° Denique, quæcumque fuerit in hoc sententia eminentissimorum scriptorum, nihil nos cogit ut, contra victissimas probationes nostras, illi adhæreamus, non enim fuerunt infallibiles; et sicut objicientes, qui adeo illorum auctoritatem in hac parte extollunt, ab illis in multis aliis doctrinæ capitibus discedunt, fas quoque nobis erit ab hac eorum sententia, si erronea fuerit, discedere.

Obj. 4° Ecclesia in pluribus casibus retractavit suum judicium de factis dogmaticis, seu sensu librorum et propositionum : ergo non est irreformabile. Prob. ant. 1° In concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum reprobavit vocem ομουσιον , approbavit in concilio Nicæno contra Arium. 2° Hæc vox *Christipara* ante concilium Ephesinum erat catholica, post concilium fuit suspecta hæreseos. 3° Hanc propositionem : Una est in Christo natura incarnata, approbavit Ecclesia in S. Cyrillo, damnavit in eutychianis. 4° Hormisdas Papa hanc propositionem : Unus de Trinitate crucifixus est, ut eutychianam, rejecit in monachis Scythis, eam probavit Joannes II. 5° Julius Papa et concilium Sardicense approbaverunt librum Marcelli Ancyrani (d'Angoury,) quem postea S. Basilius, Chrysostomus et tota Ecclesia reprobaverunt ut hæreticum. 6° Zozimus Papa agnovit catholicum librum Cœlestii prius damnatum in concilio Carthaginensi et quem ipse postea damnavit : ergo. De Tribus Capitulis dicam specialiter § sequenti.

Resp. neg. ant. Ad primum, secundum et tertium, dist. Ecclesia unam et eamdem pro-

positionem materialiter sumptam et secundum diversum sensum damnat et approbat, conc.; eamdem propositionem formaliter et secundum eumdem sensum, nego. Itaque una et eadem vox seu propositio naturalis, respective ad circumstantias, conditionem et eventum suorum auctorum, potest habere diversos sensus etiam obvios, quorum unus sit orthodoxus, alter hæreticus : unde, absque retractatione et fallibilitatis labe, approbat eam secundum sensum orthodoxum, reprobat secundum sensum hæreticum : sic damnavit ομουσιον in sensu Sabellii et Pauli Samosateni, qui fingebant aliquam divisionem in natura divina, sicut in humanis filius natura divisus a patre dicitur ejusdem substantiæ cum illo : approbavit contra arianos qui negabant esse ejusdem individuæ naturæ cum Patre, sed ipsi inferiorem. Vocem *Christipara* sensu Nestorii, qui negabat in Christo unionem hypostaticam, reprobavit, at, exclusa omni suspicione hæresis nestorianæ, sensu catholico probatur. Approbavit in S. Cyrillo hanc propositionem : Una est in Christo natura incarnata, quia sola divinitas assumpsit naturam humanam, quod intelligebat S. Cyrillus; reprobavit in eutychianis qui inde volebant probare naturarum confusionem.

Ad quartum : Hormisdas nunquam judicio publico damnavit ut hæreticam hanc propositionem, Unus de Trinitate crucifixus est, sed eam rejecit et cohibuit ut intempestivam, inutilem, inquietam et multorum dissensionum causam, quippe quam monachi Scythæ proprio judicio et tanta pertinacia tuebantur, ut nestorianismi reos accusarent quotquot huic propositioni subscribere renuebant. Cum autem postea Joannes II cognovit eam catholico sensu intelligi a Græcis, approbavit.

Ad quintum : Nego librum Marcelli Ancyrani, præcise ut in se erat, fuisse hæreticum et ut talem ab universa Dei Ecclesia damnatum, ut late probat noster Natalis Alexander, sæculo 4, dissert. 29. Verum est quidem aliquos Patres hunc librum damnasse, sed ipsos probat deceptos fuisse ob distantiam locorum aut temporum, eisque opponit judicium Julii Papæ et concilii Sardicensis. Insuper dici potest quod liber Marcelli, dum fuit a concilio Sardicensi et Julio Papa approbatus, nihil fidei contrarium contineret, quia articulos, de quibus arguebatur, non proponebat assertive, sed disputative tantum et per modum quæstionis resolvendæ, ut testantur patres synodi Sardicensis; postea vero quæ nude proposuerat in aliis operibus asseruit: unde, fraude detecta, merito prior liber fuit damnatus a pluribus patribus, non præcise ut in se continebatur, sed respective ad errores posteriores assertos; propositio enim quæ secundum se est vera, ut prolata ab hæretico potest esse falsa ; sic ista propositio : Pater major me est, in ore Christi erat verissima ; in ore Arii falsa et hæretica propter errores manifestos quibus convincitur intendere sensum hæreticum.

Ad sextum : Zozimus nunquam judicio solemni librum Cœlestii ut catholicum approbavit, sed, attenta ejus ficta protestatione adhærendi decretis Innocentii et corrigendi quidquid sancta Sedes corrigendum judicaret, eum benigne excepit et ejus fidem laudavit ; non tamen eum communioni restituit, nec ab hæresos nota absolvit, donec de causæ statu ab africanis certior fieret : horum vero responsis acceptis et fraude detecta, diem dixit Cœlestio ut coram synodo se sisteret : verum aufugit Cœlestius, in quem et Pelagium sententiam condemnationis pronuntiavit Zozimus, qua, deposito errore, perpetuæ pœnitentiæ subjiciebantur. Confer dicenda diss. seq., a. 6, § 2.

Obj. 5° : Clemens I admisit ad pacem Ecclesiæ quatuor episcopos, scilicet Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem et Aletensem, qui in suis mandatis docuerant sufficere pro facto jansenii obsequiosum silentium, et tantum ab eis exegit ut subscriberent et subscribi curarent formulæ Alexandri VII, quod ipsi præstiterunt, sed inserta in secretis actibus verbalibus distinctione juris et facti, et declarantes assensum mentis dogmati deberi, facto vero solam reverentiam silentii : ergo.

Resp. Clementem IX hos episcopos non admisisse ad pacem, nisi quia cum fundamento existimavit et supposuit eos formulæ Alexandri VII subscripsisse simpliciter sine ulla exceptione aut limitatione, ut ipsimet episcopi illi significaverant : id constat 1° ex brevi dato ad eosdem episcopos, in quo sic loquitur pontifex : « Cum ingenti obsequii nobis et huic S. Sedi apostolicæ testatione significabatis vos, juxta præscriptum litterarum apostolicarum, sincere subscripsisse et subscribi fecisse..... Nam, prædecessorum nostrorum constitutionibus firmissime inhærentes, nullam circa illud explicationem aut restrictionem admissuri unquam fuissemus » ; 2° ex brevi ejusdem Clementis IX ad regem Galliæ dato 28 septembris 1668 ; « Cum lætitia, inquit pontifex, cognovimus in simplici ac pura subscriptione Formularii quatuor illorum episcoporum obe-

dientiam.» Quod autem acta verbalia non innotuerint pontifici non mirum, erant enim secreta.

Inst. 1°: Episcopus Catalaunensis in declaratione, quam, anno 1668, misit ad Clementem IX, ipsi aperit quis fuerit sensus horum quatuor episcoporum in suis actis verbalibus, scilicet: « Quod ad pontificiam de facto sententiam pertineret videri eam episcopis cum reverentia excipiendam, sed intra eos fines quos in ejusmodi causis cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Palavicinus et patres Sirmundus et Petavius determinant, nimirum, ne quid pronuntietur, scribatur, doceatur ut ipsi contrarium. De formula vero, eos profiteri sinceritate et fide quæ esse maxima posset ei suscripsisse, et quinque propositiones tum damnasse tum damnandas curasse, sine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet sensu in quo ab Ecclesia damnatæ fuissent. » Ita refert cardinalis Rospioglosius, cap. 162 suæ relationis: ergo non latuit pontificem hos quatuor episcopos perstitisse in sua sententia de silentio obsequioso pro facto Jansenii.

Resp. summum pontificem verisimiliter intellexisse de facto Jansenii personali, utrum sensus propositionum esset sensus internus Jansenii; quia cum declaratio dicat eos Formulari subscripsisse, « et quinque propositiones tum damnasse, tum damnandas curasse sine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet sensu in quo ab Ecclesia damnatæ fuissent », Ecclesia autem eas damnaverit in sensu a Jansenio intento, non potuit pontifex credere eos ad obsequiosum silentium restringere reverentiam debitam facto dogmatico Jansenii, nisi supponendo eos pugnantia loqui : unde observat cardinalis Rospioglosius, cap. 162 suæ relationis, hanc declarationem « dissimulare » sententiam quatuor episcoporum.

Inst. 2°: Innocentius XII, brevi dato ad episcopos Belgii sexta Februarii 1694, dicit sufficere si damnentur quinque propositiones in sensu obvio quem verba præ se ferunt, nulla facta mentione sensus Jansenii : ergo.

Resp. dist. ant. Nulla facta mentione explicita sensus Jansenii, transeat; implicita, nego. Dicit enim « se firmissime inhærere constitutionibus suorum prædecessorum Innocentii X et Alexandri VII, easque in suo robore semper permansisse..... eos qui ad juramentum adigendi sunt illud præstare debere sincere absque ulla distinctione, restrictione seu expositione, damnando eas propositiones in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnaverunt summi pontifices. » Summi pontifices autem Innocentius X et Alexander VII eas damnarunt in sensu a Jansenio seu auctore intento.

Obj. 6° plura simul brevitatis causa. 1° Ecclesia, secundum D. Th. et omnes theologos, est fallibilis in quæstionibus facti. 2° Si admittatur quod sit infallibilis circa quædam facta, quæ referuntur, ideo est quia erant evidentia, factum autem Jansenii est obscurum. 3° Licet Ecclesia sit infallibilis in textibus brevioribus, non tamen in longioribus. 4° Non est credibile Ecclesiam legisse totum librum Jansenii, utpote valde fusum. 5° Ecclesia seu Papa nihil definivit circa factum Jansenii, nisi ex consilio cardinalium et theologorum, qui, aut ex ignorantia aut ex passione contra Jansenium, potuerunt errare. 6° Non solet Ecclesia damnando propositiones damnare textum ex quo sunt excerptæ, nec id requiritur ad conservandum depositum fidei, modo hæreses et falsa dogmata ab omnibus damnentur. 7° Textus Jansenii non continet nisi puram S. Augustini doctrinam quam Ecclesia approbavit. 8° Omnes ecclesiæ per orbem dispersæ, excepta Gallicana, non acceptarunt constitutiones pontificias quoad factum Jansenii, sed quoad jus tantum, non enim librum Jansenii expenderunt. 9° Ecclesia nullo decreto suam in factis dogmaticis infallibilitatem definivit : ergo saltem non est de fide. Verum hæc levia sunt, et facile ex dictis diluuntur : Unde

Resp. ad primum Ecclesiam esse fallibilem in quæstionibus facti particularis et mere personalis, quod pendet ex testimoniis fallibilibus hominum, non vero in quæstionibus facti doctrinalis, quod ex sola libri inspectione pendet, concurrente assistentia Spiritus Sancti.

Ad secundum : 1° Infallibilitas Ecclesiæ in factis dogmaticis non petitur ex eorum evidentia, alias Ecclesia potiori privilegio non gauderet quam stupidissimus hominum, sed, ut mox dicebam, ex assistentia Spiritus Sancti, ipsi a Christo promissa in iis quæ spectant communem fidelium salutem. 2° Si tibi et mihi sit obscurum factum Jansenii, Ecclesiæ illud damnanti est evidens. 3° Textus S. Augustini est obscurior textu Jansenii, et tamen primum, juxta adversarios, Ecclesia irreformabiliter approbavit. 4° Factum Nestorii erat obscurum Theodoreto, ut ipse scribit Andreæ Samosateno, et tamen concilium Chalcedonense ipsum coegit dicere anathema Nestorio.

Ad tertium : Facilius est e contra ferre judicium de textu longiori quam de breviori, ut patet ex ultima probatione.

Ad quartum : Impostura est et insolens calumnia dicere Ecclesiam, in re tanti momenti, cæco et præcipiti modo processisse, præsertim cum Alexander VII, qui omnibus conferentiis adfuerat, testetur causam Jansenii tanta diligentia et accuratione examinatam fuisse, ut major desiderari non possit. Insuper textus S. Augustini fusior est textu Jansenii, et tamen, juxta objicientes, Ecclesia sufficienter legit textum S. Augustini, ut ipsum approbaret: quidni sufficienter legit textum Jansenii ut ipsum damnaret?

Ad quintum : Quamvis pontifex soleat requirere sensus cardinalium et theologorum, non tamen inde præcise, sed ex assistentia Spiritus Sancti suam mutuat infaillibilatem.

Ad sextum : Solet etiam Ecclesia damnare textus et libros auctorum unde excerptæ sunt falsæ propositiones, quando id necessarium judicat in efficaciorem hæreseos eradicationem; sic egit contra Eutychetem, Nestorium, Pelagium et plures alios, idque erat necessarium in casu Jansenii, quia plures, damnando propositiones, defendebant librum ut orthodoxum, sicque pariter ac ante grassabatur hæresis et eludebatur judicium Ecclesiæ.

Ad septimum : Falsissimum est textum Jansenii nihil aliud continere quam S. Augustini doctrinam, nec ulla hujus S. Doctoris propositio allegari potest quæ naturali et obvio sensu, attentis antecedentibus et consequentibus, non sit contradictoria aut dissona sensui quinque famosarum propositionum. Insuper fateor S. Augustini scripta esse ab Ecclesia approbata, sed non omnia eodem modo : quædam approbatione speciali, ut sunt ea quæ spectant gratiam et prædestinationem contra pelagianos et semi-pelagianos : quædam approbatione generali, sicut approbata sunt opera SS. Hilarii, Athanasii, Ambrosii, etc. quæ approbatio generalis indicat tantum hos SS. Doctores strenue Ecclesiam et religionem defensasse, ardentissimo zelo ejus puritatem prosecutos fuisse, et nullam in eis suspicionem esse de hæresi voluntaria; sed non impedit quin in decursu temporis Ecclesia possit in eorum operibus aliquem errorem auctori involuntarium deprehendere.

Ad octavum , nego; omnes enim ecclesiæ per orbem dispersæ acceptarunt constitutiones summorum pontificum contra Jansenium absque ulla limitatione aut exceptione : ergo quoad jus et quoad factum. Neque est necesse quod omnes expenderint librum Jansenii, sed sufficit quod ecclesia Romana majori qua potuit diligentia illum expenderit, et ejus judicio acquieverint aliæ ecclesiæ.

Ad nonum : Quidam respondent infallibilitatem Ecclesiæ circa facta dogmatica esse quidem de fide quoad se, non esse de fide obligante; quia, ut fert instantia, Ecclesia id non definivit. Verum alii censent esse de fide etiam obligante, quia, licet Ecclesia expressis verbis eam non definierit, facto tamen seu usu constanti et praxi definivit, anathematizando et declarando hæreticos, qui suis decretis circa facta dogmatica resisterent, quæ agendi ratio, constans et perpetua, debet censeri sufficiens suæ infallibilitatis definitio ; tum quia iniquum foret declarare hæreticos, et anathematizare eos qui decreto fallibili assensum recusarent; tum quia alias fallibilitas Ecclesiæ in quæstionibus fidei non foret de fide obligante, cum non conceptis verbis, sed solo usu constanti et praxi, sit pariter definita.

§ IV.

Solvuntur objectiones petitæ ex causa Trium Capitulorum.

Obj. 1°: Concilium Chalcedonense approbavit Tria Capitula. Concilium V Constantinopolitanum secundum ea damnavit : atqui Tria Capitula sunt facta dogmatica : ergo. Pro hujus et sequentium argumentorum solutione præmitto compendiose historiam Trium Capitulorum, de quibus tot fuerunt motus et contentiones in Ecclesia inter orientales et occidentales.

Synopsis historica Trium Capitulorum.

I. Tria famosa Capitula sunt scripta et personæ trium episcoporum, scilicet Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis et Ibæ Edesseni.

II. Cum in concilio Chalcedonensi in quo fuit damnatus Eutyches, Theodoretus et Ibas (erat enim tunc defunctus Theodorus), post anathema dictum Nestorio, admissi fuissent ad communionem, non damnatis a concilio scriptis Theodoreti quæ erant nestoriana, nec reprobata, licet lecta, epistola Ibæ ad Marim Persam, quæ erat referta laudibus Theodori, a quo Nestorius hæresim suam hauserat, nestoriani hæc tria scripta, scilicet Theodori,

Theodoreti et Ibæ vulgarunt, contenderuntque fuisse in concilio Chalcedonensi approbata.

III. Eutychiani e contra, præsertim Acephali, ut auctoritatem concilii Chalcedonensis, quæ damnaverat Eutychem, deprimerent, contendebant hæc Tria Capitula esse nestoriana, et ope Theodori Cæsariensis obtinuerunt a Justiniano imperatore, ut illa publico edicto proscriberet, quod ille fecit, motus zelo pacis, suumque edictum ad totius imperii episcopos, cui subscriberent, transmisit: et hinc origo gravis dissidii quod Vigilium papam et orientales cum occidentalibus commisit.

IV. Edicto Justiniani subscripserunt plures ex orientalibus, subscribere recusarunt occidentales, præsertim africani, ne læderetur auctoritas infallibilis concilii Chalcedonensis, in quo, errore facti, existimabant hæc Tria Capitula fuisse approbata. Interim Vigilius papa Constantinopolim advenit, et eos qui edicto Justiniani subscripserant a sua communione suspendit, quam tamen illis post aliquot menses, agente Theodora imperatrice, restituit.

V. Justinianus imperator obtinet a Vigilio, ut cum episcopis causam Trium Capitulorum discutiat: convenerunt in urbem regiam plus quam septuaginta episcopi: sed cum hi maxime inter se dissiderent, dixit Vigilius se seorsim suam sententiam dicturum; visis ergo singulorum votis ad se delatis, anno 548 decretum tulit quod *Judicatum* appellavit, quo Tria Capitula proscribebat, non absolute, sed sub hac restrictione, « salva in omnibus concilii Chalcedonensis auctoritate. »

VI. Hoc *Judicatum* ægre tulerunt occidentales, præsertim africani et illyrici, causamque Trium Capitulorum palam defendere cœperunt: qua de causa Vigilius cum imperatore de concilio generali congregando egit, quod Romæ congregari optasset pontifex, sed tamen quod, instante Justiniano, Constantinopoli ex occidentalibus et orientalibus æquo numero congregandum indixit, prohibita interim omni disputatione circa Tria Capitula.

VII. Cum autem tardarent occidentales, nec tamen sine illis Vigilius sineret concilium celebrari, Justinianus, moræ impatiens, eodem Theodoro Cæsariensi suadente, novum edictum tulit adversus Tria Capitula quod in ecclesia Constantinop. et alibi appendi jussit; quod indigne ferens Vigilius, convocatis qui in urbe erant episcopis, prohibuit, sub pœna privationis communionis ecclesiasticæ, huic edito morem gerere; qua de causa male ab imperatore habitus, fugit Chalcedonem, donec imperator placatus, revocato edicto, causam hanc ad concilium futurum remisit.

VIII. Congregatum est autem concilium anno 553, patrum centum et sexaginta quinque, cui adesse recusavit Vigilius, licet iterato honorifice invitatus, eo quod pauciores adessent occidentales: præfuit illi, absente Vigilio, Eutychius Constantinopolitanus. Interea Vigilius novo opere edito, quod vocavit *Constitutum*, iterum Trium Capitulorum defensionem suscepit, non quidem quoad dogmata, sed quoad personas, contendens scripta non debere damnari sub nominibus auctorum. Hoc non obstante, concilium anathemate confixit Tria Capitula appellatis auctorum nominibus: hanc censuram simul et concilium post sex menses circiter approbavit, et confirmavit Vigilius epistola data ad Eutychium concilii præsidem et præjacentem synodum. Hanc epistolam primus publici juris fecit illustrissimus de Marca ex regia bibliotheca, cujus authenticitatem probat Natalis Alexander, sæculo 6, cap. 2, a. 9, et dissert. 3, eodem sæculo, pluribus aliis testimoniis probat Vigilium hoc concilium confirmasse. Illud pariter confirmarunt ejus successores, Pelagius I, Pelagius II et S. Gregorius, qui multum allaboraverunt, ut extinguerent schisma Venetiorum, et Istriæ episcoporum, occasione hujus concilii ortum; quod putarent, ut jam dixi, hæc Capitula fuisse in concilio Chalcedonensi probata. His præmissis, ad argumentum,

Resp. 1°. neg. ant. pro prima parte: Tria namque Capitula, neque approbata, neque reprobata fuere in synodo Chalcedonensi, sed omissa et neglecta, seu proposita, non ut judicialia, sed ut historica tantum. In primis de Theodoro Mopsuesteno, qui obierat, et de ejus scriptis nulla mentio facta est, nisi quod in epistola Ibæ, quæ fuit recitata et non probata, ut mox dicam, quædam ejus laudes continerentur. De scriptis Theodoreti et epistola Ibæ nullum synodus tulit judicium, sed earum personas duntaxat admisit ad consessum, postquam pœnitentiæ signa dederunt, et anathema dixerunt Nestorio, atque S. Leonis epistolæ subscripserunt. Synodus V autem damnavit scripta et personam Theodori Mopsuesteni, qui fuerat auctor nestorianismi, et in quo eum obiisse constabat ex testimonio suæ ecclesiæ, quæ nomen ejus e sacris dypticis expunxerat: scripta vero Theodoreti et Ibæ sub eorum nominibus damnavit, at eorum personas in pace Ecclesiæ defunctas anathemate non confixit,

et sic nulla est inter utramque synodum contradictio.

Inst. 1°; Relecta epistola Ibæ, legati Sedis apostolicæ dixerunt Ibam orthodoxum, ut habetur in actis : ergo.

Resp. legatos Sedis apostolicæ dixisse quidem Ibam orthodoxum, sed non ejus epistolam orthodoxam, quæ duo multum differunt : unde dist. ant. Dixerunt Ibam orthodoxum, attento dogmate epistolæ, nego ; attenta retractatione epistolæ, conc. Cum enim objicerent illi quidam monachi S. Cyrillum ab eo vocatum fuisse hæreticum, respondit: « Donec S. Cyrillus semetipsum interpretatus fuerat, quia orientale concilium eum vocabat hæreticum, et ut hæreticum eum condemnavit, hæreticum eum et ego putabam : postquam vero adunatæ sunt ecclesiæ, et sua Capitula interpretatus est, omnes eum communicatorem habuimus. » Quibus aperte declarat se revocare, quæ dixerat in sua epistola contra S. Cyrillum, et cum aliunde epistolæ S. Leonis ad Flavianum subscripsisset et anathema dixisset Nestorio, ideo declaratus est orthodoxus.

Hanc porro epistolam concilium Chalcedonense non potuisse sine aperta contradictione approbare ostendit Pelagius II, *Epistola ad episcopos Istriæ,* dicens : « In gestis namque ejusdem synodi et scriptis Leonis Cyrillus prædicatur : in epistola vero Ibæ Cyrillus in Apollinaris dogma corruens reprobatur. In gestis Nestorius, ut Redemptoris nostri adversarius, jure damnatus ostenditur : verbis vero epistolæ damnatus injuste memoratur..... In gestis ac definitionibus fidei, unus filius Jesus Christus dicitur; at, juxta doctrinam Theodori, atque Nestorii , Deus tacetur : et in gestis synodi nusquam Theodorus veritatis doctor dicitur : in verbis vero epistolæ idem, cujus blasphemias supra protulimus, veritatis doctor clamatur; qui si vera dixit, falsa erunt quæ de veritate synodus protulit : quisquis igitur qui epistolam, quæ Ibæ dicitur, ostendere quod sit de synodo nititur, quid aliud quam gesta ejusdem synodi destruere conatur? » Unde concilium V : « Quomodo, inquit, præsumunt aliqui ipsam impiam epistolam susceptam fuisse a S. concilio Chalcedonensi. » Et Vigilius in confirmatione quintæ synodi : « Absit, ut tam horrendas blasphemias patres Chalcedonenses approbarint. »

Inst. 2° : Maximinus Antiochenus in concilio Chalcedonensi ipsam Ibæ epistolam agnovit orthodoxam his verbis : « Orthodoxa est ejus declarata dictatio » : et Ferrandus diaconus Carthaginensis, epistola ad Pelagium et Anatolium ecclesiæ Romanæ diaconos, asserit epistolam Ibæ non potuisse damnari a quinta synodo, absque synodi Chalcedonensis injuria : ergo.

Resp. ad primum in conciliis, non unius aut alterius interlocutionem attendi, sed quod ab omnibus aut majori parte definitur, ut observatum est in quinta synodo, act. 6. Ad Ferrandum, non mirum quod ita fuerit locutus ; fuit enim Trium Capitulorum acerrimus defensor : et insuper scripsit ante quintam synodum, cujus auctoritas doctoris privati auctoritati præponderat.

Resp. 2° ad principale argumentum : Dato Tria Capitula fuisse probata in concilio Chalcedonensi, potuerunt nihilominus ad examen revocari et damnari a quinta synodo, absque læsione infallibilitatis Ecclesiæ in his factis : quia, conscripta definitione fidei act. 6, absolutum fuit concilium Chalcedonense : quæ vero postea circa præfatas quorumdam episcoporum causas acta sunt non habent vim concilii, nec a S. Leone sunt probata. Id autem probatur, 1° quia episcopi, post actionem 6, petierunt ab imperatore licentiam redeundi ad suas ecclesias : « Supplicamus, inquiebant, dimitte nos, pie imperator »; quos tamen retinuit Justinianus pro dirimendis litibus privatis quorumdam episcoporum, inter quos causa Theodoreti acta est act. 8, causa Ibæ act. 9 et 10 ; 2° quia S. Leo, *Epistola ad Maximinum* Antiochenum de synodo Chalcedonensi, dicit quod, si a legatis suis aliquid gestum sit præter id quod pertinet ad causam fidei, id est, ad eutychianæ hæreseos damnationem, nullius sit ponderis : vide textum inst. 2 obj. 1 § præced. ; 3° quia Pelagius II, *Epistola ad episcopos Istriæ*, testatur plerosque codices græcos vetustiores sex tantum actiones synodi Chalcedonensis referre; 4° quia S. Greg. lib. 2, *epist.* 10, dicit : « De tribus personis, de quibus post terminum synodi Chalcedonensis » (attende post terminum, id est post actionem 6,) « actum fuerat, temporibus Justiniani », id est, in quinta synodo, « ventilatum est ». Et lib. 3, *epist.* 37, dicit : « In quinta synodo actum est de his personis de quibus in Chalcedonensi concilio nihil continetur » : quia nempe actione 6 absolutum erat concilium.

Inst. 3° : Vigilius, in suo Constituto, de Ibæ epistola dicit « ipsam, rectissimo et piissimo sensu intellectam », irreprehensam manere : ergo.

Resp. Vigilium non dixisse Ibæ « episto-

lam », sed « fidem irreprehensam manere »; quia scilicet in concilio Chalcedon. mentem suam aperuerat, et quæ in hac epistola contra Cyrillum errore facti scripserat retractaverat, ut jam dixi: en verba Vigilii in suo Constituto, tom. 5 conc. Labb. col. 372 : « En, verbis epistolæ viri venerabilis Ibæ rectissimo ac piissimo intellectu perspectis, et ex gestis apud Eustathium habitis, et ex ipsius Ibæ episcopi a præsentibus *intentione discussa*, patres nostros in Chalcedone residentes, justissime orthodoxam ejus viri venerabilis Ibæ episcopi *pronuntiasse fidem et reprehensionem Cyrilli*, quam humanitus per errorem intelligentiæ evenisse cognoverant, *congrua satisfactione purgatam.* » Quando ergo Vigilius, ex epistola Ibæ « rectissimo et piissimo intellectu », ejus fidem orthodoxam fuisse pronuntiat, id intelligit, ut patet, habita ratione explicationis et retractationis injuriarum in Cyrillum, quam præsentibus patribus Chalcedonensibus fecerat.

Obj. 2°: Plures occidentales, præsertim Hispani, diu recusarunt acceptare concilium V, licet tamen communione conjuncti essent cum ecclesia Romana, et aliis ecclesiis istud concilium acceptantibus : ergo ejus judicium contra Tria Capitula non habebatur infallibile.

Resp. neg. conseq. Consensus enim et judicium orientis et reliquarum ecclesiarum occidentis præter paucas, præsertim ecclesiæ Romanæ, prævalet alicujus provinciæ dissensui, ut dicit Vincentius Lirin. 1 p. *Commonit.* cap. 4. Hunc autem dissensum Hispaniarum non probarunt summi pontifices, sed ex œconomia tolerarunt ad tempus : cum enim Hispani recusarent acceptare quintum concilium ex errore facti tantum, quia putabant esse contrarium synodo Chalcedonensi, et illud palam non impugnarent, sed modeste prætermitterent, neque nestorianismo faverent, neque a communione Ecclesiæ Romanæ et aliarum ecclesiarum se separarent, sed e contra et reverentia erga S. Sedem, et charitate erga alios episcopos, se ad pacem comparatos ostenderent, spes erat, ut, errore facti deposito, ad sententiam totius Ecclesiæ accederent, quod progressu temporis effectum est. His ergo de causis prudenter egit Ecclesia dissimulando ad tempus eorum resistentiam, ne in apertum schisma erumperent, præsertim cum istæ causæ, ut jam observavi, non sint tanti momenti in Ecclesia quam ubi agitur de capitibus fidei.

Inst.: Ipse S. Gregorius videtur non agnovisse auctoritatem infallibilem V concilii in causa Trium Capitulorum : ergo. Prob. ant. S. Pontifex, in *Epistola ad Theodelindam*, Longobardorum reginam, quatuor tantum synodos œcumenicas se recipere profitetur, dicto anathemate illi qui eas non recipit : ergo.

Resp. neg. ant. Omnibus enim notum est quantum S. pontifex egerit ut hoc V concilium ubique reciperetur. Ad probat. Sic egit S. Gregorius ex prudenti œconomia; prius enim Constantio episcopo Mediolanensi direxerat litteras pro regina, in quibus quintam synodum honorifice commendabat. Has litteras non reddidit Constantius, et significavit summo pontifici, quod regina, Trium Capitulorum condemnationi contraria, commendatione quintæ synodi offendebatur : alias rescripsit S. Gregorius, in quibus prudenter siluit de quinta synodo, ne reginæ animum magis exacerbaret, volens eam ratione potiusquam auctoritate vincere (quod tandem obtinuit), tunc præsertim cum nondum omnium consensu esset recepta quinta synodus, et de ejus auctoritate adhuc disputabatur.

Obj. 3° : Saltem negari non potest quin Vigilius papa admodum variaverit in causa Trium Capitulorum, eaque modo approbaverit, modo damnaverit: ergo non est irretractabile judicium Ecclesiæ circa facta dogmatica.

Resp. Vigilium nunquam Tria Capitula, quoad sensum obvium textuum, approbasse, quod est proprie factum dogmaticum ; sed tantum variasse circa personas: utrum scilicet persona Theodori defuncti deberet anathematizari, et scripta Theodoreti et Ibæ sub eorum nominibus deberent damnari. Hæc autem variatio non fuit inconstantiæ, sed prudentis œconomiæ, ut patebit ex serie gestorum Vigilii.

Primo itaque Vigilius se opposuit edicto Justitiani condemnantis Tria Capitula : tum quia non erat imperatoris res Ecclesiæ et fidei dirimere, tum quia hujus edicti auctores erant eutychiani seu acephali, mediante Theodoro Cæsariensi, ut sic facilius detrahere possent auctoritati concilii Chalcedonensis, in quo fuerat damnatus Eutyches.

Deinde Vigilius in suo *Judicato* damnavit tria Capitula, ut præveniret schisma, in quod propendebant orientales, nisi horum Capitulorum damnationi subscriberet pontifex. Addidit tamen prudenter, « Salva in omnibus auctoritate concilii Chalcedonensis », partim ne irritaret occidentales, qui timebant ex hac censura minui auctoritatem concilii Chalce-

donensis, partim ut reprimeret acephalos qui ea censura abutebantur ad detrahendum eidem concilio.

Postea Vigilius recusavit damnare ea Capitula in synodo cum solis græcis, quin imo edito *Constituto* ea vindicavit: non quidem sic quod ea absolute, et secundum se spectata, pura et orthodoxa definierit; in eodem enim *Constituto* septuaginta capita Theodori damnat, et alia quæ in scriptis Theodoreti et Ibæ possunt occurrere orthodoxæ fidei minus congrua; sed hoc sensu quod vetaret ea damnari expressis nominibus auctorum: idque totum prudenter, ne scilicet offenderet occidentales, sine quibus græci contra pacta ad hujus causæ discussionem processerant; quique propter auctoritatem concilii Chalcedonensis Trium Capitulorum damnationi refragabantur.

Tandem eadem semper œconomia et prudentia usus Vigilius, sex circiter mensibus post peractam synodum, eam probavit, et Tria Capitula expressis auctorum nominibus damnavit, ut orientales a schismate in quod propendebant, propter recusatam hujus synodi confirmationem, retraheret, et quia actis quintæ synodi palam omnibus et aperte erat demonstratum hæc Capitula potuisse sic damnari, absque ulla synodi Chalcedonensis injuria.

Addo pro clausula causam Trium Capitulorum non solum non nocere conclusioni nostræ, sed e contra præbere illi invictissimum argumentum: etenim occidentales Trium Capitulorum defensionem non susceperunt, neque eorum damnationi diu restiterunt, nisi quia existimabant ea fuisse probata in concilio Chalcedonensi, cujus judicium infallibile retractari non posset: neque ab eis in hoc ultimo dissentiebant orientales, sed volebant tantum ea non fuisse probata in concilio Chalcedonensi, quod multis ostendunt in actis quintæ synodi; una ergo erat omnium et occidentalium et orientalium sententia, Ecclesiam in definiendis factis dogmaticis esse infallibilem.

CONSECTARIUM.

De appellatione a Constitutione Unigenitus *ad concilium generale futurum.*

Supposita infallibilitate, non summi Pontificis a qua nunc abstrahimus, quia eam non agnoscunt ii contra quos hic agimus, sed Ecclesiæ in controversiis fidei et factis dogmaticis definiendis, quam in duobus articulis præcedentibus asseruimus, sequitur non esse licitum appellare a Constitutione *Unigenitus* Clementis XI, damnante centum et unam propositiones Paschasii Quesnelli, ad futurum concilium generale: quod hoc brevi et patenti argumento probatur.

Non est licitum appellare a judicio infallibili et irreformabili: atqui constitutio *Unigenitus* est judicium infallibile et irreformabile: ergo. Prob. min. Constitutio *Unigenitus* est judicium Ecclesiæ: atqui judicium Ecclesiæ est infallibile et irreformabile in dogmatibus et factis dogmaticis definiendis, ut late probavimus in duobus præcedentibus articulis. Ergo. Prob. maj. Ecclesia universa constitutionem *Unigenitus* acceptavit, et acceptando fecit suam: ergo. Ant. constat 1° ex ipso Clemente XI, qui in litteris *Pastoralis officii* dicit: « Quam (constitutionem) universa Ecclesia veneratione debita complectitur »; 2° ex testimoniis omnium fere ecclesiarum totius Europæ, Italiæ, Siciliæ, Venetiorum, Genuæ, Pedemontii, Sabaudiæ, Germaniæ, Belgii, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Hispaniarum et Portugaliæ; academiarum Salmanticensis, Lovaniensis, Coloniensis, Duacenæ, Conimbricensis, etc. Extant autem hæc omnia testimonia in institutione pastorali Eminentis. card. de Bissy tom. 3, in institutione 2 illustris. D. Languet tunc episcopi Suessionensis, nunc archiepiscopi Senonensis, et in opere cui titulus: *Réfutation du mémoire publié en faveur de l'appel des quatre évêques,* approbante eminentis. cardinali d'Alsace, archiepiscopo Mechlinensi. Quantum ad Galliam, ubi quæstio mota est, centum et decem episcopi hanc constitutionem acceptarunt, decem recusarunt: et quatuor tantum ad futurum concilium generale appellarunt: ex academiis viginti quatuor in eodem regno, tres tantum, Parisiensis, Rhemensis et Nanetensis acceptationem prius factam revocarunt: ergo.

Mirum est quot effugia excogitaverint appellantes, ut vim hujus argumenti eluderent. Igitur

Dicunt 1° equidem Ecclesiam in conciliis congregatam esse infallibilem, at non dispersam.

Resp. hoc assumptum esse falsissimum, et aperte contradicens Christi promissionibus: promisit enim Christus se futurum cum Ecclesia omnibus diebus usque ad consummationem sæculi: numquid omnibus diebus congregantur concilia? numquid Ecclesia dispersa non est vera Christi Ecclesia quæ deficere non

potest? Quin imo Ecclesia in concilio congregata non est infallibilis, nisi quia repræsentat universam Ecclesiam dispersam : ergo a fortiori hæc est infallibilis ; adde quod alias Christus non satis providisset suæ Ecclesiæ ; donec enim congregaretur concilium generale, quod quandoque non nisi post sæcula potest congregari, grassarentur hæreses, et totam Ecclesiam inficerent. Insuper plurimæ et longe plures hæreses fuerunt infallibiliter et irreformabiliter damnatæ per Ecclesiam dispersam quam per congregatam in conciliis : unde S. Aug. lib. 4 *Contra Duas Epist. pelagianorum*, cap. 12, pelagianis objicientibus quod « simplicibus episcopis, sine congregatione synodi, in locis suis sedentibus extorta subscriptio est», respondet sic : « Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi synodi congregatione damnata sit : cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos orientis et occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur : cum potius vigilantia et diligentia pastorali, post factum de illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint conterendi sint. » De iisdem pelagianis, postquam duobus conciliis provincialibus accesserat sententia Romani Pontificis, dicebat, *serm.* 131, *olim* 2, *de verbis Apostoli*, idem S. Augustinus : « Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem apostolicam : inde enim rescripta venerunt : causa finita est ; utinam aliquando finiatur error ! »

Dicunt 2° ex silentio episcoporum non posse certo erui eorum consensum tacitum alicui constitutioni pontificiæ, aut cæterorum episcoporum definitioni, cum possent esse variæ aliæ rationes silendi, v. g. timor, cupiditas, ambitio, etc. Ergo.

Resp. 1° in casu non esse amplius quæstionem de consensu tacito, cum habeatur consensus expressus omnium fere ecclesiarum. 2° Nego. ant. Deus enim nunquam permittit quod episcopi circa falsum dogma publice fidelibus propositum ex quovis motivo humano sileant, cum id vergeret in defectionem Ecclesiæ, et in scissionem unitatis in fide, quæ est hujus Ecclesiæ vinculum : unde S. Aug. epist. 55, alias 119, c. 19 : « Ecclesia Dei, inquit, ea quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.» Dum ergo aliqua constitutio pontificia, aut plurium episcoporum definitio in rebus fidei, seu morum, per Ecclesiam diffunditur, qui silent episcopi censentur consentire. Nec alio modo quam consensu tacito acceptatæ fuerunt constitutiones contra Baium, Jansenium, Molinos, librum *Maximes des Saints*, et plures aliæ constitutiones circa propositiones damnatas.

Nec refert quod damnata sit hæc propositio ab Alexandro VII, 1665 : « Si liber sit alicujus junioris ac moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede apostolica, tanquam improbabilem » : aliud enim est de opinione alicujus privati auctoris, aliud de definitione publica episcopis nota; hic periculum urget, non illic.

Instant : Soli episcopi Europæ acceptarunt.

At unde id sciunt? et esto, quid inde? numquid concilium Tridentinum (idem dic de pluribus aliis) non est œcumenicum, quia illi non adfuerunt episcopi Americæ et Indiarum orientalium? Numquid constitutiones contra Baium, Jansenium, Molinos, etc. non sunt acceptatæ ab Ecclesia, quia forte non fuerunt missæ ad Indos aut Americanos? Sufficit ergo acceptatio expressa Ecclesiæ in ea parte mundi, in qua residet supremum ejus caput, et est major episcoporum multitudo, quia inde potest aliis innotescere : nec satis Christus providisset suæ Ecclesiæ, si expectari deberet consensus illorum qui in extremis mundi partibus morantur : ita respondebat S. Augustinus Juliano, lib. 1 *contra Julian.* c. 4: « An ideo, inquit, contemnendos putas, quia occidentalis ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis orientis episcopus?.... Puto eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam pelagianis laqueis exuisses. »

Dicunt 3°: Episcopi non acceptarunt libere constitutionem : quidam metu inquisitionis, omnes metu excommunicationis latæ in non acceptantes.

Resp. 1° metum sive inquisitionis, sive ex-

communicationis, non auferre libertatem in acceptanda constitutione, sicut metus pœnarum inferni aut suspendii non aufert libertatem in observandis legibus, sive divinis, sive humanis. 2° Christus promisit quod portæ inferi, id est, terrores, percussionnes, exilia, incarcerationes, secures, patibula, omnia tormenta diaboli non prævalerent adversus Ecclesiam : prævalerent autem si metu inquisitionis, aut excommunicationis, episcopi acceptarent falsa dogmata.

Instant : Saltem extra Galliam episcopi acceptarunt constitutionem ex motivo infallibilitatis papæ : atqui istud motivum est falsum : ergo acceptatio in eo fundata est illegitima et nulla.

Resp. 1° neg. conseq. quia infallibilitas Ecclesiæ non innititur motivis et rationibus, quibus episcopi moveri possunt ad judicium ferendum in rebus fidei, sed assistentiæ Spiritus Sancti sibi promissæ, qua stante fieri non potest quod Ecclesia aliquo principio decepta inducatur in errorem, alias portæ inferi prævalerent adversus illam, et Christus non esset cum illa omnibus diebus : sufficit ergo quod Ecclesia definierit, quavis ratione inducta id fecerit; quia errare non potest definiendo. 2° Si valeret instantia, nutarent bullæ contra Baium, Jansenium, Molinos et aliæ, imo nihil foret fixum in Ecclesia, neque ipsorum conciliorum generalium decreta forent fidelibus regula fidei : quot enim et quam variæ rationes et deliberationes singulorum, antequam deveniatur ad definitionem. Si ergo lata definitio pendeat ex rationibus et motivis singulorum episcoporum definientium, necesse erit illa scrutari, an vera vel falsa sint, ut definitio habeat vim legis et regulæ : hoc autem semel admisso concutitur Ecclesia a fundamentis, et non habet amplius ubi pedem certo figat. 3° In concilio quod petunt appellantes, juxta instantiam, adesse non poterunt episcopi extra Galliam; quia fere omnes imbuti sunt opinione infallibilitatis Summi Pontificis, aut tenebuntur ingrediendo concilium hanc suam sententiam exuere, quod est absurdum. Aderunt ergo huic concilio solus Pontifex et episcopi gallicani : eritne concilium generale? Fallor, nec Pontifex nec episcopi gallicani adesse poterunt; sunt enim partes in lite, Summus Pontifex qui constitutionem tulit, episcopi gallicani centum et decem qui illam acceptarunt, quatuordecim qui illam recusarunt; convocandi ergo erunt Americani, Asiani, Africani (si forte nihil audierunt de bulla), et hi soli sine capite sedentes constituent concilium generale? Papæ! quanta absurda! et quantis chimeris pasci amant appellantes ad concilium generale impossibile et plane chimæricum!

Dicunt 4° : Papa prohibet examinare suam bullam : ergo episcopi non acceptarunt ut judices.

Resp. id nos non legere, neque in bulla, neque in litteris *Pastoralis officii*.

Instant : Saltem exigit omnimodam obedientiam bullæ : ergo non fuit licitum episcopis illam examinare.

Resp. neg. conseq. Saltem si intelligatur de propositionibus contentis in bulla; dirigitur enim bulla ad fideles secundum cujusque conditionem : episcopi autem sic sunt subditi papæ, ut sint etiam cum et sub illo doctrinæ judices : pontifex igitur, ut superior, exigit ab omnibus fidelibus, consequenter ab episcopis ut subditis, obedientiam suæ constitutioni, sicut legislator in civilibus exigit obedientiam suæ legi, ita ut episcopi teneantur acceptare constitutionem ut legem pontificiam, non tamen ut legem Ecclesiæ, nec prohibentur ut judices doctrinæ examinare si non bullam ipsam, saltem propositiones in ea damnatas, et si quid inveniant fidei minus consonum, illud reverenter exponere Pontifici, quod cum non fecerint, exceptis admodum paucis, lex pontificia facta est lex Ecclesiæ.

Nec refert quod papa nunquam revocet quod semel pronuntiavit ex cathedra, id enim signum est quod nunquam docuerit ex cathedra aliquid contra fidem aut mores; non enim permitteret Spiritus Sanctus, qui semper adest Ecclesiæ, quod episcopi omnes acceptarent doctrinam fidei aut moribus contrariam. Denique bullæ contra Baium, Jansenium, Molinos et aliæ, sub eodem tenore latæ sunt, quo tamen non obstante, sic acceptatæ sunt ab Ecclesia, ut sint modo leges Ecclesiæ et fidei regulæ.

Porro hæc omnia et alia similia effugia elegantissime et solidissime vana et insufficentia ostendit illustrissimus D. Languet, archiepiscopus Senonensis, in sua *Secunda Institutione pastorali* n. 19, his verbis jam ab aliis ante me usurpatis, et sic latine redditis : « Prætenditis ergo [alloquitur appellantes] papam errasse in ista bulla, eum subruisse « primum præceptum primumque symboli articulum» : decreto sanctissimi Patris convulsa jacent « amor Dei ejusque potentia » : vobis assentior. Ecclesia Romana, quæ non reclamavit, imo palam decretum illud suo suffragio confirmavit, in eo-

rumdem errorum societatem venit: annuo. Ecclesia gallicana fere tota subscripsit, vi quidem ad id faciendum adacta fuit, si ita vobis placet, fecit tamen. Flandriæ episcopi præoccupatis suis opinionibus abrepti fuerunt; etenim ad eorum consensum debilitandum, nulla, quæ illata fuerit, violentia allegari potest. Episcopi Hispaniæ sunt « in intolerabili errore » de infallibilitate..... hoc largior, sit etiam hæresis formalis, si desideretur. Veneti et Siculi episcopi Pontificis auctoritati serviliter subjecti sunt, adversus eum mutire non audent. Episcopi Italiæ, Hispaniæ, Portugaliæ, etc. coguntur ab inquisitione. Ecquid porro est ista inquisitio? An tribunal quoddam mahumetanorum aut Hugnotorum? Omne illud quod vobis collibitum fuerit mihi quidem perinde est. Quid dicetur de episcopis Germaniæ, Poloniæ, Bohemiæ et Hungariæ, de Electoribus imperii, etc.? Sunt aut ignorantes, aut politici, rem non examinarunt, aut si examinaverint, veritatem prodiderunt, et errori subscripserunt. Totum transmitto, totum ad momentum concedo : concludamus : ergo Pontifex, et omnes illarum nationum episcopi, alii ignorantia, alii servientes tempori, fere omnes fragilitate, violentia, metu, præventione (proh Deus! condona has blasphemias in Sponsam tuam, ejusque angelos effusas) acquieverunt constitutioni, fidem, mores et disciplinam evertenti. Ubi igitur Ecclesia? Ubi est a quinque annis? Quo abiit ista infallibilitas, ista visibilitas, ista universalitas quam in ministerio suorum pastorum possidebat? Jam per ministerium, per ipsorummet pastorum decisionem error triumphat. In quibus ergo subsistit illa Ecclesia? Subsistit in quatuordecim episcopis, nonnullis presbyteris, in populo quodam reclamante, et hoc intra unius regni terminos, et quidem ne vel centesimam regni istius partem constituunt populus ille et presbyteri isti..... Tantum illi sunt fideles, discipuli veritatis et defensores fidei. Ministerium ergo corruptum, annihilata est Ecclesia? Nam Ecclesia pendet a ministerio, inquit D. Nicolle, et ejus duratio, juxta D. Bossuet, annexa est infallibilitati pastorum. Illud corpus collapsum est et Ecclesia cum illo : vasti hujus corporis una tantum superest particula in quodam mundi angulo. En quo vobis necessario deveniendum est, alioquin deserenda vobis erunt omnia principia adversus prætensos reformatores propugnata. Ad hæc erubescitis, infremitis, consequentias illas detestabimini; sed exhorreatis licet, eo vobis deveniendum est, aut, quod est objectum desiderii mei, finem imponetis futilibus vestris objectionibus, ut recognoscatis, in illa concordia patrum, legem quam sequi debetis. »

Dicunt 5°: Episcopi non sunt unanimes in sua acceptatione, alii acceptarunt simpliciter, alii relative ad suas explicationes : ergo.

Resp. omnes acceptasse simpliciter, nullum relative, relatione scilicet restringente bullam ad suas explicationes, quasi sensus bullæ foret erroneus, aut non posset habere alium sensum legitimum, quam sensum explicationum; sed adjunxerunt explicationes suæ acceptationi, tantum ut prævenirent abusus bullæ qui fieri possint; acceptatio autem, hoc sensu relativa, non impedit acceptationem simplicem : sic acceptamus simpliciter S. Scripturam, eam tamen explicamus contra falsas hæreticorum interpretationes, et ad instructionem fidelium, non vero ut restringamus ejus sensum ad nostrum, quasi ipsius sensus foret falsus, aut non posset esse legitimus alius a nostro.

Dicunt 6°: Constitutio damnat vago et indeterminato modo centum et unam propositiones respective ut falsas, erroneas, male sonantes, scandalosas, hæreticas, etc. : atqui hujusmodi constitutio non potest esse regula fidei: ergo. Prob. min. Fides debet habere objectum fixum : atqui incertum nobis relinquitur quæ propositio sit erronea, quæ scandalosa, quæ hæretica, etc. Ergo.

Resp. neg. min. Ad prob. dist. min. Nobis incertum relinquitur quæ propositio sit erronea, quæ hæretica, etc. et hoc est objectum constitutionis, nego ; et non est objectum constitutionis, conc. Non ergo constitutio obligat, ut credamus hanc vel illam propositionem in particulari vel scandolosam, vel hæreticam, etc. sed ut credamus nullam esse super quam non cadat aliqua qualificatio, nec ullam esse qualificationem quam non mereatur aliqua propositio, uno verbo omnes has propositiones esse defectuosas, et nullam posse sustineri: hoc autem objectum est fixum et determinatum. Sit paritas : medicus expertissimus et fide dignus monet convivas omnia fercula convivii esse venenata, non explicando qualitatem veneni quod cuique ferculo competit, an sit frigidum, an calidum, an statim necans, an causans languorem, etc. Objectum fidei humanæ in convivis est quod hæc fercula sint vitiata et vitanda, et hoc sufficit ut nullus ex eis quidquam degustet, nec multum curabunt inquirere de qualite venenorum. Similiter in nostro casu : Ecclesia non exigit quod

credam aut dicam hanc propositionem esse hæreticam, illam male sonantem, istam scandalosam, etc. sed solum quod habeam omnes ut defectuosas et jure damnatas, quarum nullam ideo possim sustinere. Insuper non aliter damnatæ sunt propositiones Wicleffi et Joannis Hus in concilio Constantiensi, propositiones Baii, libri *Maximes des Saints*, et aliæ; quo non obstante, constitutiones adversus illas sunt ab Ecclesia acceptatæ ut regulæ fidei.

Dicunt 7° posse contingere quod major pars episcoporum cum summo Pontifice, paucis admodum exceptis ex adverso reclamantibus, errorem definiat ac pertinaciter defendat : ergo ex acceptatione constitutionis a majori parte episcoporum nihil potest extundi pro ejus infallibilitate. Prob. ant. ex concilio Ariminensi et Seleuciensi, ubi major pars episcoporum hæresi arianæ subscripsit : ergo.

Resp. neg. ant. quod est totius religionis eversivum : hoc enim semel admisso, Ecclesia non est amplius catholica, ut patet, nec visibilis; cui enim parti credent fideles, si non majori auctoritati? Debebunt discutere cujusque rationes, cujus tamen discussionis sunt ut plurimum incapaces, et suo privato spiritui fidere, quod est basis hæreseos lutheranæ et calvinisticæ : et his hæreticis nobis fallibilitatem Ecclesiæ objicientibus nihil quod respondeamus habebimus : unde S. Augustinus ex professo probat contra Donatistas Ecclesiam apud eos non esse; quia licet inter eos numerarentur trecenti episcopi, hi tamen erant pauci comparative ad cæteros, et concludebantur intra limites Africæ. Insuper nullus hæreticus, nulla hæresis poterit unquam damnari, nulla enim est causa adeo perversa, quæ non inveniat aliquos patronos.

Ad probationem : Imprimis falsum est patres Seleucienses subscripsisse arianismo, nihil enim eo in concilio, ob sententiarum dissentionem, fuit definitum. 2° Falsum est patres Ariminenses subscripsisse hæresi arianæ : subscripserunt namque formulæ secundum se catholicæ, sed qua, propter omissionem « ομουσιον » ex fraude arianorum, hi abutebantur. 3° Falsum est majorem partem episcoporum totius Ecclesiæ huic perfidiæ arianæ subscripsisse. 4° Tandem falsum est patres ariminenses, quoad suam subscriptionem, conjunctos fuisse summo Pontifici; Liberius enim papa, jam a biennio sibi redditus et Romam redux, fidem nicænam palam profitebatur et propugnabat. Primum et quartum constant ex omnibus historicis : secundum et tertium probavimus in tract. de Trinit, digress. 3 ad dissert. proœm : illuc recurre.

Observandum tantum est quod dum quidam patres dicunt tempore conciliorum Ariminensis et Seleuciensis, omnes, paucis exceptis, tempori obsecundasse, et peste seu perfidia ariana fuisse infectos, vel non loquantur de universa Ecclesia, sed de quibusdam provinciis asianis, in quibus maxime grassabatur hæc hæresis; vel intelligant pestem arianam pervasisse omnes provincias, et ubique esse diffusam, non tamen infecisse omnes; vel loquantur hyperbolice et per exaggerationem, propter multitudinem illorum qui videbantur defecisse; vel tandem per hæresim seu perfidiam arianam intelligebant formulam subdolam, cui subscripserant patres ariminenses, quæ licet esset in se catholica, favebat tamen arianis, qui ea abutebantur propter omissam vocem « consubstantialis ». Vide locis citatis de Trinitate.

Instant : Non quod tenet major pars Ecclesiæ semper est verum, aut saltem de fide : sic communius tenetur in Ecclesia Conceptio immaculata B. V. et tamen non est de fide : ergo.

Resp. dist. ant. Non quod tenet major pars Ecclesiæ semper est de fide, si non sit definitum, et sic Ecclesiæ propositum, conc.; si sit definitum, et sic Ecclesiæ propositum, neg. Unde patet disparitas.

Dicunt 8°: Plures propositiones Quesnelli iisdem plane terminis leguntur in sanctis Patribus : ergo hi etiam sunt damnandi.

Resp. dist. ant. Plures propositiones iisdem plane terminis et eodem sensu leguntur in sanctis Patribus, nego; sensu diverso, conc. Sensus enim alicujus propositionis eruitur, non ex solis verbis quibus componitur nude spectatis, sed spectatis respective ad circumstantias et conditionem auctoris et temporis : unde nego conseq.

Dicunt 9°: Summus Pontifex non declaravit appellantes hæreticos.

Resp. eos declarasse ab Ecclesiæ communione separatos, quod valde est affine. Quod si aliud non expresserit Pontifex, id fecit ex prudenti œconomia, sperans fore ut appellantes lenitate potius quam severitate essent revocandi.

Instant : Galli diu recusarunt acceptare concilium Nicænum II, in causa imaginum, et concilium Florentinum : atqui tamen non habiti sunt pro hæreticis : ergo.

Resp. Gallos convenisse in dogmate cum

concilio secundo Nicæno, nec illud recusasse nisi ex errore facti, quod putarent ab eo decretum fuisse imaginibus cultum latriæ sicut Deo, illudque habebant pro concilio nationali græcorum, et a Summo Pontifice esse confirmatum ignorabant. Vide quæ latius hac de re dixi in tract. de Incarnatione, dissert. 23, a. 3, § 3, obj. 2. Quantum ad concilium Florentinum, neque Galli unquam illi obstiterunt quoad definitionem fidei, de quo infra.

Dicunt 10° : Pater Quesnellus fuit damnatus inauditus. Item, cur toties rogatus Pontifex noluit explicare suam constitutionem ?

Resp. ad primum : Non agebatur de persona Quesnelli, nec quidem fuit nominata ; sed agebatur de ejus libro : liber autem est simul sui accusator, testis et patronus, et ad eum probandum vel damnandum sufficit legere et sensum intelligere : unde quidquid dixisset Quesnellus forte probasset suam mentem et intentionem fuisse rectam, at non sensum obvium sui libri esse orthodoxum.

Ad secundum : Pontifex explicavit suam bullam, dum in litteris *Pastoralis officii* declaravit per eam non damnari sententias in scholis catholicis tradi solitas : quibus non sufficit hæc explicatio, non suffecissent ampliores. Aliunde non tam explicationem quam revocationem petebant. « Silebat sacer ordo, inquiebat facultas theologica Parisiensis in instrumento suæ appellationis, pro sua in S. Sedem et sanctissimum D. Clementem filiali observantia ac reverentia, et sperabat fore ut Sanctitas sua, tantis malis commota, prædictam tandem constitutionem revocaret. » Item vel explicationes fuissent conformes proprio sensui bullæ vel difformes : si prius, illas rejecissent ut ipsam bullam, aut explicationem petiissent, et sic sine fine. Si posterius, jactassent bullam indiguisse emendatione et esse reformatam, novamque, priori reprobata, editam esse.

Pluribus supersedeo ; quia, morientibus appellantibus, nec aliis qui illos imitentur insurgentibus, defervescunt contentiones, ita ut nunc communiter et absque ulla contradictione admittatur constitutio ut lex dogmatica, seu, ut dicit Benedictus XIII, in concilio Romano, ut regula fidei, non hoc sensu quod contineat prima et præcipua elementa fidei, sicut symbolum Apostolorum, sed quia fidelis debet juxta illam se gerere in his quæ continet, et credere ea quæ damnat esse legitime damnata, sicut credit dogmata calviniana a Tridentino damnata esse legitime damnata. Qui tamen plura videre cupit adeat instructiones pastorales eminentis. cardinalis de Bissy et illustris. archiep. Senonensis. Vindicavimus olim scholam nostram a propositionibus quesnellianis in opere gallico, cui titulus : *Le Thomisme vengé de sa prétendue condamnation par la Constitution Unigenitus.* Vide si lubet.

ARTICULUS VIII.

UTRUM ECCLESIA SIT INFALLIBILIS IN CANONISATIONE SANCTORUM ?

Canonisatio est publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate et gloria alicujus hominis defuncti : istud autem testimonium est per modum judicii, quo homini canonisato decernuntur honores, qui cum Deo regnantibus debentur, scilicet quod inscribatur in sanctorum catalogo, quod in publicis Ecclesiæ precibus invocetur, quod in ejus memoriam Deo templa erigantur, sacrificium offeratur, horæ canonicæ recitentur, dies festi celebrentur, ejus imago cum radiis qui denotent ejus gloriam depingatur, et ejus reliquiæ publice honorentur.

In hoc differt canonisatio a beatificatione : 1° quod canonisatio sit ultima et definitiva sententia de sanctitate et gloria alicujus, non vero beatificatio ; post eam enim requiruntur adhuc novæ informationes, ut perveniatur ad canonisationem. 2° Beatificatio non tam est sententia quam indulgentia seu permissio ut alicui deferatur cultus religiosus, non in tota Ecclesia, saltem regulariter, sed in aliqua provincia, vel religione : unde Pontifices in bullis canonisationis dicunt : « definimus, decernimus, mandamus, etc. » In bullis vero beatificationis, dicunt : « indulgemus, concedimus, etc. »

Quamvis canonisatio sanctorum, quoad modum qui nunc servatur in Ecclesia, non semper fuerit in usu, fuit tamen semper quoad substantiam, ita quod nullus ut Sanctus coleretur sine prævia discussione et approbatione illius sanctitatis, ut constat ex Optato Milevitano, lib. 1 *con. Parmen,* ubi significat illicitum fuisse venerari reliquias alicujus « hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati, » id est, nondum approbati et recepti : si autem sic pro martyribus, a fortiori pro aliis sanctis : hæc vero discussio et approbatio seu canonisatio fiebat ab episcopo vel primate pro suis ecclesiis tantum, sed cultus in eis institutus ex

populorum devotione, accedente consensu tacito vel expresso summi Pontificis, sæpe extendebatur ad alias ecclesias.

Verum cum in hoc quidam episcopi aliquando modum excessissent, aut aliunde irrepsissent abusus in cultu Sanctorum, ita ut quandoque impii in certis locis colerentur pro Sanctis, Alexander III, cap. *Audivimus* de reliquiis et veneratione Sanctorum, jus canonisandi Sanctos soli Sedi apostolicæ reservavit : et ipse S. Bernardum et S. Thomam Cantuariensem canonisavit.

Dico : Ecclesia est infallibilis in canonisatione Sanctorum.

Est communior et probabilior, videturque aperte esse D. Thomæ, Quodlibeto 9, a. 16. [1] Ibi quærit S. Doctor, utrum omnes Sancti qui sunt per Ecclesiam canonisati, sint in gloria, vel aliqui eorum sint in inferno? Et cum in corpore articuli statuisset tanquam certum quod judicium Ecclesiæ universalis in his quæ ad fidem pertinent errare sit impossibile, addit: « In aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium errare propter falsos testes. Canonisatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit. » Ad primum : « Summus Pontifex cujus est canonisare Sanctos, potest certificari de statu alicujus.... præcipue per instinctum Spiritus Sancti. » Et ad secundum : « Divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. « Cum ergo in his S. Doctor certitudinem judicii Ecclesiæ repetat ex divina Providentia et instinctu Spiritus Sancti, quem constat falli aut fallere non posse, apertum est ipsum sentire Ecclesiam absolute esse infallibilem in canonisatione Sanctorum. Cum autem dicit « hoc esse pie credendum », non vult significare aliter posse contingere, sed eam infallibilitatem Ecclesiæ in canonisatione Sanctorum non esse ita certam, sicut certa est ejus infallibilitas in rebus fidei, de qua paulo ante locutus fuerat; hæc enim est certa certitudine fidei, non ita prima, saltem ut multis videtur. De quo infra.

Prob. 1° Ecclesia est infallibilis in communi doctrina morum: atqui canonisatio Sanctorum videtur pertinere ad communem doctrinam morum: ergo. Prob. min. Ecclesia, canonisando aliquem, obligat fideles ut eum habeant pro Sancto eumque ipsis proponit ut colendum et imitandum : atqui hæc videntur spectare mores: ergo.

Confirm.: Ecclesia est sancta: atqui si proponeret colendum et imitandum impium et damnatum, eumque ut talem haberent fideles, id graviter derogaret sanctitati Ecclesiæ: ergo.

Prob. 2° : Si Ecclesia falleretur in canonisatione Sanctorum, id cederet in gravem ejus despectum et inhonorationem, eam enim irriderent dæmones, dum viderent quos damnationis socios habent a fidelibus coli et invocari tanquam Dei amicos et ejus gloriæ consortes: atqui non est verisimile Deum in similibus suam Ecclesiam deserere: ergo.

Quod hic dicimus de canonisatione videtur dicendum, licet non eadem certitudine, de beatificatione; quia licet Ecclesia in beatificatione non definiat ultimate, concedit tamen et approbat cultum hujus vel illius, in qua concessione et approbatione si erraret, suæ infallibilitati in doctrina morum, suæ sanctitati et suo honori derogaret eodem fere modo quo dictum est de canonisatione.

Dices 1° : Nullus potest esse ita certus de statu alicujus, sicut ipsemet de se ; quia *quæ sunt hominis nemo novit nisi spirtius hominis qui in ipso est*, 1 Cor. 2 : atqui nullus potest esse certus de seipso, an sit in statu salutis: *Nemo enim scit utrum sit dignus odio vel amore*, Eccle. 9. Ergo.

Resp. dist. maj. [1] Nullus potest esse ita certus, etc., seclusa assistentia Spiritus Sancti, conc. ; ea supposita, nego. Dicendum itaque quod Summus Pontifex, cujus est canonisare Sanctos, potest certificari de statu alicujus, non solum per inquisitionem vitæ et attestationem miraculorum, sed præcipue per instinctum Spiritus Sancti, qui *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Inst : Ecclesia in canonisatione Sanctorum innititur testimonio humano quod est fallibile: ergo.

Resp. dist. ant. [2] Innititur testimonio humano tantum, nego; item et præcipue divinæ Providentiæ, quæ præservat Ecclesiam, ne in talibus fallatur, conc.

Dices 2° : Multi honorantur ut sancti qui non sunt : ergo. Prob. ant. Severus Sulpitius, in Vita S. Martini, narrat latronem pro sancto honorari. Alexander III citatus refert hominem in ebrietate occisum pro sancto coli. In

[1] Quodlib. 9, a. 16, o.

[1] Ib. ad, 1. — [2] Ib. ad 2.

martyrologio Usuardi recensetur inter Sanctos Eusebius Cæsariensis, quem constat fuisse arianum, imo arianorum principem, juxta S. Hieronymum, lib. 2 *adversus Rufin.* c. 14. Item opponuntur hæc verba S. Augustini: «Multa corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna» : ergo.

Resp. dist. ant. Multi honorantur ut sancti ab aliqua particulari ecclesia qui non sunt, conc.; ab universa Ecclesia, nego. Et sic intelligenda sunt quæ proponuntur in objectione. Adde quod verba quæ citantur ex S. Augustino, juxta Sylvium, in eo non reperiantur; possent insuper intelligi de cultu civili, ut de magnificis sepulchris, de orationibus funebribus et similibus.

Inst: Martyrologia proponuntur toti Ecclesiæ : ergo.

Resp. dist. ant. Martyrologia proponuntur toti Ecclesiæ, ut omnes quos referunt colantur ut sancti a tota Ecclesia, nego; ut noscantur qui in certis locis colantur, conc. Unde Ecclesia aliquando emendat martyrologia.

Dices 3°: Nullum est inconveniens quod aliquis non sanctus, qui creditur sanctus, colatur ut sanctus: ergo. Prob. ant. Cultus alicujus sancti, cum sit actus virtutis practicæ, nempe religionis, regulari debet judicio practice, etsi non speculative vero : atqui ad veritatem judicii practici sufficit quod attentis circumstantiis prudenter judicetur hunc esse sanctum, licet revera non sit : paritas est in hostia non consecrata, quæ cum prudenter judicatur consecrata, adoratur ut talis : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. maj. Cultus alicujus sancti debet regulari judicio practice vero, supposito judicio Ecclesiæ speculativo, conc.; eo secluso, nego. Ideo enim fidelis judicat practice aliquem esse colendum, quia judicavit Ecclesia hunc esse sanctum : est autem grave inconveniens quod Ecclesia erret in tali judicio quod spectat omnes fideles: id enim repugnat, ut probatum est, ejus infallibilitati in doctrina morum, ejus sanctitati et honori. Et hinc patet disparitas : Ecclesia enim non judicat hanc hostiam esse consecratam. Altera disparitas est quod Christus adoretur sub speciebus; quod si non sit, ut creditur, sub illis, subsistit tamen et est verum objectum adorationis ; at si colatur sanctus qui non est, non erit objectum cultus, sed potius execrationis. Si dicas Deum etiam coli in Sanctis, ita est, sed etiam Sancti coluntur et invocantur.

Inst. 1°: Ecclesia potest errare in proponendis reliquiis absque gravi inconvenienti : ergo in proponendis Sanctis.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod Sanctus sit objectum directum cultus, cultus autem reliquiarum directe fertur in Sanctum, qui sit revera Sanctus.

Inst. 2° : Sic Ecclesia proponit aliquam ut Sanctam, sicut proponit illam ut virginem : atqui errare potest in qualitate virginitatis : ergo.

Resp. 1° dist. maj. Sic Ecclesia proponit aliquam ut sanctam, sicut proponit illam ut virginem, si ita exprimat, conc.; secus, nego. Non autem ita exprimit Ecclesia nisi specialibus miraculis constet de virginitate ; sed communiter proponitur ut sancta : verum est quidem quod, si non constet non fuisse virginem, assumatur officium de virgine, quia præsumitur virgo : quod si ita non sit, iste error non est tanti momenti, nec majus est inconveniens quod aliquid indebitum tribuatur alicui vere Sanctæ, quam quod subtrahatur ei debitum, legendo officium de vidua. 2° Omissis præmissis, nego. conseq. Quia longe majus est inconveniens pro tota Ecclesia, quod quæ non est sancta proponatur ut sancta, quam quod quæ non est virgo proponatur ut virgo, modo sit revera sancta ; subsistit enim tunc verum objectum cultus.

Dico 2°: Non videtur esse de fide quod Ecclesia sit infallibilis in canonisatione Sanctorum, consequenter neque quod ab Ecclesia canonisatus sit sanctus et beatus.

Prob. prima pars 1° ex Auctore[1] qui judicium Ecclesiæ in canonisatione Sanctorum ponit medium inter judicium Ecclesiæ de rebus fidei et judicium de factis particularibus, et dicit, non quod sit de fide, sed sit « pie credendum quod in his judicium Ecclesiæ errare non possit. »

2° Quamvis sit fide certum Ecclesiam esse infallibilem in communi doctrina morum, non est tamen eadem fide certum canonisationem Sanctorum pertinere ad communem doctrinam morum, neque id omnes concedunt : ergo.

3° Nulla extat Ecclesiæ definitio de sua infallibilitate, ut fidei divinæ, in canonisatione Sanctorum, neque id ex ejus praxi colligi potest.

Hinc sequitur secunda pars ; si enim non sit de fide quod Ecclesia sit infallibilis canonisando aliquem : ergo a fortiori neque quod iste canonisatus sit sanctus, cum aliunde id non sit re-

[1] Ibid 0.

velatum neque immediate, ut per se patet, neque mediate in ipsa infallibilitate Ecclesiæ; cum, ut dictum est, non sit certa de fide.

Dices: S. Th. citatus dicit quod « Honor, quem Sanctis exhibemus, sit quædam professio fidei qua Sanctorum gloriam credimus »: atqui fides qua credimus gloriam Sanctorum est divina: ergo fides, qua credo hunc Sanctum et illi exhibeo honorem, est divina.

Resp. neg. conseq. Ex hoc enim quod fides de gloria Sanctorum in communi, quam protestor exhibendo illis honorem, sit divina, quia gloria Sanctorum in communi est revelata, non sequitur quod fides de isto particulari canonisato, quam protestor exhibendo illi honorem, sit divina, quia non est revelatum quod iste sit sanctus.

Itaque credimus infallibilitatem Ecclesiæ in canonisatione Sanctorum, et hunc quem canonisat esse sanctum et beatum, non fide divina, neque pure humana et fallibili, sed fide ecclesiastica infallibili fundata in assistentia Spiritus Sancti.

Neque dicas hanc assistentiam Spiritus Sancti esse ipsam revelationem; aliud enim est assistere alicui ne erret loquendo, aliud revelare illi quid loquatur; patet in definitionibus conciliorum, quibus assistit Spiritus Sanctus, ne errent definiendo, et tamen non ipsis revelat suas definitiones, alioquin patres forent scriptores sacri, et definitiones eorum forent Scriptura Sacra et verbum Dei, ut jam alibi observavimus.

Hinc inferes quod qui negaret aliquem ab Ecclesia canonisatum esse sanctum et in gloria non esset hæreticus; sed esset 1° temerarius, quia contradiceret communi Ecclesiæ sensui in re fundatissima, et cujus oppositum non habet idoneum fundamentum: « Insolentissimæ est insaniæ, inquit S. Aug. *Epist.* 118, disputare an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit »; 2° esset scandalosus, quia retraheret fideles a cultu Sanctorum; 3° impius, quia faceret injuriam Ecclesiæ et ipsis Sanctis; 4° saperet hæresim sectariorum, qui irrident canonisationes quas facit Ecclesia, et negant cultum ac invocationem Sanctorum.

DISSERTATIO IV.

De summo Pontifice.

ARTICULUS I.

DE PRIMATU SANCTI PETRI.

Suppono 1° Christum ascendentem in cœlum non abdicasse omnem potestatem quæ ipsi data est in cœlo et in terra, sicque remanere caput Ecclesiæ principale; est enim sacerdos in æternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, influens in nos charismata gratiarum et potens per semetipsum salvare accedentes ad Deum: unde non habet in terris successorem: successor enim est qui sic succedit in locum alterius, ut iste alter non habeat amplius auctoritatem quam prius habebat.

Suppono 2° Christum, subtrahendo fidelibus suam præsentiam corporalem, non sic sibi suam potestatem retinuisse, ut vicarium sui visibilem in terris pro regimine Ecclesiæ non reliquerit: Ecclesia enim, cum sit corpus visibile, indiget rectore qui in casibus emergentibus videri, adiri et audiri possit.

Quærimus itaque quem Christus instituit sui vicarium et caput totius Ecclesiæ cum potestate illam regendi? An unum Petrum? An omnes ex æquo Apostolos? Hoc ultimum prætendunt novatores ex odio in Romanam ecclesiam: cum enim Pontifex Romanus non habeat aliam jurisdictionem quam eam quam habuit Petrus cujus est successor, si Petrus nullam habuerit in Apostolos, et ex æquo cum illis sit Ecclesiæ præfectus; ita Romanus pon-

tifex non habet primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam, sed cum episcopis, inter quos est sicut primus inter pares.

Circa medium sæculi præteriti prodierunt duo libelli coæquantes Paulum Petro in regimine Ecclesiæ, et constituentes duo capita quæ coalescerent in unum : hos confixit Innocentius X, 24 Januarii 1647. Igitur contra hos omnes

Dico: Petrus isque solus est institutus a Christo caput visibile totius Ecclesiæ : sive, soli Petro concessus est a Christo primatis non solum honoris et dignitatis, sed potestatis et juridictionis in Apostolos et universam Ecclesiam.

Prob. 1° ex duplici loco S. Scripturæ. Primus est Matth. 16, ubi Christus Petro, præ cæteris Apostolis confitenti quod esset Filius Dei, extemplo vices et præmium confessionis rependens, dicit ipsi : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est; et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Quibus verbis sensu obvio acceptis significatur primatum jurisdictionis in Ecclesiam conferri Petro sub duplici metaphora, scilicet fundamenti et clavium ; quod enim est in ædificio fundamentum, hoc est, in corpore caput, in civitate rector, rex in regno, paterfamilias in domo, et cui traduntur claves, ipse instituitur rex aut gubernator civitatis. Subsumo : Atqui hæc verba nulli alteri ex Apostolis quam Petro convenire possunt : ergo. Prob. min. Nullus præter Petrum confessus fuerat divinitatem Christi, nullus præter ipsum poterat dici « Simon Barjona », seu filius Jonæ, nullus præter ipsum vocatus est « Cephas », quod interpretatur saxum, petra, seu rupes : non enim dixit Christus, ut habet versio latina: « Tu es Petrus », sed syriace loquens : « Tu es Cephas », hoc est, tu es saxum seu petra, et super hoc saxum seu hanc petram, ubi pronomen « hanc » manifeste indicat petram de qua prius facta est mentio, quasi diceret; « Tu es petra super quam ædificabo Ecclesiam meam» : ideo autem latinus interpres vertit: « Tu es Petrus », et non, « Tu es Petra », quia secutus est codicem græcum, qui habet Ρετρος, græce vero tam Ρετρος quam petra significant lapidem, et visum est interpreti latino convenientius homini tribuere nomen masculinum « Petrus » quam fœmininum « Petra » : ergo his verbis soli Petro concessus est primatus jurisdictionis in totam Ecclesiam.

Ita etiam hunc locum interpretantur omnes fere Patres : Origenes, Hom. 5 in Exod. Tertull., de Præscript. c. 21. S. Basilius, ad cap. 2 Isaiæ. Nazianzenus, Orat. 21. S. Chrysosto., Hom. 2, de Pœnit. in Psal. 50. S. Cyrillus Alexan., l. 2 in Joan. c. 12. Epiphanius, Hæresi 59. Cypr., Epist. 40, 57 et 71. S. Hieron. Adversus Pelagian. c. 4. S. Hilarius, c. 26 in Matth. Denique S. Augustinus, quem opponunt sectarii, in Psal. 69 ; « Petrus, inquit, qui paulo ante eum confessus erat Filium Dei, et in illa confessione appellatus erat Petra super quam fabricaretur Ecclesia, etc. » Et Serm. 29, *de Sanctis :* « Solus inter Apostolos meruit audire : Amen dico tibi quia tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam : dignus certe qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum. » Confer quæ dicam in solutione primi argumenti.

Alter locus Evangelii est Joan. 21, ubi Christus quod promiserat Petro Matth. 16 citato propter excellentem divinitatis confessionem, de facto confert post trinam singularis amoris confessionem : *Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Constat 1° hæc verba, ut ante, non posse alteri convenire quam Petro, designatur enim nomine proprio et patris, « Simon Joannis », ter ipsum interrogat Christus, ut trina confessio responderet trinæ negationi, ipsum interrogando excludit cæteros dicens : *Diligis me plus his,* ideoque ipse Petrus proprio et non aliorum nomine respondit; *Tu scis, Domine, quia amo te ;* cum aliunde scire non posset an alii ipsum diligerent. Constant 2° universalem Ecclesiam regendam esse ipsi commissam : non enim committit illi has aut illas oves seu agnos, sed indefinite *oves meas, agnos meos* : omnes autem fideles sunt oves Christi vel agni ; per agnos significatur populus, per oves pastores : unde S. Bernard. lib. 2. *de Consid.* cap. 8 : « Cui, inquit, non dico episcoporum sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves ? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas ? Illius vel illius populos civitatis aut regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes ? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. » Et Eucherius Lugdunensis, vel alter antiquus episcopus gallicanus, *Serm. de*

natali Apostolorum Petri et Pauli : « Prius, inquit, agnos, deinde oves commisit ei ; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit : pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, regit et subditos et prælatos ; omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est. » 3° Constat his verbis Petro summam potestatem in omnem Ecclesiam esse collatam, quia ad officium pastoris pertinent non solum gregi cibum præbere, sed ipsum ducere, reducere, tueri, regere, corrigere, etc. « Pascere oves, inquit Auctor in Catena, est credentes in Christo, ne a fide deficiant, confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, et exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, adversariis obsistere, errantes subditos corrigere. »

Atque item hunc locum exponunt communiter SS. Patres ; præter jam citatos, Origenes in cap. 6 epist. Rom. Ambrosius, lib. 10 in Lucam ad cap. 24. Gregorius Magnus, lib. 4 epist. 32, etc.

Prob. 2° traditione quam testantur Patres laudati et concilium Chalcedonense act. 3, ubi dicitur de S. Petro : « Qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ et rectæ fidei fundamentum. » Patebit adhuc amplius ex dicendis art. subseq.

Prob. 3° ex prærogativis Petro concessis : 1° ex nominis mutatione : cum enim antea vocaretur Simon, jussit Christus ut vocaretur «Cephas », id est, saxum, petra vel rupes super quam fundaret Ecclesiam ; 2° ex eo quod regulariter in S. Scriptura, Matth. 10, Marc. 3, Luc. 6, Act. 1, primus inter Apostolos recenseatur, non ratione vocationis aut ætatis ; Andreas enim ejus frater fuit prius vocatus ; et, secundum Epiph., Hæresi 51, erat natu major: ergo ratione auctoritatis et primatus ; 3° ex eo quod S. Scriptura loquatur de Petro, ut de capite ; sic Marci 1 :*Simon et qui cum illo erant.* Lucæ 8 et 9: *Dixit Petrus, et qui cum illo erant.* Act. 2 : *Petrus et undecim.* Ibid. 5 : *Petrus et Apostoli.* 4° Primum concilium in electione S. Mathiæ convocavit Act. 1. In alio concilio de observatione legalium primus sententiam dixit.

Prob. 4° ratione theologica : [1] Christus in Ecclesia instituit regimen monarchicum, in quo unus extat supremus princeps, qui plena auctoritate rerum summam administrat : ergo non instituit ex æquo omnes Apostolos totius Ecclesiæ principes et rectores, sed unum duntaxat inter illos. Quis autem iste unus, nisi Petrus, ut ex dictis patet ; nec alium assignant hæretici.

Prob. multipliciter ant. 1° Ecclesia, Daniel. 2, comparatur regno, Cantic. 6, exercitui ordinato, 1 Pet. 3, navi, Joan. 10, ovili : atqui hæc omnia ab uno supremo moderatore gubernantur : ergo.

2° [1] Nulli dubium esse debet quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum « per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt », Proverb. 8. Atqui optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum : ergo. Prob. min. ex fine regiminis qui est pax et unitas subditorum : atqui unus est congruentior causa unitatis et concordiæ quam multi ; quia unum est per se causa unitatis, multa autem tantum per accidens, quatenus aliquo modo uniuntur ; manifestum est enim quod plures non possunt unire et concordare, nisi ipsimet aliquo modo conveniant et uniantur : ergo.

3° [2] Quamvis populi distinguantur per diversas diœceses et civitates, tamen sicut Ecclesia est una, ita oportet esse unum populum christianum : sicut ergo in uno populo speciali unius Ecclesiæ requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo Christiano requiritur quod unus sit totius Ecclesiæ caput.

4° [3] Ad unitatem Ecclesiæ requiritur quod omnes fideles in fide conveniant : atqui contingit oriri difficultates circa ea quæ sunt fidei ; per diversitatem autem sententiarum, quæ a diversis oriri possunt, divideretur Ecclesia, nisi per unius sententiam in unitate conservaretur : ergo requiritur ad unitatem Ecclesiæ conservandam quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit.

5° [4] Ecclesia militans ex triumphante derivatur per similitudinem : unde Joannes. Apocal. 21: *Vidit Jerusalem descendentem de cœlo :* atqui in Ecclesia triumphante unus præsidet omnibus, qui etiam in toto universo præsidet, scilicet Deus : ergo.

Si quis dicat in Ecclesia esse unum caput, scilicet Christum, resp.[5] id non sufficere ; quia, licet Christus semper sacramenta ministret et perficiat, juxta illud Joan. 1: *Hic est qui baptizat*, cum tamen suam præsentiam corporaliter visibilem substracturus esset, constituit ministros, qui sacramenta visibiliter ministrarent : ergo similiter oportuit quod ali-

[1] 4. Cont. Gent. c. 76.

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Ibid. [5] Ibid.

quem constitueret qui, loco sui, universalis Ecclesiæ curam gereret.

Si reponat: Ad perfectionem regiminis politici non est necesse quod in universo sit tantum unus monarcha : ergo similiter in regimine spirituali totius Ecclesiæ. Item Deus non præfecit ab initio regem populo suo israelitico : ergo.

Resp. ad primum : Disparitas est quod non sit necesse in universo esse unum tantum regnum : Ecclesia vero, in universo diffusa, est unum regnum, quod ideo regi debet per unum 2° Non est necesse quod totus orbis iisdem legibus regatur : at tota Ecclesia debet idem credere, iisdem sacramentis uti, et eadem Christi præcepta servare, quæ omnia fieri non possunt, nisi sit unum Ecclesiæ caput.

Ad secundum[1] : Quamvis regnum sit optimum regimen populi, si non corrumpatur ; quia tamen, propter magnam potestatem quæ regi conceditur, de facili degenerat in tyrannidem, nisi perfecta sit virtus ejus, cui talis potestas conceditur : Judæi autem crudeles erant et in avaritiam proni, per quæ vitia maxime homines in tyrannidem decidunt ; ideo Deus a principio Israelitis regem non instituit cum plena potestate, sed judicem et gubernatorem in eorum custodiam.

Verum[2] , quia ad bonitatem regiminis confert quod populi illud ament, quia sic facilius servatur pax, illud autem amant, cum in eo habent aliquam partem, ut in aristocratia et democratia, ideo potest dici quod regimen Ecclesiæ monarchicum sit aliquo sensu temperatum ex aristocratia et democratia : aristocratia, quatenus sub supremo capite plures optimates principiantur, ut patriarchæ, archiepiscopi et episcopi : democratia, quatenus hujusmodi principes possunt eligi ex omnibus : et sic omnes aliquam partem habent in Ecclesiæ regimine.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°: Ex cap. 16 Matth. laudato, nihil erui potest pro primatu S. Petri : ergo. Prob. ant. 1° quia per has particulas : *Et super hanc petram,* non intelligitur S. Petrus, sed Christus ipse, juxta illud. 1 Cor. 10 : *Petra autem erat Christus,* et illud ibib. cap. 3 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* et juxta S. Aug. qui *Tract. ult. in Joan.* dicit : « Super hanc petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam » : et serm. 13 *de Verbis Domini :* « Tu es ergo Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam, super me ædificabo te, non me super te » : ergo.

Prob. 2° idem ant.: Esto hæc verba ad Petrum aliquo modo referri, non tamen ad ejus personam, sed ad ejus fidem seu confessionem, ita ut sensus sit : Et super hanc confessionem Petri ædificabo Ecclesiam meam : ita S. Hilarius lib. 9 *de Trinit.* ; « Super hanc igitur, inquit, confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est.» Similiter S. Cyrillus Alexandrinus, lib 4 de Trinitate, et S. Chrysost. Hom. 55 in Matth. Ergo.

Prob. 3° idem ant. ; Ista verba : « *Tibi dabo claves regni cœlorum* », non referuntur ad personam Petri singulariter, sed ad Ecclesiam, ita ut claves sint collatæ Petro nomine Ecclesiæ, juxta illud. S. Augustini, tract. 50 *in Joan*: « Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam significavit » : ergo.

Resp. neg. ant. Ad primam probat. nego ant. Nam 1°, ut observavimus, pronomen relativum « hanc » in his verbis : « Et *super hanc petram* », denotat petram de qua prius facta est mentio : de Christo autem non est facta mentio sub nomine petræ, sed sub nomine filii Dei vivi, bene de Petro sub nomine petræ, « *Tu es Cephas,* seu, *petra* ». 2° Si intelligatur de Christo, fit sensus involutus et intricatus, scilicet « *Tu es Petrus, et super hanc petram* », id est, super me, *ædificabo Ecclesiam meam, et tibi* Petro *dabo claves regni cœlorum ;* quo nihil est intricatius, et a sensu naturali magis alienum. 3° Post confessionem Petri et hæc verba, *Beatus es Simon Barjona,* Christus adjecit : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* tanquam clausulam præcedentium, et ut præmium confessionis Petri, ut patet. Ergo ad ipsum referuntur, et non ad Christum. 4° Si ad Christum referrentur, non dixisset ædificabo, sed ædifico, quia jam tunc in se ædificaverat Apostolos et discipulos multos. Ex quibus patet hunc sensum esse prorsus contortum, a sensu obvio alienum, et ideo nullatenus admittendum : adde quod sit contrarius interpretationi communi SS. Patrum, ut vidimus.

Ad primam auctoritatem : Ex eo quod, loco citato Apostoli, per petram intelligatur Christus, non sequitur quod ubicumque petra ponitur intelligatur Christus; est enim proprium nominibus metaphoricis, ut secundum diversas circumstantias diverso sensu accipiantur :

[1] 1. 2. q. 185. a 1. ad 2. [2] Ibid.

sic aliquando in S. Scriptura sub nomine leonis Christus intelligitur, non tamen ubicumque ponitur leo significatur Christus; hic autem per petram non significari Christum sufficienter probatum est.

Ad secundam autoritatem : Apostolus loquitur ibi de primario et principali fundamento, non de secundario et ministeriali, alias sibi contradiceret, cum Ephes. 2 dicat: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.*

Inferes : Ergo saltem cæteri Apostoli sunt cum Petro fundamenta secundaria Ecclesiæ, et sic nihil habemus speciale pro Petro, ex cap. 16 Matth.

Resp. dist. illatum : Cæteri Apostoli sunt cum Petro fundamenta secundaria Ecclesiæ sed diverso jure, conc.; eodem jure, nego. Itaque cæteri Apostoli sunt et dicuntur fundamenta Ecclesiæ, quatenus doctrinam evangelicam sibi revelatam ubique disseminarunt, miracula ediderunt, Spiritum Sanctum contulerunt, ecclesias fundarunt, eas rexerunt, episcopos instituerunt, sed hæc præstiterunt ut Apostoli et delegati jure extraordinario ; Petrus autem jure ordinario ut pastor ordinarius et supremum caput, cui cæteri Apostoli subordinabantur, et ipse illis non subordinabatur : et hoc est quod illi soli, cap. 26 Matth., promittitur, cum illi soli præ aliis et coram aliis dicitur : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* ut interpretantur communiter SS. Patres, ut hucusque vidimus et videbimus infra. Hinc S. Hieronymus, lib. 1 *cont. Jovin.* cap. 14 : « Licet, inquit, super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus elligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio. » Confer solutionem quartæ object. de S. Cypriano.

Ad S. Augustinum : Equidem S. Doctor utramque expositionem tradidit, idque ipse agnoscit lib. 1 *Retract.*, cap. 21, ubi neutram alteri præponit, sed judicio lectoris relinquit : « Harum duarum sententiarum, inquit, quæ sit probabilior, eligat lector, dicitque nostram cantari ore multorum in versibus S. Ambrosii» ; et cum sit longe conformior textui, ut probatum est, eamque communiter tradant SS. Patres, omnino præferenda est.

Si petas cur S. Augustinus hanc alteram expositionem, ut in instantia, pluribus in locis tradiderit ?

Respondent quidam id contigisse ex ignorantia linguæ hebraicæ seu syriacæ, ratio enim quam loco citato Retract. adfert S. Doctor cur hæc verba : *Et super hanc Petram,* ad Christum et non ad Petrum retulerit, est quia, inquit, « non est dictum illi (Petro) tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus », existimans *Cephas* non significare petram, sed aliquid derivatum a petra, quasi petrinum, ut saxeum a saxo, hacque de causa latinum interpretem vertisse *Tu es Petrus,* et non, *Tu es petra :* et quia Ecclesia super petram et non super aliquid petrinum est ædificanda, existimavit S. Augustinus per illam petram, non intelligi Petrum sed Christum, de quo dictum est, *Petra erat Christus :* si ergo S. Doctor advertisset *Cephas* nihil aliud significare quam petram aut saxum, et Christum dixisse, *Tu es petra et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* procul dubio expositionem nostram ubique secutus fuisset.

Respondet noster Natalis Alexander, dissert. 4 sæculi 1, § 3, obj. 1, S. Augustinum hæc verba: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* retulisse ad Christum, quia contra Donatistas agebat qui sacramentorum vim in ministrorum sanctitate collocabant : unde timens ne, si Ecclesia in Petro fundata diceretur, homines de sanctitate ministrorum Ecclesiæ præsumerent, ac super eos spiritale fundarent ædificium, totam fundamenti rationem ad Christum revocavit. Hoc scrupulo adductum S. Augustinum eam amplexum fuisse interpretationem, constat ex loco in objectione laudato Serm. 13 *de Verbis Domini,* ubi, post verba ibidem recensita, subjungit : « Nam volentes homines ædificari super homines dicebant : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ipse est Petrus ; et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram : Ego autem sum Christi. » Quamobrem addit paulo post laudatus Alexander: « Illa S. Augustini expositio eo tantum spectat ne existimemus Petrum propria virtute et seorsim a Christo Ecclesiam ædificasse. » Christum itaque causam, principem et præcipuum in ædificatione Ecclesiæ fundamentum S. Augustinus agnoscit, sed S. Petrum fundamentum esse a Christo secundum, præcipui ministerii ratione, minime diffitetur : unde hoc ipso in loco S. Petrum « primum et præcipuum Apostolorum » vocat, ejus Apostolatus principatum » verbis magnificis commendat. Hucusque laudatus auctor, quibusdam omissis, cujus explicationi favent etiam ultima verba in objectione : « Super me ædificabo te, non me super te », quæ innuunt S. Augustinum

negare tantum S. Petrum esse fundamentum primarium Ecclesiæ.

Ad secundam probat. ant. dist. ant.; Hæc verba : « *super hanc petram* », etc. referuntur ad confessionem Petri, ut ad causam meritoriam promissionis, conc.; ut ad subjectum cui fit promissio, nego. Quando ergo SS. Patres dicunt hæc verba referri ad confessionem Petri, seu super confessionem Petri Ecclesiam ædificari, non sumunt confessionem in abstracto et seorsim a Petro, sed in concreto pro Petro confitente, ita ut confessio sit ratio propter quam promittatur hæc prærogativa, Petrus vero persona cui promittitur. Sic dum S. Hieronymus, *Epist.* 61, de eodem Petro loquens, dicit super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem, non negat corpus Petri vere ambulasse super aquas, sed vult hoc miraculum, non agilitati corporis Petri, sed ejus fidei esse tribuendum; ita in nostro casu. Unde ipse Hilarius, cujus verba objiciuntur apud S. Thomam in Catena, dicit : « Dignum plane confessio Petri præmium consecuta est » : et postea: « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum ! »

Ad tertiam probat. ant.; S. Augustinus dicit claves esse collatas Petro nomine Ecclesiæ, quia illas non accepit ut privata persona, sed ut caput Ecclesiæ et propter ejus utilitatem; quod autem conceditur capiti propter corpus, censetur corpori concessum. Unde ipse S. Augustinus, tract. 124 *in Joan.*, dicit : « Petrus Apostolus, propter apostolatus sui primatum, Ecclesiæ gerebat, figurata quadam generalitate, personam. » Figurata autem expositio non impedit veritatem historiæ: sic, juxta eumdem S. Augustinum in Psal. 108, Judas erat figura malorum, sicut Petrus ratione primatus erat figura Ecclesiæ : sicut ergo Judas vere personaliter prodidit Christum, ita Petrus vere personaliter accepit claves.

Inst. : Saltem verba Christi ad Petrum ad omnes Apostolos referri debent : ergo. Prob. ant. Christus interrogabat omnes : *Vos autem quem me esse dicitis*, et Petrus nomine omnium respondet: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Ergo et ipse Christus respondet Petro et in ipso omnibus aliis quos interrogaverat, *Beatus es Simon Barjona*, etc.

Resp. neg. ant. Ad probat. nego. conseq. Quia 1° Christus respondens confessioni Petri omni modo significat se Petrum specialiter alloqui ; appellat ipsum omnibus propriis nominibus quibus ab aliis distinguitur, nomine nativitatis *Simon*, nomine patris *Barjona*, nomine quod illi imposuit, *Cephas* : dicit illi specialiter præ aliis, *tibi dabo*, assignat causam promissionis, scilicet eminentem confessionem a Deo inspiratam quam ipse solus fecit : potuissetne magis specialiter ipsum ab aliis distinguere, designare, indicare ? Possetne scriba vel notarius specialius designare hominem quem vult intelligi in testamento vel actu publico? 2° Quamvis Christus omnes interrogaverit, quamvis Petrus omnium nomine responderit, non tamen provinciam ab aliis acceperat sic respondendi, nec quidquam alii ad ejus responsum concurrerant, cum non caro et sanguis, sed Pater cœlestis ipsi revelasset ; sed ex proprio fundo, ex proprio merito, ex proprio sibi facto privilegio respondit supplens aliorum defectum : unde ipsi soli et non aliis assignari debet privilegium responsionis Christi. Enim vero si rex belliduces congregatos de re bellica interroget, et uni aliorum nomine apte respondenti rex dicat : Creo te mareschallum ; num forte omnes erunt creati mareschalli? An non ipse solus respondens ?

Repones : Christus alibi, scilicet Matth. 18, cæteris Apostolis parem ac Petro contulit potestatem, cum illis dixit : *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo*, etc. ergo.

Resp. 1°. neg. ant. Potestas enim clavium Matth. 16 tradita Petro est quid majus et superius ad solam potestatem ligandi et solvendi, quippe quæ est tantum actus inadæquatus clavium, ut late probat Cajetanus, de primatu summi Pontificis cap. 5 et 7. Igitur collatio clavium cœlorum tribuit potestatem faciendi omnia quæ ad regimen cœlorum pertinent, et tollendi omnia impedimenta quæ ejus ingressum prohibent; ad hoc autem necessarium est aliquando veritates fidei determinare, hæreses damnare, schismata compescere, concilia convocare, principes religioni noxios deterrere, hunc monere, illi jubere aut prohibere, etc. Hæc autem non continentur sub præcisa ratione ligandi et solvendi, quæ sunt tantum actus judiciales, vel in foro conscientiæ.

Resp. 2°: Esto per illa verba Matth. 18: *Quæcumque solveritis*, etc. Apostolis parem ac Petro potestatem esse promissam (non enim tunc fuit collata, cum tunc nondum erant episcopi, sed Joan. 20 cum Christus dixit illis: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*, etc. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, etc.) alia tamen et alio modo Apostolis et Petro promissa et collata est; Apostolis

ut delegatis, Petro ut pastori ordinario, illis dependenter et subordinate Petro, huic independenter et supreme. Eccur enim, ut jam observavi, Matth. 16 soli Petro coram aliis dicitur : *Tibi dabo claves,* etc., et Joan. 21 : *Pasce oves meas,* idque ob singularem ejus fidem et dilectionem, si nihil præ cæteris acceperit?

Obj. 2° : Neque ex his verbis Joan. 21 : *Pasce agnos meos, pasce oves meas,* aliquid evinci potest pro primatu Petri : ergo. Prob. ant. Quod Christus dixit Petro : *Pasce oves meas,* omnibus dixit : ergo. Prob. ant. 1° quia ipse Petrus, *Epist.* 1, cap. 5, dicit episcopis : *Pascite qui in vobis est gregem Dei :* et Act. 20 Paulus dicit : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei;* 2° quia S. Augustinus, lib. 6 *de agone christiano,* cap. 30 : « Cum ei, inquit, Petro scilicet, dicitur, ad omnes dicitur, amas me? pasce oves meas » : ergo.

Resp. neg. ant. Ad. probat. dist. ant. Quod Chistus Petro dixit : *Pasce oves meas,* omnibus dixit, quantum ad gregem, determinatum, transeat; quantum ad omnes generaliter, sicut dictum est Petro, nego. Unde ipse Petrus in epistola non dicit simpliciter : *Pascite gregem,* sed : *Pascite gregem qui in vobis est,* id est gregem particularem vobis commissum : et hoc sensu etiam intelligendus est S. Augustinus, nisi cum aliis sic intelligas « dicitur ad omnes », id est, ad omnes Petri successores, non ad omnes Apostolos. Cæterum constat de mente S. Augustini. qui, lib. *de Pastoribus,* cap. 13, dicit : « Multi erant Apostoli, et uni dicitur : *Pasce oves meas.* »

Obj. 3° plura ex S. Sripturis : 1° Christus Matth. 28, et Joan. 20, æqualiter mittit omnes Apostolos et omnibus pariter dicit : *Sicut misit me vivens Pater et ego mitto vos, euntes ergo docete omnes gentes,* etc.; 2° Lucæ 22, Apostolos de primatu contendentes redarguit; si autem Petro fuisset collatus primatus, de llo non fuiss et contentio, et Christus non sic increpasset, innuens nullum esse inter eos altero majorem, sed Petrum indicasset; 3° Act. 8, Petrus missus fuit ab Apostolis : non est autem superioris mitti ab inferioribus. 4° Non legitur Petrum ullum actum jurisdictionis exercuisse in Apostolos; 5° Dum nominantur Apostoli, Petrus non semper ponitur primo loco; sic Epist. Galat. 2 : *Jacobus et Cephas et Joannes.* 1 Cor. 9 : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicuti et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas.* Joan. 1 : *Erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreæ et Petri :* ergo.

Resp. ad primum ex missione Apostoiorum sequi eos pares fuisse Petro in ratione Apostolatus, non in ratione officii pastoralis. Patet ex præcedentibus.

Ad secundum : Christus redarguit Apostolos contendentes de primatu temporalis dominationis ex ambitione quæsito, ut patet ex verbis subjunctis : *Reges gentium dominantur eorum,* scilicet, cum sæculari fastu, intendentes propriam gloriam et propriam utilitatem magis quam bonum commune, *vos autem non sic.* Porro Petrus non quæsierat primatum ex ambitione, et erat primatus spiritualis, quem nondum satis intelligebant Apostoli, præsertim cum tunc nondum esset ipsi collatus, sed tantum promissus.

Ad tertium : Apostoli miserunt Petrum non imperio, sed consilio, non jubendo, sed consulendo et suadendo, sicut capitula quandoque mittunt suos præpositos, imo regis consiliarii regem pro rerum gerendarum gravitate et exigentia.

Ad quartum 1° nego. ant. Nam S. Petrus convocavit Apostolos in electione S. Mathiæ, et primus dixit sententiam in concilio de observatione legalium. Insuper non omnia quæ fecit Petrus scripta sunt. 2° Dato ant. nego conseq., tum quia, cum Apostoli a Spiritu Sancto ducti optime se gererent, non erat opus quod Petrus in eos suam exerceret jurisdictionem ; tum quia ab actu ad potentiam non valet argumentum negative.

Ad quintum : 1° Nego conseq. Quia, licet non semper Petrus ponatur primo loco, sæpius tamen ponitur ex probationibus conclusionis. 2° Non obstant quæ opponuntur : in primo textu Jacobus ponitur primo loco, quia quæ ibi narrantur peracta erant Jerosolymis, ubi Jacobus erat episcopus : secus in aliis : sic idem Apostolus, eadem epistola ad Galat. 1, refert se post annos tres ascendisse Jerosolymam videre Petrum; non dicit Jacobum, quamvis tunc esset Jerosolymorum episcopus. Et ideo S. Ambrosius ad hæc verba : « Dignum erat, inquit, ut videret Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam ecclesiarum. » Ex S. Hieronymo, ibid., venit Paulus videre Petrum, « non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi. » Item S. Chrysostomus, Homil. 37 *in Joan.* : « Quia os Apostolorum Petrus erat, princeps et vertex ipsius cœtus, propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis. » Secundus textus

non nocet nobis, sed potius favet; arguit enim ibi Paulus a majori ad minus, et dicit : Si Apostoli et, quod plus est Cephas circumducunt mulierem sororem quæ temporalium curam gerat, cur non mihi liceret? In tertio textu agitur de levi facto historico, non pertinente ullo modo ad Apostolatum, nempe ex qua civitate erat Philippus, in narratione autem historica non attenditur scrupulose ad dignitatem.

Obj. 4° ex Patribus : 1° S. Clemens, lib. 1 *Dispositionum*, apud Euseb. lib. 2 hist. c. 1, dicit: « Petrus, Jacobus et Joannes, post ascensionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, tamen non sibi vindicabant primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum episcopum statuerunt. » 2° Hesychius Jerosolym. presbyter, in Oratione in Jacobum fratrem Domini, vocat Jacobum Apostolorum caput et in capitibus verticem, eique tribuit primas in concilio Jerosolymitano. 3° S. Cyprianus, lib. 2 *de Unitate Ecclesiæ*, dicit : « Hoc erant utique cæteri Apostoli quod fuit et Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. » 4° S. Ambrosius, lib. *de Incarnat.* c. 4, dicit : « Hic (S. Petrus) ubi audivit : *Vos autem quem me esse dicitis,* loci non immemor sui, primatum egit, primatum confessionis utique, non honoris, primatum fidei, non ordinis » : ergo.

Resp. ad S. Clementem, juxta communem eruditorum opinionem, ejus textum apud Eusebium esse interpolatum ; quamvis enim sic legatur in codice Basileensi, attamen in codice Coloniensi et aliis codicibus quos vidit et contulit Valesius, non legitur « primatus » nec « Apostolorum », sed « Jerosolymorum episcopum »: similiter apud Nicephorum, lib. 2 c. 3, sic legitur : « Petrus et Jacobus et Joannes, quos Dominus præcipuo dignatus fuerat honore, post ascensionem ejus, gloriam non affectarunt, sed Jacobum justum Hierosolymorum episcopum elegerunt. »

Ad Hesychium : Ibi agit oratorem, non Sacræ Scripturæ interpretem ; ideo verba ejus accipienda sunt hyperbolice dicta, siquidem ipse in *Oratione in S. Andræam*, apud Photium in Bibliotheca cod. 269, dicat de Petro : « Tu vocaberis Cephas, ante confessionem merces, antequam prædicares coronam accepisti » : nec latebat hunc auctorem, sæculo 5 aut 6, quo floruit, episcopum Jerosolymitanum inter patriarchas ultimum locum habere.

Ad S. Cyprianum, dist.: Dicit cœteros Apostolos fuisse pares Petro consortio honoris et potestatis in ratione Apostolatus, conc.; in ratione episcopatus seu officii pastoralis, neg. Vel cum aliis, fuerunt pares quoad amplitudinem rerum gerendarum, transeat; quoad modum agendi, nego. Itaque quoad auctoritatem Apostolatus fuerunt cæteri Apostoli pares Petro, quia poterant ubivis gentium prædicare, sacramenta ministrare, Spiritum Sanctum impertiri, miracula edere, libros sacros scribere, fundare ecclesias, leges condere et episcopos creare, sed ut delegati et jure extraordinario atque S. Petro subordinati : Petrus autem hæc poterat ut pastor ordinarius, jure suo ordinario, aliis Apostolis non subordinatus, ita ut ipse eorum legibus non adstringeretur, cum ipsi legibus Petri tenerentur, si quas tulisset pro sedando schismate, hæresi comprimenda, vel aliter pro communi Ecclesiæ bono : eo fere modo ac si papa mitteret legatum ad Indos orientales cum plena potestate faciendi omnia quæ videbuntur necessaria vel utilia his missionibus, ipse posset quod papa potest, sed diverso jure, ille ut delegatus et jure extraordinario, papa ut pastor ordinarius et jure ordinario. Hanc esse mentem Cypriani indicant ipsa verba objecta : « Sed, inquit, exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. » Habet ergo Petrus primatum pro servanda unitate Ecclesiæ quæ servari non posset, si non esset primatus auctoritatis et potestatis ad sedandas dissensiones, schismata tollenda et alia mala, quæ Ecclesiæ unitatem lædere possent, removenda. Item, eodem lib. 2 de Unit. Ecclesiæ, aperte pronuntiat hæc Christi verba, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, referri personaliter ad Petrum, et « super unum Petrum esse ædificatatam Ecclesiam. »

Itaque in tribus potestas Petri præcellit potestati cæterorum Apostolorum : 1° quod esset in Petro tanquam in pastore ordinario ad suos successores transmittenda : in Apostolis autem esset ut in delegatis, quatenus necessaria erat exercendo apostolatui in universo mundo, nec ob locorum distantiam facile poterant in casibus emergentibus Petrum convenire; 2° quod potestas Petri se extenderet supra cæteros Apostolos, non potestas Apostolorum supra Petrum ; 3° quod Petrus poterat ferre leges generales pro tota Ecclesia, Apostoli autem particulares pro ecclesiis quas fundabant.

Ad S. Ambrosium : In verbis citatis S. Do-

ctor respexit tantum ad illam celebrem confessionem, qua præ cæteris divinitatem Christi confessus est, ut patet ex primis verbis instantiæ : « Ibi audivit, vos autem quem me esse dicitis » : in qua quidem confessione non egit primatum honoris et ordinis, sed non sequitur quod non obtinuerit et alibi non egerit.

Obj. 5° : Saltem inter Petrum et Paulum videtur fuisse omnimoda æqualitas primatus : ergo. Prob. ant. Apostolus, Galat 2, v. 5, dicit *se neque ad horam cessisse subjectione ;* v. 7, quod *sibi sit creditum evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis;* id est, quod sicut Petrus erat institutus Apostolus Judæorum, ita ipse Paulus erat institutus Apostolus gentium; v.9, quod *Jacobus, Cephas et Joannes...dexteras dederint ipsi et Barnabæ societatis ;* v. 11, quod *Petro restiterit in faciem,* quod non auderet facere, nisi se non imparem sentiret, ut dicitur cap. *Paulus* 2. q. 27 : ergo.

Resp. nego. ant. Præter enim probationes conclusionis quæ militant de Paulo, sicut de cæteris Apostolis, Innocentius X, ut jam innui, 24 Januarii 1647, hanc propositionem : « Sanctus Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes qui unum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coriphæi summa inter se unitate conjuncti, vel sunt geminus Ecclesiæ vertex qui in unum divinissime coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides qui unicum caput constituunt » , ita explicatam ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit et declaravit.

Ad primam probationem : Non de Petro ibi loquitur Paulus, sed de falsis fratribus, de quibus versu præcedenti, qui volebant eum et quos docebat adigere ad observantiam legalium.

Ad secundam : Hæc partitio inter Petrum et Paulum erat quoad prædicationem et Apostolatum tantum, sic ut initio Petrus curam Judæorum gereret, Paulus gentium, quia tunc alio modo erat agendum cum Judæis qui observabant legem, et alio cum gentibus qui non observabant; non vero quoad officium pastorale et potestatem : ita S. Hieronymus in cap. 2 ad Galatas. Neque ita fixa fuit hæc partitio, quin et Petrus gentibus et Paulus Judæis prædicaverit.

Ad tertiam[1] : Sensus ejus non est quod Jacobus, Cephas et Joannes, dederint Paulo locum honoris et eum agnoverint superiorem, alioquin idem dicendum foret de Barnaba, sed sensus est quod, junctis invicem manibus in signum societatis et unionis, admiserint quod Petrus prædicaret Judæis, Paulus et Barnabas gentibus.

Ad quartam : Nihil inde sequitur; licet enim inferiori resistere superiori erranti cum aliorum scandalo, et talis erat error Petri, non in doctrina, sed in conversatione, ut alibi explicuimus. Ad textum juris : Sylvius dicit in quibusdam exemplaribus citari ex S. Hieronymo, in aliis ex S. Augustino, et in neutro inveniri. Cæterum posset explicari de paritate in Apostolatu, non in jurisdictione.

Inst. 1° ex SS. Patribus : S. Epiphanius, *Hæresi* 17, dicit : « Romæ primi omnium Petrus et Paulus Apostoli pariter et episcopi fuerunt. » S. Cyrillus Jerosolym., *Catechesi.* 6 illuminat. tit. de Hæresi, dicit Petrum et Paulum esse « capita Ecclesiæ. » S. Leo, serm. 1 *de natali Apostolorum,* vocat eos Romanæ urbis patres ac pastores. S. Greg., lib. 1 *Dialog.* cap. 12 : « Paulus, inquit, Apostolus, Petro Apostolorum primo frater. » B. Petrus Damianus, *Opusc.* 53 cap. 4, dicit Paulum « præsidere omnibus ecclesiis ad instar Christi » : ergo.

Resp. his omnibus nihil aliud significari quam quod Paulus cum Petro fundaverit ecclesiam Romanam, quod fuerit Petro coadjutor in regimine illius ecclesiæ, et quod in ea tanquam extraordinarius munus episcopale de consensu Petri exercuerit. Unde

Ad S. Epiphanium : Dicit Paulum fuisse episcopum Romæ, quia, ut dictum est, fuit Petri coadjutor in illius fundatione et regimine, in eaque munus episcopale de consensu Petri exercuit : secundum jura autem, eadem est cathedra episcopi et coadjutoris, quia eadem est utriusque auctoritas.

Ad S. Cyrillum : Natalis Alexander, Dissert. 4 in 1 sæculum, dicit Cyrillum vocasse quidem Petrum et Paulum prælatos et protastas, nusquam vero capita Ecclesiæ nuncupasse : imo cum de S. Petro seorsim loquitur Cyrillus, *Catechesi* 11, ipsum vocat non protastam tantum, sed prototastam, id est, primum præsidem et præfectum Apostolici cœtus. Aliunde posset intelligi quod sit caput Ecclesiæ cum Petro, ratione Apostolatus et quia fuit illi coadjutor, non ratione potestatis ordinariæ.

Ad S. Leonem : Vere Petrus et Paulus sunt pastores et patres Romanæ urbis, quia Romanos in fide genuerunt et eos sana doctrina pa-

[1] In Com. super hunc locum.

verunt, non vero quia æqualem potestatem habuerunt, cum ibid S. Leo dicat Romam « per Beati Petri sedem caput orbis effectam », non dicit, « per Beati Pauli sedem », quod non omisisset, si parem in utroque auctoritatem agnovisset.

Ad Gregorium : Nihil colligi potest ex eo quod dicat Paulum fratrem Petri in principatu Apostolico : nam summus Pontifex appellat episcopos fratres, quibus tamen potestatem æqualem suæ non tribuit : sunt et regis fratres, qui non regnant cum illo. Est ergo Paulus frater Petri, sed natu et auctoritate minor : seu, si vis cum aliis, est frater et æqualis in principatu apostolico, ut dicit S. Gregorius, non in principatu pastorali.

Ad B. Petrum Damianum : Dicit Paulum videri omnibus ecclesiis præsidere, tum quia, ut dicit ipse S. Doctor, « nullam specialiter tenet cathedram », sicque Romana non est ipsi assignanda : tum ratione prædicationis, quia « in omnibus fidei semen sparsit », ut dicit iterum idem Damianus, non vero ratione auctoritatis ordinariæ.

Inst. 2° ex usu Ecclesiæ : 1° Summi Pontifices se dicunt successores Petri et Pauli ; 2° in convocatione conciliorum et aliis utuntur his verbis : « auctoritate Apostolorum Petri et Pauli, qua nos quoque in terris fungimur ; » 3° in diplomatum pontificiorum sigillis effigies SS. Petri et Pauli exprimi solet ; 4° et in eis quandoque Petrus, quandoque Paulus dexteram tenet, ut perfecta inter utrumque æqualitas designetur : ergo.

Resp. neg. conseq. Ad primum: Pontifices se dicunt successores Petri et Pauli ; quia Paulus cum Petro fundavit et rexit ecclesiam Romanam tanquam ejus coadjutor, et cum, ut dixi, sit eadem cathedra, et eadem auctoritas pastoris et coadjutoris, utriusque pontifices Romani se dicunt successores.

Ad secundum : Propter eamdem rationem, in convocatione conciliorum et aliis, interponunt auctoritatem Petri et Pauli, item et ratione patrocinii : unde quidam dixerunt : « Et B. Virginis », alii : « et omnium Sanctorum. »

Ad tertium : Propter easdem rationes exprimuntur in sigillis diplomatum effigies Petri et Pauli : brevia tamen sub annulo piscatoris, id est, solius Petri obsignantur, nec aliter recipiuntur in Gallia.

Ad quartum respondet S. Thomas, [1] quia præsens vita signatur per sinistram, futura vero per dexteram ; quia ista est cœlestis, illa vero temporalis ; ideo Petrus, qui vocatus est a Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in bulla in sinistra parte : Paulus vero, qui vocatus fuit a Christo jam glorificato, ponitur in parte dextera. Respondet B. Petrus Damian., *Opusc.* 53, cap. 1, ideo Pauli effigiem poni a dexteris, quia erat de tribu Benjamin ; Benjamin enim hebraice nuncupatur latine filius dextræ. Respondent alii dexteram non esse semper locum honoratiorem in Ecclesia : nam, in concilio Chalcedonensi, Dioscorus, mox deponendus, sedebat ad dexteram, et legati pontificis ad sinistram ; item in sinistro cornu altaris legitur evangelium : item olim dum fœminæ in Ecclesia seorsim a viris orabant, collocabantur a dexteris, et viri a sinistris : unde videtur usum Ecclesiæ in sacris ritibus obtinuisse, ut sinistra dexteræ præferretur, forte ad exprimendam conversionem gentium, quæ Judæis dexteram tenentibus prælatæ sunt. Adde quod in pictis et sculptis imaginibus, id quod est sinistrum sit dexterum et sinistrum sub diverso respectu ; respectu imaginis est sinistrum, respectu inspicientium est dexterum : et sic inde nihil erui potest.

[1] Ad cap. 1. Epist. ad Galat. Lect. 2.

ARTICULUS II.

DE SESSIONE S. PETRI ROMÆ.

Hanc quæstionem historicam hic propono, quia ab ea pendet primatus Romani pontificis a Petro derivatus, articulo sequenti asserendus. Quidam itaque inter calvinistas negant Petrum Romam venisse. Alii Romam venisse concedunt, sed negant fuisse episcopum Romanum : alii tandem dicunt quod esto fuerit episcopus Romanus, hanc ecclesiam non rexerit usque ad obitum, sed quod eam deseruerit sicut Anthiochenam ; consequenter Romanum pontificem non esse Petri successorem in ejus primatu.

Pro faciliori intelligentia hujus quæstionis, et quarumdam objectionum solutione, præmitto chronologiam vitæ S. Petri. S. Petrus quatuor ferme annis a passione Christi mansit in Judæa : anno quarto, qui fuit Tiberii ultimus, Antiochiam se contulit, ibique sedem erexit, ex Chronico Eusebii et Alexandrino. Septem annis mansit Antiochiæ episcopus ex S. Gregorio, lib. 6, Epist. 37 ad Eulogium. Hinc profectus anno a passione Christi undecimo, rediit Jerusalem, et illic ab Herode in vincula conjectus est diebus azymorum. Inde paulo post ab angelo liberatus eodem anno, qui

erat Claudii secundus, Romam perrexit, ibique sedem constituit in ævum mansuram. Septimo Romanæ sessionis anno, Claudii nono, passionis Christi decimo octavo, Roma discedere coactus est, edicto imperatoris exilium adversus omnes Judæos decernentis. Eodem anno Jerosolymam venit, et ibi congregato concilio interfuit. Claudio e vivis sublato, Romam rediit, ibique passus est anno decimo quarto et ultimo Neronis, sessionis Romanæ vigesimo quinto. His præmissis contra hæreticos

Dico : S. Petrus Romam venit ibique ecclesiam fundavit, quam ad obitum usque rexit.

Prob. prima et secunda pars: 1° ex ipsius S. Petri epistola prima c. 5, ubi dicit : « *Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus* » : atqui per Babylonem Romam intelligit : ergo. Prob. min. 1° ex Papia, Apostolorum discipulo, qui apud Eusebium, lib. 2 Hist. c. 14, dicit : « Quam quidem epistolam ibi (Romæ) perscriptam ostendit, dum civitatem illam, verbi translatione, Babylonem appellat : Salutat vos ecclesia nostræ electionis consors quæ est Babylone, et Marcus filius meus » : et ex S. Hieronymo qui, in *Catalogo script. ecclesiast.* in Marco dicit : « Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans : Salutat, inquit, vos ecclesia quæ est in Babylone coelecta. » 2° Quia nomine Babylonis in epistola Petri intelligi non potest neque Babylon Assyriorum, siquidem, teste Josepho, lib. 18 Antiq. c. 12, omnes Judæi qui erant in Babylone Assyriorum tempore Caii fuerint expulsi vel occisi ; neque Babylon Ægyptiorum, quæ tunc erat locus obscurus, et quæ a Strabone, lib. 17, vocatur castellum : restat ergo quod intelligatur Roma quæ dicta est Babylon, seu, confusio, quia, inquit S. Leo, *Serm.* 1 *de Apostolis Petro et Paulo,* « Cum omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus», quamque ideo S. Joannes in Apocalypsi passim designat sub nomine Babylonis.

Ideo autem, inquit Natalis Alexander, S. Petrus Romam proprio nomine non designavit, quia, recenter e carcere Jerosolymitano fuga elapsus, nolebat locum suæ commorationis esse omnibus notum, consultumque volebat saluti christianorum qui Romæ degebant, ne, si ejus epistola in manus gentilium incidisset, audito quod essent Romæ multi christiani, in eos persecutionem commovissent.

Cæterum, dum S. Petrus et S. Joannes nomine Babylonis Romam designant, non ecclesiam intelligunt, sed urbem, quæ, ut modo observavi, dicta est Babylon, quia tunc omnium gentium serviebat erroribus : unde nihil inde inferre possunt heterodoxi contra ecclesiam Romanam.

Prob. 2°: Juxta caput ultimum Act. et Epist. ad Rom. c. 1, multi erant christiani Romæ, antequam Paulus eo veniret, dicit enim laudata epist. : *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo... Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc :* a quo autem, nisi a Petro, hæc multitudo præceptis fidei imbuta est? Et hoc testantur Euseb., *lib.* 2 *Hist.* c. 13, dicens : « Sub ipso Claudii imperio... Dei providentia... Apostolorum...principem Petrum Romam versus, ad ejusmodi pestiferam vitæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit. » Paulus Orosius, l. 7 c. 4 : « Claudius, inquit, ab Augusto quartus, regnum adeptus est, mansitque in eo annos quatuordecim : exordio regni ejus Petrus Apostolus Domini nostri Jesu Christi Romam venit, et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit... exinde christiani Romæ esse cœperunt.» S. Leo, *Serm. de SS. Apostolis Petro et Paulo :* « Beatissimus Petrus, princeps apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salute, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet; » et infra : « Ad hanc ergo urbem tu, beatissime Apostole Petre, venire non metuis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferens, quo te divinis præordinationibus anteibat et honor potestatis et gloria passionis. »

Confirm. 1° S. Marcum Romæ scripsisse evangelium, prout ibi S. Petrum prædicantem audiverat, testantur Clemens Alexandrinus, in *lib. Hypotiposeon* ; Eusebius, lib. 2 Hist. c. 14 vel 15 secundum diversas editiones ; S. Hieronymus in Catalogo script. ecclesiast. in Marco. 2° Petrum Romæ Simonem Magum vicisse testantur Arnobius, lib. 2, Hegesippus, lib. de Excidio Jerosol. cap. 3, S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 6, S. Hieron. in Catal. script. ecclesiast. in Petro, S. Ambrosius in concione de Basilicis hæreticis, S. Augustinus, lib. de Hæresibus cap. 1, et alii.

Prob. tertia pars et simul confirmantur duæ primæ partes, 1° ex Eusebio in *Chronico* ad annum Christi quadragesimum quartum : « Petrus Apostolus, inquit, natione Galilæus,

christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi evangelium prædicans viginti quinque annis ejusdem urbis episcopus perseverat ; » et ex S. Hieronymo, in Catalogo script. ecclesiast. in Petro : « Simon Petrus, inquit, post episcopatum Antiochenensis ecclesiæ et prædicationem dispersionis eorum qui de circumcissione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bythinia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum Neronis, id est, decimum quartum ; » quo anno martyrio coronatus est.

2° S. Petrus certo Romæ martyrium subiit; constat autem ex dictis quod Romanam ecclesiam fundaverit ejusque sedem tenuerit, et nullibi legitur quod, post dimissam sedem Antiochenam, alibi quam Romæ sedem habuerit: ergo ad obitum usque sedem Romanam tenuit. Prob. ant., scilicet, quod Romæ martyrium subierit: id testatur Tertull., *Scorpiaci* c. 14 : « Vitas Cæsarum legimus, inquit, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit : tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur : item, *de Præscript.* c. 36 et alibi. Hegesippus, lib. *de Excidio Jerosol.* c. 1, dicit Petrum Romæ « cruci adjudicatum inversis vestigiis. » Euseb., lib. 2 hist. c. 24, dicit Petrum Romæ « suffixum cruci ». S. Hieronymus, in Catalogo script. ecclesiast. in Petro, postquam Petri crucifixonem a capite inverso retulit, subdit : « Sepultus Romæ in Vaticano juxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur. » Similiter alii plures.

Prob. 3° : Quotquot ex Patribus catalogum Romanorum Pontificum texuerunt, originem successionis a S. Petro ducunt : sic Optatus Milevit., *lib.* 2 *cont. Parmen.* : « Cathedra unica est, inquit, quæ est prima de dotibus... sedet prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, etc. Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo totus orbis commercio formatarum in una communionum societate concordat. Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vultis vobis sanctam Ecclesiam vindicare. » Similiter S. Augustinus, in *Epist. ad Generosum* 165 : « Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, etc. Damaso Siricius, Siricio Anastasius : in hoc ordine successionis nullus Donatista episcopus invenitur. » Item omnes Patres Sedem Romanam vocant cathedram Petri, successorem Petri, ut patebit art. sequenti : ergo Petrus Romæ sedit, eamque ecclesiam usque ad mortem rexit.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Adventus Petri Romam pugnat cum Scripturis sacris: ergo. Prob. ant.: Paulus, scribens ad Romanos, cap. 16, jubet multos suo nomine salutari, Petri autem non meminit; 2° quando Paulus Romam advenit, occurrerunt ei fratres, Act. 28, nulla mentio Petri ; 3° ibid. Judæi rogant Paulum ut dicat quid sentiat de secta christianorum : ergo nondum audiverant Petrum prædicantem; 4° S. Paulus, qui suam Jerosolymis et Antiochiæ cum Petro conversationem refert, epist. ad Galat. 1 et 2, non indicat se eum vidisse Romæ ; 5° S. Lucas qui in Actibus historiam Apostolorum conscripsit, nullibi refert profectionem Petri Romam : ergo.

Resp. 1° generaliter argumenta negativa nullius esse ponderis, ubi adsunt positiva in contrarium, alias nutarent præcipua fidei nostræ mysteria : sic arguere liceret Christum non fuisse circumcisum, quia circumcisionis non meminit Matthæus : non fuisse præsentatum, quia de præsentatione silet S. Marcus, stellam non apparuisse Magis, quia id non refert Lucas, etc.

Resp. 2° ad singula : Ad primum : Epistola ad Romanos scripta fuit, dum Petrus adhuc exulabat Roma edicto Claudii, ex capite namque ultimo, ubi Apostolus nominat quosdam Corinthios, colligitur scriptam fuisse Corinthi, dum illac pertransiret pergens Jerusalem, ubi erat adhuc Petrus, qui cum Paulo et aliis adfuit concilio quod tunc celebratum est de observantia legalium. Et quamvis plures christiani jam tunc Romam rediissent, ut patet ex eodem capite 16, non sequitur Petrum rediisse, quia cum esset auctor conversionis Judæorum, propter quam latum fuerat edictum, non debebat suum in urbem reditum ita maturare. Insuper ex argumento nihil sequitur, nam Paulus scribens ad Ephesios non salutat Timotheum, scribens ad Hebræos non salutat Jacobum, et tamen Timotheus erat Ephesiorum episcopus et Jacobus Hebræorum.

Ad secundum : Non omnis ecclesia Romana Paulo advenienti obviam venit, sed quidam tantum aliorum nomine, cum tunc urgeret adhuc persecutio. Adde quod forte tunc Roma aberat Petrus ; non enim erat illic ita affixus, quin interdum in varias provincias secundum

impulsum Spiritus Sancti proficisceretur, et inde Romam rediret, relictis in absentia sua Cleto et Lino, vicariis suis, ut testatur Epiphan. *Hæresi* 27.

Ad tertium: Nego conseq. Non enim rogant Paulum ut eos de secta christianorum doceret, siquidem, cum prius ad ipsos scriberet, dicebat: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*, sed, cum scirent ipsum in lege doctissimum, optabant ipsum audire disserentem de religione christiana et de ejus cum lege mosaica concordia. Respondet Bellarminus hæc verba esse quorumdam Judæorum, qui nondum fidem susceperant.

Ad quartum: Non potuit Paulus in epistola ad Galatas dicere se Petrum vidisse Romæ, cum tunc nondum illuc appulerat; scripta enim fuit epistola ad Galatas ante epistolam ad Romanos, teste S. Chrysostomo, *Præfat. in epist. ad Rom.*

Ad quintum: Institutum Lucæ in Actibus Apostolorum fuit præsertim describere acta Pauli: unde non est mirum si profectionem Petri Romam non retulerit, maxime cum de ipso etiam Paulo multa omiserit, ut profectionem S. Pauli Jerosolymam ut videret Petrum, utriusque convictum Antiochiæ, iter Pauli in Galatiam et alia: non ergo omnia quæ vel Apostolos vel etiam ipsum Paulum spectant complexus est S. Lucas, ut observat S. Hieron., lib. 1 in cap. 2 ad Galat.

Inst. 1°: S. Paulus in pluribus epistolis Romæ datis quædam scribit de iis qui erant Romæ, quæ Petro, si ibi sedisset, injuriosa forent: ergo. Prob. ant.: 1° ad Philipp. 2 dicit: *Omnes quæ sua sunt quærunt;* 2° ad Coloss. ultimo: *Hi soli* (scilicet Aristarchus, Marcus et Justus, quos prius nominaverat) *sunt adjutores mei in regno Dei;* 3° 2. ad Timoth. 4: *In prima mei defensione, nemo mihi adstitit, sed omnes me dereliquerunt:* ergo.

Resp. neg. ant. Ad primam probationem: Paulus ibi loquitur tantum de illis quos ad Philippenses mittere poterat, ut patet ex textu, de quorum numero non erat Petrus ipsi superior. Ad secundam. Loquitur ibi Paulus de suis domesticis qui ipsi ministrare solebant. Ad tertiam: Loquitur de iis qui causam ejus apud Cæsarem juvare poterant, de quorum numero non erat Petrus, æque ac Paulus Cæsari invisus. Adde « τὸ *omnes* » apud Paulum sæpe significare multos.

Inst. 2°: Dissentiunt auctores in epocha adventus Petri Romam, alii enim dicunt advenisse initio Claudii, alii anno secundo, alii anno quarto, alii decimo quarto, alii imperante Nerone: atqui dissensus auctorum in referenda historia est magnum ejus falsitatis judicium: ergo.

Resp. dist. min. Dissensus auctorum in referenda historia quoad substantiam est ejus falsitatis indicium, conc.; in referenda historia quoad circumstantias, nego. Sic nihil certius est inter christianos Christi morte, nihil incertius tempore quo mortem subiit. Tertullianus cum quibusdam tenet mortuum esse anno Tiberii quinto decimo, ætatis suæ trigesimo; Eusebius et alii anno Tiberii decimo octavo, ætatis trigesimo tertio; S. Irenæus ætatis quinquagesimo; recentiores plerique anno trigesimo quarto; quidam anno trigesimo septimo. Similiter ergo esto quod sit dissensus auctorum circa epocham adventus Petri Romam, conveniunt tamen omnes quoad ipsum adventum, et sic non est in eo falsitas: communior tamen opinio tenet advenisse secundo anno Claudii, nec dissentiunt qui dicunt initio Claudii, quia duo anni respective ad tredecim et amplius, quibus regnavit Claudius, possunt dici ejus regni initium.

Inst. 3° contra hanc epocham: Petrus non venit Romam anno secundo Claudii: ergo. Prob. ant. 1° S. Petrus erat adhuc Jerosolymis, quando Paulus venit ut ipsum videret anno a conversione tertio, qui erat sextus a passione Christi (conversus est enim anno tertio a passione Christi), et quando iterum venit deferens collectas ad sublevandum famem, quam vaticinatus fuerat Agabus, et quæ contigit sub Claudio, Act. 12. Insuper S. Gregorius tradit S. Petrum septem annis fuisse Anthiochiæ inter has duas Pauli profectiones: fuit etiam pluribus annis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bythinia; nec enim uno mense vel anno in tot locis potuit prædicare: ergo non potuit venire Romam anno secundo Claudii, qui erat undecimus a passione Christi, siquidem juxta chronologiam assignatam effluxissent jam plusquam tredecim. 2° Petrus anno secundo Claudii erat Jerolosymis in vinculis jussu Herodis, nec inde evasit, nisi anno sequenti: ergo non venit Romam anno secundo Claudii. 3° Petrus adfuit concilio Jerosolymitano, anno saltem a passione Christi decimo octavo: ergo idem quod ante. 4° Denique refert Eusebius ex Thrasea martyre Christum mandasse Apostolis ne ex Jerusalem ante annos duodecim recederent; annus autem iste duodecimus incidit in annum tertium Claudii: ergo.

Resp. hæc omnia cohærere, si quæ mendose objiciuntur corrigantur, et attendatur ad chronologiam vitæ S. Petri, quam initio articuli posuimus. In primis Calvinus falso refert conversionem Pauli ad annum tertium a passione Christi, contigit enim anno primo, ut tradit S. Th. in cap. 2 Galat. lect 1, et docent scriptores ecclesiastici. Petrus itaque a passione Christi, ut jam observavimus, mansit Jerosolymis annis quatuor circiter, quo tempore potuit eum illic videre Paulus anno a conversione tertio : deinde Petrus mansit Antiochiæ annis septem, non quasi ibi alligatus, sed eo temporis intervallo Pontum, Asiam, Bythiniam, Galatiam, Cappadociam, etc. peragrans : septimo autem anno nondum completo, rediit Jerusalem, ubi ab Herode conjectus est in vincula : eodem anno contigit fames prædicta ab Agabo, ut colligitur ex Act. 11 et ex Dione, lib. 6, qui illam refert ad annum 795 ab urbe condita, qui erat annus undecimus a passione Christi et secundus Claudii; sicque Paulus ascendens tunc Jerosolymam ad deferendas collectas potuit illic videre Petrum; liberatus autem fuit Petrus, non anno sequenti, ut dicit instantia, neque hoc innuitur Act. 12, sed eodem anno quo et Romam perrexit, scilicet, undecimo a passione Christi et secundo Claudii : deinde septimo sessionis Romæ anno, Claudii nono, hujus imperatoris edicto pulsus venit Jerusalem, ibique concilio de observantia legalium adfuit anno a passione Christi decimo octavo.

Quod autem opponitur ex Thrasea apud Eusebium de mandato Christi facto Apostolis ne ante duodecim annos discederent Jerosolymis, supposita veritate relationis Eusebii, istud mandatum intelligitur de quibusdam, non de omnibus; certum est enim ex Act. 8, 9 et 10, Petrum Samariam, Lyddam, Joppem et Cæsaream peragrasse, imo et sedisse Antiochiæ pluribus annis, antequam conjiceretur in vincula, consequenter ante annum duodecimum.

Si opponas in Chronico Eusebii legi Petrum sedisse Antiochiæ annis viginti quinque, resp. esse errorem typographi qui pro quinque posuit viginti quinque (quamvis enim dicamus sedisse septem annis, intelligimus quinque completos et duos inchoatos), vel totum numerum ex integro esse additum, quia in pluribus manuscriptis Eusebii in bibliotheca Vaticana asservatis, et in editione græco-latina Scaligeri, hæc epocha non reperitur.

Inst. 4° : Josephus qui vixit tempore Neronis, et Romæ suam historiam scripsit, non meminit martyrii S. Petri, cum tamen esset christianorum amicus. Item S. Clemens, scribens ad Corinthios et loquens de martyrio SS. Petri et Pauli, non dicit eos Romæ passos fuisse. Item S. Augustinus, epist. 86, fabulis accenset certamen Petri Romæ cum Simone Mago : ergo.

Resp. ad primum Josephum id tacuisse; quia, ut ipse dicit lib. 2 c. 11, voluit præterire scelera Neronis, ne historia sua displiceret imperatoribus quibus eam dicabat.

Ad secundum : 1° Intentum Clementis id non exigebat, disserebat enim de invidia cui erant obnoxii Corinthii; et ut probet quanta mala incitaverit, adfert exemplum martyrii SS. Petri et Pauli, notare autem locum passionis non pertinebat ad invidiam. 2° Id tunc satis notum erat christianis, ideoque inutile fuisset illud notare. Adde quod neque Joseph neque Clemens dicant passum esse Jerosolymis, quod tamen asserunt adversarii.

Ad tertium : S. Augustinus non negat hanc historiam, sed negat quod consuetudo jejunandi sabbatis Romæ originem traxerit ex jejunio quod S. Petrus præmisit certamini cum Simone Mago : patet ex textu.

Obj. 2° : Esto Petrus Romam venerit, eam tamen ecclesiam non fundavit : ergo. Prob. ant. Sub Tiberio qui fuit prædecessor Claudii, sub quo dicimus Petrum venisse Romam, erant jam ibi christiani : ergo. Prob. ant. ex Orosio qui, lib. 7 cap. 4, refert senatum, regnante Tiberio, edicto constituisse « exterminandos urbe christianos » : ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. : Istud edictum, quod refert Orosius, spectabat duntaxat christianos quos negotiorum suorum causa Romam adventare contingebat, nullos enim tunc Romæ morari testatur ipse Orosius eodem cap. 4.

Inst.: Lib. 1 *Recognitionum* S. Clementis legitur Barnabam tempore Tiberii Christum Romæ prædicasse : ergo.

Resp. libros Recognitionum, qui sub nomine S. Clementis circumferuntur, esse apochryphos et nullius ponderis. Aliunde constat quod, antequam Petrus cœlesti visione admonitus fuisset Act. 10 de fide gentibus prædicanda, nullus Apostolorum id muneris obire ausus fuerit : ex eo autem tempore Barnabas Paulo individuus comes adhæsit saltem usque ad concilium Jerosolymitanum, quod anno Claudii nono contigit.

ARTICULUS III.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

Lutherani et calvinistæ, a Romana Sede proscripti, tanto furore in primatum Romani Pontificis debacchati sunt, ut eorum nonnulli ipsum antichristum appellare non erubuerint.

Dico [1] : Romanus Pontifex habet primatum auctoritatis in universam Ecclesiam. Est de fide.

Prob. 1° ex duobus articulis præcedentibus. Tota auctoritas Petri qua pastoris et rectoris totius Ecclesiæ, quæ fuit suprema, transmissa est in ejus successorem : atqui Romanus Pontifex est successor Petri : ergo. Maj. constat, quia, cum Christus Ecclesiam fundaverit in æternum duraturam, debuit in ea formam regiminis perpetuam instituere, quæ moriente Petro non cessaret, sed ad ejus successores transiret : min. etiam constat ex art. præcedenti; Petrus enim, ut probatum est, sedit Romæ, eam ecclesiam fundavit atque ad mortem usque rexit : ergo Romanus Pontifex est Petri successor : id pariter testantur concilia et Patres mox citandi : unde quæcumque probant primatum Petri, probant simul primatum Romani Pontificis. Require art. 1.

Prob. 2° ex Conciliis : Concilium Sardicense, anno 347, in epistola synodica ad Julium papam : « Hoc optimum, inquit, et valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est, Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini sacerdotes. »

In concilio Ephesino, anno 431, act. 1, patres in Nestorium sic pronuntiant : « Coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi Patris nostri comministri Cælestini, Romanæ ecclesiæ episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. » Ubi patres fatentur se cogi per pontificem, ergo agnoscunt in eo specialem auctoritatem. Ibid. act. 3, Philippus presbyter, apostolicæ sedis legatus, nullo reclamante, dixit : « Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, quæ ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet. »

[1] Opusc. 1. cont. errores Græc. c. 63. et seqq.

In concilio Chalcedonensi, anno 451, Paschasinus, unus ex legatis summi Pontificis, initio dixit : « Beatissimi atque apostolici viri papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus, Alexandrinorum episcopus, non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est... aut ille egrediatur, aut nos eximus... Lucentius, vicarius Sedis apostolicæ, dixit : Judicii sui necesse est eum (Dioscorum) dare rationem, quia, cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, et synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam factum est. »

Actione 2, postquam lecta fuit S. Leonis epistola : « Reverendissimi episcopi clamaverunt : Hæc Patrum fides : hæc Apostolorum fides : omnes ita credimus : orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui non ita credit : PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST : Apostoli ita docuerunt. »

Actione 16, gloriosissimi judices dixerunt : « Ex his quæ gesta sunt et ab unoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatum et honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo archiepiscopo conservari. »

Tandem patres Chalcedonenses S. Leonem rogant ut suo consensu confirmare dignetur quæ statuerunt : » Rogamus igitur, inquiunt in relatione synodi ad eumdem S. Leonem, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. »

In concilio sexto generali Constantinop. III, anno 680, patres in litteris synodicis ad Agathonem, quæ extant post act. 18, sic Romanum Pontificem alloquuntur : « Maximi morbi majoribus indigent auxiliis : atque idcirco Christus verus Deus noster sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque tibi, ut primæ sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit relinquimus stanti super firmam fidei petram. Libenter perlectis vestræ confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus... Hæreticorum nefariam doctrinam... anathematibus interfecimus, ex sen-

tentia per sacras vestras litteras de iis prius lata. » Et infra : « Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus : quam ut iterum per honorabilia vestra scripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem. »

Concilium Constantiense, anno 1414, damnat hanc Wicleffi sententiam : « Quod papa sit summus Pontifex, est ridiculum. Et Christus nec in Petro, nec in alio talem approbavit dignitatem. » Item hunc articulum decimum Joannis Hus : « Nec Romanus Pontifex est caput Ecclesiæ » : et hunc 27 : « Non est scintilla apparentiæ quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam. » Unde Martinus V, in bulla contra præfatos hæreticos, jubet interrogari suspectum : « Utrum credat quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. »

Concilium Florentinum, anno 1439, ubi in pluribus collationibus ventilata fuit inter orientales et occidentales quæstio de primatu Romani Pontificis quem a schismate Photii negabant orientales, tandem communi utriusque partis consensu sic definivit in decreto unionis : « Definimus sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. »

Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 7 : « Merito, inquit, Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo poterant peculiari judicio reservare. »

Prob. 3° ex SS. Patribus : S. Irenæus, lib. 3 *adversus hæreses* cap. 3, dicit : « Ad hanc enim ecclesiam (Romanam), propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam. » Idem, apud Euseb., lib. 5 Hist. c. 24, adhortatur Victorem papam ne Asiaticos episcopos, ob controversiam de Paschate, a communione suspendat, consequenter agnoscit in ipso supremam potestatem.

Tertullianus, lib. *adversus Praxeam* initio, scribit Romanum Pontificem revocasse litteras communicationis quas ecclesiis Phrygiæ dederat pro Montanistis ab episcopis Phrygiæ damnatis, et Montanum, suadente Praxea, damnasse. Et in lib. *de Pudicitia*, quamvis in hæresim tunc lapsus, vocat Romanum Pontificem « Pontificem maximum et episcopum episcoporum » : et licet forte id dicat irridendo, loquitur tamen secundum morem hujus temporis.

S. Stephanus papa S. Cypriano, Firmiliano et aliis orientalibus contra rebaptizationem restitit, intentatis censurarum minis : quod fecit, inquit Vincentius Lirin. in *Commonit.* 1 adversus hæreses c. 5, « Dignum.... existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. »

S. Cyprianus ipse ecclesiam Romanam cæterarum omnium radicem et matrem agnoscit, Romanumque Pontificem ut vinculum sacerdotalis collegii ac unitatis centrum veneratur : epist. 45 *ad Cornelium* Romanum Pontificem de Polycarpo Hadrumentino : « Scimus, inquit, nos hortatos eos esse ut Ecclesiæ catholicæ radicem et matrem agnoscerent et tenerent.... placuit.... ut per omnes isthic positos litteræ fierent, sicut fiunt, ut te universi collegæ nostri, et communicationem tuam, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem probarent firmiter ac tenerent. » Et *epist.* 67 rogat Stephanum papam ut pro sua auctoritate injungat episcopis gallicanis, ut a sua communione ejiciant Martianum, episcopum Arelatensem, qui ad Novatiani partes transierat : « Dirigantur, inquit, in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ quibus, abstento Martiano, alius in locum ejus substituatur. »

S. Dionys. Alexand., de hæresi accusatus, se purgavit apud Rom. Pontificem, ut refert S. Athan. lib. de Synodis Arimini et Seleuciæ.

Concilia orientalia irrita habebantur nisi auctoritate Romani Pontificis firmarentur, quod occasione concilii Antiocheni ab arianis habiti testatur Socrates, *lib.* 2 *Hist.* c. 5 : « Julius Romanus episcopus, inquit, neutique aderat, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eo misit, idque cum canon ecclesiasticus jubeat non oportere, absque sententia episcopi romani, decreta Ecclesiæ sancire » : et Sozomenus, *l.* 3. *Hist.* c. 9, scribit « legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam episcopi Romani constituuntur. »

Julius papa S. Athanasium a sede sua detrusum restituit et in communionem suscepit, ejusque hostes ad apostolicum tribunal vocavit, secundum usum jam longo tempore firmatum, ut constat ex ipsius Julii verbis quæ

refert S. Athanasius *Apolog.* 2 : «An ignari estis, inquit Pontifex ad orientales scribens, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri possit... Nunc autem nos, quos certiores minime fecerunt, postquam jam egerint quid lubuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste et novum studium est.» Legendi hac de re Socrates, *lib.* 2 *Hist.* c. 11, et Sozomenus, *lib.* 3 *Hist.* c. 7.

Liberius papa Eustachium Sebastenum a concilio Melitinensi exauctoratum in suam sedem restituit, ex S. Basilio, epist. 74 ad episcopos orientales.

S. Chrysostomus rogat Innocentium I ut sententiam exauctorationis in se a Theophilo Alexandrino latam rescindat : sic *epistola prima* loquitur: « Scribite, precor, et auctoritate vestra decernite hujusmodi impie gesta, nobis absentibus et judicium non declinantibus, nullius esse roboris. Porro qui talia gessere, eos Ecclesiæ censuræ subjicite : nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque illius criminis reos comprobatos, ecclesiis nostris jubete restitui. »

S. Ambrosius, epist. 78, monet Theophilum, ut judicium suum de dissidiis Antiochenæ ecclesiæ mittat ad Pontificem Romanum, sine cujus approbatione nullius foret roboris.

S. Hieronymus, epist. 57 *ad Damasum papam :* « Quanquam, inquit, tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, a pastore præsidium ovis flagito. Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquar : ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior : super illam petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est.... Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per crucifixum, per mundi salutem, per « Ομουσιον » Trinitatem, ut mihi litteris tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. »

S. Augustinus variis in locis primatum Romani Pontificis asserit, *epist.* 157, lib. 1 *ad Bonif.* cap. 1, et *epist.* 162 : « In Romana ecclesia, inquit, semper apostolicæ cathedræ viguit principatus. »

S. Prosper, carmine de ingratis :

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

S. Bernardus, lib. 2 *de Consideratione* cap. 8, ad Eugenium papam sic loquitur : « Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores · sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius præ cæteris nomen hæreditasti : habent illi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus : nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini : cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas ? Illius aut illius populos civitatis, aut regionis, aut regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur ubi distinguitur nihil... Ergo, juxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus : tua extenditur in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa extiterit, tu episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.» Nihil sane luculentius, nihil fortius in rem nostram proferri potest : non enim S. Doctor tantum primatum Romani Pontificis magnifice asserit, sed et probat iisdem momentis quibus probamus primatum S. Petri, consequenter et ejus successoris Romani Pontificis.

Alios et plures omitto ne longior sim, unus tantum restat audiendus, scilicet Gerson, academiæ Parisiensis cancellarius, cujus testimonium omittere piaculum foret; quia, ubi agitur de prærogativis Romanæ Sedis, nulli potest esse suspectus. Itaque

Gerson, *de Statibus ecclesiasticis*, consideratione prima, super statu Romani Pontificis sic habet : « Status papalis institutus est a Christo supernaturaliter et immediate, tanquam primatum habens monarchicum et regalem in ecclesiastica hierarchia, secundum quem statum unicum et supremum, Ecclesia militans

dicitur una sub Christo. Quem primatum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cadit in hæresim toties damnatam a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam per institutionem Christi de principatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis et generalibus conciliis. »

Addo clerum gallicanum, qui in conventu habito Parisiis anno 1681 de Romano Pontifice sic loquitur : « Caput est Ecclesiæ, centrum unitatis; obtinet ille in nos primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona Petri collatum; qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imo et hæreticus esset. »

Addo et sacram facultatem Parisiensem, quæ, anno 1542, in sua censura contra Lutherum, hunc habet articulum vigesium tertium: « Nec minus certum est unum esse jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes christiani parere tenentur. » Anno 1617, in censura contra Spalatensem, dicit : « Propositionem, qua ille asseruerat Romanam ecclesiam jure divino auctoritatem in alias ecclesias non habere, hæreticam esse et schismaticam. » Et anno 1683, in præfatione censuræ alicujus propositionis ad se a senatu Parisiensi missæ, dicit episcopum Romanum esse jure divino summum in Ecclesia principem, cui omnes christiani parere teneantur, et qui immediate a Christo, non honoris solum, sed potestatis ac jurisdictionis primatum habeat in tota Ecclesia. »

Ex his itaque conciliis, SS. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis, habemus Sedem Romanam esse cathedram Petri, Romanum Pontificem esse successorem Petri, Romanos Pontifices causas fidei ut supremos judices diremisse, appellationes dejectorum episcoporum recepisse, restituisse suis sedibus immerito exauctoratos, mulctasse censuris aliarum ecclesiarum etiam Orientis antistites, vel eos communione donasse, concilia probasse vel respuisse, jus denique dixisse cæteris patriarchis et episcopis : hæc autem esse primatus jurisdictionis invictissima argumenta nemo non videt.

Et hinc sic formo argumentum : Ea est ac semper fuit ab initio constans Ecclesiæ fides, Romanum Pontificem esse successorem Petri, esse supremum totius Ecclesiæ pastorem et caput : atqui Ecclesia errare non potest in agnoscendo suo supremo pastore et capite, alias portæ inferi adversus illam prævalerent: ergo.

Post hæc quis patienter ferat? Quis non excandescat; dum audit sciolos ex inferiori clero insolenter dictitantes Romanum Pontificem non esse nisi primum inter pares, nullam in aliis diœcesibus habere jurisdictionem, nec quidem in privata parochia posse sacramenta administrare absque licentia parochi? De his quid dicam? Dicam cum Gersonio, Clero Gallicano et sacra facultate Parisiensi, quos ut suos magistros in aliis venerantur, esse schismaticos, hæreticos, impios et sacrilegos.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° ex S. Scriptura : Apostolus, ad Ephes. 4, recensens omnes ecclesiasticæ hierarchiæ gradus, non meminit unius summi Pontificis : *Ipse,* inquit, *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Similiter 1 Cor. 12 : ergo.

Resp. 1° Apostolum his in locis non agere de gradibus ecclesiasticæ hierarchiæ, enumerat enim in utroque loco prophetas, evangelistas, dona linguarum, gratias curationum, etc. quæ non pertinent ad ecclesiasticam hierarchiam : quæ enim sunt ecclesiasticæ hierarchiæ, permanenter in Ecclesia semper perseverant: sed agit de variis charismatibus et donis quibus nascens Ecclesia a Spiritu Sancto sub his initiis ornabatur ; 2° neg. conseq. ; non enim omnia in omnibus S. Scripturæ locis referuntur; et si in his locis de summo Pontifice sileatur, alibi exprimitur.

Inst.: Apostolus, loco citato ad Ephes., repetit unitatem Ecclesiæ ab uno Christo, una fide, uno spiritu, nec unius capitis visibilis meminit : *Solliciti,* inquit, *servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una fide vocationis vestræ, unus Dominus, una fides :* ergo.

Resp. 1° per unum corpus, scilicet visibile, exprimi sufficienter unum caput visibile; non enim potest esse unum corpus, nisi sit in eo unum caput quod cæteris membris præsideat. 2° Dato. ant. nego. conseq. ut ante; quia, si ibi non exprimatur unum caput, exprimitur alibi.

Obj. 2° ex conciliis : Canon 6 concilii primi Nicæni sic habet : « Antiqua consuetudo

servetur per Ægyptum, Lybiam et Pentapolim, ut Alexandrinus episcopus harum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est : similiter autem et apud Antiochiam, etc. » Quibus verbis videtur coarctari potestas Romani Pontificis ad certas provincias, sicut potestas Alexandrini episcopi : alioquin non esset legitima comparatio quam instituunt patres Nicæni inter episcopum Alexandrinum et Romanum, si Alexandrini potestas intra Ægyptum, Lybiam et Pentapolim constringeretur, et Romani auctoritas in orbem universum diffunderetur : ergo.

Resp. 1° hoc canone non solum non infirmari, sed potius firmari primatum Romani Pontificis : cum enim in concilio Chalcedonensi, act. 16, Paschasinus S. Sedis legatus, contra canonem 28 ejusdem concilii clandestine factum in præjudicium Romanæ Sedis, præfatum canonem Nicænum in hunc modum retulisset : « Trecentorum octodecim patrum canon sextus : quod ecclesia Romana semper habuit primatum : teneat autem et Ægyptus ut episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam et Romano episcopo hæc est consuetudo, etc. » nullus reclamavit, sed judices contra edixerunt : « Perpendimus omnem quidem primatum et honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ archiepiscopo conservari. » Accedit quod ante et post concilium Nicænum summi Pontifices jus primatus in universa Ecclesia exercuerint, ut patet ex probationibus conclusionis, absque eo quod canonum infractores habiti fuerint. Itaque

Resp. 2° dist. ant. Coarctatur potestas Romani Pontificis, ut est Romanus Pontifex et Petri successor, nego; ut est patriarcha Occidentis, conc. Ad cujus intelligentiam observandum est plures esse in Romano Pontifice prærogativas : 1° Est episcopus ordinarius urbis Romæ et ejus territorii ; 2° est metropolitanus Romanæ provinciæ ; 3° est primas, seu, ut olim dicebatur, exarcha seu metropolitanus major provinciarum Italiæ, cui metropolitani inferiores subordinantur ; 4° est patriarcha Occidentis ; 5° est totius Ecclesiæ caput et supremus pastor : comparatio igitur quam concilium Nicænum instituit inter Romanum episcopum et Alexandrinum, non est quoad omnia jura Romani Pontificis, sed quoad jura patriarchalia tantum, quorum præcipuum erat jus ordinationum præsertim metropolitanorum in toto patriarchatu. Huic canoni occasionem dedit Meletius; cum enim antiquam consuetudinem, secundum quam episcopus Alexandrinus in Ægypti, Lybiæ, Pentapolis Diœcesibus sacras ordinationes celebraret, aut celebrandi licentiam daret, schismate facto turbasset Meletius; concilium Nicænum canone sexto edito asserta voluit episcopi Alexandrini et aliorum privilegia.

Inst. 1°: Dignitas patriarchalis est posterior concilio Nicæno, nec in eo canone fit mentio patriarcharum, sed metropolitanorum tantum : ergo comparatio inter episcopum Romanum et Alexandrinum non est quoad jura patriarchalia.

Resp. dist. ant. Dignitas patriarchalis est posterior Nicæno quoad nomen, conc.; quoad rem, nego. Ante concilium enim episcopus Alexandrinus fruebatur juribus patriarchalibus, in quibus turbaverat ipsum Meletius Lycopolitanus, qui in istis provinciis ordinationes facere attentabat; usurpatum est autem in canone nomen metropolitani, quia tunc erat commune non solum metropolinatis ordinariis, sed etiam primatibus et patriarchis.

Inst. 2°: Jus præcipuum patriarchicum erat, ut dictum est, jus ordinationum metropolitanorum in omnibus provinciis patriarchatus : atqui episcopus Romanus non ordinabat omnes metropolitanos Occidentis, puta remotiores Africanos, Gallos, Hispanos, etc. : ergo comparatio non fit quoad jura patriarchalia.

Resp. dist. min. Non ordinabat omnes metropolitanos Occidentis, nec habebat jus ordinandi, nego ; et habebat jus ordinandi, conc. Ordinabat itaque regulariter per se metropolitanos in Italia, in remotioribus autem partibus per suos vicarios vel primates, juxta consuetudinem certarum ecclesiarnm, cui derogare non volebant Pontifices. Hac de re fusius Natalis Alexander, dissert. 20, sæcul. 4.

Inst 3° : Canon 6 Nicænus, juxta versionem Rufini, restringit potestatem Romani Pontificis ad « ecclesias suburbicarias », id est, quæ Roma distant mille et centum passibus, aut quæ continentur intra decem provincias vicario Romæ subjectas : atqui potestas Romani Pontificis, ut patriarchæ Occidentis, ad omnes provincias Occidentis se extendit: ergo comparatio non est quoad jura patriarchalia.

Resp. 1° in his quæ Sedem Romanam spectant nullam fidem esse adhibendam Rufino, quippe qui per Anastasium summum Pontificem fuerat Romanæ ecclesiæ communione privatus. Insuper nota est ex S. Hieronymo ejus temeritas in interpolandis auctoribus.

Resp. 2° per ecclesias suburbicarias intelligi in Rufino omnem Occidentem : tempore enim Cæsaris Augusti universus orbis erat suburbicarius, id est, urbis Romæ potestati subjectus: imperio autem diviso tempore Constantini et ejus filiorum, Oriens fuit suburbicarius Constantinopoli novæ Romæ, et Occidens suburbicarius antiquæ Romæ, et sic erat sub Arcadio et Honorio, quibus imperantibus scribebat Rufinus. Vide Morinum, lib. 1 Exercit. ecclesiast., exercit. 30.

Obj. 3° ex S. Cypriano : S. Doctor, epist. *ad Quintum*, dicit : « Neque enim quisquam nostrum episcoporum se episcopum constituit » : atqui, si summus Pontifex haberet primatum super alios episcopos, esset episcopus episcoporum : ergo.

Resp. 1° S. Cyprianum ibi non loqui de Romano Pontifice, sed tantum de Africanis episcopis, qui in concilio Carthaginensi quæstionem de rebaptizandis hæreticis agitabant, ut patet ex textu. 2° Esto his verbis indirecte sugillaret Romanum Pontificem, nullius sunt momenti quæ tunc in illum subiratus effutiit : de quo satis dixi dum de baptismo.

Inst. 1° : S. Cyprianus ibidem docet episcopos a solo Deo esse judicandos : atqui, si summus Pontifex esset episcopus episcoporum, posset illos judicare : ergo.

Resp. 1° ut ante, non esse alicujus ponderis ea quæ dixit Cyprianus in hac quæstione de rebaptizandis hæreticis, in qua erravit. 2° Intelligit Cyprianus de internis et occulta cordis intentione, quæ a solo Deo judicari potest; cum enim dissentirent episcopi circa rebaptizandos, et vellet Cyprianus unicuique esse liberum hac de re opinandi, quam, ut alibi dixi, reputabat esse meræ disciplinæ, dicit neminem esse judicandum aut inculpandum, sed expectandum Dei judicium de intentione et rationibus sic vel sic opinandi cujusque : nisi forte velis Cyprianum sensisse neque a concilio generali episcopum in extremis posse judicari, quod foret absurdum et tanto viro injuriosum. Cæterum Cyprianum agnovisse in episcopo Romano potestatem judicandi alios episcopos constat evidenter ex illius *epist.* 67 *ad Stephanum*, quem hortatur ut Martianum Arelatensem episcopum, qui ad Novatianos defecerat, in ordinem redigat, et alium in ejus locum instituat. Vide probationes conclusionis.

Inst. 2° : Cyprianus in eadem epistola se parem agnoscit Romano pontifici in regimine Ecclesiæ : dicit enim Stephano : « Cui rei nostrum est consulere et subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes et gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, etc. » Ergo.

Resp. S. Cyprianum velle tantum ipsius esse, ut membri, subvenire consilio et sollicitudine corpori Ecclesiæ in periculo constitutæ, non autem esse ipsius, ut capitis, subvenire auctoritate, maxime quoad præcipua, qualis erat depositio episcopi Arelatensis.

Inst. 3° ; S. Cyprianus improbavit ut nullam restitutionem Basilidis sedi Asturicensi, factam a Stephano papa contra exauctorationem factam ab episcopis Hispaniæ : ergo.

Resp. dist. ant. Improbavit ut nullam defectu potestatis in Stephano, nego ; ut nullam defectu justitiæ, quia erat subreptitia, conc. Patet ex epistola Cypriani ad clerum et plebem Asturicensem, in qua de Basilide dicit : « Romam pergens Stephanum collegam nostrum, longe positum et gestæ rei ac veritatis ignarum, fefellit. » Et : « Neque tam culpandus est ille (Stephanus) cui negligenter obreptum, quam hic (Basilides) execrandus, qui fraudulenter obrepsit. » Quinimo inde firmatur conclusio, cum habeamus episcopos in Hispanis sede pulsos ad Sedem Romanam confugere, ut restituantur.

Obj. 3° ex denegato Pontifici Romano appellationum jure : Si Romanus Pontifex haberet primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, posset ad eum ex toto orbe christiano appellari: atqui falsum consequens: ergo et ant.

Prob. min. multipliciter : 1° Damasus papa, cum synodo Occidentalium, recusavit cognoscere, absque Orientalibus, causam Maximi Constantinopolitani in prima synodo Constantinop. seu secunda œcumenica depositi, qui de sua depositione et Nectarii subrogatione apud S. Sedem expostulabat, ut constat ex epistola synodica concilii Italiæ ad Theodosium : ergo Damasus non agnovit in se jus admittendi appellationes.

2° Concilium Milevitanum in Africa, can. 22, prohibet appellationes transmarinas, seu ad Sedem Romanam, his verbis : « Si qui provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum suarum : ad transmarina autem qui putarent appellandum, a nullo intra Africam in communione suscipiantur » : ergo.

3° Episcopi Africani, inter quos convivebat S. Augustinus, in concilio Carthaginensi VI, anno 418, noluerunt admittere appellationes

ad Zozimum papam, quas ejus legati ipsi vindicare contendebant, allegatis canonibus concilii Nicæni.

4° Synodus Quini sexta, can. 36, innovans quæ in concilio I Constantinop., can. 3, et in Chalcedonensi, can. 17, sancita sunt, decernit eadem privilegia competere sedi novæ Romæ, seu Constantinopolis, ac antiquæ Romæ.

5° Justinianus imperator, *Novella* 123, cap. 22, causas episcoporum reservat metropolitano, in casu appellationis, patriarchæ, et ipsorum metropolitanorum causas eidem patriarchæ, semota omni appellatione a sententia patriarchæ : ergo.

Ante responsionem juvat revocare in memoriam ea quæ in probationibus conclusionis deducta sunt, ex quibus invicte constat jus appellationum ad Sedem Romanam semper in Ecclesia viguisse, quibus adde canones concilii Sardicensis anno 347. Canon tertius sic habet : « Si quis episcoporum in aliquo negotio condemnandus visus fuerit, et existimet se non malam sed bonam causam habere, ut etiam rursus judicium renovetur : si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab iis qui judicaverunt scribatur Julio Romanorum episcopo, et per propinquos provinciæ episcopos, si opus sit, judicium renovetur, et cognitores ipse præbeat ». Quartus canon sic : « Si quis episcopus fuerit depositus judicio episcoporum qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus Pontifex, causa cognita, sententiam tulerit ». Et canone 5 vel 7 refertur modus, quo Romanus Pontifex in similibus causis debet procedere.

Neque dici potest concilium Sardicense novum jus statuisse, cum ante illud jam vigeret, ut constat ex appellationibus Basilidis et S. Athanasii, de quibus in probationibus conclusionis. Item ex appellatione Marcionis, a proprio patre Ponti episcopo excommunicati, ad Pium papam, apud S. Epiphan., *Hæresi* 42, et Fortunati ad Cornelium papam, apud Cyprianum, *epist.* 55.

Neque obstat quod dicant patres Sardicenses in tertio canone se ita decernere, ut honorent memoriam S. Petri, id enim perinde est ac si diceretur, quia Romanus Pontifex est successor S. Petri, et ea ratione jus appellationum sibi vindicat : unde iidem patres in epistola synodica ad eumdem Julium dicunt « congruentissimum esse si ad caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis provinciis referant sacerdotes » ; ut vidimus inter probationes conclusionis.

Insuper observandum est quod, quamvis jus appellationum sit primatui Sedis apostolicæ annexum, tamen Romani Pontifices illud nec semper, nec erga omnes exercuerint, sed juxta usum in pluribus provinciis introductum consenserunt, ut simplicium sacerdotum et inferiorum clericorum causæ, vel ab episcopis, vel a conciliis provincialibus, vel a primatibus ultimate definirentur, ne vel occasio præberetur clericis vagandi, vel ne ex nimia appellationum frequentia frangeretur auctoritas episcoporum, et ii qui primo judicaverunt immerito vexarentur, atque causæ alioquin faciles in longum tempus protraherentur. His præmissis

Resp. ad singula. Ad primum : 1° Epistola synodi occidentalis ad Theodosium multis videtur supposititia ; 2° nego conseq. Ex eo enim quod Damasus noluerit cognoscere causam Maximi, absentibus orientalibus, non sequitur quod non potuerit ; 3° nego ant. Revera enim cognovit et diremit causam Maximi, eumque in communionem recepit : « Nihil habemus, inquiunt patres synodici in laudata epistola, in quo de ejus episcopatu dubitare possemus... Itaque Maximum episcopum in communionem receperunt consortia nostra... Nec ab episcopatus Constantinopolitani putavimus petitione removendum ». Hocque jus confirmant exemplis S. Athanasii et Petri Alexandrini, qui ad Sedem Romanam appellaverant. Nec obstat quod in eadem epistola dicant Theodosio, concordiam « non posse aliter convenire, nisi aut is (Maximus) reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certe super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum orientaliumque concilium. » Sic namque locuti sunt, remittentes de juribus Romanæ ecclesiæ pro bono pacis facilius redintegrandæ, et ad extinguendum ecclesiæ Constantinopolitanæ schisma.

Ad secundum : Concilium Milevitanum non prohibet omnium appellationes, sed presbyterorum tantum, diaconorum, et inferiorum clericorum : patet ex prioribus verbis canonis : « Placuit, inquit, ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant, quod si ab eis provocandum, etc. » ut in instantia. Sic autem statuit concilium ex usu recepto, consentiente Romano Pontifice, propter rationes datas in observatione superiori.

Si dicas in collectione canonum ecclesiæ Africanæ, quæ tribuitur concilio VI Carthaginensi, in eo canone 22 concilii Milevitani, post prohibitionem factam inferioribus clericis appellandi ad Sedem apostolicam, subjungi : « Sicut et de episcopis sæpe constitutum est. » Resp. cum Natali Alexandro hanc clausulam esse irreptitiam ; quia non habetur in canone Milevitano, neque refertur a Cresconio in sua canonum collectione, nec, si ita esset, eum omisissent patres Africani in concilio VI Carthagininsi, in quo agebatur de appellationibus transmarinis quas ægre ferebant, de quo modo.

Inst. : S. Cyprianus ipse Africanus, epist. 55, conqueritur de appellatione Fortunati episcopi ad Cornelium papam : ergo.

Resp. Fortunatum, cum a S. Cypriano fuit excommunicatus, esse simplicem presbyterum, ac post excommunicationem a paucis hæreticis pseudo-episcopum fuisse ordinatum : patet ex verbis ejusdem epistolæ Cypriani ad Cornelium : « Maxime, inquit, quando et Fortunati nomen jam satis nosses, qui est unus ex quinque presbyteris jam pridem de Ecclesia profugis :... Hi quinque cum paucis, vel sacrificatis, vel male sibi consciis, Fortunatum sibi pseudo-episcopum cooptarunt. » Non ergo conqueritur S. Cyprianus quasi dubitans de jure Romani Pontificis recipiendi appellationes, sed quod, contra usum Africanæ ecclesiæ, simplicis presbyteri appellationem recepisset.

Ad tertium, relictis variis solutionibus, resp. ecclesiam Africanam, non jus, sed usum appellationum ad Sedem Romanam, equidem aliquandiu errore facti deceptam, impugnasse ; sed quem, errore non multo post deposito, agnovit et venerata est. Explicatur : cum Apiarius, presbyter Africanus, appellasset ad Sedem Romanam, idque ægre ferrent episcopi Africani, Zozimus papa, in commonitorio quod dederat suis legatis ad concilium Carthaginense, fundabat usum appellationum ad Sedem Romanam in « canonibus Nicænis », qui tamen revera non erant Nicæni, sed Sardicenses : at moris erat apud Sedem apostolicam citare canones Sardicenses sub nomine Nicænorum ; quia concilium Sardicense semper fuit habitum ut appendix concilii Nicæni, eo quod in Sardicensi nullus fidei canon sit editus, sed tantum fides nicæna confirmata, et ejus defensores vindicati. Hoc autem non attendentes Africani scrutati sunt undequaque canones concilii Nicæni, tum in codice quem apud se habebant, tum in codicibus asservatis Constantinopoli et Alexandriæ, etc., et cum in iis non reperirent canones citatos a Zozimo, collegerunt usum appellationum ad Sedem Romanam fundari in canonibus supposititiis, et ideo illum impugnaverunt, non tamen aliquid in contrariam definiendo, sed rogando Bonifacium et Cœlestinum, successores Zozimi (is enim a discessu legatorum obierat), variis adductis rationibus ut appellationes Africanorum deinceps non reciperet.

Verum hæc nihil profuerunt, cum ipse Cœlestinus appellationem iteratam ejusdem Apiarii receperit, et ipsimet episcopi Africani, ab errore liberati, Antonii Fussalensis episcopi appellationi ad sanctam Sedem detulerint, ut constat ex ipso S. Augustino, inter Africanos tunc præcipuo, epist. 209, olim 261, ad eumdem Cœlestinum, in qua ipsum de omnibus contra dictum Antonium in synodo Africana gestis certiorem facit ; et adeo non dubitat quominus summus Pontifex ipsum, quamvis a synodo Africana exauctoratum, posset suæ sedi restituere, ut dicat se cogitare de abdicando episcopatu, casu quo iste Antonius suo episcopatui restitui contingat : « Me sane, inquit in *eadem epistola*, in isto utrorumque periculo, tantus timor et mœror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi episcopatum abscedere, si per eum, cujus episcopatui per imprudentiam suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, et, quod ipse Deus avertat, etiam cum vastantis perditione, perire conspexero. »

Demum, quovis modo se res habuerit cum Africanis in ista contentione, certum est eos nihil obtinuisse, et appellationes ad Sedem Romanam posthac, sicut antea, in Africa semper in usu fuisse, ut constat ex dictis et ex pluribus aliis exemplis.

Inst.: In collectione canonum Africanæ ecclesiæ, canone 96, prohibetur ne a judicibus electis in Africa provocetur : ergo.

Resp. eo in canone non agi de causis ecclesiasticis, sed de causis civilibus et criminalibus clericorum, ad quas dirimendas, juxta disciplinam Africanæ ecclesiæ, eligebantur ex clero judices arbitri, nec licebat eas deferre ad judices sæculares in clericorum dedecus : ita colligitur ex canone 9 concilii Carthaginensis III, quo prohibetur clericis ne causas suas ad sæcularia tribunalia deferant.

Ad quartum: Synodus Quini sexta, seu Trullana, nullius est auctoritatis in Ecclesia, quippe quæ fuit græcorum tantum, nec a summo Pontifice probata, et cujus plures canones scatent erroribus. Concilium Constantinop. quod

citat non æquat episcopum Constantinopolitanum Romano, sed præfert Alexandrino et Antiocheno, can. 3 vel 5 : « Constantinopolitanæ civitatis episcopus, inquit, habere oportet honorem post Romanum episcopum, propterea quod sit nova Roma. » Quantum ad synodum Chalcedonensem, quidquid pro primatu Constantinopolitani episcopi statuit, irritum est, utpote factum reclamantibus aut absentibus apostolicæ Sedis legatis, nec a S. Leone confirmatum, ut patet ex ejus *epistolis* 53, 54, 59 et 61, ubi dicit se approbare illa « quæ in causa fidei in hac synodo definita sunt, non autem quæ de ambitu episcopi Constantinopolitani. »

Ad quintum : 1° Non ex legibus imperatorum, sed Ecclesiæ, colligenda est ejus disciplina. 2° Intelligit Justinianus de causis episcoporum, non ecclesiasticis, sed civilibus, quæ post judicium patriarcharum erant ad imperatorem devolutæ. Constat enim ex actione 1 et 4 concilii Constantinopolitani sub Menna ipsum non obstitisse Agapeto papæ, qui ad instantiam monachorum cognovit causam Anthimi qui Sedem patriarchalem invaserat. De jure appellationum ad Sedem Romanam late et docte Natalis Alexander, sæcul. 4, dissert. 28.

Obj. 4° plura simul : 1° Episcopi sunt successores Apostolorum sicut summus Pontifex, ex S. Cypr., epist. 42, S. Hier., epist. 54, S. Aug. in Psal. 44. 2° Sunt etiam episcopi successores S. Petri, ex S. Cypriano, epist. 27, S. Hier., epist. 1. 3° Episcoporum auctoritas est immediate a Deo sicut auctoritas Romani Pontificis, Act. 12 : *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei;* et ex SS. Patribus. 4° Episcopi sunt vicarii Christi, sicut summus Pontifex, ex S. Cypriano, epist. 55, et S. Bernardo, epist. 42. 5° Episcopi dicuntur a SS. Patribus, S. Clemente, l. 6 Constit. Apost. c. 14, S. Ignatio martyre, epist. 6 ad Philadelphios, et aliis, universalis Ecclesiæ curam gerere : quibus omnibus evincitur episcopos parem cum Romano Pontifice habere potestatem. Unde S. Hieronymus, *epist. ad Evagrium*, ait : « Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Ubicumque fuerit episcopus, sive Romæ, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti est et ejusdem sacerdotii. »

Resp. ad primum, dist. ant. Episcopi sunt successores Apostolorum quoad potestatem episcopatus, conc.; quoad potestatem apostolatus, nego. Duplex itaque in Apostolis distinguenda est potestas, una apostolatus quæ erat cum tota plenitudine, utpote necessaria exercendo apostolatui, et hæc fuit ordinaria in S. Petro, ideoque ad successores transmissa, in aliis autem Apostolis extraordinaria et ideo ad successores non integre transmissa. Alia potestas erat episcopalis, secluso apostolatu et sine plenitudine, et hæc in omnes episcopos est transfusa : prima innuitur Marci 16 : *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ :* altera 1 Petri 5 : *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Constat insuper episcoporum potestatem certis limitibus semper fuisse circumscriptam : unde Apost. ad Tit. c. 1 : *Hujus rei gratia,* inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas et constituas presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Et concilium Nicænum, can. 15, prohibet episcopis « a civitate in civitatem transire » : idem probat tota antiquitas.

Ad secundum, dist.: Episcopi sunt successores S. Petri directe, nego; indirecte, subdistinguo : Quoad auctoritatem episcopatus, conc.; quoad auctoritatem primatus, nego. Cum itaque pauci Apostoli habuerint sedes fixas, episcopi non possunt dici Apostolorum successores nisi in genere, non enim possunt dici successores speciales Andreæ, vel Bartholomæi, vel Philippi, etc., præsertim cum plena potestas, quæ erat in ipsis extraordinaria, etiam cum ipsis perierit. At Petrus habuit potestatem ordinariam cui succederetur et ad quam, ut ad principalem, omnium prælatorum auctoritas diceret ordinem, qua ratione episcopi dicuntur indirecte Petri successores in auctoritate quidem, non in gradu auctoritatis, in episcopatu, non in primatu.

Ad tertium, resp. cum Sylvio, l. 4 *Controvers.* a. 5, Soto, Banne, Bellarmino, etc., dist. idem ant. Auctoritas episcoporum est immediate a Deo, si per auctoritatem intelligatur potestas ordinis, conc., Sicut enim Christus principaliter baptizat, sic principaliter consecrat, ac confert characterem. Si per auctoritatem intelligatur potestas jurisdictionis, nego. Hanc enim episcopi habent a Deo, mediante summo Pontifice : quia cum regimen Ecclesiæ sit monarchicum, omnis jurisdictio in uno residet tanquam in capite, a quo derivatur in alios, ut dicit S. Leo, *epist.* 89 : « Hujus muneris sacramentum, inquit, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab eo ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus

omne diffunderet. » Unde episcopi nominati vel electi nullam jurisdictionem habent, nisi a Romano Pontifice confirmentur. Et ita censet Auctor in 4, dissert. 20, art. 4, et lib. 4 *cont. Gent.* cap. 76, ubi ait Christum soli Petro promisisse : « Tibi dabo claves regni cœlorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda. » Quidam alii, ut Natalis Alexander, sæc. 1, diss. 4, Gersonius, de *Statibus ecclesiasticis*, consid. 3, videntur agnoscere jurisdictionem episcoporum esse etiam immediate a Deo, dependere tamen quoad exercitium a summo Pontifice, quod non multum differt.

Nec obstat quod dicitur Act. 20: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos*, etc. Nec enim negamus Spiritum Sanctum instituere episcopos, sed mediante supremo Ecclesiæ capite, sicut eos, quos alloquebatur Apostolus, instituerat, mediante Apostolorum ministerio.

Ad quartum, dist. Episcopi sunt vicarii Christi æquo jure cum Romano Pontifice, nego; minori jure, conc. Etenim Romanus Pontifex vices Christi gerit in universa Ecclesia, et independenter a quovis homine mortali : episcopi vero vices Christi gerunt in suis ecclesiis tantum et dependenter a papa.

Ad quintum, dist. Episcopi dicuntur universalis Ecclesiæ curam gerere ratione charitatis, qua præ cæteris tenentur Ecclesiæ subvenire, conc.; ratione auctoritatis, qua toti Ecclesiæ præsint, nego. Patet ex dictis.

Inst. 1° : Quilibet episcopus potest in aliena diœcesi uti sua auctoritate : ergo. Prob. ant. ex facto S. Epiphanii, Salaminæ episcopi, qui in diœcesi Jerosolymitana, inconsulto Joanne Jerosolymitano episcopo, diaconum et presbyterum ordinavit in monasterio Bethlemitico ; quod factum cum improbasset Joannes, vindicavit ut justum et licitum S. Epiphanius.

Resp. neg. ant. Ad probat.: S. Epiphanius ordines contulit in aliena diœcesi, non vi jurisdictionis, sed urgente charitate et necessitate : cum enim in monasterio Bethlemitico fratrum peregrinorum esset penuria ministrorum, et qui erant idonei recusarent ordinari, nec a Joanne Jerosolymitano possent compelli; tum quia ab eo tanquam origenista dissidebant, tum quia, ut scribit Epiphanius ad ipsum Joannem, « hoc monasterium ejus provinciæ nihil debebat », occasionem ex Dei speciali dispensatione nactus Epiphanius, unum etsi repugnantem comprehendit, et diaconum, deinde presbyterum ordinavit, ut ipse narrat in laudata epistola ad Joannem. Quod autem Joannes dicat se id prohibuisse Epiphanio, respondet in eadem epistola Epiphanius se nihil de tali prohibitione audivisse.

Inst. 2°: S. Athanas. toti Ecclesiæ leges dedit ex S. Greg. Naz. Item coegit concilium ex episcopis aliorum patriarchatuum, ut patet ex epistola synodali cujus inscriptio est hæc : « S. Athanas. cæterique episcopi qui Alexandriæ ex Italia, Arabia, Ægypto et Lybia hic adsunt. » Ergo.

Resp. ad primum, S. Athanasium dedisse leges Ecclesiæ, docendo non jubendo. Ad secundum : Episcopos qui ex Italia ibi nominantur, non convocaverat auctoritate Athanasius, sed illuc eos miserant Lucifer Calaritanus et Eusebius Vercellensis, tunc summi Pontificis in oriente legati, ut S. Athanasio pro fide laboranti opem ferrent.

Ad verba S. Hieronymi in objectione relata: Non loquitur ibi S. Doctor de auctoritate summi Pontificis, sed de auctoritate consuetudinis urbis Romæ, quam dicit esse minorem quam auctoritatem totius Ecclesiæ : agit enim contra consuetudinem a diaconis Romæ introductam, qui, cum pauci essent, et thesauro ecclesiastico essent præpositi, se presbyteris præponebant contra jus et antiquum totius orbis morem. Quod addit episcopos ubique esse « ejusdem meriti », intelligendum est de charactere ordinis, non de potestate jurisdictionis. Confer textum S. Hieronymi in probationibus.

Obj. 5° ab inconvenientibus : Si Romanus Pontifex habeat primatum super omnes episcopos, et totam Ecclesiam, sequitur 1° quod posset dici episcopus universalis : atqui id negat S. Gregorius, dicitque hoc nomen esse profanum et blasphemum, nullumque suorum decessorum tam profano vocabulo usum fuisse: ita epist. 36 ad Eulogium Alexandrinum et Anastasium Antiochenum, et epist. 32 ad Mauritium imperatorem contra Joannem Constantinopolitanum, qui se patriarcham œcumenicum seu universalem inscribebat : ergo. Sequitur 2° quod Romanus Pontifex posset saltem dici « princeps sacerdotum », vel « summus sacerdos » : atqui in jure, cap. *Primæ sedis*, dist. 90, prohibetur ne primæ sedis episcopus dicatur « princeps sacerdotum », vel « summus sacerdos », et additur, « ut nec universalis Romanus Pontifex appellatur » : ergo. Sequitur 3° quod Romanus Pontifex posset universos canones abrogare, quod negant Martinus I, *epist. ad Pantaleonem :* « Canones, inquit, ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores et custodes canonum sumus, non trans-

gressores ; » Eugenius III, *epist.* 8 *ad episcopos Germaniæ :* « Contra Deum autem, inquit, et sacrorum canonum sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere assensum. » Similiter plures alii Pontifices, idque constat ex professione fidei, quam olim faciebant Romani Pontifices dum erant electi , in qua promittebant se sacros canones servaturos ; refertur in libro diurno Romanorum Pontificum : ergo. Sequitur 4° quod papa posset solus causas episcoporum dirimere, et ipsos deponere, quod est contra canones, juxta quos depositiones episcoporum debent fieri in conciliis provincialibus : ergo.

Resp. ad primum, dist. sequelam : Posset dici episcopus universalis, id est, qui Ecclesiam universalem regat, conc.; id est, qui sit solus universæ Ecclesiæ episcopus , nego. Et hoc sensu S. Gregorius dixit hoc nomen esse profanum et blasphemum, non primo sensu : illud tamen absolute recusavit, quia pravo sensui poterat esse obnoxium, et ut hoc humilitatis exemplo Joannis Constantinopolitani superbiam efficacius comprimeret : ita innuit *epist.* 36 in qua ait : « Sed nullus unquam decessorum meorum tam profano vocabulo uti consensit, quia videlicet, si unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. » Similiter epist. 38 ad ipsum Joannem et epist. 32, in qua refert hoc nomen fuisse oblatum S. Leoni a synodo Chalcedonensi, quod ipse eadem ratione recusavit.

Ad secundum : Capite *Primæ Sedis* non agitur de summo Pontifice, sed de metropolitis Africanis, qui se « principes sacerdotum et summos sacerdotes » fastuose inscribebant : hic namque canon laudatur ut sextus concilii Africani. Quod autem additur : « Ut nec universalis Romanus Pontifex appellatur », verba sunt non canonis, sed Gratiani, qui plura alia erronea suæ collectioni inseruit. Sed esto essent verba canonis, intelligenda forent ad sensum præcedentis solutionis.

Ad tertium, dist. : Summus Pontifex posset abrogare canones qui spectant fidem, aut jus divinum vel naturale, nego, hæc enim sunt invariabilia et inconcussa; canones qui spectant disciplinam, aut jus ecclesiasticum, subdistinguo : Posset abrogare, subsistente justa causa, conc.; nulla subsistente causa, iterum subdistinguo: Posset valide, conc.; licite, nego. Et ad hunc sensum intellectis auctoritatibus positis in minori, nego. conseq. Sicut igitur supremus legislator civilis leges, a se vel prædecessoribus suis conditas, potest, subsistente causa, abrogare; si vero nulla subsit causa, peccat quidem abrogando, quia potestate uti debet ad ædificationem, et non ad destructionem, valide tamen manent abrogatæ, ita ut subditi vi illarum amplius non teneantur, quia leges pendent a voluntate legislatoris : sic dicendum est de summo Pontifice, qui est supremus legislator, et monarcha in Ecclesia Dei.

Ad quartum, similiter dist. : Posset solus papa deponere episcopos, si summo jure agat, conc.; si canonibus insistat, quos, ut dictum est, non potest sine causa licite abrogare, nego. Solutio patet ex præcedenti.

ARTICULUS IV.

QUO JURE ECCLESIÆ PONTIFICATUS SIT EPISCOPATUI ROMANO ANNEXUS?

Suppono 1° ut fide certum successorem Petri habere jure divino primatum in universam Ecclesiam, id namque revelatum habemus in S. Scriptura quod enim Christus dixit et dedit Petro, ut pastori Ecclesiæ, dixit et dedit ejus successori : et cum instituerit in Petro pontificatum usque in finem mundi duraturum, qui succedit Petro pontificatum accipit a Christo.

Suppono 2° etiam esse fide saltem probabilius, stante præsenti rerum statu, Romanum Pontificem esse successorem Petri, consequenter eum habere jure divino pontificatum; quia, licet non sit revelatum immediate in se Romanum Pontificem esse Petri successorem, est tamen revelatum mediate, et ut pars in toto, sicut præcedenti dissert. dicebamus de factis dogmaticis, quia revelatum est Ecclesiam non posse errare in agnoscendo et acceptando suo supremo capite et pastore, qui sit illi regula fidei et morum, alias portæ inferi prævalerent adversus illam ; sicque revelatum est, quod is, quicumque sit, quem Ecclesia agnoscit et acceptat pro successore Petri, et suo supremo pastore, sit revera talis : ergo revelatum est quod Romanus Pontifex, quem Ecclesia agnoscit et acceptat pro successore Petri et suo supremo pastore, sit vere successor Petri et supremus Ecclesiæ pastor, de qua suppositione ex professo disputabimus art. ultimo hujus dissertationis.

Verum subtilior movetur quæstio non de ipsa successione, sed de ratione successionis, utrum episcopus Romanus sit ex institutione Christi et jure divino successor Petri et caput Ecclesiæ, quia est Romanus episcopus, ita ut

non possit sedem Romanam cum alia commutare, aut manere sine sede, sicut Petrus mansit quatuor aut quinque primis annis : et de hoc est dubium inter theologos; quia quod Romanus episcopus, qua talis sit successor Petri et caput Ecclesiæ, videtur fundatum in facto voluntario Petri qui Romæ sedit usque ad mortem, et non in institutione Christi.

Neque obstat, quod dixerimus esse de fide quod Romanus episcopus sit successor Petri et caput Ecclesiæ : aliud enim est successio, aliud ratio successionis, ut jam innuimus : successio quidem est de fide, non ratio successionis : unde quærenti an sit de fide Romanum episcopum esse jure divino successorem Petri et caput Ecclesiæ ? respondendum est affirmative. Quærenti autem an sit de fide Romanum episcopum esse jure divino successorem Petri et caput Ecclesiæ , quia est episcopus Romanus ? respondendum est negative : unde in suppositione dixi; « stante præsenti rerum statu. »

Quidam ergo theologi opinantur supremum pontificatum non esse annexum episcopatui Romano ex institutione immediata Christi, sed ex voluntario Petri facto qui proprio nutu, relicta Antiochia, sedit Romæ usque ad mortem, consequenter jure tantum ecclesiastico et non divino, sicque Ecclesiæ dispositione fieri posse ut Romanus Pontifex sedem Romanam deserat, et aliam eligat, aut nulli sedi se mancipet, sicut Petrus fuit quatuor aut quinque primis annis, ita ut ubicumque maneret haberetur supremus Ecclesiæ universalis pastor, et moriens nullum determinatum episcopum haberet, sed quem Ecclesia eligeret, ut contigisset in Petro si primis annis obiisset. Ita Soto in 4, d. 24, q. 2, a. 4. Hæretici autem dicunt primatum esse annexum episcopo Romano gratia principum. Contra quos omnes

Dico : Probabilius est supremum pontificatum esse annexum episcopatui Romano ex institutione immediata Christi, consequenter jure divino. Ita Turrecremata, Cajetanus, Bannes, Cano, Sylvius et communius.

Prob. 1°: Supremus Ecclesiæ pontificatus est jure divino annexus episcopatui Romano, si Petrus ex institutione et mandato Christi sedem Romæ fixit : atqui sic esse testantur auctores gravissimi: ergo. Prob. min.: 1° S. Ambrosius, epist. 32 *contra Auxentium* de S. Petro, ita scribit : « Quamvis esset cupidissimus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instituendum et confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, et videns sibi in porta Christum occurrere urbemque ingredi, ait : Domine, quo vadis? Respondit Christus : Venio iterum crucifigi.... Intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit : interrogantibus christianis, responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Jesum. » Hanc etiam historiam refert Hegesippus, de *Excidio Jerosolymitano*, lib. 3, c. 3, eamque citat S. Gregorius, in Psal. 5 pœnitentialem, tanquam indubitatam, his verbis : « Petro ait : Venio Romam iterum crucifigi. » « Voluit autem Christus Petrum Romæ pati, inquit Gelasius in decreto de scripturis apocryphis, ut morte Petri primatus in Romana Sede firmaretur.

Prob. 2° prima min. Idem Gelasius, c. *Quamvis* d. 11, ait : « Sancta Romana catholica et apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit. » Ex quibus verbis S. Th., *Opusc. contra impugnantes relig.*, probat papam habere immediatam jurisdictionem in omnes christianos. Pelagius II, *epist.* 1 : « Romana Sedes, inquit, instituente Domino, caput est omnium ecclesiarum. » Constantinus magnus, Cap. *Constantinus* , d. 96 , donans Romanis Pontificibus urbem Romam dicit : « Ubi princeps sacerdotum et christianæ religionis caput ab imperatore cœlesti constitutum est , justum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem. »

Prob. 2° conclusio a posteriori : Si supremus pontificatus non esset episcopatui Romano jure divino, sed ecclesiastico tantum, annexus, fuisset verisimilius alio translatus, cum urgerent quandoque gravissimæ rationes illum transferendi : enimvero tribus primis sæculis imperatores Romani immaniter sævierunt in summos Pontifices, qui vel continuo latitare, vel exulare cogebantur, aut morte afficiebantur : neque tamen de transferendo pontificatu cogitatum est. Item plures Romani Pontifices Avenione in Gallia per septuaginta annos sederunt, nec tamen sedem ecclesiæ Romanæ sic deseruerunt, ut pontificatum alteri annecterent, ipsique fierent episcopi Avenionenses aut alii. Item Constantinus Magnus nihil non tentavit, ut Constantinopolim quam « novam Romam » voluit appellari, omni ornatu condecoraret, absque dubio et summum pontificatum illi adscribi ab episcopis curasset, si id ab ipsis dependisset.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° cum hæreticis : Primatus annexus est ecclesiæ Romanæ gratia principum sæcularium : ergo. Prob. ant.: 1° Cap. *Constantinus*, d. 96, Constantinus Magnus quarta die sui baptismi Romanæ ecclesiæ Pontifici hoc privilegium dedit, ut omnes sacerdotes eum haberent caput sicut judices regem : « Atque, inquit, decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor præcipuas, quam etiam super omnes in universo orbe terrarum ecclesias Dei. » 2° Juxta Platinam, *in Vita Benedicti* II, Constantinus IV primatum Pontifici Romano detulit. 3° Juxta Bedam, *lib. de sex ætatibus*, ad annum mundi 4557, Phocas imperator dedit episcopo Romano primatum in Græcos. 4° Valentinianus imperator, *Novella* 3, dicit primatum fuisse Romano Pontifici collatum ab imperatoribus, et a synodis confirmatum propter urbis Romæ amplitudinem. 5° Æneas Sylvius, postea papa Pius II, *Epist.* 288, dicit : « Ante Nicænum concilium sibi quisque vivebat, et ad Romanam ecclesiam parvus habebatur respectus. » Ergo.

Resp. ad primum : Ex probationibus conclusionis constat Constantinum agnovisse primatum Pontifici Romano esse collatum, « ab imperatore cœlesti » : unde in his quæ objiciuntur non instituit ex auctoritate novum jus, sed jus divinum promulgat et asserit, ut nemo obedientiam et reverentiam Romano Pontifici debitam exhibere detrectet.

Ad secundum : Constantinus IV non de primatu Romani Pontificis loquitur, sed de ejus electione, circa quam cedit juri quod existimabat se habere, et quo usi fuerant ejus prædecessores.

Ad tertium, ut ad primum : Phocas non tribuit episcopo Romano novum jus, sed antiquum declarat et asserit ad comprimendam episcopi Constantinopolitani superbiam, qui se Romano Pontifici coæquare volebat.

Ad quartum : Valentinianus non dicit primatum fuisse collatum Romano Pontifici ab imperatoribus, sed quod « Sedis apostolicæ primatum S. Petri meritum, qui princeps erat episcopalis coronæ et Romanæ dignus civitatis, sacræ etiam synodi firmaverit auctoritas ». Quæ verba significant primatum fuisse Petro a Christo collatum ex merito ejus confessionis, et a sacris synodibus assertum et declaratum.

Ad quintum : Pius II, epist. citata, aperte asserit primatum Romani Pontificis esse ex institutione Christi : « Contra, inquit, nonnullorum temeritatem, quibus Romani Pontificis auctoritas neque necessaria esse videtur, neque ex Christi institutione : » unde cum subdit ante concilium Nicænum quemquam sibi vixisse, et ad ecclesiam Romanam parvum habuisse respectum, nihil aliud intendit quam quod, propter crebras persecutiones, vix Romani Pontifices exercerent suam potestatem, et propterea episcopos ad sedem Romanam frequentem recursum non habuisse.

Obj. 2° cum quibusdam theologis : S. Petrus habuit primatum ex voluntate et institutione Apostolorum, juxta illud Anacleti, cap. *In novo*, d. 21, « Cæteri Apostoli cum eodem Petro pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum voluerunt. » Idem dicit Julius Papa, causa 3, q. 6, cap. *Dudum* : ergo. 2° Actione 6 concilii Chalcedonensis dicitur ecclesiam Romanam « a patribus habuisse primatum », propter imperium quod tunc tenebat : ergo.

Resp. ad primum : 1° Hæ decretales priorum Pontificum a plerisque habentur apochryphæ. 2° His datis et intellectis ad sensum conclusionis, sequeretur non solum quod primatus Romani Pontificis ut talis, sed nec primatus S. Petri esset ex institutione Christi, quod non admittunt catholici. 3° Nihil aliud volunt hi Pontifices quam quod Apostoli acceptaverint ordinationem Christi, et hac ratione voluerint ipsum esse caput : ita seipsum explicat idem Anacletus, cap. *Sacro-sancta*, dissert. 22 : « Licet, inquit, omnes essent Apostoli, Petro tamen a Deo concessum est (et ipsi inter se idipsum voluerunt) ut reliquis omnibus præesset Apostolus et Cephas, id est, caput et principium teneret Apostolatus. » Et Julius, citans cap. *Dudum*, dicit quod ecclesia Romana sit, « Domino instituente, prima et caput omnium cæterarum. »

Ad secundum : Jam diximus acta synodi Chalcedonensis contra primatum Romanæ ecclesiæ nullius esse roboris, utpote definita absentibus aut reclamantibus S. Sedis legatis et a S. Leone improbata.

Obj. 3° : Vel primatus est privilegium locale vel personale : si primum, semel concessum uni loco in alium transferri non potest, sicque Petrus non potuit illud Antiochia Romam transferre : si secundum, nulli loco est annexum : ergo.

Resp. hoc privilegium 1° fuisse personale, quippe concessum personæ Petri, non ut privato, sed ut pastori Ecclesiæ, ideoque in successores transmittendum ; postea vero proba-

bilius evasisse locale pro urbe Roma, ex mandato Christi facto Petro, sive ante ascensionem, sive cum occurrit illi dicens : « Venio Romam iterum crucifigi ».

Inst. 1° : Si Roma funditus subverteretur, non esset amplius episcopus Romanus, et tamen esset aliquis supremus Ecclesiæ pastor : ergo.

Resp. neg. sequelam; foret enim adhuc jure Romanus episcopus, sicut sunt modo episcopi in partibus infidelium. Insuper credibile est Deum hanc totalem Romæ eversionem non permissurum.

Inst. 2° : Quod est juris divini est de fide : atqui non est de fide quod primatus sit annexus episcopatui Romano : ergo.

Resp. dist. maj.: Quod est juris divini est de fide, si sit de fide certum quod sit juris divini, conc.; si sit tantum probabilius, nego. Nos autem non dicimus esse fide certum primatum esse jure divino annexum episcopatui Romano, quia id non habemus revelatum in S. Scriptura vel traditione, sed esse probabilius tantum, ideoque non potest esse de fide quoad nos.

ARTICULUS V.

DE INFALLIBILITATE SEU INERRANTIA SUMMI PONTIFICIS IN DEFINIENDIS QUÆSTIONIBUS FIDEI ET MORUM.

§. I.

Prænotanda.

Nota 1° Quamvis conveniant omnes catholici de primatu Romani Pontificis et de certis prærogativis huic dignitati annexis, quarum aliquas art. 3, in fine probationum, recensuimus, duæ supersunt gravissimæ difficultates, scilicet an iste primatus contineat privilegium infallibilitatis et superioritatis ad concilium generale. Utramque quæstionem quidam confundunt ; videntur tamen in aliquo differre : quamvis enim, supposita infallibilitate summi Pontificis in quæstionibus fidei et morum, certo constet ipsum in iis non subjici concilio, posset tamen illi subjici quoad alia, puta correctionem, reformationem, depositionem, etc. Quapropter utramque quæstionem, licet iisdem fere fundamentis innixam, et ut plurimum iisdem argumentis impugnatam, seorsim tractabimus. Primam de infallibilitate summi Pontificis in hoc articulo, alteram de ejus superioritate ad concilium generale in subsequenti.

Nota 2° hominem qui est papa posse considerari dupliciter, ratione suppositi et ratione officii, seu ut hominem privatum et ut summum Pontificem Christi vicarium, et utroque modo consideratum posse loqui : tunc loquitur ut homo privatus quando ex propria mente, non ex plenitudine potestatis, librum interpretatur, privatam opinionem aperit, quæstionem tractat et resolvit : loquitur autem ut pontifex quando ut supremus Ecclesiæ pastor et caput aliquid proponit toti Ecclesiæ in rebus fidei et morum, obligans omnes fideles, sub pœna hæreseos, ad illud fide divina credendum ; et sic dicitur loqui *ex cathedra* hoc est, ex plenitudine potestatis ; quia per cathedram significatur auctoritas docendi et præcipiendi : unde illud Matth. 23 : *Super cathedram Moysi sederunt*, etc. Quidam hanc distinctionem recenter adinventam dicunt, sed præterquam quod ex natura rei petitur, et in omnibus aliquod officium publicum gerentibus reperiatur, non enim rex aut prætor seu judex semper agit ex officio ut rex aut judex : natio gallica, anno 1305, adhibuit hanc distinctionem in libello dato Clementi V, contra Bonifacium VIII, ut videbimus infra.

Nota 3° ad hoc ut papa censeatur loqui ex cathedra, plures ulterius requirere, quod definiat libere, et non ex metu aut violentia coactus, fusis ad Deum precibus, præmisso rei definiendæ maturo examine, præhabita consultatione ecclesiæ suæ Romanæ, seu cleri Romani, nunc eminentissimorum cardinalium ; quia hæc censentur media ad id munus requisita ; neque Christus papam infallibilem constituit, nisi humano modo agentem, secundum quod decet homines gubernari et mediis ordinariis utentem : neque solent pontifices ex cathedra definire nisi his mediis adhibitis. Alii tenent hæc, excepta libertate, non requiri ; quia, inquiunt, Spiritus Sanctus, cujus assistentia Petro et successoribus promissa est, non pendet ab adjutorio humano ut aliquem illuminet circa fidei veritates, nec legitur assistentiam suam tali auxilio alligasse.

Nos non negamus hæc media requiri, plus tamen aut minus pro rerum exigentia ; sed dicimus non teneri fideles inquirere et scire an sint adhibita : a quo enim id inquirerent et rescirent ? Unde, hoc ipso quo a summo pontifice emanat constitutio in rebus fidei et morum toti Ecclesiæ directa, obligat omnes fideles ei assensu interiori adhærere sub pœna

hæreseos, debent supponere omnia media necessaria fuisse adhibita, nisi manifeste constet de opposito, alioquin nihil esset fixum in Ecclesia, et quilibet posset recusare obedientiam, eo prætextu quod non omnia fuerint adhibita, aut saltem quod de hoc non constet. Idque jure supponunt, quia qui promisit infallibilitatem in docendo universam Ecclesiam, non deest mediis ad id necessariis. Sic, quia Deus promisit infallibilitatem concilio generali, hoc ipso quo ab eo emanat decretum fidei, supponimus omnia media necessaria fuisse adhibita, scilicet, omnes judices in eo sedentes esse baptizatos, esse presbyteros et episcopos, quæstionem prius fuisse mature discussam, fusas fuisse ad Deum preces, etc., ea scilicet, quam dixi, ratione ; quia Deus qui promisit finem, certo providet de mediis necessariis ad illum.

Nota 4° quæstionem præsentem non esse de summo pontifice ut homine privato, quem ut talem communior sententia tenet posse errare, sed de pontifice ut pontifice loquente ex cathedra : circa quam est duplex sententia : prima Gallorum qui ut plurimum tenent summum pontificem non esse infallibilem in rebus fidei et morum, nisi accedente consensu Ecclesiæ, sive in concilio generali congregatæ, sive saltem per orbem diffusæ, ex declaratione Cleri Gallicani 1682, cujus tenor sequitur.

Cleri Gallicani

De ecclesiastica potestate Declaratio.

Die 19 Martii 1682.

« Ecclesiæ gallicanæ decreta et libertates a majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris canonibus et patrum traditioni nixa multi diruere moliuntur; nec desunt qui earum obtentu primatum beati Petri ejusque successorum Romanorum pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque apostolicæ in qua fides prædicatur et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam potestatem qua pax Ecclesiæ continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ matris Christique adeo communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus, nos archiepiscopi et episcopi Parisiis mandato regio congregati, ecclesiam gallicanem repræsentantes, una cum cæteris viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda et declaranda esse duximus. »

I. « Beato Petro ejusque successoribus Christi vicariis ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem , dicente Domino : *Regnum meum non est de hoc mundo*, et iterum: [1] *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo ;* ac proinde stare apostolicum illud : [2] *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ, directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ quam imperio utilem, ut verbo Dei, patrum traditioni, et sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam. »

II. « Sic autem inesse apostolicæ Sedi ac Petri successoribus Christi vicariis rerum sprituali um plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctæ œcumenicæ synodi Constantiensis a Sede apostolica comprobata, ipsoque Romanorum pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab ecclesia gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quæ sessione quarta et quinta continentur; nec probari a gallicana ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minus approbata , robur infringant , aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant.»

III. « Hinc apostolicæ potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos : valere etiam regulas, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines tantæ Sedis et ecclesiarum consensione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant. »

IV. « In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium nisi Eclesiæ consensus accesserit. »

[1] Joan 18, 36. Luc. 20, 25. — [2] Rom. 13, 1, 2.

« Quæ accepta a patribus ad omnes ecclesias gallicanas atque episcopos iis Spiritu Sancto auctore præsidentes, mittenda decrevimus; ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu et in eadem sententia. » Subscripserunt triginta quatuor episcopi et triginta quinque deputati.

Altera sententia est omnium aliarum nationum, quæ constanter tenent summum Pontificem loquentem ex cathedra, eo modo quo explicuimus, independenter a consensu Ecclesiæ, sive congregatæ sive diffusæ, esse infallibilem in quæstionibus fidei et morum dirimendis. Quamvis enim, post concilium Constantiense, quidam extra Galliam theologi, pauci tamen, contrarium senserint, nunc sententia de infallibilitate papæ, ad sensum nostrum, est, excepta Gallia,[1] « ubique recepta »: sic saltem loquitur Benedictus XIV, qui hodie tam digne clavim Ecclesiæ regit, in litteris datis ad inquisitorem generalem Hispaniarum, die 13 Julii 1748.

Quamvis autem hanc communem sententiam aperte in S. Scripturis et traditione fundatam existimemus, ut patebit, eam tamen ut de fide obligante non proponimus, nec asserimus; quia Ecclesia cujus est, secundum omnes, certo proponere revelata, nondum eam speciali et expresso decreto solemni definivit, nec ad fidem obligantem sufficit certitudo respectiva revelationis : unde neque summi pontifices, neque ecclesia Romana cæteræve ecclesiæ gallos, qui contrariam sententiam sustinent, pro hæreticis aut schismaticis habent; quin imo, quotquot sane sapiunt, gentem inclytam inter præcipua Ecclesiæ catholicæ membra merito computant.

Nota 5° in definitionibus duo distinguenda esse, intentam definitionem, seu conclusionem et rationes conclusionis, aliave quæ obiter et occasione data dicunt pontifices : de definitione seu conclusione intenta tantum intelligenda est sententia communis, non de rationibus definitionis, sive de iis quæ obiter, et ex occasione dicuntur : « In decretis pontificiis, inquit celebris noster Cano, lib. 6 *de Locis theologicis*, cap.6, duo cum primis distinguenda sunt, unum est tanquam intentio conclusioque decreti : alterum quasi ratio et causa a pontifice reddita ejus rei quam constituerit. Atque in conclusione pontifices summi errare nequeunt, si fidei quæstionem ex Apostolico tribunali decernant. Sin vero pontificum rationes necessariæ non sunt, ne dicam aptæ, probabiles, idoneæ, in his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis a Pontificibus redditis, tanquam pro aris et focis depugnamus. »

[1] Hæc assertio vera esse desinit : in Gallia etiam sententia de infallibilitate papæ ad sensum Billuart nunc unaniniter recepta est.

§ II.

Communis sententia asseritur, et invictis S. Scripturæ testimoniis probatur.

Dico : Judicium Romani Pontificis loquentis ex cathedra in rebus fidei et morum est infallibile independenter a consensu Ecclesiæ.

Prob. ex triplici loco S. Scripturæ. Primus est Matth. 16, ubi Christus Petro confitenti ejus divinitatem dicit : *Beatus es Simon Barjona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. Hæc verba dirigi ad solum Petrum probavimus art. 1, ubi de primatu S. Petri : item pertinere ad successores Petri in Romana sede ostendimus art. 3, ubi de primatu Romani Pontificis ; cum enim Christus fundavit Ecclesiam in ævum duraturam, fundamentum illius debebat in ævum permanere in Petri successoribus : neque de his est modo difficultas; hæc enim concedunt adversarii, qui ex hoc loco et sequentibus probant nobiscum adversus sectarios primatum S. Petri et Romani pontificis.

Subsumo: Atqui his verbis continetur privilegium infallibilitatis promissum Petro et ejus successoribus : ergo. Prob. subsumptum : Privilegium infallibilitatis, promissum Petro et ejus successoribus, continetur verbis allatis, si ista, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, referantur non solum ad Ecclesiam, sed ad Petrum, seu petram supra quam fundata est Ecclesia : atqui sic est : ergo. Prob. min. 1° ex Patribus : Origenes in cap. 16 Matth.: « Neque adversus petram, inquit, super quam Christus ædificavit Ecclesiam, neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt ». S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati : « Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit videte : ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ. » Epiphanius in *Anchorato* : « Solidæ, inquam, illi petræ, supra quam Ecclesia fundata est, et cui portæ inferi

non prævalebunt : » S. Leo, Epist. 75 ad Leonem Augustum : « Cum Petrus ex Domini voce audierit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quis est nisi antichristus aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem hujus petræ firmitatem. »

Prob. 2° eadem min. ratione : Certum est hæc verba : *Et portæ inferi*, et referri ad Ecclesiam, et per hæc illi promitti indefectibilitatem : atqui Ecclesia seu ædificium non potest esse indefectibile, si fundamentum cui innititur sit defectibile : ergo. Unde S. Th. in *Catena* super hæc verba : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, dicit ex Origene : « Non exprimit utrum petræ non prævalebunt, in qua ædificat Christus Ecclesiam, aut Ecclesiæ quam ædificat supra petram : tamen manifestum est : quia nec adversus petram, nec adversus Ecclesiam portæ prævalebunt inferorum. »

Plura huic probationi reponunt adversarii, sed levia et quæ habent solutionem in dictis. Dicunt 1° per petram, secundum omnes Patres et Pontifices, intelligi fidem Petri : ergo.

R. 1° aperte falsum esse ant.; constat ex Patribus et Pontificibus laudatis, tum hic, tum art. 1 et 3. 2° Dato ant., nihil contra nos, una enim interpretatio non excludit aliam, sed optime conciliantur dicendo quod Patres et Pontifices non intelligant fidem Petri in abstracto, sed in concreto, nempe Petrum divinitatis fidem profitentem, et hanc fidem fuisse causam meritoriam promissionis, Petrum autem subjectum cui facta est promissio, ut jam diximus art. 1, obj. 1. Confer.

Instant : Si per petram et fundamentum intelligatur persona Petri, sequitur quod inde Petrus non solum fuerit infallibilis, sed etiam debuerit esse immortalis, cum ædificium Ecclesiæ in eo fundatum sit semper duraturum : falsum consequens : ergo.

R. n. sequelam : Imo, quia Petrus non erat immortalis, et Ecclesia debebat semper manere, ideo quod illi fuit dictum censetur dictum ejus successoribus, in quibus, sicut in ipso, Ecclesia fundata permanet.

Responunt : Moriente Petro aut papa, juxta sententiam nostram destruitur fundamentum Ecclesiæ : ergo vel Petrus in sententia nostra debuit esse immortalis, vel ipso moriente necesse est corruat Ecclesiæ ædificium in eo fundatum.

R. n. conseq., quia remanet fundamentum primarium, scilicet Christus, a quo in casu sustentatur Ecclesia conservans infallibilitatem fidei passivam.

Inferunt : Ergo idem dici debet, si contingat aliquem Pontificem docendo Ecclesiam a fide deficere.

R. n. illationem : Non quod Christus absolute non posset sustentare Ecclesiæ ædificium, non obstante errore Petri aut Romani episcopi: sed quia non sic disposuit de statu Ecclesiæ : voluit namque Petrum esse fundamentum, caput et pastorem quem ex officio de fide docentem audiret Ecclesia; ad hoc autem necesse fuit quod semper rectam fidem doceret, nunquam errorem, non vero quod semper viveret, ejus successoribus pari infallibilitatis privilegio donatis. Uno verbo Petrus est fundamentum Ecclesiæ, non præcise vivendo, sed docendo : unde est disparitas. Confer § ultimum sub finem.

Dicunt 2° infallibilitatem esse promissam Ecclesiæ, non Petro.

R. esse promissam utrique, ut probatum est, Ecclesiæ tamen per Petrum, non Petro per Ecclesiam : non enim Petrus est fundatus in Ecclesia, sed Ecclesia in Petro.

Dicunt 3° Petrum et Romanum Pontificem esse fundamentum hoc sensu quod sit executor officii fundamentalis, prædicandæ scilicet et asserendæ fidei, non sic ut illud procul dubio præstiturus sit.

R. Et illud procul dubio præstiturum probant auctoritates allatæ.

Dicunt 4° sensum horum verborum esse quod quoties Petrus aut Pontifex annuntiabunt communem ecclesiarum fidem ex traditione, ejus prædicatio et fides erit fundamentum Ecclesiæ.

R. 1° et infero : Ergo nihil speciale Petro promissum est; de cæteris enim Apostolis, de omnibus episcopis, de quolibet pastore, concionatore, imo de quolibet fideli, verum est dicere, quod quoties annuntiabunt communem ecclesiarum fidem ex traditione, eorum fides et prædicatio erit fundamentum Ecclesiæ. 2° Si moveatur nova quæstio spectans fidem, quis judicabit an Pontifex annuntiet communem ecclesiarum fidem ? 3° Corruit hæc evasio, si non solum fides Petri, sed etiam ipse Petrus sit Ecclesiæ fundamentum, ut probatum est. Miror viros eruditos tam levibus momentis detineri.

Secundus locus est Luc. 22, ubi Christus, instante passione, sic Petrum alloquitur : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te,*

ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. 1° Christus his verbis promittit Petro indefectibilitatem in fide ; pro ea enim rogat, nec dubium est quin fuerit exauditus pro sua reverentia. 2° Hæc verba diriguntur soli Petro non aliis Apostolis, nec in eis toti Ecclesiæ : facit enim apertam distinctionem Petri ab aliis Apostolis et a tota Ecclesia, cum dicit : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ; et cum immediate dixisset in plurali : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos,* statim in singulari subjungit : *Ego autem rogavi pro te,* etc. ; quod non dixisset, si omnes Apostolos, et in eis Ecclesiam allocutus fuisset ; sed dixisset : *Ego rogavi pro vobis, ut non deficeret fides vestra, et vos aliquando conversi,* etc. ; imo neque id dicere potuit, cum Ecclesia constet fidelibus, et præter eos nulli sint in Ecclesia fratres, qui possint confirmari. 3° Quod præcipuum est, indefectibilitatem promittit Petro, non ut privatæ personæ, sed ut pastori Ecclesiæ, qualem ipsum instituturus erat, secundum promissionem factam Matth. 16, consequenter ejus successoribus : promittit enim illi indefectibilitatem, ut confirmet fratres suos in fide, quod pertinet ad officium pastoris et capitis : unde hæc propositio copulativa : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* habet vim rationalis seu causalis, quasi diceret : *Ideo rogavi ut non deficiat fides tua, ut tu confirmes fratres tuos :* vel : *Rogavi, ut non deficiat fides tua, tu ergo illa fide indefectibili præditus confirma fratres tuos.*

Idque testantur SS. Patres qui ex hoc loco inferunt infallibilitatem Romani Pontificis in decretis fidei et morum. S. Leo, *Serm.* 3, relatis verbis citatis Luc. 22, dicit : « Pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. »

S. Agatho, papa, *Epist. ad Constantinum imperatorem,* quæ lecta et probata fuit in sexta synodo œcumenica : « Consideret itaque vestra clementia, quomodo Dominus et Salvator omnium, qui fidem Petri non defuturam promisit, confirmare eum fratres admonuit, quod apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse cunctis est manifestum. »

Leo IX, Epist. I *ad Michaelem,* patriarcam Constantinopol. : « Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare ? Nonne a sede Principis Apostolorum, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos, reprobata et convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta ; et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec deficit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata.»

S. Bernardus, Epist. 190 *ad Innocentium II:* « Oportet ad vestrum apostolatum referri pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præcipue quæ de fide contingunt : dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum : cui enim alteri aliquando dictum est : *Ego pro te rogavi,* etc. : ergo quod sequitur a Petri successore exigitur : *Et aliquando conversus, confirma fratres tuos.* »

Innocentius III, Epist. 209 *ad patriarcham Constantinop.* : « Pro Petro Dominus se orasse fatetur, ex hoc innuens manifeste quod successores ipsius a fide catholica nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, et confirmarent etiam hæsitantes, per hoc sic confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi. »

S. Thomas, 2. 2, q. 1, a. 10, probat ex eodem textu infallibilitatem Romani Pontificis, ut videbimus infra. His non obstantibus,

Respondent adversarii indefectibilitatem hic promissam Petro transmitti ad ejus successores, non hoc sensu quod quilibet sit in fide indefectibilis, sed hoc sensu quod nunquam futurum sit, ut Petri successores, id est, eorum series, atque successio sedesque cui præsint, atque Ecclesia quam docendam et regendam susceperint, a fide deficiant : unde huic fidei nihil oberit, si aliquot Pontifices officio defuerint, atque a fide aberrarint, stat enim Romana fides ab eorum antecessoribus stabilita, ab eorum successoribus vindicanda.

Sed contra: 1° Patres mox laudati ex his verbis probant indefectibilitatem non sedis Romanæ tantum aut Ecclesiæ, sed cujuslibet Romani Pontificis. 2° Juxta hanc intelligentiam, promissio indefectibilitatis, non soli Petro, sed Ecclesiæ facta est, cujus contrarium patet ex probatione. 3° Christus rogavit, non tantum ut fides non esset simpliciter et absolute defectura, sed ut non esset defectura in Petro : ergo nec in quolibet ejus successore. 4° Si unus ex Petri successoribus deficiat a fide docendo, non poterit confirmare fratres suos, quod ne unquam contingeret rogavit Christus.

5° Si unus Pontifex loquens ex cathedra possit errare et erret in fide, quomodo sedes inviolata permanet? quomodo fides in ea subsistit? debet enim sedes audire sedentem, et illi obsequi. Fuit, inquiunt, in antecessoribus, erit in successoribus: esto, sed nunc non est. Item, si unus ex successoribus possit errare, cur non plures, cur non iste et iste? non enim unus est magis infallibilis quam alter : si dicas quia facta est promissio successioni, et non singulis successoribus ; at figmentum est cujus nullum extat fundamentum in textu, quin oppositum exprimit, ut probavimus, et testantur SS. Patres. Item si unus Pontifex per viginti annos et amplius errorem doceat, quomodo successor fideles in fide confirmabit, quos errore imbutos reperiet, et quo ipse errore imbutus erit cum cæteris. Hoc commune adversariorum effugium specialiter adhuc infra confutabimus.

Si dicas Petrum, non obstante Christi oratione, a fide defecisse cum Christum negavit: R. Petrum negasse Christum ore tantum, non corde, neque tunc fuisse adhuc constitutum caput Ecclesiæ, de quo infra.

Instant ipsa voce « confirmandi » non indicari supremum et indeclinabile judicium : nam « confirma », hoc est, quantum in te est, enitere ut firmi sint : *Misimus enim Timotheum*, inquit Apost. 1 Thess, 3, *ad confirmandos vos :* et cuique episcopo dictum est Apocal. 3 : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant :* ergo.

R. nos non ex hac sola voce, « confirma », sed ex tota periodo : *Ego rogavi*, etc. *Et tu confirma*, etc., probare judicium Romani Pontificis esse supremum, indeclinabile et infallibile ; quia his verbis Christus promittit Petro et cuilibet ejus successori indeficientiam in fide, ut confirmet fideles, sicque eorum constituit supremum et infallibilem judicem in rebus fidei, quod dici non potest de Timotheo, aut quovis alio episcopo.

Tertius locus est Joan. 21, ubi Christus soli Petro præ cæteris Apostolis totius Ecclesiæ curam committit : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Vide art. 1 de primatu S. Petri ampliorem hujus loci expositionem ad rem nostram. Debet ergo Petrus et quivis ejus successor pascere universam Ecclesiam verbo doctrinæ, illum debet audire Ecclesia, et ejus doctrinam sequi ; Ecclesia autem non potest falsam doctrinam sequi, est enim indefectibilis : ergo nec Petrus nec quivis ejus successor potest Ecclesiæ falsam doctrinam proponere ; et sane absonum foret quod gregi infallibili præficeretur pastor fallibilis, tunc enim potius grex pastorem, quam pastor gregem deberet pascere et regere.

Reponunt ex his verbis : *Pasce oves meas*, indicari tantum officium Petri, non autem præstari ut præceptum officium impleatur, alioquin sequeretur quod Petrus et ejus successor, non modo in doctrina nunquam peccaturus esset, sed nec in ulla parte officii pastoralis, cum nulla profecto sit, quam non illa vox complectatur.

R. n. ant. Absurdum enim foret, ut dixi, gregi infallibili præficere pastorem fallibilem. Ad probat. n. seq. 1° Ex his verbis inferimus jure infallibilitatem Pontificis in fide proponenda Ecclesiæ, quia Ecclesia est indefectibilis in fide suorum membrorum, indefectibilitas infringeretur si pastor proponeret ipsi falsam doctrinam quam deberet sequi ; at non sic est indefectibilis in moribus suorum membrorum : unde non sic est necesse quod pastor sit impeccabilis in aliis partibus pastoralis officii, sicut in fide proponenda. 2° Quia quamdiu permanet fides, subsistit compago Ecclesiæ, estque radix, qua permanente, aliæ virtutes reviviscere possunt ; at, ea sublata, non subsistit corpus Ecclesiæ et omnis ferme spes salutis aufertur : unde maxime et super omnia debet curare pastor spiritualis, ut fides servetur incorrupta in grege.

Et hinc habes cur cæteri episcopi qui sunt etiam pastores non gaudeant privilegio infallibilitatis ; cum enim privato tantum gregi præsint, eorum error Ecclesiam universam non inficeret, sed suum gregem tantum ; et aliunde, cum sint supremo pastori infallibili subordinati, eorum error ab ipso emendari potest.

Confirm. conclusio argumento ad hominem : Theologi gallicani ex his locis S. Scripturæ citatis probant nobiscum contra hæreticos primatum Romani Pontificis supra universam Ecclesiam : quidni infallibilitatem, cum non magis in his locis exprimatur primatus quam infallibilitas ?

§. III.

Probatur conclusio ex SS. Patribus.

Præter jam laudatos SS. Patres §. præcedenti, sequentes propono.

S. Irenæus, sæculo 2, lib. 3 *adversus Hæreses*, c. 3, postquam dixit per traditionem quæ

servatur in ecclesia Romana confundi omnes hæreticos, addit : « Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio. »

S. Hippolytus episcopus et martyr circa annum 230, *Orat. de Consummatione mundi:* « Princeps Petrus, FIDEI PETRA, quem beatum judicavit Christus Deus noster, ILLE DOCTOR ECCLESIÆ, ille qui regni claves habet. »

S. Basilius, Epist. 74 de Eustathio episcopo Sebasteno, qui fuerat depositus et ad Liberium papam confugerat, dicit : « Quæ vero sint illa a beatissimo episcopo Liberio proposita, et ad quæ consenserit, nobis clam est, nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur : eam ubi Tyanæ synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. » Adeo tunc episcopi conscii erant infallibilitatis summi Pontificis in suis judiciis.

S. Flavianus, Epist. *ad S. Leonem,* ipsum rogat ut condemnationem a se et a concilio latam contra Eutychetem confirmet, quod sufficit ad destruendam hæresim : « Simulque, inquit, decernere damnationem adversus eum regulariter factam per propria scripta dignare, confortare autem et piissimi imperatoris fidem : causa enim eget solummodo vestro solatio et defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere : sic enim hæreses et turbæ, quæ propter eum factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas litteras. »

S. Cyprianus, lib. de *Unitate Ecclesiæ:* « Exordium ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur... Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse confidit ? » Epist. 55, de *Felicissimo* et ipsi adhærentibus schismaticis qui Romam confugerant : « Navigare, inquit, audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde dignitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre ; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est , AD QUOS PERFIDIA HABERE NON POSSIT ACCESSUM. » Epist. 67, rogat S. Stephanum papam ut damnet et deponat Martianum episcopum Arelatensem qui ad partes Novatiani defecerat, sicque salvet fidem hujus ecclesiæ : « Dirigantur, inquit, in provinciam et ad plebem Arelatæ consistentem a te litteræ, quibus, abstento Martiano, alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. » De S. Cypriani cum eodem S. Stephano dissidio dicemus in sol. obj.

S. Ambrosius in Psal. 4 : « Ipse est Petrus cui dixit : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam :* UBI ERGO PETRUS, IBI ECCLESIA ; ubi Ecclesia, nulla mors, sed vita æterna, et portæ inferi non prævalebunt ei. » Evidenter S. Ambrosius loquitur de successoribus Petri, non enim tunc erat persona Petri cum dicebat : « Ubi Petrus, ibi Ecclesia. »

S. Hieronymus, Epist. 57 ad *Damasum* papam : « Ego, inquit, nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est ; si quis in arca Noe non fuerit peribit regnante diluvio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum ; QUICUMQUE TECUM NON COLLIGIT, SPARGIT, hoc est, quod Christi non est, Antichristi est... Decernite et si placet, non timebo tres hypostases dicere. » Et in *Expositione Symboli* ad eumdem, refertur causa 24, q. 1, c. 15 : « Hæc est fides, papa beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus, in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, EMENDARI CUPIMUS A TE , QUI PETRI ET FIDEM ET SEDEM TENES ; sin autem hæc nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel malevolum , VEL ETIAM NON CATHOLICUM , non me hæreticum comprobabit. »

S. Petrus Chrysologus, Epist. *ad Eutychetem* quæ refertur p. 1 concilii Chalced., dicit : « In omnibus hortamur te, ut his quæ a B. papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, QUONIAM B. PETRUS QUI IN PROPRIA SEDE ET VIVIT ET PRÆSIDET , PRÆSTAT QUÆRENTIBUS FIDEI VERITATEM. Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas fidei audire non possumus. »

S. Augustinus.

Postquam Innocentius I hæresim Pelagii sententia lata damnasset, S. Aug., Serm. 2, nunc 131, de verbis Apostoli cap. 10, dicit : « Jam de hac causa duo concilia (Carthaginense scilicet et Milevitanum) missa sunt ad sedem apostolicam : inde etiam rescripta ve-

nerunt, CAUSA FINITA EST, utinam aliquando error finiatur. » Et *contra Julianum*, qui ab iterata damnatione Zozimi, successoris Innocentii, appellaverat ad concilium generale, lib. 1, c. 4. ; « Puto tibi eam partem orbis sufficere debere in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare : cui ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus africanis respondere conciliis, quam quod antiquitus apostolica sedes et Romana cum cæteris tenet perseveranter ecclesia. » Et lib. 2 *Operis imperfecti* contra eumdem, cap. 103 : « Quid adhuc quæris examen quod jam factum est apud apostolicam sedem... Ergo hæresis ab episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus christianis. »

His, quibus non parum premuntur adversarii, reponunt S. Augustinum post definitionem Innocentii dixisse causam pelagianorum esse finitam, non quod judicium Pontificis judicaret absolute et in omnibus infallibile, sed quia 1° accedebat universæ Ecclesiæ consensus; 2° quia error erat apertus ad cujus condemnationem non requirebatur concilium generale, sed sufficiebat definitio Pontificis, præeunte sententia duplicis concilii particularis : « Neque enim, ait S. Doctor lib. 4 *ad Bonifac.*, c. 12, congregatione synodi opus erat ut aperta pernicies damnaretur. »

Sed contra primam rationem : S. Augustinus dixit : « Causa finita est » statim post sententiam Innocentii, anno scilicet 417, antequam Zozimus eamdem damnationem iteraret anno sequenti : at vero non Innocentius, sed Zozimus misit ad universos Ecclesiæ episcopos epistolam, quæ dicta est *Tractatoria*, cui subscriberent et cui jussit subscribere imperator Honorius, sub pœna depositionis, cujus jussioni omnes paruerunt, exceptis novemdecim, inter quos eminebat Julianus Eclanensis, qui exemplo hucusque in Ecclesia inaudito appellaverunt ad concilium universale : nondum ergo accesserat consensus Ecclesiæ universæ, quando S. Augustinus dixit : « Causa finita est » ; neque ideo judicium Pontificis effectum est infallibile quia consenserunt episcopi, sed e contra jussi sunt illi subscribere, quia erat infallibile, ut patet ex dictis : insuper in locis citatis non recurrit S. Augustinus ad consensum Ecclesiæ, sed ad solam auctoritatem summi Pontificis et sedis apostolicæ ut inducat pelagianos ad obediendum.

Contra secundam rationem : Esto hæresim pelagianam esse apertam perniciem quantum ad dogma peccati originalis, non tamen quoad dogma gratiæ ; alibi enim S. August, scilicet lib. *de gratia et lib. arbit.* c. 1, dicit hoc dogma adeo esse difficile, ut dum asseritur, videatur everti liberum arbitrium ; et e contra, cum asseritur liberum arbitrium, videatur negari gratia : unde reliquiæ hujus hæresis in semi-pelagianis, non nisi diu postea et difficillime potuerunt dissipari. Insuper potuit S. Augustinus dicere hæresim pelagianam esse apertam perniciem, quia in duobus conciliis jam fuerat discussa et eliquata. Cæterum erantne apertæ pernicies Cerdonis et Valentini, Theodoti, Origenis, Montanistarum, Apollinistarum, Joviniani et plurium aliorum a solis Romanis Pontificibus irretractabiliter damnatæ ? Quis judex inferior rejiciat appellationem ad judicem superiorem eo prætextu quod causa sit sibi aperta ? Reponet jure appellans : Tibi aperta est causa, mihi et aliis obscura. Injuria ergo pelagiani repulsi fuissent ab appellatione quam interposuerunt ad concilium generale, si ab eo summi Pontificis sententia sit in aliquo casu reformabilis.

Item, juxta utramque rationem, objicientes non majus privilegium tribuunt Pontifici quam cuilibet episcopo, aut viro docto : etenim et episcopi cujusvis et viri docti judicium est irreformabile in apertis aut accedente consensu Ecclesiæ.

Tandem S. Augustinum agnovisse papam esse absolute et semper infallibilem constat ex pluribus aliis locis : « Numerate sacerdotes, inquit in Psal. contra partem Donati, vel ab ipsa sede Petri, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte, IPSA EST PETRA QUAM NON VINCUNT SUPERBÆ INFERORUM PORTÆ. » Et *contra Epist. fundam.* c. 4. « Tenet me in Ecclesiæ gremio ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum. » Futile ac insufficiens fuisset S. Augustino istud motivum permanendi in Ecclesia, nisi pro certo habuisset fidem Petri nunquam in ejus successoribus defecturam. Quæ opponi solent ex S. Augustino videbimus in solutionibus argumentorum.

S. Thomas.

Quærit S. Doctor, in hac parte, q. 1, a. 10, utrum ad summum Pontificem pertineat fidei

symbolum ordinare? Et respondet sic : « Dicendum quod nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet FINALITER DETERMINARE EA QUÆ SUNT FIDEI, UT AB OMNIBUS INCONCUSSA FIDE TENEANTUR : HOC AUTEM PERTINET AD AUCTORITATEM SUMMI PONTIFICIS ad quem majores et difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decretal. extra de Bapt. C. *Majores :* unde et Dominus, Luc. 22, Petro dixit, quem summum Pontificem constituit : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et hujus ratio est quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud 1 Cor. 2 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata,* quod servari non posset nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic EJUS SENTENTIA A TOTA ECCLESIA EIRMITER TENEATUR. Et ideo AD SOLAM AUCTORITATEM SUMMI PONTIFICIS pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem et alia hujusmodi. »

Et cum secundo loco sibi objecisset, quod Ecclesia universa in conciliis Ephesino et Chalcedonensi prohibuerit, ne nova editio symboli fieret, respondet : « Ad secundum dicendum quod prohibitio et sententia synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide ; non enim per hujusmodi sententiam synodi generalis ablata est potestas sequenti synodo novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis eplicatam : sic enim quælibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis : unde pertinet ad summum Pontificem « ordinare novum symbolum fidei, cujus auctoritate synodus congregatur et ejus sententia confirmatur. »

Item, q. 11, a. 2. ad 3 : Universalis Ecclesiæ auctoritas principaliter residet in summo Pontifice ; dicitur enim 24, q. 1 : Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros et coepiscopos, non nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis auctoritatem referri debere, contra cujus auctoritatem nec S. Hieronymus, nec S. Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit : unde dicit S. Hieronymus ad Damasum papam : Hæc est fides, papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, etc. » ut retulimus §. præcedenti. Hæc plana sunt et aperta, nec nos clarioribus terminis sententiam nostram exponimus. Nihilominus

Respondent pontificiæ infallibilitatis osores post Gersonem S. Thomam concedere Pontifici supremam et plenam potestatem ecclesiasticam respective ad singulos fideles et particulares ecclesias, non respective ad totam Ecclesiam. Sed contra ; Non est nunc quæstio de potestate ecclesiastica Pontificis in universum, de qua art. subseq., licet aperte exprimat hic S. Th. eam esse supremam et plenam respective ad totam Ecclesiam : « Toti Ecclesiæ præest » inquit ; sed est quæstio de ejus infallibilitate : formalissime autem docet S. Doctor quod « ad solam auctoritatem » summi Ponticis pertineat edere symbolum fidei, et finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

At, inquiunt, per « solam » intelligit S. Doctor præcipuam.

Per fidem numinum, quis unquam το « solam » interpretatus est præcipuam ? si præcipua, non sola ; si sola, non præcipua. Dum dico : Ad solam auctoritatem regis pertinet condere leges pro toto regno, quis finget me per solam intelligere præcipuam ? Neque juvat quod S. Th., in arg. *sed contra,* dicat symbolum esse auctoritate universalis Ecclesiæ editum : norunt enim omnes apud D. Thomam levis esse ponderis probationem desumptam ex argumento *sed contra ;* sed nec negamus symbolum esse Ecclesiæ auctoritate editum: verum, juxta S.Doctorem, auctoritate mutuata a summo Pontifice, qui « præest toti Ecclesiæ », et ad cujus « solam auctoritatem » pertinet edere symbolum, congregare et confirmare synodos generales, et gerere omnia quæ pertinent ad totam Ecclesiam.

Sed quid moramur in hac violenta interpretatione refellenda, cum habeamus S. Thomam illam diserte excludentem : « Sicut posterior synodus, inquit q. 10. de pot., a. 4 ad 13, potestatem habet interpretandi symbolum a priore synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate SOLA synodus congregari potest, et a quo sententia synodi confirmatur, et ad ipsum a synodo appellatur, quæ omnia patent ex gestis synodi Chalcedonensis : NEC EST NECESSARIUM QUOD AD EJUS EXPOSITIONEN FACIENDAM UNIVERSALE CONCILIUN CONGREGETUR. » AD SOLAM ERGO, AD SOLAM, et non tantum ad PRÆCIPUAM in gene-

rali concilio, summi Pontificis auctoritatem pertinet ordinare symbolum fidei, et finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

Hæc subodorati sunt perspicacissimi theologi : unde tandem concludunt quod si S. Thomas concesserit summo Pontifici infallibilitatem absolutam et independentem ab Ecclesiæ consensu, liceat ipsis in doctrina Patrum qui antecesserint, et in posterioribus conc. Constant. decretis tuto quiescere.

Ergone S. Thomas *in Doctrina Patrum* cœcutiit, is cujus maxima laus est quod SS. Patrum os fuerit, et omnes in se quasi uno transfuderit ? S. Thomas, inquam, de quo celeberrima parisiensis academia, in decreto sub Stephano episcopo parisiensi edito, hæc canit : « Divus Thomas fuit universæ Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians clericorum, fons doctorum, UNIVERSITATIS NOSTRÆ SPECULUM CLARISSIMUM et candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes qui vias vitæ et scholas doctrinæ sanæ ingrediuntur, lumen vident. » Plura non urgeo. De concilio Constantiensi dicam art. subsequenti.

§ IV.

Probatur conclusio ex conciliis et Pontificibus.

De concilio Sardicensi vide art. 3 præcedentem, probat. 2 et obj. 4.

De concilio Ephesino ibidem, probat. 2, vidimus quod patres, « coacti per epistolam Cœlestini papæ, » sententiam in Nestorium dixerint.

Idem Cœlestinus, in commonitorio seu instructione data suis legatis euntibus ad concilium, ipsis præcipit « ut Sedis apostolicæ tuerentur dignitatem, nec se episcoporum dissidiis immiscerent, quorum quippe judices esse deberent. » Ita apud Christianum Lupum, varior. Patrum epist. c. 226. Cuidam recentiori placuit addere interpretando « cum synodo utique », sed glossæ obstant verba sequentia : Ad disceptationem « si fuerit deventum, vos de eorum sententiis dijudicare debetis, non subire certamen. »

Idem Cœlestinus, in Epist. ad synodum congregatam, quæ refertur Act. 2, pag. 618, dicit : « Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres Arcadium et Projectum episcopos et Philippum presbyterum nostrum, qui eis quæ agentur intersint, et quæ a nobis antea statuta sunt exequantur : quibus præstandum a vestra Sanctitate non dubitamus assensum, quando id quod agitur videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum. » Qua epistola perlecta, « omnes reverendissimi episcopi simul acclamaverunt : Hoc judicium justum est. »

Tum ibidem Projectus reverendissimus episcopus et legatus dixit patribus : « Ut quæ Cœlestinus, et dudum ante definire, et nunc in memoriam revocare dignatus est, juxta communis fidei regulam, catholicæque Ecclesiæ utilitatem, ad finem numeris omnibus absolutum deduci jubeatis. » Firmus, episcopus Cæsareæ, nomine concilii respondit : « Apostolica et sancta sedes Cœlestini sanctissimi episcopi... de præsenti negotio SENTENTIAM dixit, REGULAMQUE PRÆSCRIPSIT quam nos quoque secuti... formam illam EXECUTIONI mandavimus, canonicum apostolicumque judicium in illum (Nestorium) proferentes. »

Quidam vim faciunt in his ultimis verbis, « Canonicum apostolicumque judicium proferentes », et ex eis colligunt sententiam Cœlestini non habitam fuisse à concilio infallibilem, sed ejus judicio canonico et apostolico fuisse subjectam. Quasi vero judicium in executionem legis seu decreti infallibilis, non posset dici canonicum et apostolicum.

Verum aliud vehementius urgent, nempe epistolam Cyrilli ad Nestorium, quam solemni judicio expresse probaverat Cœlestinus, deductam fuisse ad synodi examen et judicium, ipso Cyrillo petente a synodo, « rectene et inculpate, sanctoque illi concilio convenienter hæc scripserim, an secus »? nunquam autem, inquiunt, ita quæsitum aut interrogatum est post ultimum et irreformabile de fide judicium, id enim esset de ipsa fide declarata et explorata dubitare, et tamen id, post Cœlestini judicium, factum est.

Huic instantiæ, quam putant invincibilem, r. 1° n. dictam Cyrilli epistolam ad Nestorium fuisse judicio solemni et, ut dicimus, ex cathedra expresse a Cœlestino definitam et approbatam : totum enim solemne Cœlestini judicium his circumscribitur verbis in epistola ad Cyrillum : « Quamobrem nostræ sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris, nempe, ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi generatione fidem in poste-

rum confessurum se spondeat, quam et romana et tuæ Sanctitatis ecclesia et universa denique religio Christiana prædicat, illico Sanctitas tua illi ecclesiæ prospiciat. » Nulla ibi mentio epistolæ Cyrilli ad Nestorium, nec in tota epistola : agnoscit quidem in genere Cœlestinus veram fidem ecclesiæ Cyrilli sicut et universæ Ecclesiæ, et dixerat antea : « Omnia quæcumque sentimus ac tenemus, te itidem sentire ac tenere perspicimus. » At, quæso, idne est ex cathedra sententiam ferre de orthodoxia alicujus epistolæ quæ nequidem nominatur ? Minime gentium : hæc enim et similia verba non sunt neque definitio intenta, neque res definita, sed circumstantiæ definitionis, sicut ea quæ dicit Cœlestinus de vera fide ecclesiæ Romanæ et totius religionis, ex quibus absurdum foret dicere quod ex cathedra definierit orthodoxiam ecclesiæ Romanæ et totius religionis. Insuper Cœlestinus sententiam Cyrilli noverat aliunde quam ex dicta ejus epistola ad Nestorium ; plures enim scripserat Cyrillus, duas Nestorio, unam ad quemdam Nestorii studiosum, alterum ad eos qui ægre ferebant quod doctrinam Nestorii impiam diceret, alteram ad clericos Constantinopolitanos, et eas omnes ad Cœlestinum per Possidium miserat, ut declarat in sua epistola ad Cœlestinum. Absque fundamento igitur asseritur hæc verba Cœlestini, « omnia quæcumque sentimus, te itidem sentire prospicimus » esse dicta specialiter de præfata epistola Cyrilli ad Nestorium : nec potiori jure hæc epistola potest dici solemniter approbata, quam omnes aliæ Cyrilli epistolæ, quod nemo dixerit.

R. 2°; Dato gratis hanc epistolam fuisse specialiter et expresse solemni judicio approbatam, potuit Cyrillus absque præjudicio fidei et infallibilitatis pontificiæ interrogare de orthodoxia suæ epistolæ, non quasi dubius, sed ad magis confundendos hæreticos, certus de ejus orthodoxia, et quod patres ex sola dictorum intelligentia illi assentirent, quod equidem omnes ordine fecerunt absque ulteriori examine, ut patet ex actis act. 1. Sic ego nunc plene certus de orthodoxia hujus epistolæ, quibusdam de Cyrilli et Nestorii dissidio disserentibus, absque præjudicio fidei et infallibilitatis Pontificis ac concilii, ad majorem elucidationem et Nestorianorum convictionem, possem dicere : Legite hanc epistolam et dicite an Cyrillus recte senserit nec ne ?

De concilio Chalcedonensi etiam eodem art. diximus quod, act. 2, lecta celebri epistola S. Leonis ad S. Flavianum, patres exclamaverint: « Hæc patrum fides..... Petrus per Leonem locutus est », etc. Vide locum integrum art. citato. Item finito concilio patres rogant Pontificem ut sancita in concilio confirmet et adimpleat : vide iterum textum ibidem.

Item S. Leo, in epist. ad concilium, præscribit patribus legem et doctrinam quam sequi debeant : « Nunc, inquit, in vicariis meis adsum, qui dudum in fidei prædicatione non desum : ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus : unde, fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat : non liceat defendi, quod non licet credi : cum, secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam, plenissime, lucidissime per litteras quas ad beatæ memoriæ Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum quæ sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia et sincera confessio. » Non sic profecto scripsisset S. Leo si suum judicium a concilio reformabile putasset.

Act 2, cum magistratus petissent ut de fide ageretur secundum concilium Nicænum et Constantinop., « Cœropius reverendissimus episcopus Sebastenopolitanus dixit : Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, et super iis FORMA data est a sanctissimo archiepiscopo Romanæ urbis, et sequimur eum, et epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi episcopi clamaverunt : Ista omnes dicimus, sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri : » adeo tenebant judicium S. Leonis irretractabile.

Act. 3, fertur sententia in Dioscorum nomine Leonis ministerio concilii : « Unde, inquiunt patres synodici, sanctissimus et beatissimus archiepiscopus magnæ et senioris Romæ Leo, per nos et per sanctam synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est PETRA ET CREPIDO CATHOLICÆ ECCLESIÆ, ET RECTÆ FIDEI FUNDAMENTUM, nudavit eum tam episcopatus dignitate quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio. »

Item sanctus Leo, rogatus ut acta hujus concilii confirmaret, confirmavit duntaxat quoad ea quæ ad hæresim Eutychianam spectabant, improbavit autem et rescidit quoad ea quæ privilegia ecclesiæ Constantinop. spectabant.

Opponunt adversarii et multum urgent exa-

men celebris epistolæ sancti Leonis ad Flavianum factum a synodo, ex quo inferunt judicium summi Pontificis in causis fidei non esse irretractabile.

R. istud examen factum fuisse, non quod synodus suspicaretur ullum in ea epistola errorem; jam enim antea, quod bene notandum est, illi absque examine subscripserat, et sæpe patres clamaverant : « Sicut Leo ita credimus, Petrus per Leonem locutus est, epistolæ omnes subscripsimus, sufficiunt ad fidem quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. » Excipiuntur tantum episcopi Palestini et Illyriaci, qui patiebantur difficultatem circa quorumdam verborum sensum, ut ipsimet dixerunt; quia scilicet non callebant linguam latinam, sed de quo instructi, pariter epistolæ suscripserunt : factum est ergo istud examen post jam receptam epistolam, ut magis convincerentur Eutychiani qui eam execrabantur ut Nestorianam, et ut nulla amplius illis esset ratio eam retractandi, quæ consensu totius Ecclesiæ firmaretur, ut dicit ipse sanctus Leo, epist. 65 ad Theodoretum, et Patres synodici in relatione ad Marcianum imperatorem : « Credentibus, inquiunt loquendo de ista epistola, sufficit ad utilitatem fidei indiscussa perspectio, ad confessionem pii dogmatis devotos pertrahens animos : hos autem qui doctrinam rectam pervertere moliuntur, ad singula quæ male pariunt, oportet occurrere. »

Unde, quando patres V synodi, collat. 6, ut pararent sibi viam ad condemnationem epistolæ Ibæ, quæ non fuerat discussa nec probata in concilio Chalcedonensi, dixerunt epistolam S. Leonis non fuisse receptam in eodem concilio sine inquisitione et collatione cum doctrina Patrum, vel erraverunt in facto, ut patet ex actis concilii Chalcedonensis : vel intelligunt de secunda receptione, quæ fuit tantum amplior declaratio primæ ad majorem et efficaciorem confutationem Eutychianorum.

Agatho Papa, occasione VI conc. generalis, Constantinop. III, anno 680, scripsit duas epistolas imperatori Constantino Pogonato, primam solus, secundam cum concilio Romano. In secunda secure pronuntiat se suis legatis ad concilium mandasse, quæ ipse cum suo concilio definierat non examinarentur tanquam dubia et incerta, sed ut certa et immutabilia publicarentur. « Per nos, inquit, prævidimus dirigere, non tamen tanquam DE INCERTIS contendere, sed ut CERTA ET IMMUTABILIA compendiosa definitione proferre. » Et infra in eos qui contradicerent sententiam condemnationis profert his verbis : « Qui vero HÆC CONFITERI NOLUERINT, ut infestos catholicæ atque apostolicæ confessioni perpetuæ condemnationis reos esse censemus. » Certissimus profecto de sua infallibilitate erat Pontifex, qui sic loquebatur, vel imprudentissimus, qui si falsa proferret, a concilio œcumenico statim esset redarguendus; hæc enim epistola lecta fuit in concilio, act. 4, et ab omnibus act. 8 probata et subscripta, nullo contradicente, excepto uno Macario monothelita, qui ideo fuit depositus.

In prima epistola dicit Agatho ecclesiam Romanam et Romanos Pontifices nunquam in fide defecisse aut deficere, sed eorum partes esse fratres in fide confirmare : « Spiritales oves Ecclesiæ, inquit loquens de S. Petro, ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit, cujus annitente præsidio, hæc apostolica ejus Ecclesia *nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est*..... Hæc est enim veræ fidei regula quam in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii, apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis *nunquam errasse probabitur*, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit :..... Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres admonuit, apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter *fecisse semper* cunctis est cognitum. » Neque dicas id intelligendum de successione, et non de singulis Pontificibus, alioquin falsum esset quod Pontifices id « *semper* » præstitissent.

Hanc epistolam sicut præcedentem pariter patres susceperunt act. 18, singuli sigillatim suo ordine assentientes; et in sermone acclamatorio ad imperatorem, concilium universum dicit : « Summus autem nobis concertabat Apostolorum princeps : illius enim imitatorem, et sedis successorem habuimus fautorem, et divini sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi *a Deo scriptam* illa Romana antiqua civitas obtulit, et dogmatum diem a vespertinis partibus extulit, charta et atramentum videbatur, et *per Agathonem Petrus loquebatur*. » Et in epistola ad Agathonem : « Tibi, ut primæ sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum

sit relinquimus STANTI SUPER FIRMAM FIDEI PETRAM, libenter perfectis veræ confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice DIVINE PERSCRIPTAS AGNOSCIMUS; per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus. »

Reponit quidam epistolas Agathonis non fuisse receptas, nisi prævio examine, quia Georgius Constantinopolitanus dixit : « Inspiciens omnem virtutem earum litterarum, et scrutans libros Sanctorum, ac probabilium Patrum cuncta quæ continent, inveni consentanea eis, et sic profiteor et credo. » Alii dixerunt : « Inveni in nullo eas a sanctis Patribus discrepare et consentio » ; et in eum sensum, inquit, omnes sigillatim subscribunt, nec nisi eo examine probatæ epistolæ Agathonis; ex quo infert definitionem Agathonis non habitam fuisse a concilio infallibilem.

Resp. 1° assumptum non esse ex omni parte verum. Quod Georgius Constantinopolitanus interlocutus fuerit, ut in instantia, verum est; quod alii dixerint : « Inveni in nullo eas a sanctis Patribus discrepare », error est; non enim *alii*, sed alius, unus quippe tantum sic dixit, scilicet Sisinnius Hæracleæ. Quod additur : « Omnes sigillatim in eum sensum dixisse, » gratuitum est, nullus enim id exprimit, sed omnes, præter duos assignatos, simpliciter suffragantur, nulla facta mentione examinis.

Resp. 2° ; Dato examen præcessisse, n. illationem; non enim quicumque aliquam doctrinam examinat de ejus veritate dubitat, sic theologi quotidie examinant Scripturas Sacras, decreta conciliorum œcumenicorum, ea cum S. Scriptura et traditione conferendo, non quod ullatenus de veritate SS. Scripturarum aut decretorum fidei dubitent, sed ut magis ac magis in eis firmentur, sintque omnibus de iis inquirentibus respondere parati, et refractarios revincere magis idonei. Sic patres Ephesini examinaverunt epistolam S. Leonis, nullatenus de ejus veritate dubitantes, ut superius diximus. Item si facto examine approbavit synodus epistolas Agathonis: ergo approbavit examine facto infallibilitatem Romani Pontificis in eis clare assertam.

In VII synodo generali, Nicæna II, anno 787, act. 2, litteræ Adriani papæ ad imperatorem et ad Tarasium patriarcham Constantinopol. fuerunt lectæ, et cum applausu exceptæ. In prima Pontifex jubet inprimis, ut ante omnia pseudo-concilium contra sacras imagines « anathematizetur præsentibus missis nostris », id est, legatis; secundo, « quod unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit. » In secunda requirit a patriarcha, ut fidem ecclesiæ Romanæ « incorrupte, atque incontaminate ex profundo cordis et sinceritate mentis custodire studeat.»

Respondent, ut ante, has litteras non fuisse probatas sine examine; et nos hanc responsionem præcedentibus solutionibus excipimus, præsertim cum solus Tarasius dixerit se scrutatum fuisse scripturas, tota vero synodus a legatis interrogata, « Si admitteret litteras sanctissimi papæ senioris Romæ an non? » simpliciter responderit : « Sequimur et suscipimus et admittimus. » At, inquiunt, id de irreformabili judicio quæri, neque ratio, neque fides sinit. Quasi vero esset contra rationem et fidem exigere ab aliquo professionem fidei, aut interrogare de catechismo.

In VIII concilio generali, Constantinop. IV, anno 869, contra Photium, nullus admissus fuit quin prius formulæ fidei ab Adriano II missæ subscripsisset. In hac autem fidei formula continentur sequentia : « Quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc quæ dicta sunt rerum probantur eventibus, quia in sede apostolica immaculata est semper servata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum et præcipue sanctorum sedis apostolicæ præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis. » En in concilio generali admissa infallibilitas Romani Pontificis fundata in verbis Christi; *Tu es Petrus,* etc.

In concilio Viennensi, Clemens V, Clementina de summa Trinit. § *Nos igitur*, definit quod « ad apostolicam considerationem DUNTAXAT declarare pertinet quæ in Scripturis obscura sunt. »

Respondent quidam per illud « duntaxat » intelligi tantum hæc sine sede apostolica tractari non posse, alioquin excluderetur concilium, quo approbante ista definiuntur.

Sed contra : Per hanc particulam Clemens equidem non exclusit concilium generale tanquam quid utile, et hoc sensu id definivit « approbante concilio », sed exclusit ut aliquid absolute necessarium, alioquin falsum esset hæc ad sedem apostolicam « *duntaxat* » pertinere. Nec mentem definitionis salvat adversariorum in-

terpretatio; quod enim fieri non potest sine sede apostolica, si tamen aliud ad id necessario concurrere debet, falso dicitur id duntaxat ad sedem apostolicam pertinere : sicut, licet in judicio supremi senatus causa non possit definiri sine præside, aut locum tenente, falso tamen dicerem ad præsidem « duntaxat » pertinere causam definire; quia etiam alii judices necessario concurrunt ad judicium; secus esset si suprema judicandi auctoritas esset penes solum præsidem et ipse ex abundantia, atque propter majorem utilitatem et convenientiam, assessores assumeret quibus auctoritatem judicandi communicaret.

Clemens VI, ipse gallus et doctor Parisiensis, quatuordecim doctrinæ articulos Armenis recenter ad fidem catholicam conversis proposuit, quibus deberent subscribere, si Romanæ ecclesiæ integre vellent consociari : horum quintus sic erat : « Si credidisti et credis, quod in tantum fuerit, sit et erit suprema et præeminens auctoritas et juridica potestas Romanorum Pontificum, et illorum qui in posterum erunt, ut a nemine judicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt, sed soli Deo judicandi servati fuerint, servemur et servabuntur; et quod a sententiis et judiciis nostris non potuerit, neque possit, neque poterit ad aliquem judicem alium appellari ? » Decimus tertius sic habebat : « Si credidisti et adhuc credis solum Romanum Pontificem, in dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere; et esse verum et catholicum, quidquid ipse, auctoritate clavium sibi traditarum a Christo, determinat esse verum, et quod determinat esse falsum et hæreticum, tale sit censendum?» Hæc apud Odericum Raynaldum *in Annalibus* ad 1346 et 1351.

Hujus luculentissimi testimonii vim infringere conantur adversarii ex Diplomate ejusdem Clementis VI, dato 7 Idus Decembris 1351, quod pro testamento ultimæ voluntatis reliquit, in quo dicit : « Si qua dudum in minoribus constituti et postquam ad fastigium apostolicæ dignitatis divina bonitas dignanter potius quam digne provexit, nos disputando, legendo, prædicando, aut alias contra catholicam veritatem et fidem, vel bonos mores, ex lapsu linguæ præcipitanter forte protulimus; revocamus et volumus pro revocatis haberi, et ea omnia apostolicæ sedis auctoritati submittimus et supponimus corrigenda. »

Verum quid inde contra prius testimonium? In illo dicit Clemens Pontifices Romanos esse infallibiles, quando « per determinationem authenticam et ex clavium sibi a Christo traditarum auctoritate » de fide pronuntiant : hic dicit esse fallibiles quando extra tribunal, « ex lapsu linguæ præcipitanter proferunt » aliquid; quod ultro concedimus. Unde nullatenus sibi contradicunt hæc testimonia, et primum manet immotum.

Dices : Summi Pontifices, quos hucusque laudavimus, locuti sunt in propria causa: ergo eorum testimonia nihil probant :

Resp. 1° d. ant. : Summi Pontifices locuti sunt in propria causa palam et nemine contradicente, c. ant.; aliis contradicentibus, n. ant. et conseq. Sic, dum in tota retro antiquitate, episcopi suæ sedis, reges et principes sui throni jura defendebant actis publicis quibus nemo contradicebat, admittebantur eorum testimonia, quidni et Pontificum admittantur, qui monumentis et actis publicis, quibus nemo suo tempore contradixit, privilegia suæ sedis testati sunt et propugnarunt ?

2° Pontifices laudati non eruditione solum, sed vitæ probitate fuerunt conspicui, et plures inter illos sancti numerantur. Nulla est ergo ratio suspicandi quod ex superbia et ambitione privilegia infundata et injusta sibi vindicare voluerint.

§. V.

Probatur conclusio ex Patribus, episcopis et theologis gallicanis.

Patres concilii Arelatensis, anno 455, in epistola synodica ad sanctum Leonem dicunt : « Apostolatus vestri scriptum (indubie celebrem epistolam ad S. Flavianum) ita ut symbolum fidei, quisquis sacramenta religionis non negligit, tabulis cordis inscripsit, et tenaci, ad confundendos hæreticorum errores ut paratior sit, memoriæ commendat. » Solius autem est auctoritatis infallibilis condere symbolum fidei, ut docet S. Th. supra, nec nisi fides tabulis cordis inscribitur, decretis enim supremæ auctoritatis, quæ non est infallibilis, reverentia debetur, non assensus mentis.

Anno 517, S. Avitus, episcopus Viennensis, nomine ecclesiæ gallicanæ agnoscit summum Pontificem ut supremum judicem in causis fidei : sic enim epist. ad *Hormisdam papam* scribit : « Quæsumus ergo, servitio meo juncto, ut quid filiis vestris, fratribus meis, id est, gallicanis, si consulant, respondere debeam

instruatis. Quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione, polliceor omnes vestram, super statu fidei, captare sententiam. Orate ut sic nos prædictorum confessio fucata non fallat, sicut ab unitate quam regitis veritas comperta non separat.»

Anno 567, concilium Turonense ad quod convenerat universa pene ecclesia Gallicana, post recitatum Innocentii I decretum de virginibus Deo dicatis matrimonio non jungendis, can. 20, sic loquitur : « Quis sacerdotum contra talia decreta quæ a sede apostolica processerunt agere præsumat.... et quorum auctorum valere posset prædicatio, nisi eorum quos sedes apostolica approbavit? Patres nostri hoc semper custodierunt quod eorum præcipit auctoritas. Nos ergo sequentes quod vel apostolus Paulus, vel papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes, statuimus observandum. »

Respondent more solito hæc decreta non fuisse recepta nisi prævio examine.

Sed contra : Id omnino gratis fictum patet ex textibus, quin imo ex eis contrarium palam evincitur; nam 1° quod recipitur tanquam «symbolum fidei,» ut loquitur concilium Arelatense, non subjacet examini, saltem ut res dubia. 2° S. Avitus ante examinatum decretum promittit obedientiam totius nationis Gallicanæ. 3° Concilium Turonense dicit neminem contra hujusmodi decreta præsumere agere, hæc a patribus semper custodita fuisse et se in omnibus ea servaturum. Insuper examen alicujus decreti non semper arguere ejus fallibilitatem diximus paulo ante.

Omitto, brevitatis causa, Hincmarum, sæculo 9, Epist. ad Nicolaum I, et Opusc. de Divortio Lotharii regis; concilium Pontigonense, anno 876, sub Joanne VIII; Ivonem Carnotensem, Epist. 8, ad Richerium archiepiscopum Senonensem, in quo dicit : « Hujus (sedis apostolicæ) judiciis et constitutionibus obviare plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere»; et plures alios, ut tandem ad ipsam academiam Parisiensem veniamus.

Anno 1324, Stephanus Parisiensis episcopus, occasione bullæ canonisationis S. Thomæ, ejusdem academiæ doctoris, edidit decretum de consensu decani et capituli Parisiensis et magistrorum dictæ universitatis, ut fert edictum, sequentis tenoris : « Nos igitur attendentes quod sacro-sancta Romana ecclesia, *omnium mater et magistra*, in firmissima Petri Christi vicarii confessione fundata, ad quam velut ad *universam regulam catholicæ veritatis* pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum et confutatio errorum, etc. »

Paucis post annis eadem academia obtulit Clementi VII, Avenione residenti, quem Gallia pro vero pontifice agnoscebat, tractatum theologicum in quo asserebat et probabat infallibilitatem Romani pontificis in quæstionibus fidei, his terminis : « Prima conclusio est, quod ad sanctam sedem apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema, circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire; et hoc probatur : quia ad illius tanquam supremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit : sed sanctæ sedis apostolicæ fides nunquam deficit; quia de hac sede dictum est : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. 22. Propter quod dicit S. Cyprianus, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se non esse demonstrat. Et S. Hieronymus dicit : super eam fundata est Ecclesia : et quicumque cum pontifice Romæ non colligit, dispergit. »

Observat noster Serry tractatum hunc manuscriptum in bibliotheca collegii Navarici etiamnum hodie extare; legique in plerisque editionibus ad calcem Magistri sententiarum, titulo Commentarii adversus errores Fratris Joannis de Montesono.

Respondent adversarii academiam infallibilitatem sedi apostolicæ tribuere, non Romano pontifici.

Sed contra : Etiam Romano pontifici tribuit, siquidem dicat cum S. Hieronymo : « Qui cum pontifice Romæ non colligit, dispergit ». Unde cum sedem apostolicam exprimit, figurata locutio est, qua sedes pro sedente accipitur; non enim sedes loquidur aut definit nisi ore sedentis. Insuper quid est sedes apostolica, nisi summus pontifex cum clero Romano : non definit autem pontifex ex cathedra nisi ex concilio, vel consensu cleri Romani, ut dictum est. Unde si ipsa sedes sit infallibilis, infallibilis quoque est pontifex Romanus loquens ex cathedra. De hoc communi adversariorum effugio specialiter adhuc dicam infra.

Anno 1387, eadem Facultas profitetur infallibilitatem Romani pontificis : sic enim, referente Buleo, Hist. Paris. ad eumdem annum, ipsum alloquitur : « Quidquid dicturi sumus totum correctioni et judicio sedis apostolicæ et SEDENTIS IN EA summi pontificis humiliter submittimus dicentes cum Beato Hieronymo

24,q. 1: «Hæc est fides, Pater beatissime, quam in catholica Ecclesia didicimus, in qua si quid minus perite, aut minus caute, forte aliquid positum est, emendari petimus *a te* qui Petri fidem et sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissime tenemus, et nullatenus dubitamus, quod sancta sedes apostolica est illa cathedra Petri, supra quam eodem S. Hieronymo teste fundata est Ecclesia, ut habetur in eadem quæstione cap. *Quoniam vetus;* et sicut dicit S. Cyprianus, 93, Dist. cap. *Cathedram.* De qua sede in persona Petri apostoli in ea sedentis dictum est: *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* Luc 22. Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei et approbatio fidei, e approbatio veritatis catholicæ ac hæreticæ pravitatis detestatio maxime pertinet.»

Ejusdem sententiæ erat tota natio Gallicana anno 1305, cum regni proceres nationis nomine petebant, dato libello ad Clementem V, ut Bonifacii VIII memoriam damnaret; dicebant enim: « Non quæritur de hæresi papæ quondam, ut papæ, sed ut privatæ personæ: *Nec enim ut papa potuit esse hæreticus*, sed ut privata persona: nec unquam aliquis papa, *in quantum papa,* fuit hæreticus ». Quo testimonio non solum evincitur conclusio ex mente nationis, sed etiam habetur hanc distinctionem inter papam ut papam, et ut hominem privatum, non esse recens inventum, ut quidam effutiunt.

Anno 1579, clerus Gallicanus in comitiis generalibus Meloduni adversus Lutheri et Calvini errores sic præcipit: « Clerici et laici aperta professione eam fidem pronuntient quam sancta Romana ecclesia *magistra, columna et firmamentum veritatis,* profitetur et colit. Ad hanc enim propter suam principalitatem necessum est *omnem convenire ecclesiam.* » Et in fine articulorum subjungitur: « Omnia hæc sanctæ Romanæ ecclesiæ, cujus ex præceptis populum fidelem institui, et *certam fidei ac morum correctionis regulam* constitui oportet, judicio et auctoritati subjicimus. »

Anno 1612, liber Edmundi Richerii contra infallibilitatem, et alia jura summi pontificis, ab eadem academia Parisiensi, et a conciliis Aquensi et Senonensi damnatus est, et ipse Richerius compulsus ad retractationem, quam 1629 Cardinali Richelio obtulit his verbis: « Protestor et declaro me semper voluisse, ac etiamnum velle et me ipsum et meum libellum, et quascumque ejus propositiones, omnemque doctrinam meam Ecclesiæ catholicæ Romanæ et Sedis apostolicæ judicio subjicere, *quam matrem et magistram ecclesiarum et infallibilem veritatis judicem agnosco.* » Hæc ultima verba referri ad Ecclesiam catholicam, et non ad sedem Romanam, ut quidam volunt, est manifeste contra contextum, ut patet, et contra sensum; non enim Ecclesia catholica *est mater et magistra ecclesiarum,* cum Ecclesia catholica non sit aliud quam omnes aliæ ecclesiæ simul sumptæ, non est autem mater et magistra sui ipsius. Aliunde Richerius non negaverat infallibilitatem Ecclesiæ catholicæ, sed Sedis apostolicæ. Unde addit: « Quam declarationem profiteor me libere ac voluntarie dedisse, ut mea *erga Sedem apostolicam obedientia* cunctis pateat. »

Occasione libri Richerii, academia Parisiensis, 1 Decembris eodem anno 1629, decreto solemni sanxit, ut qui deinceps theses essent defensuri disputationi sequens juramentum præmitterent: « Juro atque protestor me nec dicturum, nec scripturum quidquam quod adversetur Sacræ Scripturæ, conciliis œcumenicis, decretis summorum pontificum, et statutis almæ facultatis Pariensis matris meæ, quibus adhæreo, et me firmiter adhæsurum polliceor. » Refert Hyacinthus Serry, doctor Parisiensis in Opusc. de Rom. pont., edito anno 1732, formulam hujus juramenti etiamnum hodie ita religiose servari, ut, cum non ita pridem quidam baccalaureus verbulum addidisset, seque nihil dicturum jurasset, quod adversaretur decretis Romanorum pontificum *communi Ecclesiæ consensu receptis,* gravem ab academia animadversionem subierit, pœnasque audaciæ dederit.

Anno 1620, comitia generalia cleri Gallicani articulo 1637 statuunt: « hortandos episcopos, uti Sedem observent apostolicam, ecclesiam que Romanam infallibili Dei promissione fundatam... Petro cum clavibus datam *infallibilitatem fidei,* quam videmus, divinæ potentiæ miraculo, *in Petri successoribus* ad hodiernum usque diem *immobilem* permanere. »

Respondent solita evasione hæc intelligenda esse, non de quolibet Petri successore, sed de serie atque successione, ita ut ipsa series seu successio nunquam deficiat a fide. Sed velim quomodo concipi potest quod series atque successio a fide non deficiat, *et in Petri successoribus fides permaneat immobilis,* si et iste et iste Petri successor in fide deficiat? Numquid successio est in successoribus, et successores constituunt successionem? Plane contorta videtur hæc interpretatio. Quod si per

uccessionem intelligant Sedem apostolicam, ıt videntur alíquando intelligere, de hac jam lixi et dicam adhuc infra.

Anno 1653, octoginta quinque episcopi in omitiis congregati petunt ab Innocentio X udicium de libro Jansenii, hac potissimum atione quod « majores causæ ad Sedem apotolicam referre solemnis Ecclesiæ mos esset, ı qua fides Petri *nunquam deficiens perpetuo onservatur.* » Et anno 1654, gratias agentes idem pontifici pro condemnatione libri Janenii, datis litteris dicunt : « Perspectum haemus, non solum ex Christi pollicitatione etro facta, sed ex actis priorum pontificum, ıdicia pro sancienda *regula fidei* a summis ontificibus lata super episcoporum consultaone, *divina atque summa* per universam Ecesiam auctoritate niti, cui christiani omnes x officio ipsius quoque mentis obsequium ræstare tenentur, seu suam episcopi in conıltatione sententiam ponant, seu non ponant. » oc est, seu consultantium episcoporum conensus accedat seu non accedat : ergo Romani ontificis judicium est infallibilis fidei regula ıdependenter a consensu Ecclesiæ.

Ne longior sim, omitto illustriores ejusdem cademiæ doctores, Albertum magnum, lexandrum Halensem, de S. Thoma dixi sura, S. Bonaventuram, Nicolaum Lyranum, icolaum Coeffeteum, Gabrielem Albaspieum, Petrum de Marca, Habertium, Halleum, Mauclerum, Duvallium, etc., qui omnes ant pro infallibilitate summi pontificis. Et uot adhuc nunc pro eadem veritate stant, qui x obedientia tacent ?

§ VI.

Probatur conclusio ex praxi Ecclesiæ ab exordio.

Tribus primis sæculis ante concilium prium generale, plures hæretici solius Romani ontificis judicio fuerunt irreformabiliter ımnati : Anno 150, Cerdon et Valentinus ab igino apud Euseb. lib. 1 *Hist.*, c. 10 ; anno 96, Theodotus a Victore, apud eumdem lib. 5, p. 17 ; anno 215, montanistæ a Zepherino ıud Tertul. lib. de Jejun., c. 1 ; post conciım Nicænum, anno 390, Siricius damnavit vinianum ; anno 401, Anastasius damnavit ufinum origenistam ; anno 416, Innocenıs I damnavit Pelagium. Et hi omnes habiti ınt hæretici ex solius papæ judicio.

Respondent adversarii hos equidem habitos fuisse hæreticos, non tamen ex solius papæ judicio, sed ex accedente consensu Ecclesiæ.

Contra est 1° quod tribus primis Ecclesiæ sæculis, dum ferveret persecutio, et episcopi vel in cryptis et sepulchris latitarent, vel carceribus detinebantur, vel exulabant, difficile admodum nec nisi post longum tempus poterat haberi consensus Ecclesiæ, et de illo certitudo : neque tamen interim hærebant fideles quibus innotescebat sententia Romani pontificis, sed ex illa hæreticos damnatos pro damnatis habebant, et definitioni datæ mentis obsequium præstabant. 2° S. August. statim post latum Romani pontificis judicium contra pelagianos, antequam toti Ecclesiæ posset innotescere, aut de ejus assensu posset haberi certitudo, securus pronuntiavit : « Rescripta Roma venerunt, causa finita est. »

§ VII.

Probatur conclusio rationibus.

1° Sic arguo cum jam laudato nostro Hyacintho Serry. Istud judicium in materia fidei est irreformabile quod est supremum et ultimum, post quod non datur aliud superius ad quod appellari possit : atqui tale est judicium Romani pontificis loquentis ex cathedra in materia fidei et morum : ergo. Maj. patet. Prob. multipliciter min. : 1° ex tribus pontificibus, Bonifacio I, Gelasio I et Nicolao I. Is, *Epist. 8 ad Michaelem* imperatorem, sic loquitur : « Patet profecto Sedis apostolicæ, cujus auctoritate *major non est*, judicium a nemine fore retractandum ; *neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Juxta quod Bonifacius papa, Rufo et cæteris episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait : « *Nemo unquam* apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit ; *nemo in hoc rebellis* extitit nisi qui de se voluit judicari. Et B. papa Gelasius : « Ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluerunt deferri : *ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt* ; ac per hoc illam *de tota Ecclesia* judicare, ipsam ad nullius commeare judicium. »

Est qui respondeat his decretis tantum caveri hæc duo : alterum ne ordinaria negotia post Sedis apostolicæ judicium ad ulteriora judicia referantur ; alterum, ne in causis etiam maximis retractentur ea quæ in exequendis statutis conciliaribus hæc sedes egerit, aut quæ universali firmaque consensione recepta fuerint.

Sed contra testor oculatissimos, si vel verbulum deprehendant in toto textu quod hunc sensum indicet : sufficit illum inspicere, ut pateat has interpretationes esse mere gratuitas, imo et ipsi aperte contrarias. Enim vero, auctoritate Sedis apostolicæ *non est quid majus a quo sit ejus judicium retractandum :* ergo tam in maximis quam in ordinariis, tam in judicandis quam in judicatis exequendis, tam sine quam cum consensu aliarum ecclesiarum, ejus judicium est irretractabile. 2° Nemo unquam ejus judicia retractare ausus est : ergo in quocumque negotio fidei sive judicando, sive judicato, sive aliis probato sive non, est irreformabile. 3° Romana ecclesia debet *de tota Ecclesia judicare, ipsa ad nullius commeare judicium :* ergo in quacumque re fidei judicanda, non expectata Ecclesiæ consensione, stat firmum et a nullo retractabile ejus judicium. Vix est verbum in textu quod has interpretationes non explodat.

Prob. 2° eadem min. ex S. Aug. qui, ut vidimus, judicium Innocentii I contra pelagianos pro finali et irreformabili habuit, dum dixit : *Rescripta Roma venerunt, causa finita est.* Id etiam constat ex pluribus aliis Patribus a nobis prius laudatis.

Prob. 3° eadem min. 1° Appellans in causa appellationis eximitur a jurisdictione illius a quo appellat, et ab ejus obedientia recedit : atqui nullus fidelis potest eximi a jurisdictione summi pontificis, alioquin non esset amplius ejus ovis, consequenter nec fidelis, neque ab ejus obedientia recedere, cum sit supremus omnium rector, pastor et superior : ergo. 2° Judex a quo appellatur non debet dare et designare appellanti judicem ad quem, alias ageret contra seipsum : atqui solius est Romani pontificis indicere, congregare, confirmare et robur tribuere conciliis œcumenicis : ergo judicium Romani pontificis est ultimum in Ecclesia, consequenter infallibile et irreformabile. Patet conseq. Quia si esset tribunal ad quod a papa posset appellari, foret indubie concilium generale.

Prob. conclusio alia ratione : In Eccelesia a Christo bene ordinata debet admitti judex semper permanens et vivens, qui S. Scripturas, traditiones et controversias de fide ac moribus exurgentes infallibiliter interpretetur et dirimat : atqui is non est alius quam Romanus pontifex : ergo. Prob. min. : Iste judex supremus et infallibilis semper vivens non est cujusque spiritus privatus, non princeps sæcularis, ut olim diximus, non concilium generale; quia licet, pontifice præsidente, sit regula infallibilis fidei, non sufficit tamen, quia rarissime et difficillime congregantur concilia generalia, et tamen continuo in Ecclesia oriuntur controversiæ de fide ac moribus, ad quas dirimendas præsto adesse debet judex : ergo.

Dicunt adesse Ecclesiam universam, cujus consensu accedente fit irreformabile et infallibile judicium pontificis. Ita quarta propositio declarationis triginta quatuor episcoporum Gallicanorum 19 Martii 1682, his terminis : « In fidei quæstionibus præcipuas summi pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et ad singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. » Et hæc videtur epocha hodiernæ sententiæ Gallorum, quæ licet ex hucusque dictis confutata maneat, juvat tamen ex absurdis quæ ex illa sequuntur specialiter eam impugnare. Unde sit

§ VIII.

Probatur conclusio ex absurdis adversæ sententiæ.

Si summi pontificis judicium non sit infallibile in quæstionibus fidei et morum nisi ex consensu Ecclesiæ, sequitur 1° quod pontifex infallibilitatem suam mutuet ab Ecclesia, sicque quod Ecclesia non sit fundata in Petro, sed Petrus in Ecclesia; quod Petrus non pascat oves, sed oves pascant Petrum; quod Petrus non confirmet fratres in fide, sed fratres Petrum confirment, quæ sunt aperte contraria SS. Scripturis.

Sequitur 2° quod summus pontifex non magis gaudeat privilegio infallibilitatis qum episcopus minimæ diœceseos : hic enim definiat aliquid de fide et suis diœcesanis proponat credendum, si accedat consensus cæterorum episcoporum, judicium ejus erit infallibile. Idem dici potest de judicio simplici pastoris aut doctoris : atqui conseq. est absurdum et a SS. Scripturis ac tota traditione prorsus alienum : ergo.

Sequitur 3° fideles fore fluctuantes in fide, nec habere aliquid fixum et firmum cui assensu fidei adhæreant. Quæro enim qualis Ecclesiæ assensus requiratur? an totius Ecclesiæ, an majoris partis, an minoris, puta unius provinciæ vel nationis? Non hoc ultimum; quo jure enim hæc unius provinciæ vel nationis ecclesia conferret pontifici infalli

ilitatem quam non habet? Non primum, alioquin sufficeret dissensus unius vel alterius episcopi aut fidelis ad infirmandum judicium ummi pontificis, sicque nullum unquam erit nfallibile. Insuper quomodo et quando posset aberi consensus episcoporum et fidelium qui unt in Indiis Orientalibus et Occidentalibus? t interim fideles fluctuabunt et hæreses grasbuntur. Non denique secundum : 1° quia, ut modo dicebam de tertio, unde pars Ecclesiæ etsi najor, et non tota Ecclesia, habet infallibilitaem quam tribuat pontifici? 2° Quis dinumerait partes consentientes, ut dignoscatur an najor pars adhæreat? Quis hunc consensum delibus annuntiabit? Id ab exordio Ecclesiæ ovimus semel factum occasione bullæ *Unienitus*, cui tamen nec omnes obediunt. Quid ero de innumeris de quibus id non est factum? uid de futuris de quibus non est credibile uod unquam fiet? Interim nullus fidelis tebitur assensum fidei præbere decretis ponficiis, nemo enim tenetur nec potest assenre fide divina nisi auctoritati quam certo ovit infallibilem ; quia fidei non potest suesse falsum ; sicque quilibet suo arbitrio diittetur, et, ut modo dicebam, hæreses grasbuntur et vires accipient. 3° Si sufficiat asensus majoris partis, non est quod tanto zelo isputent Galli ; cum enim, iis exceptis, omes aliæ ecclesiæ, ad minus tres partes totius niversitatis, agnoscant summum pontificem nfallibilem, nullum ab eo dimanat decretum x cathedra, quod non recipiatur a majori arte Ecclesiæ.

At, inquiunt, debet acceptari prævio exaine. Dist.: Prævio examine ut intelligatur uid contineat, conc.; ut tanquam dubium ut erroneum reformetur, neg.; alioquin congere posset quod tres partes Ecclesiæ cum ontifice errarent in fide, et sola Gallia sine ummo pontifice servaret veram fidem. Insuer unde fideles cognoscere certo poterunt mnes episcopos prævio examine acceptasse? uousque autem id rescient, fluctuabunt, asensum fidei præbere nec tenebuntur nec oterunt ; ubi ergo erit fides Ecclesiæ? ubi cclesia?

Liceat insuper paululum expendere termios celebris declarationis. Dicitur « in quæionibus fidei præcipuas summi pontificis sse partes. » Quæro quæ sint istæ *præcipuæ artes?* an quod summus pontifex præemineat oncilio generali? minime ; concilio enim gerali subjicitur in secundo articulo declaraonis ; an quod ejus judicium prævaleat judicio concilii provincialis, aut saltem cujuslibet episcopi? nequaquam; juxta enim systema adversariorum, quilibet episcopus habet jus examinandi judicium pontificis, et illud, si non probet, rejiciendi. Porro judex qui habet jus recognoscendi, examinandi et improbandi judicium alterius, non se agnoscit illi inferiorem, sed potius superiorem. Dicitur item pontificis « decreta ad omnes et ad singulas ecclesias pertinere. » At quomodo *ad omnes ecclesias,* si quilibet episcopus possit illud decretum reprobare et supprimere? Et dato quod episcopus illud judicium probet, et suis diœcesanis intimet, atque ejus receptionem præcipiat, non tenebuntur ideo diœcesani, nec poterunt illud acceptare assensu fidei, donec ipsis innotescat consensus totius vel saltem majoris partis Ecclesiæ, quia eo usque est fallibile et reformabile ; asssensus autem fidei, ut dictum est, præberi non potest nisi veritati certo infallibili. Et quomodo ac quando fideles plebeii et rustici cognoscent hunc Ecclesiæ consensum accessisse? Patet ergo evidenter hæc esse verba et nihil amplius.

Petes 1° : Utrum ista declaratio sit definitio ecclesiæ Gallicanæ?

Resp. neg., quia ex centum et triginta episcopis ecclesiæ Gallicanæ, tantum triginta quatuor huic conventui adfuerunt, nec alii advocati sunt, et qui ab absentibus comprovincialibus missi sunt non habebant auctoritatem de doctrina judicandi et definiendi.

Petes 2° : Quis fuerit academiæ Parisiensis sensus circa hanc aliquorum episcoporum declarationem?

Respondet Hyacinthus Serry ejusdem academiæ doctor, qui circa id tempus stadium licentiæ decurrebat, Opusc. de Romano pontifice pag. 265, eam in condendis iis doctrinæ articulis partem nullam habuisse, et in acceptanda hac declaratione, dum ad ipsam regis chistianissimi jussu transmissa est, vim non modicum passam esse. Cum enim senatus princeps regiique cognitores ad academiæ comitia se contulissent, ut sancitos doctrinæ articulos a doctoribus recipi et in publicas academiæ tabulas referri curarent; tam acres inter doctores excitatæ sunt turbæ, dissidia tanta, ut, re infecta, senatus princeps abscesserit. Tum post dies aliquot, non expectata magistrorum deliberatione, nulloque illorum assensu quæsito, in supremam senatus curiam advocatus est publicus academiæ notarius et scriba die 16 Junii, missisque quibusvis formulis, cleri Gallicani declarationem academiæ

tabulis inscribere jussus est. Quod vero postea baccalaurei, qui stadium licentiæ decurrebant, illos ipsos articulos, per aliquot annos, thesibus suis inscripserint, ac etiam propugnarint, ut possent ad magisterii gradum promoveri, non academiæ statutum aut jussum, sed debitum regi christianissimo obsequium fecit, qui ita, supplicante clero, solemni edicto mandaverat mense Martio. Ita laudatus theologus. Ex quibus patet quam avitæ doctrinæ de juribus pontificiis esset adhuc tenax celebris academia, anno 1682.

Petes 3° : Quem exitum habuerit hæc declaratio ?

Resp. 1° : Innocentius XI, per litteras in forma brevis datas 11 Aprilis ejusdem anni 1682, improbavit, rescidit et cassavit quæ in dictis comitiis peracta fuerant, eaque perpetuo irrita et inania declaravit. Alexander VIII, Innocentii successor, ejus vestigiis inhærens, solemniori constitutione, quæ incipit *Inter multiplices*, data 4 Augusti 1690, sic decernit : « Motu proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omnia et singula, quæ tam quoad extensionem juris regaliæ, quam quoad declarationem de potestate ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas propositiones in supra dictis comitiis cleri Gallicani anno 1682 habitis, acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, declarationibus, epistolis, edictis et decretis, a quibusvis personis, sive ecclesiasticis, sive laicis, quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate et potestate fungentibus, editis seu publicatis..... ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etsi juramento vallata sint, observantiam teneri..... tenore præsentium declaramus et decernimus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, acta et gesta præfata, aliaque præmissa omnia, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, improbamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur. »

2° Qui his comitiis adfuerant, ad sedes episcopales, sive novas sive altiores, a rege christianissimo nominati, ut diploma pontificium ab Innocentio XII obtinerent, supplices ei litteras dederunt anno 1692, quibus profitebantur se de gestis hujusmodi (nempe comitiorum cleri Gallicani anno 1682) « Vehementer quidem et supra omne id quod dici potest, ex corde dolere », ac quæcumque in præfatis comitiis, sive circa ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decreta, sive in præjudicium jurium earumdem ecclesiarum deliberata, pro non decretis nec deliberatis habere et habenda esse; serio insuper spondentes se ita in posterum gesturos, ut nihil penitus de vera eorum erga sanctam Sedem obedientia, ac debito pro juribus ipsarum ecclesiarum defendendis zelo desiderandum supersit. De qua excusationis formula conventum erat inter administros summi pontificis et regis christianissimi, scilicet eminentissimos principes Franciscum Albani et Balduinum Ponciatici, ex parte pontificis, et Cæsarem D'Estrées, nec non Tussanum Janson de Forbin, ex parte regis.

3° Cum rex christianissimus dato edicto has quatuor declarationis propositiones ab omnibus teneri et tradi jussisset, ipse postea ad eumdem Innocentium XII scripsit se nuperrime regium illud edictum, quo in his cleri Gallicani comitiis edita de potestate ecclesiastica declaratio firmabatur, ita haberi jussisse, ut neminem ad illius observantiam teneri perspectum sit ac exploratum. Hæc sunt christianissimi regis epistolæ verba gallice : « Je suis bien aise de faire sçavoir à votre Sainteté que j'ai donné les ordres nécessaires, afin que les affaires contenues dans mon édit du 23 de Mars 1682, concernant la déclaration faite par le clergé de mon royaume (à quoi les conjonctures d'alors m'avoient obligé) n'auroient point de suite. Et comme je souhaite non-seulement que votre Sainteté soit informée de mes sentimens, mais aussi que tout le monde sache, par un témoignage public, la vénération que j'ai pour ses grandes qualités; je ne doute pas aussi que votre Sainteté n'y réponde par toutes sortes de preuves et de témoignages de son affection paternelle envers moi, etc. » Hæc et præcedentia legimus partim in opusculo cui titulus : *Romani Pontificis Privilegia*, Venetiis 1734, p. 378 et 414, cum approbatione; partim in altero opusculo Hyacinthi Serry: *De Romano Pontifice*, p. 266 et 267; partim alibi.

§ IX.

Præcluditur commune et præcipuum effugium adversariorum.

Quæcumque hucusque ex S. Scriptura, pa-

tribus, conciliis, pontificibus, theologis, etc., pro infallibilitate romani pontificis protulimus, adversarii accipiunt dicta, non de homine sedente in cathedra Petri, sed de ipsa cathedra, de sede Romana, de ecclesia Romana, et, ut quidam dicunt, quod idem est, de serie et successione Romanorum pontificum; ita ut sensus sit cathedram Petri, sedem Romanam, ecclesiam Romanam esse infallibilem, et nunquam defecturam in fide; quod si contingat unum pontificem deficere, a successoribus emendabitur, sicque fides remanebit semper in sede Romana, in cathedra Petri, in ecclesia Romana; et in hunc finem laudant illud celebre dictum S. Leonis, Epist. 53 *ad Anatolium*: « Aliud sunt sedes, aliud sedentes », et quia alioquin, inquiunt, moriente pontifice, deficeret seu periclitaretur fides Ecclesiæ.

Præter illa, quibus jam hinc et inde istam intelligentiam confutavimus, præterquam quod plura testimonia quæ protulimus adscribant infallibilitatem, non solum sedi aut cathedræ Petri, vel ecclesiæ Romanæ, sed ipsi sedenti et ipsi pontifici, etiam quandoque ejus nomine expresso; præter hæc, inquam,

Quæro nunc tantum quid intelligant per sedem et cathedram Petri, seu ecclesiam Romanam? an quæ in ambitu urbis Romæ continetur? an Ecclesiam universam seu catholicam? Video enim quosdam intelligere ecclesiam urbis Romæ, alios Ecclesiam universam; imo eumdem modo intelligere ecclesiam urbis Romæ, modo universam, secundum quod argumentis premuntur.

Si intelligant ecclesiam, quæ in ambitu urbis Romæ continetur, nunquam summus pontifex aliquid fidei definit ex cathedra, quin habeat ecclesiam urbis Romæ consentientem; tum quia illam consulit in præcipuis ejus membris; tum quia ipsa definitis a pontifice statim annuit; sicque pontifex definiens ex cathedra semper est infallibilis.

Si intelligant Ecclesiam catholicam et universam, contradicunt aperte S. Scripturæ in tribus locis prima probatione allatis, in quibus probavimus dignitatem fundamenti Ecclesiæ, pastoris Ecclesiæ, confirmatoris fratrum, unde sequitur infallibilitas soli Petro, et non toti Ecclesiæ esse traditam. Contradicunt item traditioni, et toti retro antiquitati, decretis conciliorum et summorum pontificum, Patribus, theologis, sibimetipsis. Etenim SS. Patres, concilia, pontifices, theologi quos laudavimus, ipsimet adversarii dicunt ecclesiam Romanam, quam superbæ inferorum portæ non vincunt, ad quam perfidia non potest habere accessum, quam denique agnoscunt esse infallibilem, esse matrem et magistram omnium ecclesiarum, centrum unitatis ecclesiasticæ, unde sacerdotalis unitas orta est, ad quam omnes ecclesias necesse est convenire; Ecclesiam esse in ea fundatam, et plura similia: palam est autem hæc dici non posse de Ecclesia universa, cum præter illam nullæ sint ecclesiæ. Quid enim est Ecclesia universa, quam omnes ecclesiæ simul sumptæ? totum autem non distinguitur a partibus simul sumptis. Non potest ergo dici de Ecclesia universa, quod sit mater et magistra omnium ecclesiarum, sicut non potest dici quod quis sit pater et magister sui ipsius, neque quod sit centrum unitatis, sicut omnes lineæ non possunt esse centrum cujusque lineæ, neque quod ab ea sacerdotalis unitas oriatur, cum ipsa sit sacerdotalis unitas, neque quod ad eam alias ecclesias convenire necesse sit, cum præter illam, ut dictum est, non sint aliæ; neque quod Ecclesia sit in ea fundata, alias esset in seipsa fundata. Denique dignetur studiosus lector attendere ad testimonia quæ protulimus, vix unum reperiet quo ista exotica interpretatio non confodiatur.

Quantum ad dictum S. Leonis, indubie aliud sunt sedes, aliud sedentes: sedes est nomen auctoritatis, dignitatis et officii; sedens est nomen personæ auctoritatem, dignitatem et officium obtinentis; eoque significatur eum qui habet auctoritatem et officium, non semper agere ex auctoritate et officio: sicque romanum pontificem posse non agere ex officio pontificio, sed se gerere ut privatam personam, quod nihil juvat adversarios, nec nobis nocet.

Ad id quod addunt de pontifice mortuo, respondet Cano, lib. 4 *de Locis Theologicis*, cap. ultimo, quod « Mortuo summo pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, et manet in ea Spiritus veritatis; sed manca et diminuta, sine Christi vicario et Ecclesiæ uno pastore, relinquitur. Quocirca, licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit (non enim est in solo pontifice passive), at si controversiæ fidei et religionis oriantur, Ecclesiæ judicia sine capite in terris non adeo certa erunt. »

Instant: Si per petram et fundamentum intelligatur persona Petri, sequitur inde quod Petrus non solum fuerit infallibilis, sed etiam debuerit esse immortalis, cum ædificium Ecclesiæ in eo fundatum sit in æternum permansurum: falsum conseq.: ergo.

Resp., præter solutionem huic instantiæ jam superius datam, dist. sequelam: Si per petram

et fundamentum intelligatur persona Petri physice et entitative, sequitur, etc., conc.; si intelligatur persona Petri moraliter, id est, ipsa ejus dignitas, auctoritas, jurisdictio et doctrina, sequitur, etc., neg. sequelam et ejus probationem: hæc enim, moriente Petro, virtute perseverant in Ecclesia et ad ejus successores transeunt: sicut, moriente rege, non perit regnum, quia remanent dignitas, auctoritas, jurisdictio quæ transeunt ad successores.

Petes : Utrum qui propositionem a summo pontifice damnatam defenderet, esset hæreticus ?

Resp., juxta id quod diximus initio, infallibilitatem summi pontificis non esse de fide obligante, quod non esset hæreticus, sed temerarius, nisi forte condemnationi pontificis accederet consensus Ecclesiæ; quia est de fide obligante quod Ecclesia sit infallibilis in proponendis revelatis.

ARTICULUS VI.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectiones præcipue petuntur ex inutilitate conciliorum, si summus pontifex sit infallibilis; ex dissidio inter SS. Cyprianum et Stephanum et ex sententiis S. Augustini in hanc rem; ex pluribus pontificibus qui dicuntur errasse, aut se agnovisse fallibiles, aut quos plures ecclesiæ et viri sancti reputarunt fallibiles. Ut hæc omnia ordine solvamus, sit

§ I.

Solvuntur objectiones petitæ ex inutilitate conciliorum et ex SS. Cypriano et Augustino.

Obj. 1° : Si summus pontifex sit infallibilis in quæstionibus fidei et morum definiendis, inutilia sunt concilia generalia : falsum conseq. : ergo. Patet sequela; quia pontifex, hoc ipso quo est infallibilis, potest se solo absque concilio omnes fidei et morum controversias judicio irreformabili definire : ergo.

Resp. neg. sequelam. Ad probat. dist. ant.: Summus pontifex potest se solo absque concilio omnes fidei et morum controversias judicio irreformabili definire, et simul potest se solo absque concilio æque efficaciter hæreticorum proterviam reprimere, pertinaciam frangere, tumultus sedare, media executioni definitionum idonea providere, neg.; et hæc se solo non potest æque efficaciter, conc. et neg. conseq. Itaque per se absolute non sunt necessaria concilia generalia ad certam et infallibilem veritatis definitionem contra hæreticos; quot enim hæreses, ante primum concilium generale Nicænum, et etiam secutis temporibus, a solis pontificibus Romanis absque conciliis generalibus fuerunt irretractabiliter damnatæ? Per accidens tamen sunt quandoque necessaria aut saltem valde utilia, tum ad reprimendam hæreticorum tumultuantium audaciam et eorum pertinaciam frangendam, facilius quippe et cum minori verecundia ceditur omnibus quam uni; tum ad faciliorem et efficaciorem decretorum executionem, quatenus omnes omnium nationum episcopi eis subscribunt et profitentur se illa amplecti et illorum executionem suis diœcesanis demandaturos. Item melius innotescunt singularium provinciarum necessitates et mores, quæque media sunt unicuique adhibenda ad occurrendum gliscenti errori et ad legum ac decretorum observantiam promovendam; quod enim convenit Italiæ vel Germaniæ, forte non proderit Galliæ aut Hispaniæ; sicut enim corporum, ita morum est varia complexio.

Hinc occurritur variis instantiis quas petunt ex convocatione conciliorum, etiam post jam damnatas a summis pontificibus hæreses. Sic Cœlestinus hæresim Nestorii damnaverat, sed non extinxerat, propter potentissimos Nestorii amicos et defensores ; et ideo fuit necessaria convocatio synodi Ephesinæ, ut opportunis remediis hæreticorum vesania comprimeretur, hæresis progressus sisteretur et catholicorum fides muniretur. Sic S. Leo, in epistola celebri ad S. Flavianum, eutychianam hæresim damnaverat; sed quia Dioscorus et alii in latrocinio Ephesino eam rejecerant ut nestorianam, Flavianum verberibus et plagis affecerant, atque ejecerant, imo et adversus S. Leonem sententiam dixerant, necesse fuit congregari synodum Chalcedonensem ut hos tumultus sedaret et tot malis occurreret.

Inst. : S. Leo permisit suam epistolam in concilio examinari, tanquam *in pleniori concilio,* ut scribit in Epist. ad Theodorum imperatorem ; et in Epist. ad Theodoretum, quæ est 63, gratulabatur sibi quod id quod prius decreverat « universæ fraternitatis firmaverat assensus » : ergo.

Resp. Vidimus art. præced. § 4, patres Chalcedonenses ante examen jam recepisse epistolam S. Leonis et sæpe acclamasse : « Petrus per Leonem locutus est, ita credimus » : unde

postea epistolam jam receptam, annuente S. Leone, examinaverunt, non quod suspicarentur inesse illi errorem, ut patet, nec quasi haberent auctoritatem illam reformandi, sed ut, veritate intellecta et ab omnibus admissa, eutychianorum, qui jactabant illam ut nestorianam, clamores sisterent et calumniam depellerent : vide loco citato. Dixit autem S. Leo *pleniori concilio,* id est, solemniori, quatenus patres Chalcedonenses in eamdem sententiam cum ipso, tanquam membra cum capite, conspirabant ; vel dixit *pleniori*, respective ad latrocinium Ephesinum, a quo fuerat appellatum. Gratulatur sibi quod *universæ fraternitatis assensus firmaverit* suum decretum, non quod crederet ipsum infirmum, sed quia ex hoc universali assensu majus robur acceperit ad debellandos et conterendos hæreticos, sicut dicimus decreta concilii Nicæni firmari sequentibus conciliis.

Itaque frustra laborant qui ad infirmandam Romani pontificis infallibilitatem, concilia generalia congerunt, quæ hæreses jam a pontificibus damnatas novo judicio damnarunt ; hujus enim causa fuit non insufficiens et fallibilis in Romano pontifice judicandi potestas, sed hæreticorum audacia, protervia, contumacia et facilior definitionum executio.

Obj. 2°: S. Cyprianus, doctrina et sanctitate conspicuus, Stephano papæ definienti non esse rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, restitit cum pluribus episcopis Africanis ; ergo ipse non agnoscebat summum pontificem infallibilem, nec infallibilis tunc habebatur in Ecclesia.

Resp. 1° : Quantum ad primum illatum, non est mirum Cyprianum, qui errabat circa baptismum hæreticorum, errasse circa infallibilitatem summi pontificis ; familiare est enim hominibus et humanæ fragilitati consentaneum, ut qui semel errorem induerunt, quem auctoritate fultum existimant, non agnoscant auctoritatem a qua proscribitur, hoc delusi principio male intellecto, quod oporteat Deo magis obedire quam hominibus. Quantum ad secundum illatum, illud nego : quot enim episcopi olim conciliis generalibus Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, etc. restiterunt ? Indene sequitur concilia generalia non habita fuisse infallibilia ab Ecclesia ?

Dices haud dubie hos episcopos fuisse hæreticos, S. Cyprianum autem sanctum. Equidem sanctum et sanctissimum veneramur ; at non quia Stephano ejus errorem damnanti restitit ; sed quia errorem, ut præsumitur, retractavit, unitatem servavit, in communione Ecclesiæ obiit fuso pro Christo sanguine. His titulis S. Augustinus ejus culpam attenuat, at non omnino excusat. Vide quæ late de his diximus in digress. hist. ad dissert. 5, de Sacrament. in genere, sect. 3 et 4. Sed his omissis

Resp. 2° : Solutione communi, neg. utrumque illatum ; quia quæstionem de baptismo hæreticorum iterando S. Cyprianus nunquam apprehendit pertinere ad fidem, sed ad disciplinam tantum ; nec illam ut fidei dogma definivit ex cathedra Stephanus. Duplex itaque quæstio hic est distinguenda : Prima, an invalidum sit baptisma hæreticorum ? secunda, an sint rebaptizandi ab hæreticis baptizati ? Prima est speculativa, et ad fidem pertinet : secunda est disciplinæ, et praxim spectat : Stephanus autem, intacta prima quæstione, secundam prohibuit, jussitque nihil innovari, sed servari antiquam consuetudinem, nihil amplius ; idque non per decretum solemne toti Ecclesiæ directum, sed per rescriptum in litteris privatis ad S. Cyprianum et collegas, quod sic refert S. Cyprianus Epist. 74 *ad Pompeium* (ab eo enim solum illud novimus) : « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pænitentiam ». Unde S. Aug., lib. 2 *de Bapt.*, cap. 19 : « Consuetudinis robore, inquit, tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem ». Neque etiam illud rescriptum tanquam Sedis apostolicæ decretum ex cathedra habuit S. Cyprianus, siquidem, teste S. Augustino lib. 2 *cont. Donat.*, c. 7 : « Nondum erat diligenter, *tempore Cypriani,* illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia. » Quod autem nondum erat sufficienter pertractatum et discussum, non potuit proponi tanquam decretum Sedis apostolicæ et articulus fidei. Unde objectio non militat contra conclusionem, quæ est de infallibilitate summi pontificis loquentis ex cathedra in controversiis fidei. Hanc responsionem multis momentis probavimus digress. mox citata, sect. 1, ubi plura quæ contra objiciunt adversarii præoccupata et soluta reperies. Vide.

Inst. 1° : Stephanus, definiens non esse rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, supponebat eorum baptisma esse validum, id saltem ex definitione inferri poterat : ergo.

Resp. hic non agi de suppositione vel illatione, sed de definitione ex cathedra. Quidquid in mente habuerit Stephanus, constat nihil

aliud definivisse quam ut *nihil innovaretur*, sive teneret de fide istud baptisma esse validum, sive tantum ut quid certius haberet. Neque, ut dictum est, id definivit ex cathedra.

Inst. 2° : Etsi Stephanus definivisset ex cathedra tanquam fidei dogma, validum esse baptisma hæreticorum, et ab ipsis baptizatos non esse rebaptizandos, non debuisset illi acquiescere S. Cyprianus : ergo. Prob. ant. ex S. Augustino, lib. 2 *de Bapt. cont. donat.*,cap. 4, ubi dicit : « Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui et ipsi sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur » : ergo, juxta S. Augustinum, solius concilii plenarii, et non Romani pontificis judicio acquiescere tenemur:

Resp. neg. conseq. Sensus namque S. Augustini est quod non auderet asserere, scilicet ut fidei dogma, sicut tunc asserebat, cum hæc dicebat contra donatistas, baptisma hæreticorum esse validum, et non esse rebaptizandos ab eis baptizatos, nisi id definitum fuisset in concilio generali ; quia solum concilium generale id definierat ut dogma fidei, et non Stephanus, cujus ætate nondum satis eliquata et discussa erat hæc quæstio, et qui novitati opponebat tantum antiquam consuetudinem, ut dicit ipse S. Aug. Unde per hæc verba S. Augustinus non intendit infallibilitatem judicii pontificii excludere, sed infallibilitatem concilii asserere : sicut si de propositione a concilio Tridentino definita dicerem : Hanc propositionem non auderem asserere,si a concilio Tridentino non esset definita, male quis inde inferret me denegare infallibilitatem summo pontifici, et soli concilio Tridentino tribuere ; nulla enim fit ibi comparatio inter concilium et pontificem, sic ut unum dicatur infallibile, et alter fallibilis, sed sensus planus est : Audeo asserere hanc propositionem, ut doctrinam fidei ; quia concilium Tridentinum, quod est infallibile, eam definivit, et nullus alius, qui sit infallibilis, eam definivit.

Deinde attendendum est ad scopum S. Augustini ; S. Doctor agebat contra donatistas, qui exemplo S. Cypriani nitebantur et abutebantur ; contra quos sic arguit ad hominem : Si hæc quæstio fuisset in concilio plenario eliquata et definita, S. Cyprianus ad quem provocatis, illi contra propriam sententiam acquievisset : quare ergo, cum jam sit per plenarium concilium definita, vos non acquiescitis ? Quo argumento nullatenus negatur infallibilitas Romani pontificis.

Cæterum S. Augustinum agnovisse infallibilitatem, non solum in concilio plenario, sed etiam in summo pontifice, ausumque fuisse asserere ut dogma fidei quod nondum in concilio plenario fuerat definitum, evidentissime patet in causa pelagianorum,quam ex solo judicio Innocentii I asseruit esse finitam, nec pelagianis superesse appellationem ad concilium generale.

Inst. 3°: S.Aug., lib.1. *de Bapt.cont. donat.*, c. 18, hæc habet : « De baptismi ergo quæstione, jam, quantum arbitror, satis disserui ; et quia hoc manifestissimum schisma est, quod donatistarum nomine nuncupatur, restat ut hoc de baptismo pie credamus, quod universa Ecclesia a sacrilegio schismatis remota custodit. In quantum si aliud alii, et aliud alii adhuc de ista quæstione sentirent, donec universali concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis, sicut scriptum est, quia charitas operit multitudinem peccatorum ; qua enim absente, cætera inaniter habentur, eadem præsente, quædam venialiter non habentur. » Ergo, ut ante, solum generalis concilii est infallibile judicium.

Resp. neg. conseq. Loquitur S. Augustinus de causa rebaptizantium pro eo statu in quo erat tempore S. Cypriani, quando nec papa eam definierat quoad doctrinam, nec aliquod concilium generale de ea pronuntiaverat (tempore enim quo loquebatur S. Augustinus, erat definita in concilio generali, ut ipse sæpe affirmat); dicit itaque quod in hac hypothesi foret quidem peccatum non acquiescere jussioni pontificis et consuetudini generali, sed « si infirmitatis errorem cooperiret charitas », ut in S. Cypriano (id enim dicit ad ejus aliqualem excusationem) peccatum veniale redderet. Ex quo patet S. Cyprianum peccasse resistendo papæ, quod non placet adversariis. Dicit item S. Augustinus : « Donec universali concilio aliquid eliquatum esset », non quod excludat judicium papæ ; non enim facit comparationem inter utrumque, ut mox dicebam, et alioquin excluderet pariter judicium Ecclesiæ dispersæ, quod non admittunt adversarii ; sed quia post S. Cyprianum causa fuerat definita, non a pontifice, sed a concilio generali, et indubie sufficienter. Non negat autem S. Augustinus etiam a pontifice potuisse ultimate definiri, neque id unquam negavit, quin po-

tius contrarium diserte asseruit in causa pelagianorum et alibi, ut vidimus. Unde si hos et similes S. Augustini textus ad nostrum sensum non intelligas, ipsum cum ipso conciliare non poteris.

§ II.

Solvuntur objectiones ab exemplis summorum pontificum, qui dicuntur errasse.

Revocandum est in memoriam quæstionem procedere de summo pontifice loquente ex cathedra in controversiis fidei et morum; ipsum autem loqui ex cathedra, quando ex plenitudine potestatis universam Ecclesiam alloquitur et docet, proponendo ei aliquid fide divina credendum. Quapropter sive colloquendo, sive disputando, sive interpretando S. Scripturam aut Patres, sive consultando, sive proponendo rationes rei definitæ, sive respondendo litteris aut consultationibus privatis, propriam opinionem exponat, non loquitur ex cathedra, neque est infallibilis. Hac observatione adhibita, ut plurimum evanescunt adversariorum argumenta ex hoc capite petita. Sit itaque primo

S. Petrus, Zepherinus, Stephanus I, Marcellinus, Liberius.

Obj. 1° : S. Petrus dicitur bis errasse in fide: 1° quando negavit Christum tempore passionis; 2° quando Antiochiæ post ascensionem observavit legalia et gentes coegit judaizare: qua de causa fuit reprehensus a Paulo.

Resp. ad primum S. Petrum negasse Christum ore tenus, non corde : ita interpretantur communiter SS. Patres : et esto corde negaverit, nondum erat tunc pontifex constitutus, nec Ecclesiam universam docebat.

Ad secundum : Petrus deliquit observando legalia, « *non falsi prædicatione, sed imprudenti conversatione* », inquit S. Augustinus, Epist. 9 et 19 ad S. Hieronymum ; quatenus, advenientibus Antiochiam Judæis, se scrupulosius subducebat mensis gentilium conversorum cum quibus antea convivebat, præbens hoc facto ansam Judæis et gentilibus credendi adhuc necessario observanda esse legalia, quod tamen ipse Petrus nec credebat, nec intendebat, cum auctor fuisset decreti ea de re editi in concilio Jerosolymitano ; et ideo reprehendit ipsum Paulus, non quia male docebat, sed quia imprudenter agebat cum aliorum scandalo. Confer quæ de isto facto scripsi in tract. de Religione, digress. hist. ad calcem dissert. 9. Adde quod, etsi Petrus non habuisset privilegium infallibilitatis ut pontifex, habuisset saltem ut Apostolus ; omnes enim Apostoli illapsu Spiritus Sancti in die Pentecostes, sic in fide confirmati sunt, ut nullus posset ab ea excidere.

Obj. 2° : Zephyrinus, ineunte sæculo 3, approbavit insanas Montani, Priscæ et Maximillæ prophetias, ex Tertull lib. *contra Praxeam*, c. 1, ubi dicit : « Romanum pontificem (communius putatur Zephyrinus) cognovisse prophetias Montani, Priscæ et Maximillæ, et propterea litteras suas misisse ad montanistas, quas tamen postea revocare coactus est » : ergo.

Resp. Tertulliano puro putoque montanistæ, dum scripsit contra Praxeam, nullam fidem esse adhibendam. Et esto Zephyrinum, errore facti deceptum, dedisse montanistis litteras communionis, fraude detecta eas revocavit ; unde nihil contra nos.

Obj. 3° : Stephanus, decreto suo contra rebaptizantes, in errorem oppositum lapsus est approbando promiscue omne baptisma hæreticorum etiam eorum qui non baptizabant in nomine Trinitatis : ergo.

Resp. neg. ant., quod ex professo et invicte expugnavimus digress. hist. ad dissert. 5, de Sacramentis in genere, sect. 5. Require.

Inst. : S. Cyprianus hunc errorem tribuit Stephano : ergo saltem ipse non credebat eum esse infallibilem.

Resp. 1° neg. ant., cujus contrarium loco mox citato probavimus. 2° Dato gratis ant., neg. conseq. Potuit enim hunc errorem Cyprianus Stephano tribuere, vel quia putavit eum ex cathedra non definivisse, et ejus rescriptum pertinere ad disciplinam; vel quia, æstu disputationis abreptus, aliquid humani erga Stephanum passus est, ut fatetur S. Augustinus. Confer resp. 1 ad obj. 2, § præced.

Obj. 4° : Marcellinus ,anno circiter 302, in persecutione Diocletiani thus idolis adolevit in templo Isidis et Vestæ, teste Baronio *in Annal.*, et ea de causa congregatum fuit concilium Sinuessanum ; ergo.

Resp. 1° lapsum Marcellini communius ab eruditis reputari commentitium et concilium Sinuessanum fictitium : ita continuatores Bollandi, Tillemontius, Natalis Alexander, Pagius, etc., contra nitente tamen Cabassutio et Binio. 2° Sed dato ant., quis ita desipiat, ut dicat pontificem, metu mortis thura idolis adolentem, universam Ecclesiam docere, ipsi præcipere

idololatriam fide divina credendam, de quo tamen solo est quæstio.

Obj. 5° : Liberius subscripsit hæresi arianæ et damnationi S. Athanasii, cujus causa erat conjuncta cum causa fidei, quatenus erat illius strenuus propugnator, atque communicavit cum episcopis arianis : ergo.

Resp. 1° neg. ant. pro prima parte ; sed subscripsit Liberius formulæ secundum se catholicæ, ut sat prolixe probavi in digress. hist. ad dissert. proœm. tract. de Trinitate : vide. Ad secundam partem ant.; Subscripsit Liberius damnationi S. Athanasii, quia existimavit ejus causam esse a fidei causa sejunctam, et S. Athanasium fuisse damnatum ob delicta disciplinam et mores spectantia, de quibus fuerat revera accusatus. Ad tertiam partem ant.; Liberius communicavit cum episcopis semiarianis, qui se damnasse Arium et esse catholicos simulabant.

Resp. 2° : Dato ant. quoad omnes suas partes, nemo somniabit pontificem in exilium actum, minis perterrefactum, libertatis desiderio victum, subscribentem ore tenus formulæ arianæ, et damnationi S. Athanasii, atque cum hæreticis communicantem, locutum fuisse ex cathedra et ex plenitudine potestatis obligasse universam Ecclesiam subscribere arianismo, quod solum tamen hic vertitur in quæstione.

Zozimus.

Obj. : Zozimus, Innocentii I successor, approbavit ut catholicum libellum Cœlestii pelagiani, in quo aperte negabat peccatum originale ; dicebat enim, ut refert S. August. de Peccato orig. ,cap. 2, 3 et 6, quod « peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, et non generi humano : quod infantes qui nascuntur in eo statu sint, in quo fuerit Adam ante transgressionem. » Addebat in eodem libello Cœlestius : « In remissionem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur. » Libellum hunc, inquam, in quo tam apertæ hæreses legebantur, a Zozimo dictum fuisse catholicum testatur S. Augustinus citatus : ergo.

Resp. dist. ant..Zozimus libellum Cœlestii, in quo negabat peccatum originale, approbavit ut catholicum. habita ratione propositionum et dogmatum quæ continebat, nego.; habita ratione mentis, affectus et modi loquendi auctoris, qui hunc suum errorem non absolute asserebat, sed ad modum dubitantis tantum proponebat, petens instrui, sensum suum judicio Sedis apostolicæ submittens, paratus corrigere quidquid corrigendum judicaret, conc. Nihil autem prohibet quominus liber sub tali consideratione, quæ pertinaciam ab auctore excludit, possit dici catholicus. Porro hujusmodi fuisse libellum Cœlesti constat ex S. Aug., qui lib. 2 *ad Bonif.*, cap. 2, refert Cœlestium in libello scripsisse : « Non ego quasi auctor alicujus dogmatis definita hæc auctoritate statui, sed ea quæ de prophetarum et Apostolorum fonte suscepi, vestri apostolatus offerimus probanda judicio, ut si forte tanquam hominibus quispiam ignorantiæ error irrepserit, vestra sententia corrigatur. » Et interpellatus a Zozimo de Innocentii litteris qui Pelagium damnaverat, respondit « se eis consentire, et se omnia quæ Sedes apostolica damnaret damnaturum promisit.» His itaque motus Zozimus et horum habita ratione, libellum approbavit, absque eo quod unquam falsum dogma probaverit et peccatum originale negaverit. Hæc responsio est S. Augustini qui loco citato sic discurrit : « Quænam tandem epistola venerandæ memoriæ papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præcipit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit. Sed cum hoc Cœlestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia et hoc catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere. » Unde quisquis responsionem nostram impugnare voluerit, prius expugnet S. Augustinum necesse est.

Instant tamen ; 1° Zozimus in Epistola *ad episcopos Africanos* scribit : « Censuimus innotescere vestræ sanctitati super absoluta Cœlestii fide nostrum examen : » et paulo post de Cœlestii accusatoribus : « Quare intra secundum mensem, aut veniant qui præsentem redarguant aliter sentire quam libellis et confessione contexuit, aut nihil post hæc tam aperta et manifesta quæ protulit dubii vestra sanctitas resedisse cognoscat. » Ergo res examine et judicio Zozimi eo redacta erat, ut fides a Cœlestio exposita, integra et catholica procul dubio ha-

beretur, istud tantum quærendum superesset an probari possit eum aliter quam libello dixerat, docuisse.

Resp. dist. conseq. cum S. Augustino ut ante : Res judicio Zozimi eo redacta erat, ut fides a Cœlestio exposita, haberetur catholica, habita ratione ejus mentis, affectus et dispositionis, conc.; habita ratione dogmatum, nego. Patet ex S. Augustino citato, sicque approbatum fuisse Cœlestii libellum intellexerunt Africani, qui apud S. Aug. lib. 2 *ad Bonifacium*, c. 3, respondent Zozimo : « Non sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii episcopi litteris consentire fatebatur, sed aperte eum debere anathemathizare, quæ in suo libello prava posuerat, ne, si id non fecisset, multi parum intelligentes magis in libello ejus illa fidei venena a Sede apostolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat eum libellum esse catholicum, quam emendata, propter illud quod se papæ Innocentii litteris consentire ipse respondeat. » Ex quibus patet libellum non fuisse approbatum ratione dogmatum, sed ratione consensus promissi et dati litteris Innocentii : mirum profecto est eos qui tam acriter S. Augustinum urgent, dum putant eum adversari infallibilitati pontificiæ, ipsum nolle audire dum pontifices ab errore excusat.

Inst. 2°: Facundus, Hermianensis episcopus, huic ævo proximus, pro defensione trium Capitulorum lib. 7, c. 3, memorat : « B. Zozimum apostolicæ Sedis antistitem, contra S. Innocentii decessoris sui sententiam, fidem ipsius Pelagii ejusque complicis Cœlestii, tanquam veram et catholicam laudantem, insuper Africanos culpantem episcopos quod ab illis hæretici crederentur » : ergo.

Resp. Facundo Hermianensi viro schismatico, trium Capitulorum pertinaci defensori adversus V Concilium generale, nullam esse fidem adhibendam, sed audiendum S. Augustinum, qui in ea ipsa causa fuit actor contra Cœlestium.

Inst. 3° : Ex ipsomet S. Augustino, lib. 2 citato *ad Bonificat.* c. 3, ubi postquam excusavit Zozimum, dicit : « Sed si, quod absit, ita tunc (post acceptas scilicet concilii Africani litteras) fuisset de Cœlestio et Pelagio in Romana ecclesia judicatum, et illa eorum dogmata, quæ in ipsis et cum ipsis papa Innocentius damnaverat, approbanda et tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis clericis inurenda. » Ergo supponit S. Augustinus possibile esse ut erret Romani pontificis judicium, approbando hæresim.

Resp. neg. conseq. Modus enim iste loquendi hypotheticus non indicat rem possibilem; sæpe enim sic loquimur de rebus quas scimus impossibiles, ut cum trivialiter dicimur: « Si cœlum caderet », etc. Unde et quandoque adjicimus : « Si per impossibile id contingeret », etc. Quo sensu dixit Apost., Galat. 1 : « Si angelus de cœlo vobis aliter evangelizet, anathema sit » : ex quo non sequitur quod Paulus crediderit angelum posse aliter evangelizare.

Resp. 2° ad principale argumentum ; Datis omnibus hucusque objectis, nihil sequitur contra nos; constat enim Zozimum, approbantem privatim libellum Cœlestii et scribentem privatas litteras ad episcopos Africanos, universam Ecclesiam non fuisse allocutum, nec eam obligasse ad credendum fide divina non dari peccatum originale, sicque non fuisse locutum ex cathedra, sicut postea locutus est, quando, fraude detecta, Pelagium et Cœlestium solemni decreto condemnavit, missa ad omnes totius orbis episcopos condemnationis epistola quæ communiter dicta est *tractatoria*.

Hormisdas, Vigilius, Honorius.

Obj. 1° : Hormisdas condemnavit ut hæreticam hanc famosam propositionem : « Unus de Trinitate passus et crucifixus est carne », a monachis Scythis et pluribus aliis assertam, quam tamen Joannes II, ejus successor, in Epist. ad Justinianum imperatorem et synodus quinta, c. 10, approbarunt : ergo.

Resp. neg. ant. pro prima parte; non enim Hormisdas hanc propositionem damnavit ut hæreticam, sed eam rejicit ut intempestivam, inquietam et multarum dissensionum causam, seu potius, omisso judicio de ipsa propositione, objurgavit ejus intempestivos assertores, monachos Scythas, qui tanta pertinacia illam tuebantur, ut nestorianismi accusarent quotquot illi subscribere recusabant; et ideo in Epistola 70 ad Possessorem vocat eos, non hæreticos, sed turbulentos, pertinaces, contentionum studiis assuetos, novarum cupidos quæstionum, etc.

Respondet noster Serry : Dato Hormisdam damnasse hanc propositionem ut hæreticam, quod eam sumpserit in sensu formali et reduplicativo, quo sensu est eutychiana, Christus enim non est passus et crucifixus formaliter et reduplicative, ut Deus et una de Trinitate persona : Joannes autem II et synodus quinta, a quibus probata est, eam sumpserunt in

sensu materiali et specificativo et per communicationem idiomatum, atque ita catholicam judicarunt; quia secunda Trinitatis persona naturam illam humanam assumpsit quæ et passa et mortua est.

Obj. : 2° Vigilius papa modo probavit, modo improbavit tria famosa Capitula, quæ pertinebant ad fidem; erant enim facta dogmatica: ergo.

Resp. De causa trium Capitulorum et de Vigilio plusquam satis dixi art. 7 præced. dissert. § 4. Require.

Obj. 3° : Honorius papa fuit damnatus ut hæreticus in sexta synodo œcumenca : ergo.

Resp. 1° dist. ant.: Honorius fuit damnatus ut hæreticus sententia, n. ant.; ut hæreticus favore, id est, ut fautor hæreticorum, quatenus jussit taceri voces unius vel duplicis voluntatis et operationis in Christo, conc. Hanc responsionem multis et gravissimis momentis probavimus, et alia quæ spectant Honorium exposuimus in digress. hist. ad dissert. 4, tract. de Incarnat. sect. 4, adeat lector; omnia enim hic repetere non vacat.

Gregorius III, Stephanus II, Nicolaus I, Stephanus VII, Sergius III.

Obj. 1° : Gregorius III, respondens Bonifacio Moguntino, dicit virum posse dimittere uxorem quæ præ infirmitate non potest reddere debitum. Item dicit baptizatos a paganis vel judæis esse rebaptizandos : hæc autem esse falsa nullus dubitat : ergo.

Resp. ad primum, juxta communem interpretationem, Gregorium loqui de impotentia, non quæ supervenerat matrimonio, sed quæ illud præcesserat, de quo alibi dixi : neque dicas hæc verba Gregorii : « si mulier infirmitate correpta » significare infirmitatem conjugio jam inito supervenientem : quasi vero mulier non posset dici infirmitate correpta tam ante quam post matrimonium : unde rejicienda est nota Gratiani ad illud decretum, qua dicit « sacris canonibus et evangelicæ doctrinæ adversari. »

Ad secundum ; Gregorius dicit baptizatos a paganis et judæis esse rebaptizandos, quia incertum erat an serio et observata debita forma baptizassent.

Responderi insuper posset hæc rescripta non esse ex cathedra ,quia non sunt directa toti Ecclesiæ.

Obj. 2° : Stephanus II dicitur approbasse baptismum in vino collatum.

Resp. hoc Stephani rescriptum esse spurium aut adulteratum, ut pluribus momentis probavi dissert. de Bapt., a. 2, obj. 2. Vide.

Obj. 3°: Nicolaus I, in responsis ad consulta Bulgatorum, cap. 104, docet baptisma collatum in nomine Christi esse validum.

Respondi et probavi dissert. citata de Baptismo, a. 4, Nicolaum id dixisse non definiendo ex cathedra, sed ex privata sententia : non enim de eo erat interrogatus, sed tantum utrum baptisma collatum a judæo vel pagano esset validum. Require. Insuper non est de fide baptisma collatum in nomine Christi esse invalidum ; sunt enim theologi qui tenent esse validum.

Obj. 4° : Stephanus VII acta Formosi prædecessoris sui irritavit, et ab eo ordinatos iterum ordinari jussit. Theodorus II et Joannes IX, successores Stephani, acta ejusdem Stephani in Formosum irritarunt : deinde Sergius III acta Formosi iterum irritavit, et acta Stephani probavit : ergo vel Stephanus et Sergius ex una parte, vel Theodorus et Joannes ex altera erraverunt.

Resp. mirum profecto objici factum inhumanum et crudele pro definitione summi pontificis ex cathedra. Stephanus ergo et Sergius erravere, non errore prædicationis sed conversationis, sed ut dicit Spondanus ad annum 897, non errore in fide, sed violenta tyrannide in facto. Stephanus quippe ex odio in Formosum, quem contendebat non fuisse legitimum pontificem, sed vi et simonia intrusum, jussit exhumari ejus corpus et in Tiberim projici, ejus acta irritavit et ab eo ordinatos reordinari jussit, non quidem definiendo ex cathedra, sed suo livori indulgendo. Sergius postea animo pariter exasperato in Formosum, contra quem sedem Romanam invadere tentaverat, et cujus consilio Stephanus sævierat in Formosum, hujus acta pariter irritavit et acta Stephani probavit.

Addo, juxta plures theologos, ordinationes Formosi non fuisse iteratas simpliciter quoad substantiam sacramenti, sed secundum quid tantum, adhibitis scilicet certis cæremoniis quibus ordinati a Formoso, et ideo suspensi, ut prætendebat Stephanus, liberam suorum ordinum executionem reciperent, sicut factum antiquitus ex concilio Toletano IV, et variis exemplis probavimus in tract. de Ordine, dissert. 3, a. 2, § 2, inter objectiones. Confer.

Cœlestinus III, Alexander III, Bonifacius VIII, Bonifacius IX, Joannes XXII, Sixtus V.

Obj. 1° : Cœlestinus III definivit quod, cum alter conjugum labitur in hæresim, dissolvatur matrimonium, ut constat ex Innocentio III, cap. *Quanto* de divortiis. Et Alexander III, cap. *Licet* de sponsa duorum, asserit quosdam suos prædecessores judicasse quod, si post matrimonium ratum non consummatum, aliud novum matrimonium consummetur, primum dirimatur : utrumque autem est erroneum : ergo.

Resp. non omnia pontificum rescripta ad privatorum consultationes pro decidendis privatis casibus conscientiæ, ut jam non semel observavimus, censeri debere ex cathedra pronuntiata; sæpe enim respondent secundum privatam opinionem non definiendo cum solemnitatibus requisitis, sed simpliciter aperiendo mentem suam. Unde celebris noster Cano, de *Locis theologicis*, lib. 5, cap. 5, cap. penultimo sub finem, dicit : « Decretales nonnullas constat a posterioribus meliore consilio refutatas, quoniam non ex firmo decreto, sed ex pontificum opinione prodierunt. »

Obj. 2° : Alexander III, cap. *Cum esset* de testamentis, dicit : « alienum esse.... a divina lege.... ut testamenta, nisi quinque vel septem testium fuerint subscriptione munita, rescindantur. » Falsum autem videtur hoc esse alienum a divina lege.

Resp. id proferri a pontifice, non ut definitionem, sed ut rationem definitionis; id enim solum definit pontifex, nequidem pro toto orbe christiano, sed pro statu ecclesiastico, duos vel tres testes sufficere ad validitatem testamenti ad causas pias. Nos autem dicimus pontifices infallibiles in definitionibus, non semper in rationibus definitionum, quæ quandoque non sunt cogentes.

Obj. 3° : Bonifacius VIII definivit omnia regna mundi Romanis pontificibus subesse in temporalibus, idque in famosa decretali *Unam sanctam* inseruit : ergo.

Resp. neg. ant. quoad utramque partem. Quantum ad primam : Spondanus refert orationem habitam ab eodem Bonifacio VIII in publico consistorio anno 1301, in qua protestatur se nihil tale unquam scripsisse aut somniasse, sed epistolam, in qua id continebatur, suo nomini suppositam fuisse a Petro Flotta. Ad secundam : In decretali « Unam sanctam », definit tantum, « subesse Romano pontifici omnino esse de necessitate salutis »; quod intelligitur in spiritualibus.

Inst. : Clemens V, in concilio Viennensi, hanc decretatem rescidit : ergo.

Resp. neg. ant. Sed eam exposuit et dixit esse sic intelligendam, ut ex illa nullum præjudicium regi regnoque Galliæ sit illatum.

His subjungit Hyacinthus Serry ipse Gallus et doctor Parisiensis, opusc. jam citato, pag. 89 : « Equidem, ut fatear bona fide quod res est, nonnulla in decretali *Unam sanctam* obiter inserta sunt, unde facile colligi possit sensisse Bonifacium VIII principum christianorum dominia, sin minus directe, at saltem indirecte Romanorum pontificum auctoritati subesse, si a fide quam professi sunt ipsi deficiant. Verum quidquid ea in parte veritas habeat, de qua meum non est ferre judicium, fatendum est tamen eam contra fidem catholicam minime pugnare, imo et a viris summe catholicis omni retro ætate fuisse defensam, ac in præsenti defendi. Ut vel sic pateat nullam violatæ fidei labem Bonifacio VIII inuri posse ; quod ita forte senserit, ac etiam ex cathedra definierit. »

Obj. 4° : Bernardinus Corio, in Historia Mediolanensi, p. 3, narrat Bonifacium IX concessisse indulgentiam, ut qui in domino vicecomitum certam pecuniæ summam in pauperes vel templorum restaurationem erogaret, esset a quocumque peccato absolutus, etsi nec contritus, nec confessus, quam ideo vocat *indulgentiam extraordinariam :* ergo.

Resp., supposita veritate hujus narrationis, Bonifacium intellexisse de absolutione a peccatis quantum ad pœnas canonicas, ab Ecclesia pro gravioribus criminibus taxatas, non vero quantum ad culpam et pœnam a Deo infligendam. Et quia non solent Romani pontifices per indulgentias a solis pœnis canonicis absolvere, sed etiam a culpis et pœnis a Deo infligendis, ideo historicus vocat hanc indulgentiam extraordinariam.

Obj. 5° : Joannes XXII erravit circa visionem Dei facialem, quam definivit differri post ultimam corporum resurrectionem. Item idem erravit circa dominium fratrum Minorum, vel saltem Nicolaus III, contraria enim in hac parte definierunt.

Resp. neg. utrumque ant. Ad primum : Nihil unquam quantum ad hoc Joannem definivisse ex cathedra, imo probabilius, neque ut privatum doctorem id unquam assertive docuisse, ex professo probavimus in tract. de Beatitudine, digress. hist. ad dissert. 2. Vide.

Ad secundum : Ostendimus, dissert. 2 de Justitia, a. 2, obj. 1, hos pontifices contraria non definivisse in materia fidei. Equidem Joannes XXII, constit. *Ad conditorem*, definit Romanam ecclesiam non habere dominium bonorum quæ conferuntur FF. Minoribus, quia illud abjecit quod susceperat Nicolaus III. Verum id ad fidem non pertinet. Equidem Joannes, inter rationes suæ definitionis seu ordinationis, affert quod « usus facti non distinguantur a dominio » ; at non pro rationibus definitionum, sed pro ipsis definitionibus hic pugnamus ; aliunde ista ratio non est in materia fidei, sed partim naturali, partim civili. Item Joannes XXII, constit. *Cum inter nonnullos*, definit Christum et Apostolos habuisse quædam propria in communi : et quamvis Nicolaus III antea definivisset, cap. *Exiit* de verborum significationibus in 6, Christum et Apostolos non habuisse propria in communi, non tamen in hac parte sibi contradicunt : quia sensus Nicolai est quod Christus et Apostoli aliquando nihil habuerint proprium in communi ; sensus Joannis est quod aliquando habuerint proprium in communi ; quod utrumque verum est. Vide loce citato.

Obj. 6° : Sixtus V editionem Vulgatam suis curis emendatam jussit sub anathemate recipi ut authenticam, quam tamen multis mendis scatentem curavit emendari Clemens VIII, Sixti diplomate suppresso : ergo.

Resp. Sixtum in hoc non peccasse contra fidem, tum quia menda, quæ in ejus editione reperiebantur, non lædebant fidem aut mores, sed erant vel vitia quædam grammaticæ, vel quædam leves dissonantiæ a textu Græco et hebraico, quales adhuc reperiuntur in editione Clementis VIII, ut vidimus suo loco : tum quia non dixit simpliciter « emendatam » sed, « prout optime fieri potuit. »

§ III.

Solvuntur objectiones petitæ a summis pontificibus, qui dicuntur se agnovisse fallibiles, aut ab aliis habiti sunt fallibiles.

Obj. 1° : Plures pontifices se agnoverunt fallibiles ; Leo IV, can. *Si incompetenter*, causa 2, q. 4 ; Innocentius III, Serm. 2, de Consec. pontif. ; Clemens VI, in diplomate dato 7. Idus Decembris 1351 ; Gregorius XI, in testamento, et alii : ergo.

Resp. hos pontifices se agnovisse fallibiles in dispensationibus seu privilegiis concedendis, in factis particularibus, vel etiam in rebus fidei, sed ut doctores privatos, non autem ut pastores universalis Ecclesiæ loquentes ex cathedra. Neque obstat quod Gregorius XI dicat se potuisse errare etiam in consistorio ; non enim quæ in consistorio aguntur, semper ex cathedra definiuntur ; sed in eis sæpe causarum merita expenduntur, consilia proponuntur, absque eo quod ad sententiam solemnem deveniatur. Unde ipsimet laudati pontifices, ubi agebatur de Romani pontificis judicio ex cathedra, ejus infallibilitatem strenue propugnarunt : sic Innocentius III, Epist. 109 ad patriarcham Constantinopolitanum, « Petri successores a fide catholica nullo unquam tempore deviasse profitetur. » Et Clemens VI, inter articulos quorum subscriptionem requisivit ab Armenis, decimus tertius erat de infallibilitate pontificis, ut vidimus inter probationes.

Inst. : Adrianus VI, in commentario super 4 Sentent. distinctione 7, scribit : « Si per Romanam ecclesiam intelligatur caput illius, puta pontifex, certum est quod possit errare, etiam in his quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo : plures enim fuere pontifices Romani hæretici : » ergo.

Resp. Adrianum VI hæc scripsisse, antequam cathedram Petri ascenderet, dum esset professor publicus Lovanii : unde est sententia privati theologi, non summi pontificis. Et verisimile est pontificem factum mutasse hanc sententiam, quam obiter tantum et ex occasione tradiderat : cum enim teneret papam non posse dispensare cum simplici sacerdote, ut conferret sacramentum confirmationis, et sibi objiceret S. Gregorium in hoc dispensasse cum presbyteris Calaritanis, ut ab hoc argumento se expediret, dixit pontificem posse errare. At vero cum ipsemet pontifex factus, similem dispensationem, teste Vadingo in Annalibus, concesserit fratri Galapioni, missionario in Indiis, verisimile est eum etiam a priori sententia de fallibilitate summi pontificis recessisse.

Inst. : Adrianus VI. pontifex factus, primo pontificatus sui anno, jussit de novo imprimi suos commentarios, absque ulla hujus loci correctione, ergo pontifex in eadem sententia permansit.

Resp. neg. conseq. ; potuit enim ex aliis causis hanc correctionem tunc omisisse : forte quia ipse pontifex factus suum opus non recognovit, aliis gravioribus curis initio pontificatus occupatus : vel quia hanc novam edi-

tionem curavit, antequam mutasset sententiam occasione datæ dispensationis fratri Galapioni.

Cæterum, dato Adrianum pontificem factum in ea permansisse sententia, sequitur ad summum unum inter omnes et contra omnes sic censuisse, et ut doctorem privatum errasse, non enim id definivit; quod non multum juvat adversariorum sententiam, nec nostræ detrahit.

Obj. 2° : Pelagius I, de fide suspectus propter approbatam V synodum, se purgavit apud regem Galliæ et episcopos Tusciæ, non allegata sua infallibilitate : ergo se credebat errori obnoxium, non infallibilem.

Resp. neg. conseq. Ex eo enim quod quis edat professionem fidei ad amovendas malas de se suspiciones, non sequitur quod se credat errori obnoxium : sic S. Petrus, cujus exemplum et verba Pelagius usurpat Act. II, fratribus disceptantibus quod *ad gentes divertisset*, non allegata sua infallibilitate, statim plenam satisfactionem dedit, nec tamen ideo se in prædicatione fidei errori obnoxium agnovit. Item Epist. 1, cap. 2, vult omnes fideles esse paratos *ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea quæ in ipsis est fide;* neque tamen ideo putat fidem christianorum esse errori obnoxiam.

Inst. 1° : Saltem Galliarum et Tusciæ episcopi existimabant Pelagium potuisse errare in approbatione V synodi. Quid tum? Iidem episcopi existimabant V synodum œcumenicam a duobus pontificibus confirmatam errasse, ideone conclusum est contra infallibilitatem conciliorum œcumenicorum? minime sane. Sicut ergo hi episcopi non sunt præ tota Ecclesia audiendi circa infallibilitatem conciliorum, ita nec contra infallibilitatem summorum pontificum.

Inst. 2° : S. Columbanus epistolam probris et minis refertam dedit ad Bonifacium IV eo quod faveret V synodo : ergo non agnoscebat eum infallibilem.

Resp. 1° ut ante ; 2° S. Columbanus, quamvis sanctitate conspicuus, erat tunc schismaticis Trium Capitulorum defensoribus junctus, quod pluribus aliis viris probis contigit, et eorum instinctu, præsertim Agilufi Longobardorum regis et Theodelindæ reginæ, hanc epistolam acrem et vehementem scripsit: qui ideo nullius est ponderis, nec proferri deberet, sed æterno silentio obvolvi.

Quæ insuper opponunt de Asiaticis, qui restiterunt Victori et reputaverunt eum fallibilem circa celebrationem Paschæ, et de concilio Arelatensi quod jussu Constantini suo subjecit judicio sententiam Melchiadis in causa Cœciliani, facilius adhuc solvuntur : præter enim solutiones datas, palam est in utroque hoc casu non agi de fide : in primo namque controvertebatur an Pascha esset celebrandum more judaico luna 14ª Martii, an die dominico sequenti, quod ad disciplinam, non ad fidem pertinet. In secundo quærebatur an Felix Aptungitanus, qui Cœcilianum ordinaverat, sacros libros infidelibus tradiderat, et an ipse Cœcilianus eleemosynas in victum confessorum erogatas subtraxerat, quæ sunt facta privata et personalia. Adde Constantinum « dedisse hoc concilium, non quia necesse erat, inquit S. Aug. Epist. 162, sed (donatistarum) eorum perversitatibus cedens, et omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.

His suppositis, quod diximus de infallibilitate Ecclesiæ in dirimendis quæstionibus facti dogmatici et in canonisatione Sanctorum, tribuendum est summo pontifici.

ARTICULUS VII.

De præeminentia summi pontificis supra concilium generale.

Quæstio non est de concilio generali ut complectitur episcopos congregatos et simul summum pontificem. Sic enim certum est quod illi non sit superior pontifex; alioquin sibi ipsi esset superior; imo concilium sic sumptum est quid majus saltem extensive; sed est quæstio de concilio generali, ut solos complectitur episcopos congregatos, pontifice, sive absit, sive adsit, non computato : et quæritur utrum concilio sic sumpto pontifex sit superior auctoritate et jurisdictione, an concilium pontifici?

Hanc secundam partem tuentur Galli a tempore concilii Constantiensis, et est secunda propositio declarationis celebris cleri Gallicani 1682. Cum autem urgentur argumentis ex S. Scriptura vel traditione quibus probatur Romanum pontificem esse supremum caput, rectorem, pastorem omnium fidelium, respondent id intelligendum esse de omnibus fidelibus in particulari, seu seorsim et distributive sumptis, non vero collective sumptis, et in concilio generali adunatis : quibus e contra sic sumptis pontifex subjicitur, eo fere modo quo generalis est caput et rector ordinis, sic ut omnes religiosi seorsim et distributive te-

neantur illi obedire, ipse tamen capitulo congregato subjicitur et ad ejus leges adstringitur ; vel sicut dux Venetorum singulis reipublicæ membris præeminet, ipse tamen toti reipublicæ est inferior et subditus.

Cæterarum nationum theologi communiter tenent e contra summum pontificem esse auctoritate, potestate et jurisdictione superiorem toti Ecclesiæ, sive divisim, sive collectim sumptæ, ita ut quodcumque concilium etiam generale ipsi subjiciatur, non ipse concilio. Res jam ex parte confecta est ex articulis præcedentibus ; si namque judicium summi pontificis in quæstionibus fidei et morum sit infallibile et irreformabile, sequitur quod, quantum ad hoc, quod præcipuum est, non subjiciatur concilio : an autem quantum ad leges, ordinationes, statuta, disciplinam, vel etiam ipsius pontificis personam spectantia, subjiciatur, ita ut concilium ejus statuta abrogare, ipsum corrigere, judicare, deponere, uno verbo vi coactiva in ipsum agere possit ? an e contra pontifex concilii statuta, definitiones, ordinationes rescindere, ipsumque transferre, dissolvere, probare, vel improbare possit ?

Dico : Summus pontifex est auctoritate et jurisdictione omni concilio superior.

Prob. 1° : Constat ex hucusque dictis de primatu S. Petri et Romani pontificis, nec non de ejus infallibilitate, ipsum secundum S. Scripturam et traditionem esse totius et universalis Ecclesiæ caput, pastorem, patrem, doctorem et ducem : atqui caput aliis membris non solum seorsim sed simul sumptis superius est ; pastor non singulis ovibus seorsim tantum, sed toti gregi præest et superior est ; pater non huiç vel illi proli, sed toti familiæ ; doctor non huic vel illi discipulo, sed toti scholæ ; dux non huic et illi militi tantum, sed toti exercitui : ergo pariter pontifex non solum singulis fidelibus seorsim, aut huic vel illi ecclesiæ, sed toti Ecclesiæ ; non solum singulis concilii episcopis divisim, sed ipsi concilio auctoritate superior est.

Confir. 1° : Ut minus summus pontifex est auctoritate superior toti Ecclesiæ, sicut episcopus toti diœcesi : atqui episcopus est superior diœcesanis, non solum seorsim et distributive, sed etiam simul et collective sumptis : ergo.

Confir. 2° : Ipsamet concilia generalia summum pontificem caput, pastorem, doctorem, patrem suum vocant et agnoscunt, ut patet ex epistolis synodicis concilii Constantinop. I ad Damasum, Chalcedonensis ad S. Leonem, Constantinop. III ad Agathonem et aliis : ergo.

Confir. 3° : Summus pontifex est Christi vicarius, ut fatentur omnes, et constat ex formula fidei jussu Pii IV, ab omnibus episcopis, synodis et aliis edenda, in qua sic legitur : « Romanoque pontifici B. Petri Apostolorum principis successori , ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo et juro » : quod dici non potest de concilio ; cum enim Ecclesiam repræsentet, debet potius dici vicarius Ecclesiæ : atqui Christus habet auctoritatem in universam Ecclesiam tam divisim quam conjunctim : ergo et ejus vicarius. Patet consequentia, tum quia, « quæ Christo potestate sunt propria, sunt Petro ejus vicario cum ipso participatione communia », inquit S. Leo Serm. 3, de annivers. Assumpt.; tum quia, si concilium, quod est vicarius Ecclesiæ, esset supra Christi vicarium, Ecclesia foret supra Christum ; principale enim secundum jura non est deterioris conditionis quam accessorium : stultum et impium consequens : ergo.

Prob. 2° : Summi pontifices, jure summo et nemine reclamante, supremam potestatem exercuerunt supra concilia generalia : etenim quibusdam definiendi regulam præscripserunt, quorumdam acta resciderunt, alia in integrum irritaverunt, alia probarunt et confirmarunt : hæc autem sunt aperta superioris auctoritatis indicia : ergo.

Prob. prima pars ant. Cœlestinus definiendi formam ipsamque sententiam contra Nestorium ferendam præscripsit concilio Ephesino ; S. Leo concilio Chalcedonensi contra Eutychem ; Agatho concilio VI contra monothelitas ; Adrianus II concilio VII contra ικονομαχοσ ; et Adrianus II concilio VIII contra Photium : hæc omnia constant ex art. 5, § 4.

Prob. secunda pars ant. S. Leo canonem 28 concilii Chalced., quo jura patriarchæ Constantinopolitani decernebantur, quantumvis rogatus confirmare constanter renuit et in irritum misit. Verum quia hoc facto invicte probatur auctoritas Romani pontificis concilio superior, non unum adversarii excogitaverunt effugium.

Dicunt 1° nos nequidem statum quæstionis intelligere : hi enim, ut inquiunt, sustinent duntaxat cum concilio Constantiensi potiorem esse concilii auctoritatem in his quæ pertinent ad fidem, ad extinctionem schismatis et reformationem generalem Ecclesiæ in capite et in membris, de quibus non agitur in præfato canone.

Sed contra : 1° Si papa sit superior concilio in reformandis et statuendis juribus patriarchalibus, quare non esset in aliis? Quo loco S. Scripturæ vel traditionis, in quo summi pontificis auctoritas asseritur, hæc distinctio, exceptio, vel restrictio legitur? 2° Si concilium statuisset de juribus pontificiis, ejus decretum pertineret ad reformationem Ecclesiæ in capite : ergo statuendo de juribus patriarchalibus, ejus decretum pertinet ad reformationem Ecclesiæ in membris.

Dicunt 2° orientales patres id sibi tribuisse ut patrum limites et canones Nicænos, repugnante toto Occidente, convellerent, quod eis non licebat. Optime : ergo concilium generale absque pontifice, aut eo non consentiente, potest errare, sicque ejus auctoritate superiori est reformabile.

Instant : In hoc canone statuendo nequaquam concilii generalis auctoritate gaudebant, a quorum decretis, in ea actione, cum Sede apostolica universus Occidens recedebat.

Sed contra : 1° Quis ipsis revelaverat Romanum pontificem, cujus consensum instanter petebant, huic decreto non consensurum, et eo consentiente, universum Occidentem dissensurum? Quid, velim, hoc est nisi fingere? 2° Nullum fuit concilium quod sub hoc prætextu non potuerit excidere a sua œcumenicitate; poterant enim occidentales dicere concilia orientalia definivisse contra sensum totius Occidentis, et orientales pariter de occidentalibus. Neque refert quod illis pontifex præesset et consentiret per se vel per suos legatos; impertinens namque videtur in sententia adversariorum ad œcumenicitatem concilii, quod pontifex consentiat nec ne; siquidem, secundum illos, concilium definiens contra pontificem dissentientem remaneat œcumenicum : ergo definiens consentiente pontifice, si totus Oriens vel Occidens dissentiat, non remanet œcumenicum.

Prob. tertia pars ant. S. Leo irritavit concilium Ephesinum II ex ejus assensu convocatum et cui aderant ejus legati : ergo.

Respondent hoc concilium, etsi generale, per se fuisse nullum propter vim et ex defectu auctoritatis.

Sed contra primum : Nullibi constat majorem patrum partem metu adactam subscripsisse, quod tamen deberet esse manifestum; alioquin hæretici hoc prætextu possent omnia concilia rejicere dicendo patres metu censurarum, exclusionis a beneficiis, indignationis pontificis aut Cæsaris, etc., subscripsisse.

Contra secundum : Legati pontificis præsentes aderant, et quamvis Dioscorus auctoritatem præsidis usurpare tentaret, reclamabant pontificis legati, quod sufficit in sententia adversariorum, ut concilium remaneat œcumenicum et valeat; suppono enim quod concilium convocatione et præsidentia pontificis per se vel per suos legatos legitimum et generale, renitente pontifice definiat, sive in materia fidei, sive contra ipsum pontificem, eum corrigendo, judicando vel deponendo. His definitionibus certo non præsidebit pontifex, maxime contra seipsum, et tamen, in sententia adversariorum, remanebit concilium œcumenicum cum privilegio infallibilitatis et superioritatis ad summum pontificem : ergo idem fateantur de concilio II Ephesino. 2° Revera deerat auctoritas huic concilio, sed non alia ratione quam quia summus pontifex per suos legatos renitebatur ejus definitionibus et ideo vere nullum : ergo quodcumque concilium generale, non computato et non assentiente summo pontifice, caret auctoritate et est nullum ; quod est ipsissima thesis nostra.

Quantum ad quartam partem ant. de confirmatione conciliorum per pontificem, eam probabimus dissert. seq., dum de conciliis; nec eam omnino negant adversarii, sed dicunt τὸ *confirmare* nihil aliud significare quam approbare, consentire, adhærere, asserere, pro veris et firmis habere, testificari sic esse, et contra hæreticos vindicare, non vero auctoritative judicare et firmitatem, robur ac validitatem conferre : sic, inquiunt, æquales aut etiam inferiores dicuntur confirmare dicta seu acta suorum æqualium, aut etiam superiorum, quando illis consentiunt et adhærent; sic passim legimus synodum Nicænam confirmari a synodis sequentibus etiam provincialibus, acta synodorum generalium ab imperatoribus, decreta pontificum a suis successoribus, etc., quæ confirmatio est honoraria consensus et adhæsionis tantum, non auctoritativa.

Sed contra : Confirmationem petitam et datam a summis pontificibus conciliis generalibus non esse honorariam tantum et simplicis consensus et adhæsionis, sicut datam ab æqualibus aut inferioribus, sed auctoritativam et validitatem conferentem constat, quia petitur et datur ut concilia generalia *firmitatem* habeant; sic enim loquuntur patres concilii IV et VI, et sine hac confirmatione non est ratum nec firmum concilium, ut patet de concilio Ephesino II, de canone 28 concilii Chalcedonensis et de V concilio generali Constanti-

nop. II, atque jura ita expresse declarant d. 17, cap. *Regula* ex Julio papa : « Nec ullum ratum est aut erit unquam concilium quod non fultum fuerit ejus (ecclesiæ Romanæ) auctoritate »; et cap. *Multis* ex Pelagio II. Unde Socrates, lib. 2 *Hist.* cap. 5, ait : « Canon ecclesiasticus vetat ne decreta absque sententia episcopi Romani ecclesiis sanciantur. » Sozomenus lib. 3, cap. 9, dicit : « Legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse quæ præter sententiam episcopi Romani constituuntur »; et concilium Romanum sub Damaso de Ariminensi : « Præjudicium certe numeri Ariminensis conventus nullum esse potest, quando ita est habitus, ut neque Romani pontificis, cujus ante omnia sententiam cognoscere debuerant, ... consensus illis adfuerit. » Idem probant quæ modo dicemus de appellationibus a conciliis ad summum pontificem, ac denique ratio ipsa; non enim concilium generale habet firmitatem et indefectibilitatem in suis decretis, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam universam : atqui non repræsentat Ecclesiam universam, nisi caput seu Romanum pontificem secum judicantem habeat, nec censetur Romanus pontifex cum conciliis judicare, nisi dum conciliorum decreta confirmat : ergo.

Huic secundæ probationi cumulum adjiciet Leo X in Constitut. *Pastor æternus,* quæ lecta fuit nec improbata in concilio generali Lateranensi V, sess. 11, in qua sic dicit : « Solum Romanum pontificem pro tempore existentem, tanquam *auctoritatem super omnia concilia habentem*, tam conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis; sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constat, quorum aliqua referre placuit, reliqua vero utpote notiora silentio præterire. In Alexandrina enim synodo, S. Athanasio ibidem existente, Felici Romano pontifici ab eadem synodo scriptum fuisse legimus Nicænam synodum statuisse non debere absque Romani pontificis auctoritate concilia celebrari. Neque nos latet etiam eumdem Leonem pontificem Ephesinam secundam synodum ad Chalcedonem transtulisse ; Martinum Papam V præsidentibus suis in concilio Senensi potestatem transferendi concilium, nulla consensus ipsius concilii mentione habita, dedisse ; Ephesinam quoque primam synodum Cœlestino et Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Adriano, octavam etiam Constantinopolitanam synodum Adriano summo pontifici, prædecessoribus nostris, maximam reverentiam exhibuisse, eorumque pontificum institutionibus et mandatis, in sacris conciliis per eos editis et factis, reverenter et humiliter obtemperasse. Unde Damasus papa et cæteri episcopi Romæ congregati, scribentes de concilio Ariminensi episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur; quandoquidem constat Romanum pontificem, cujus ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum. Eumdemque Leonem pontificem universis Siciliæ episcopis scribentem idem voluisse apparet, consueveruntque antiquorum conciliorum patres, pro eorum quæ in sacris conciliis gesta fuerant corroboratione, a Romano pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere et obtinere, prout ex Nicæna et Ephesina, ac Chalcedonensi hujusmodi et sexta Constantinopolitana, et septima eadem Nicæna et Romana sub Symmacho synodis habitis, earumque gestis, nec non in Aimari, libro *de Synodis,* manifeste colligitur : quod etiam novissime Constantienses patres fecisse constat. »

Nihil hic habent quod respondeant adversarii, nisi hanc Leonis declarationem non fuisse concilii, aut ipsius definitionem dogmaticam, et ex cathedra prolatam non esse, sed propositionem obiter et incidenter insertam occasione *Pragmaticæ Sanctionis*, cujus abolitionem principaliter intendebat pontifex. Ita sit, non inficiamur; alioquin adversarii forent hæretici; sed quis sensatus et præjudiciis vacuus sententiam summi pontificis in concilio generali declaratam, assertam et probatam, nullo ex his, quorum maxime intererat, reclamante, non præferat doctorum privatorum sensui?

Prob. 3° conclusio : Non est licitum appellare a summo pontifice ad concilium generale; est autem licitum appellare a concilio generali ad summum pontificem : atqui appellatio non fit, nisi ab inferiori ad superiorem : ergo pontifex est auctoritate superior concilio generali.

Primam partem maj. auctoritate et ratione probavimus art. 5, § 7, quibus ad majorem explicationem et corroborationem adde sequentia. Gelasius papa, Epist. 17 ad episcopos Dardaniæ, dicit: « Prima sedes unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et con-

grua moderatione custodit pro suo principatu ..... Non reticemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet episcoporum sententiis ligata B. Petri Apostoli sedes jus habeat resolvendi; utpote cum de omni Ecclesia jus habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicio judicare : siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. »

Nicolaus I, Epist. 8 ad Michaelem imperatorem, cujus verba jam supra retulimus, et repetere juvat : « Ipsi sunt canones, inquit, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam vero ad nullius commeare judicium. » Quid his respondeant adversarii require cum solutionibus § 7 citato, et confer ultimam probationem infra, ubi ecclesiæ Gallicanæ patres in idem referemus.

Item jure novo, Martinus V, bulla promulgata in publico consistorio concilii Constantiensis, sub pœna excommunicationis prohibuit appellationem a papa ad concilium. Vide infra obj. 1. Idem Pius II, litteris Mantuæ in conventu principum publicatis anno 1469; Julius II, et Gregorius XIII in bulla Cœnæ.

Opponunt adversarii quasdam appellationes factas a papa ad concilium : sed facto non probatur jus, nec valet consequentia : factum est : ergo licet facere: de hoc latius in sol. obj.

Secunda pars ant. jam probata manet ex laudatis auctoritatibus Gelasii et Nicolai. Insuper probatur : S. Flavianus a secundo concilio Ephesino, convocatione et legatorum præsentia generali, appellavit ad S. Leonem, ut constat ex epistola ejusdem S. Leonis ad Theodosium imperatorem, in qua dicit : « Legatis nostris libellum appellationis Flavianus episcopus dedit. » Pariter Theodoretus episcopus Cyri in eodem concilio damnatus appellavit, ut constat ex actis concilii Chalcedonensis. Macarius et alii, in sexta synodo œcumenica damnati, appellaverunt ad Leonem II, ut patet ex litteris Constantini Pogonati ad eumdem Leonem, in quibus dicit : « Omnes scriptis precibus serenitatem nostram precati sunt, ut eos ad Beatitudinem vestram mitteremus; sic igitur fecimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes. »

Hincmarus Rhemensis sæculo nono, lib. *de Divort. Lotharii*, dicit : « Quibus omnibus demonstratur, quia synodus comprovincialium episcoporum judicia, generalis autem synodus comprovincialium dijudicationes sive dissensiones, vel probet vel corrigat; apostolica vero Sedes et comprovincialium et generalium retractet, refricet, et confirmet judicia : sicut epistolæ Leonis atque Gelasii cæterorumque Romanorum pontificum, et Sardicensis synodus evidenter ostendunt, et episcoporum recte judicantium confirmatur, et secus judicantium corrigitur; et interim funditus non perit auctoritas. »

Id denique ratio evincit : Licitum est appellare a tribunali fallibili ad infallibile : atqui summus pontifex est judex infallibilis, saltem in quæstionibus fidei et morum, ut probatum est articulis præcedentibus; concilium autem generale, prout hic sumitur, est errori obnoxium; loquimur enim hic de concilio generali, non ut complectitur omnes episcopos simul et summum pontificem, sic enim esset appellare a pontifice ad pontificem, sed ut complectitur omnes episcopos non computato pontifice, sive absente, sive præsente, sed non consentiente, ut explicuimus initio articuli : concilium autem generale, sic sumptum, posse errare constat, tum ex secundo Ephesino, tum quia, ut jam dixi, sic non repræsentat Ecclesiam, quia non est Ecclesia sine capite; non est autem infallibile, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam : ergo.

Prob. 4° conclusio : Summus pontifex non potest judicari a concilio generali : ergo non est illi inferior. Prob. ant. 1° C. *Si papa*, dist. 40, dicitur : « Cunctos judicaturus ipse, a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius. »

2° Cap. *Aliorum*, causa 9, q. 3 : « Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sedis autem Romanæ præsulem, suo, sine quæstione, reservavit arbitrio. » Quod excludit concilium tam generale quam particulare.

3° Concilium Romanum sub Adriano II, cap. 4 : « Romanum pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. »

4° Concilium generale VIII, sub Adriano, act. 10, c. 21 : « Si synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum ecclesia quævis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisciitari, et solutionem accipere aut proficere et profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra summos seniores Romæ

pontifices.» Neque dicas non licere *audacter*, licere tamen reverenter : quam enim, amabo, reverentiam judex habere potest erga subditum quem condemnat? Non licet ergo absolute, quia fieri non potest nisi *audacter*.

5° Concilium Lateranense sub Alexandro III, (refertur cap. *Licet* extra de electione) ideo monet maximam cautelam adhibendam esse in electione summi pontificis, quia si delinquat ille, « non poterit ad superiorem haberi recursus », scilicet ut judicetur : ergo nec concilium generale est ipsi superius.

6° Innocentius III, Serm. 2 *de Consecrat.* summi pontificis : « In tantum, inquit, mihi fides necessaria est, ut, cum de cæteris peccatis Deum solum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari. »

Est qui conatur evadere dicendo pontificem *a nemine* posse judicari, significare non posse judicari ab ullo particulari, non vero non posse judicari a tota Ecclesia seu concilio generali.

Sed contra 1°: Laudata testimonia non solum dicunt pontificem a nemine posse judicari, sed cap. *Aliorum* dicitur ipsum solius Dei arbitrio reservari, quod excludit concilium generale : concilium VIII dicit non licere synodo generali dicere sententiam in illum : concilium Lateranense dicit eum non habere superiorem : ergo nec concilium generale. 2° Quis unquam somniavit τo *Nemo* excludere singulos particulares tantum et non omnes collectos? *Nemo* quasi *ne homo;* docentur autem dialectici particulam negativam esse malignantis naturæ et totum destruere : non ergo solum aliquot particulares, sed omnes excludit : et forte verax erit qui dicat, *Nemo* est in Ecclesia, licet omnes fideles sint in ea collecti? Qui dicat canones qui dicuntur Tridentini *a nemine esse definitos*, quia non ab aliquo particulari, sed a toto concilio sunt definiti? Sicne ludimus in rebus gravissimis? Infirmam sane causam quæ non nisi talibus figmentis defendi potest.

Prob. 5° conclusio ex avita ecclesiæ Gallicanæ doctrina. Sicut advocavimus supra ecclesiam Gallicanam in confirmationem infallibilitatis Romani pontificis, juvat etiam nunc eam advocare pro ejus auctoritate superiori ad concilium generale.

Circa annum 503, occasione Symmachi papæ, quem licet sponte annuentem concilium Romanum, vulgo *Palmare*, in judicium vocaverat, S. Avitus Viennensis archiepiscopus, nomine ecclesiæ Gallicanæ, ad urbis senatores sic scribit : « Quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum, non minus per mandata quam per litteras oneratus, quæcumque a vobis ambimus, unus suggerenda suscepi..... Non facile datur intelligi qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.... In sacerdotibus cæteris potest, si quid forte mutaverit, reformari : at si papa urbis vocatur in dubium, episcopatus jam videbitur, non episcopus vacillare.... Reddet rationem qui ovili dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset : *cæterum non est gregis pastorem proprium terrere*, sed judicis. » Concilium generale est grex.

Anno 800, episcopi Gallicani, jussu Caroli Magni ad concilium Romanum vocati in causa Leonis III, de variis criminibus ab æmulis accusati, parere renuerunt, nisi pontifex ipse se illorum judicio sponte submitteret, hac ratione quod, cum esset caput omnium ecclesiarum, a nemine posset judicari : dixerunt enim, teste Anastasio in vita Leonis III : « Nos Sedem apostolicam, *quæ est caput omnium Dei ecclesiarum,* judicare non audemus, nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur, ipsa *a nemine judicatur,* quemadmodum antiquitus mos fuit; sed sicut ipsemet pontifex consuevit, jubeat, et canonice obediemus. »

Sæculo nono, Hincmarus Rhemensis archiepiscopus, Epist. *ad Nicolaum I,* dicit: «Omnes senes cum junioribus scimus nostras ecclesias subditas esse Romanæ ecclesiæ, et nos episcopos in primatu B. Petri subjectos esse Romano pontifici : et ob id, salva fide, quæ in Ecclesia semper vigilat et Domino cooperante florebit, nobis est vestræ apostolicæ auctoritati obediendum. » Vide alterum locum Hincmari supra, prob. 3.

Eodem sæculo, ecclesia Gallicana in concilio Pontigonensi edidit duos canones, quorum primus sic habet : « Statuimus ut sancta Romana ecclesia, sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur : neque quisquam contra jus et potestatem ipsius aliquid injuste agere præsumat; sed liceat ei debitum tenere vigorem et pro universali Ecclesia exhibere curam. » Secundus sic legitur : « Ut honor Domino et spirituali patri nostro Joanni summo pontifici et venerabili universali papæ ab omnibus conservetur, et quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decrevit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur. »

Sæculo duodecimo, S. Yvo Carnoti episcopus, Epist. 159 : « Quoniam, inquit, judicia Romanæ ecclesiæ a nemine foris retractari posse, eadem ecclesia Romana docente, didicimus : si qui aliquando se prægravatos illius ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen. » Et Epist. 233 ad abbatem Angericoçensem in causa Paschalis II, qui dicebatur concessisse, contra Ecclesiæ jura, investituras Henrico imperatori, scribit sic : « Quia verenda patris debemus potius velare quam prodere, familiaribus charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur, ut se judicet, aut factum suum retractet : quod si fecerit, reddamus Deo gratias, et gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia; si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de summo pontifice. »

Circa idem tempus et in eadem causa, episcopi provinciæ Senonensis recusarunt adesse concilio nationali apud *Ansam* congregato hac ratione quod Romani pontifices, nisi a fide manifeste devient, a nemine possint judicari, sed solius Dei judicio subjaceant : « Non videtur nobis utile, inquiunt, ad illa concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare : quia nec nostro, *nec ullius hominum probantur subjacere judicio.* Unde nos constat esse immunes, si facta eorum, oris gladio, ferire formidamus; cum ipse Mediator obedire eis præcipiat, etiamsi tales sint quales erant Pharisæi, si ea quæ ad cathedram pertinent recta percipiant, ea vero minime faciant. Ex quibus omnibus hoc constare videtur, quatenus femoralia sacerdotalia pudendis supponamus, ne verenda nostra deridenda insidiatoribus nostris exponamus; et unde quærimus reformare Ecclesiæ fortitudinem, in majorem incurramus debilitatem. Hæc dicentes, non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram : quia et principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, *nisi manifeste ab evangelica veritate discedat.* »

Eodem sæculo, S. Bernardus, ecclesiæ Gallicanæ decus, Epist. 213, pontifices alloquens : « Quis, inquit, mihi faciet justitiam de vobis? Extat quidem tribunal Christi, sed absit ut ad illud appellem..... Itaque recurro ad eum cui datum est judicare de universis, hoc est, ad vos: vos appello ad vos, judicate et me et vos. »

Non me latet adversarios glossis et interpretationibus hæc testimonia eludere conari, sed quæ ex antea dictis et ex ipsis textibus attente perpensis confutantur.

Anno 1305, cum regni proceres peterent a Clemente V ut damnaret memoriam Bonifacii VIII, quem dicebant hæreticum fuisse, ut hominem privatum, nec legitimum extitisse pontificem, ut vidimus art. 5, § 5, addunt : « Cum de Bonifacii mortui hæresi quæritur, non debet congregari concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi vicarius, totum corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves regni cœlestis habetis. Nec congregatum totum concilium *sine vobis et nisi per vos* posset cognoscere de negotio supra dicto, juxta Patrum sancita, sententiamque doctorum juris et Ecclesiæ sanctæ Dei. » Cœcus sit qui in his verbis non videat potiorem esse pontificis auctoritatem quam concilii.

Anno 1324, theologi facultatis Parisiensis obtulerunt Clementi VII, Avenione sedenti, tractatum theologicum in quo agnoscunt, asserunt et probant ejus *supremam* auctoritatem in Ecclesia, ut vidimus art. 5, § 5 citato; si vero *suprema,* ergo nulla major.

A tempore igitur duntaxat concilii Constantiensis cœpit ecclesia Gallicana ab hac avita majorum sententia recedere, agente et duce Joanne Gerson, academiæ Parisiensis cancellario, quem multi celebrant ut pium et doctum theologum : sit ita, non contendo; verumtamen ejus doctrinam præsertim de obligatione legum humanarum, de Ecclesia et summo pontifice, a nullo vere catholico probari posse arbitrantur plures alii; indigitant inter alia tractatum *De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam,* qui habetur tom. 2 Operum Gersonis, edit. Antuerpiensis 1706, pag. 162 et sequentibus. Judicium sit penes lectorem.

ARTICULUS VIII.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

§ I.

Solvuntur objectiones ex concilio Constantiensi et Basileensi.

Obj. et præcipue : Concilium Constantiense, sess. 4, sic decernit : « Hæc sancta synodus Constantiensis, generale concilium faciens pro

extirpatione præsentis schismatis et unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite et in membris facienda..... in Spiritu Sancto legitime congregata..... ordinat, disponit, statuit, decernit et declarat ut sequitur : et primo quod ipsa synodus in Spiritu Sancto congregata, legitime generale concilium faciens, et Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis, existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris.» Et sess. 5, idem decretum repetit et addit: «Item declarat quod quicumque cujuscumque conditionis, status et dignitatis, etiamsi papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus aut præceptis hujus sacræ synodi, et cujuscumque alterius concilii generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. » Ergo.

Huic argumento, quod putant invincibile, triplex adhibetur responsio.

Prima et communior est, hæc decreta esse intelligenda non de conciliis generalibus extra tempus schismatis et quando est certus pontifex, sed tantum de conciliis tempore schismatis celebratis, et de dubiis pontificibus, quales tunc erant Joannes XXIII, Gregorius XII et Benedictus XIII : quo in casu, cum nullus sit papa, nam papa dubius non est papa, cum non sit caput visibile Ecclesiæ, fatemur concilium habere potestatem immediate a Christo, cui quilibet cujuscumque status aut dignitatis, etiamsi papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem schismatis, ac reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris.

Veritas hujus responsionis constat 1° ex ipsis terminis decretorum; in decreto enim sessionis 4 et in prima parte decreti sessionis 5, sermo est tantum de hoc concilio Constantiensi pro extirpatione præsentis schismatis convocato : equidem in secunda parte decreti essionis 5 dicitur: « Et cujuscumque alterius concilii generalis legitime congregati »; sed dictum statim restringitur verbis sequentibus : « Super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis » : quæ sunt autem *præmissa*, nisi schisma extirpandum, et dubii pontifices deponendi, quod vera et propria causa fuit concilii Constantiensis celebrandi, ut patet ex terminis initio decretorum positis.

2° Constat ex testimonio cardinalis Joannis de Turrecremata, qui concilio præsens aderat, in Summa de Ecclesia, c. 99: «Manifeste patet, inquit, quod decretum illorum patrum non loquitur universaliter de qualibet synodo, sed de illa singulariter, pro cujus tempore non erat in Ecclesia pastor totius Ecclesiæ indubitatus.»

3° Cum quidam patres concilii dicerent eminentissimos cardinales excludendos esse a concilio, dum ageretur de reformatione Ecclesiæ in capite et in membris, hi obtulerunt concilio scriptum cujus secunda conclusio sic erat : « Romana ecclesia, sicut omnium ecclesiarum magistra est, sic earum caput merito dici potest. Romana ecclesia sicut omnium ecclesiarum caput dicitur, sic et concilii generalis, imo universalis Ecclesiæ, quæ ex omnibus particularibus ecclesiis integratur. » Huic conclusioni sic respondet concilium : « Nota super verbo *caput*, hoc concedatur, tamen non ad fovendum schisma aut difformitates. Item nota super verbo *concilii*, est subdistinguendum; quia hoc est verum in aliquo concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra catholicam fidem, seu hæresim extirpandam, ubi autem agitur de schismate tollendo in Romana ecclesia, quod per cardinales ortum habuit, aut quia cardinales alias abusi sunt electione, et in similibus, ibi non habet locum.» Et cum eminentissimi cardinales articulo ultimo sui scripti dixissent : « Item pro octava et nona conclusione facit, quod Romana ecclesia habet alias in parte sollicitudinis, non in plenitudine potestatis, 2, q. 6, c. *Decreto*. Facit etiam ad idem, quod Romana ecclesia potest de aliis omnibus judicare, sed ipsa non potest a quoquam alio judicari, 9, q. 3, c. *Patet*. Facit etiam pro prædictis quod Romanæ ecclesiæ consuetudo circa institutiones ecclesiasticas ab omnibus servanda est, D. 9, c. *Quis*, etc.» Respondet concilium sic : «Omnibus istis conclusionibus, et earum probationibus introductis, potest responderi summarie, quod forte ita scriptum est in jure, sed illud intelligendum est cæteris paribus; sed hic cætera non sunt paria, et ideo non faciunt ad oppositum.» Ita referunt acta concilii apud Vanderhat, tom. 2, p. 13, pag. 287. Ex quibus luce clarius patet concilium decreta sua intellexisse de præsenti et simili casu schismatis et dubii pontificis tantum, non de quibuscumque conciliis generalibus.

4° Martinus V, canonice electus et certus pontifex, se concilio superiorem probavit ; 1° quia statim solus definivit cum clausula *sacro approbante concilio;* 2° dissolvit, quando voluit, concilium, et quamvis quidem ægre ferrent quod dissolveretur, non facta reformatione, nullus tamen ausus est reclamare ; 3° bulla *Inter cunctas* data in concilio jubet interrogari suspectos de erroribus Wicleffi : « Utrum credat quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei ? » Porro si sit suprema, nulla datur major; 4° alteram bullam in eodem concilio edidit, et in consistorio publico et generali promulgavit, qua prohibet appellare a papa ad concilium. Ita refert ipse Gerson, tract. *Quomodo et an liceat*, etc., quem sic inchoat : « Quæritur utrum hæc assertio sit catholica..... Nulli fas est a supremo judice, videlicet apostolica Sede, seu Romano pontifice, Jesu Christi vicario in terris, appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum, et Sedem apostolicam deferendæ sunt) declinare. » Subjungit : « Arguitur quod sic, auctoritate sanctissimi domini Martini papæ V, in sua constitutione *Ad perpetuam rei,* facta et promulgata in consistorio generali celebrato Constantiæ 6 Idus Martii, pontificatus sui anno primo (hoc est 10 Martii 1418), ubi refertur hæc assertio, sicut dicitur et videtur in canonum littera manifeste fundari. »

Scio adversarios rejicere hanc bullam, ut fictitiam, aut saltem contendere nunquam habuisse nec habere vim in Ecclesia : 1° quia Gerson illam non vidit, sed loquitur tantum ex auditu; 2° quia nullus bullarum collector de ea facit mentionem; 3° quia in ultima sessione concilii Poloni, occasione libri Falkembergii, cujus damnationem in publica sessione petebant, appellarunt ad futurum concilium, nec papa eos redarguit de transgressione bullæ.

Sed contra : Ad primum : Gerson non dicit in terminis se hanc bullam non vidisse. Et esto non viderit, saltem illi certo constabat eam extare, siquidem promulgata fuerat in publico et generali consistorio, ut ipse refert, et illi opponebat integrum tractatum theologicum. Ad secundum : Plures sunt aliæ pontificum constitutiones, quæ non reperiuntur in collectionibus bullarum. Ad tertium : Poloni non tam appellabant a papa quam ab ipso concilio; petebant enim libellum seditiosum Falkemberg, in sessione publica per sacrum concilium, seu publice damnatum pronuntiari, antequam præsens concilium dissolveretur. Item non appellabant a judicio pontificis aut concilii, sed a denegatione judicii. Tandem appellabant ad concilium legitimum cui papa præsideret, sicque a papa ad papam appellabant, quod est extra quæstionem nostram.

Cæterum quidquid sit de ista bulla in qua una non fundamur, saltem ex his quæ in hoc tractatu dicit Gerson habemus quod ne ipse quidem decreta sessionis 4 et 5 concilii Constantiensis pro firmis et inconcussis, quibus omnes parere obligarentur, tenuerit; siquidem tractatum sic concludat : « Hæc autem dicta vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem quam ad alicujus (præsertim sanctissimi domini Martini papæ) reprehensionem. » Sicne locutus fuisset Gerson, si decreta Constantiensia pro fidei decretis ab omnibus in omni casu certo tenendis habuisset? Inquiriturne veritas, quando certo habetur?

Secunda responsio : Esto decreta sessionis 4 et 5 sint intelligenda de certo pontifice, et de conciliis celebratis etiam extra casum schismatis, respondetur tunc concilium Constantiense non fuisse œcumenicum, quia episcopi unius tantum obedientiæ, scilicet Joannes XXIII, tunc aderant, nec inter se conveniebant quoad præfata decreta : ita refert cardinalis de Turrecremata qui concilio aderat, in Summa de Ecclesia, l. 2, cap. 99 : « Quod decretum illud factum fuerit ab universali concilio legitime congregato et repræsentante universalem Ecclesiam militantem, est valde dubium apud multos : imo plurimorum judicio, scilicet eorum qui fuerant de obedientia Gregorii et Benedicti, falsum est; quoniam, sicut apertissime patet ex gestis illius congregationis, decreta illa, si ita sunt appellanda, facta solum a patribus aliquibus obedientiæ Joannis XXIII. Pro quo notandum est, quod congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit : primum fuit in quo sola obedientia præfati Joannis [Balthasaris Cossa] Constantiæ convenerat; secundum tempus fuit, in quo Angelus Corrarius, vocatus in obedienta sua Gregorius XII, juri suo cedens, præfatæ congregationi, sub certis modis et formis, se conjunxit; tertium tempus, in quo reges et principes ac prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII vocato in obedientia per suos doctores, nova facta convocatione concilii, se univerant præfatæ congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ (et fuimus nos tunc præsentes in mino-

ribus constituti), pro quo solo tempore, convenientibus omnibus simul tribus obedientiis, fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia repræsentative congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quod asserere quod sola obedientia Joannis faceret concilium universale, universalem repræsentans Ecclesiam, esset temerarium et scandalosum aliis obedientiis..... In illa determinatione non modo non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Joannis XXIII, ut dictum est, sed etiam non integre tota illa obedientia, quoniam plures patres doctissimi illius obedientiæ illi non præstiterunt consensum suum.» Hæc Joannes de Turrecremata, cardinalis piissimus, idemque doctissimus, et, ut ipse scripsit, testis oculatus, cui fidem denegare summæ impudentiæ sit, inquit noster Serry. Ast ego ab his durioribus verbis abstineo, cum videam viros dignitate et eruditione conspicuos meritissimo cardinali revera fidem denegare; quia, inquiunt, hæc scripsit cum esset addictus partibus Eugenii IV contra concilium Basileense. Sed miror commendatissimos scriptores tam futili ratione moveri, ut fidem viro summo et omni exceptione majori detrectent: qualis, amabo, consequentia? Turrecremata adhæsit legitimo pontifici contra conciliabulum ; ergo mentitus est. Adhæsit S. Cyrillus Cœlestino contra Nestorium : ergo mentitus est in his quæ scripsit contra Nestorium. Adhæsit S. Augustinus Innocentio I contra pelagianos : ergo mentitus est in iis quæ de pelagianis scripsit; imo mentitus est Turrecremata in iis in quibus putidissimi mendacii palam revinci poterat a pluribus qui concilio Constantiensi adfuerant, et erant adhuc superstites ; quis credat?

Instant aliunde contra istam responsionem, longe majorem partem episcoporum ex obedientia Joannis XXIII adfuisse primis sessionibus (numerant ducentos et amplius), minimam vero ex duabus aliis obedientiis abfuisse, siquidem, existente integro concilio, interfuerint ducenti quinquaginta tantum episcopi, aut secundum alios trecenti.

Sed contra : Minima pars Ecclesiæ dici non potest ex duabus obedientiis, cum sola obedientia Benedicti XIII complecteretur regna Aragoniæ, Navarræ, Castellæ, Scotiæ, Insulas Majoricæ, Sardiniæ, Corsicæ, et alios tractus. Acta vero concilii apud Vanderhat, tom. 4, p. 73, numerant tantum septuaginta episcopos in sessione habita 26 Martii, id est, quatuor diebus ante sessionem 4 et decem ante 5.

Reponunt : Absentia Gallorum a primis sessionibus concilii Tridentini non obfuit ejus œcumenicitati : ergo pariter.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod Galli essent longe minor pars respectu totius concilii, non sic præsules duarum obedientiarum, ut mox dicebam; 2° Galli non se opposuerunt convocationi concilii quasi haberent potestatem a suo pontifice, nec illis advenientibus facta est nova convocatio concilii quasi prior esset nulla, sicut contigit duabus obedientiis advenientibus Constantiam; 3° prælati Galli probaverunt priora decreta Tridentini in sua absentia facta, non sic ultimo advenientes Constantiam, ut testatur cardinalis de Turrecremata citatus : « Illius decreti (sessionis 3 et 4) auctoritati, inquit, aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorii et Benedicti, apertissima contradictione, in plena congregatione, se opposuerunt, et earum contradictio fuit accepta.»

Inclamant et inferunt : Ergo mentiti sunt patres Constantienses, dum dixerunt in his duabus sessionibus : « Hæc s. synodus concilium generale faciens, etc.»

Resp. neg. illationem : Non enim quicumque dicit falsum, mentitur ; nec mirum si tunc bona fide erraverint patres, non enim erant infallibiles, nondum congregato concilio universali.

Urgent : Ipse Martinus V agnovit concilium generale esse in primis sessionibus ante unionem obedientiarum, siquidem in litteris apostolicis, quæ extant inter acta ultimæ sessionis, dicat « quod condemnationes errorum et hæresum Joannis Wiclefi, et Joannis Hus et Hieronymi de Praga, factæ de personis et libris eorum per sacrum generale Constantiense concilium, fuerint juste et rite factæ.» Item, in alio interrogatorio ibidem, dicit « credendum esse et approbandum quod in favorem fidei et salutem animarum concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit et approbat, condemnavit et condemnat.» Sunt autem factæ istæ condemnationes sess. 8, quando sola adhuc obedientia Joannis aderat : ergo.

Resp. cum Cajetano, Opusc. *de Potestate papæ et concilii*, cap. 8 : « Quod congregatio Constantiensis inchoavit primo in obedientia Joannis XXIII, et deinde iterum in conjunctione Gregorii XII, et tertio in conjunctione obedientiæ Benedicti XIII consummata est, et post electionem Martini V in eodem concilio præsidentis auctorisata, et ab hoc nobiliori et certiori statu nuncupative in quolibet statu

concilium generale vocatur a papa, nominibus utendo, ut plures, absque veritatis offensa. Imo ut insinuaret pontifex, quod ab hoc ultimo statu concilium appellabat generale, præfato interrogatorio fidei præterito conjunxit præsens, dicens, quod concilium approbavit et approbat, condemnavit et condemnat. »

Huic secundæ responsioni, si non stet prima, etiam favent quæ diximus pro prima, numero 3 et 4.

Tertia responsio : Dato gratis hæc decreta intelligenda esse de quocumque concilio generali, etiam extra casum schismatis et dubii pontificis, atque a concilio vere œcumenico fuisse prolata, restat ea non fuisse probata et confirmata a Martino V. Ut enim antea diximus, Martinus in ultima sessione probavit et confirmavit duntaxat « conciliariter acta et definita in materiis fidei, non aliter, nec alio modo. »

Porro hæc decreta neque conciliariter neque in materia fidei fuerunt prolata. Non *conciliariter,* non solum quia tunc concilium non erat œcumenicum, ut dictum est, sed quia non fuerunt edita more aliorum conciliorum, discussis prius maturo examine tanti momenti quæstionibus; fuerunt enim facta occasione recessus Joannis XXIII a concilio; recessit autem 21 Martii vesperi, et statim conclusum fuit decretum contra ipsum, atque 30 ejusdem mensis a quatuor nationibus, contradicentibus cardinalibus, fuit pronuntiatum.

Non *in materia fidei;* nam, in sessione 5, hæc leguntur : « Surrexit de mandato totius sanctæ synodi reverendus pater dominus Andræas, electus Poznaniensis, et certa capitula per modum *constitutionum synodalium*, prius per singulas quatuor nationes conclusa et deliberata, legit et publicavit; quarum tenores sequuntur et sunt tales. » Inter has autem constitutiones synodales primo et secundo loco recensentur decreta de quibus hic agitur. Lectis autem his et aliis constitutionibus synodalibus, subjungitur : « Quibus peractis, supradictus reverendus pater dominus Andræas, electus Poznaniensis, *in materia fidei* et supra materia Joannis Hus legebat quædam avisamenta, quæ sequuntur et sunt talia. » Palam est concilium distinguere inter constitutiones synodales et materiam fidei, reponere decreta de quibus agitur inter constitutiones synodales et excludere a materia fidei; consequenter Martinum V, qui decreta hujus concilii tantum confirmavit « in materia fidei, non aliter nec alio modo », præfata decreta de quibus est quæstio non confirmasse.

Item, hæc decreta non fuerunt lata, sicut ferri solent decreta fidei, sub pœna anathematis aut hæresis; sed tantum sub pœna pœnitentiæ aut punitionis contra transgressores contumaces, nisi resipuerint. Ergo idem quod prius.

Confirmantur hucusque dicta in tribus responsionibus: Si laudata decreta essent decreta fidei a concilio vere œcumenico sancita pro quocumque concilio et pontifice, etiam extra casum schismatis et dubii pontificis, atque a Martino V probata et confirmata, nullus catholicus cujuscumque status, conditionis, aut dignitatis, etiamsi papalis, ausus esset illis contradicere, absque hæreseos labe : atqui non solum Martinus ipse in concilio illis contradixit, ut vidimus, sed paulo post concilium plures theologi eruditione et sanctitate insignes contrarium docuerunt, inter eos Turrecremata in *Summa de Ecclesia,* Ferrariensis in lib. 4 *contra Gentes,* cap. 75, S. Antoninus *in Sum.* p. 3, tit. 23, cap. 3, § 3, ubi dicit : « Sed nec ad concilium generale a papa appellari potest, quia papa omni concilio superior est; nec robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate Romani pontificis roboretur et confirmetur. Sentire ergo quod ad concilium a papa appellari possit, est hæreticum. » Sequentes pontifices Pius II et Julius II prohibuerunt sub pœna excommunicationis appellare a papa ad concilium. Idem quotannis solemniter sub eadem pœna prohibetur in publicatione bullæ *Cœnæ*, a Gregorio XIII innovatæ. Omnes ferme theologi omnium aliarum nationum, excepta Gallia, cujuscumque status, conditionis et dignitatis, palam contrarium docent, et quidam tanquam de fide : concludamus ergo laudata decreta non esse decreta fidei ab omnibus certo et pro omni casu tenenda, vel quia spectant tantum casum schismatis et dubii pontificis, vel quia non sunt a concilio vere œcumenico edita, vel denique quia non sunt confirmata a summo pontifice. Et ita censuerunt ipsimet præcipui horum decretorum defensores. Jam audivimus Gersonem; audiamus cardinalem Petrum de Alliaco, Gersonis magistrum, alterum pontificiæ auctoritatis infra concilium depressorem, Gersone tamen moderatiorem. Is itaque in tractatu *De Potestate Ecclesiastica* quem, post sessionem 5, composuit anno 1417, juxta novam editionem operum Gersonis tom. 2, p. 926, et qui lectus fuit in concilio prima Octobris

ejusdem anni, post multa dicta et allegata pro auctoritate concilii supra pontificem, sic concludit : « Hæc igitur ad decem capitula in prologo hujus operis proposita, mihi pro responsione videntur sufficere. Quæ tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter suadendo posita sunt; nam hujus rei definitionem sacri concilii determinationi submitto. » Censebat ergo nondum latam ultimam hac de re definitionem a concilio.

Instant : Concilium Basileense, sess. 2, decretum Constantiense innovavit et confirmavit, certo et indubitato pontifice existente ; idque Eugenius IV approbavit et confirmavit bulla *Dudum* lecta sess. 16 ejusdem concilii Basileensis, in qua etiam revocat alias bullas a se anterius datas contra idem concilium : ergo.

Resp. Eugenium IV nunquam probasse hoc decretum sessionis 2 concilii Basileensis ; equidem, metu schismatis imminentis, ex eo quod concilium Basilea Ferrariam, renitentibus patribus Basileensibus, transtulisset, et omnibus principibus instantibus ut hanc translationem revocaret, annuit continuationi concilii Basileæ, revocavitque bullas quibus ejus translationem et dissolutionem præceperat, atque declaravit se intendere concilium omni favore prosequi : hæc et nihil amplius Eugenius in dicta bulla *Dudum*. Ex eo autem quod concilium legitimum agnoverit, ejus continuationem permiserit, et illud omni favore prosequi intenderit, non sequitur quod omnia ejus decreta probaverit et confirmaverit. Martinus V concilium Constantiense legitimum agnovit, omni favore illud prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta confirmavit, sed ea solum quæ in materia fidei conciliariter essent facta, nec aliter nec alio modo, ut vidimus. S. Leo concilium Chalcedonense legitimum agnovit, et ipsum omni favore pariter prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta probavit, ut constat ex supra dictis. Idem de Eugenio IV, respectu concilii Basileensis. Id testatur Turrecremata citatus, scribens se audivisse Eugenium Florentiæ in disputatione publica dicentem : « Nos quidem bene progressum concilii approbavimus volentes, non tamen approbavimus ejus decreta. » Idem Eugenius, scribens episcopo Leodiensi et Bononiensi, aliisque per Germaniam constitutis apostolicæ Sedis legatis, permittit illis, si opus sit, ad devinciendam illius nationis obedientiam, approbare decreta concilii Basileensis ante translationem facta « absque tamen præjudicio juris, dignitatis et præeminentiæ S. Sedis apostolicæ, ac potestatis sibi et in ea sedenti in persona B. Petri a Christo concessæ. » Apud Raynaldum ad annum 1446, n. 3, et in bulla *Moyses vir Dei*, data in concilio Florentino, et refertur inter ejus acta p. 3, p. 1186, dicit Basileenses « in hoc perniciosissimi, dum suam malignitatem sub veritatis fuco colorant, Constantiense concilium in malum ac reprobum sensum, et a sana doctrina penitus alienum pertrahunt, cœterorum hæreticorum et schismaticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores et impia dogmata ex divinis Scripturis et sanctis Patribus perverse intellectis, semper sibi adstruere moliuntur. » Unde Nicolaus V, qui Eugenio successit, et quocum Basileenses, qui Lausanam concilium transtulerant, inierunt pacem, ex omnibus decretis concilii Basileensis approbavit tantum quæ gesta erant circa censuras et causas beneficiales.

Urgent : Qui decreta synodi scit, nec improbat, et edita bulla synodo adhæret, censetur illa decreta approbare, præsertim si ipsa decreta prius ab ipso damnata, ipso quoque auctore convalescunt : ergo.

Resp. dist. ant.: Qui decreta synodi scit, nec improbat, censetur illa probare, si tempus congruat et obligatio urgeat approbandi vel improbandi, transeat ; secus, neg. Non congruebat autem tempus, instante schismate, ex obstinatione Basileensium, ut circa hæc decreta mentem suam aperiret summus pontifex ; nec urgebat tunc obligatio approbandi, cum non soleant pontifices, nisi absoluto concilio, decreta approbare vel infirmare. Neque per revocationem priorum bullarum sic convaluerunt decreta prius damnata, quasi essent approbata, sed ad eum statum revocata sunt, in quo erant ante damnationem.

Certe malo omine nobis hic adversarii objiciunt concilium Basileense, cum ipsis plus noceat quam prosit; etenim concilium Basileense deposuit Eugenium IV, papam indubitatum, et ejus loco creavit Amedæum Sabaudiæ ducem, sub nomine Felicis V. Si concilium sit supra papam certum et indubitatum, possitque eum judicare, in ordinem redigere et deponere, et ita sit definitum a concilio vere œcumenico et confirmato tanquam veritas fidei, ut declararunt Basileenses, sess. 33, et tenent adversarii : quæro quare universa Ecclesia (excipe Germaniam quæ neutralitatem amplexa est, non tamen Galliam) non habuit Eugenium pro deposito, sed semper illi ut vero pontifici adhæsit? quare non agnovit Amedæum

pro vero pontifice, sed semper eum ut intrusum execrata est? Erraverunt ergo Basileenses in his decretis explicandis et sanciendis, vel erravit in fide universa Ecclesia; imo etiam nunc errat, excepta Gallia, siquidem ab hinc omnes aliæ nationes, summi pontifices, sequentia concilia, omnes universitates, omnes theologi cujuscumque status aut conditionis, extra Galliam, hæc prætensa fidei decreta totis viribus impugnent; hinc omnes hæretici, sola Gallia catholica.

Neque dicas quasdam Germaniæ universitates tempore concilii Basileensis ejus decretis favisse. Non diu steterunt in errore, sed brevi ad communem sententiam reversæ sunt. Neque etiam dicas Ludovicum Alemanum, dictum cardinalem Arelatensem, depositioni Eugenii IV præfuisse, et tamen beatorum catalogo a Clemente VII fuisse adscriptum: potuit enim ipsum excusare bona fides et recta intentio, ut in multis aliis contigit.

Ingenue fateor me non sine aliquo stupore legisse in aliquo partis adversæ scriptore non ignobili, nihil videri obstare quominus nostra sententia sit hæretica, neque nos a gravi nota esse immunes, nisi bona fides, re non satis attenta, excuset. Quo vergat ista intempestiva censura, quos, quot et quantos feriat, ad quas angustias dilabatur et quæ absurda devorare cogitur! Nimirum Ecclesiam universam, excepta Gallia, in errore contra fidem versari, solam Galliam esse orthodoxam, intra solos Galliæ limites Ecclesiam Christi sine capite coarctari, patet ex dictis, et omnes percipiunt: at forte nemo percipit quomodo iste auctor possit secum conciliari; dicit enim alibi episcopos Galliarum in sua famosa declaratione non intendisse decretum fidei condere, sed opinionem de fallibilitate pontificis et ejus subjectione ad concilium generale adoptasse ut potiorem. At quomodo sententia simplici opinioni contraria sit hæretica, quomodo ejus defensores immunes esse non possunt a gravi nota? Qui potest capere capiat.

Longe præstat audire alterum celebrem inter Gallos scriptorem Cabassutium in *Notitia Ecclesiastica*, sæc. 15, pag. mihi 549, sic verius discurrentem: « Ex quo sibi (synodus Basileensis) supra pontificem Romanum auctoritatem indebitam arrogavit, plenamque jurisdictionem jubendi, compellendi, ipsumque suis jussionibus non obedientem deponendi aliumque ejus viventis loco pontificem obtrudendi, quod demum ab ipsa peractum est, desiit esse legitima, sibique grande vituperium fœdamque maculam accersivit... cumque paucissimi præsules qui Basileam concesserant, jam olim canonice instituto, indubitato et unico pontifici Eugenio ejus in privatum ordinem, reductionem comminarentur, debitamque hæreticis pœnam, ni se inferiorem et subditum jurisdictioni synodi profiteretur, ejusque mandatis obtemperaret, tunc cœpit concilium perniciosi schismatis jactare semina, quamvis Constantiensis decretum prætexeret, sed in diversa longeque dispari causa. Illud enim justam sibi attribuebat potestatem in plures pontifices invicem contendentes, et universam jam pridem Ecclesiam lacerantes, quorum jus obscurum admodum et ambiguum erat, nec aliud remedium supererat extinguendi diuturnum incendium quo Ecclesia conflagrabat... Itaque Constantiense decretum felici exitu terminatum est, remoto schismate. At, ex adverso, cum nulla esset in Ecclesia conscissio, solusque Ecclesiæ præesset Eugenius quem fideles omnes legitimum agnoscebant et colebant pontificem, eo vivente, novum Basileenses pseudo-pontificem obtrusere.

« His adjunge pontificem Eugenium justam habuisse Basileensis concilii alio transferendi causam, fervente tunc in omni vicinia gravi bello Burgundum inter et Austriacum duces, stantibusque tunc in armis Bohemiæ Moraviæque populis, quorum injustis postulatis concilium non poterat assentiri: jamque etiam transactis octo mensibus postquam synodus debuit exordium sumere, episcopi apud Basileam non plures tribus, aliique prælati non plures quam decem convenerant, atque ita immerito cœtus ille sacrosancti generalis concilii nuncupatione jactabat, et, quod longe deterius est, de extrudendo summo legitimeque electo pontifice nefaria consilia capessebat. »

§ II.

Solvuntur cæteræ objectiones.

Obj. 1°: Papa est frater noster, habet enim nobiscum eumdem patrem, scilicet Deum: ergo si peccaverit et non fuerit correptione emendatus, debet denuntiari Ecclesiæ, juxta præceptum Christi, Matth. 19. Subsumo: Atqui, qui denuntiatur Ecclesiæ ab ea judicandus, est Ecclesiæ, consequenter concilio generali, inferior: ergo.

Resp. hæc Christi verba: *Dic Ecclesiæ*, non intelligi de societate fidelium aut de concilio generali; nunquam enim fuit in usu, et esset

absurdum, peccatum fratris inobedientis deferri coram multitudine fidelium, aut ad id concilia generalia institui; sed intelligi de prælatis Ecclesiæ. Sicut enim dicitur deferri ad civitatem quod defertur ad senatum, aut ad imperium quod defertur ad caput imperii seu imperatorem; ita censetur dici Ecclesiæ quod dicitur ejus prælatis. Prælatus ergo qui non habet superiorem, qualis est papa, potest quidem fraterne cum humilitate et reverentia corripi, et ex hac parte locum habet in eo sententia Christi; sed non habet ex ea parte qua præcipitur denuntiari Ecclesiæ, quia nullus est illi superior; sed oportet, inquit S. Th. recurrere ad Deum, « qui eum emendet, vel de medio subtrahat [1]. »

Inst. 1° : Petrus, consequenter papa ejus successor, cum aliis, Matth. 18, instruebatur quomodo se gerere deberet erga fratrem delinquentem : ergo, si peccator secreto correptus a pontifice, etiam adhibitis testibus, non emendetur, debet pontifex eum denuntiare Ecclesiæ. Subsumo : Atqui qui debet denuntiare Ecclesiæ seu concilio ab eo judicandum et puniendum, minor est Ecclesia seu concilio : ergo.

Resp. 1° Petrum tunc, Matth. 18, nondum fuisse institutum pontificem : unde potuit instrui cum aliis quomodo, ut privatus, deberet procedere in correctione fraterna, et deferre superiori.

Resp. 2° : Casu quo peccator a papa fraterne correptus, etiam adhibitis testibus, non emendetur, debet pontifex dicere Ecclesiæ, non hoc sensu quod debeat dicere concilio generali; absurdum enim foret, ut jam dixi, quod ad correctionem cujuscumque delinquentis deberent congregari concilia generalia; sed hoc sensu quod pontifex sibi ut judici et prælato debeat dicere; ita ut auctoritate pontificia fungens ipsum in suo tribunali examinet et convictum puniat; quamvis enim pontifex non sit simpliciter seipso major, attamen consideratus ut persona privata minor est seipso considerato ut persona publica.

Inst. 2° : S. Greg. lib. 4, Epist. 38 ad Joannem Constantinopolitanum qui se dicebat universalem et correptus non emendabatur, dicit : « Quidquid facere humiliter debui, non omisi; sed quia in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere. » Et Nicolaus papa, cap. *Præcipue*, causa 11, q. 3, dicit Lothario regi : « Cæterum præcave ne quod nobis, secundum Domini præceptum, duos aut tres testes adhibeamus, imo vero ne hoc Ecclesiæ dicamus, et (quod non optamus) de cætero fias sicut ethnicus et publicanus. »

Resp. ex dictis utrumque pontificem per Ecclesiam intelligere suum tribunal aut seipsos ex auctoritate officii præsidentes, secundum quod docet Auctor, loco citato, a. 3, quæstiunc. 2 ad 4 : « Prælatus, inquit, potest dupliciter considerari, aut secundum quod judicio præsidet, et sic dicere prælato est dicere Ecclesiæ, et sic debent prius testes adhiberi quam prælato dicatur; aut extra judicium existens, et sic dicere prælato non est dicere Ecclesiæ, sed personæ quæ potest prodesse et non obesse, quia nullus magis potest prodesse quam prælatus : secundum hoc debet prius dici prælato quam testibus aliis. »

Obj. 2° : Concilia generalia auctoritatem exercuerunt in plures summos pontifices : ergo. Prob. ant. : 1° Sexta synodus damnavit Honorium; 2° concilium Pisanum deposuit Gregorium XII et Benedictum XIII; similiter concilium Constantiense eosdem et Joannem XXIII deposuit; 3° concilium Arelatense recognovit sententiam Melchiadis contra donatistas, horumque appellationem justam existimavit S. Augustinus, Epist. 162, in qua dicit : « Ecce ponamus omnes episcopos, qui Romæ judicarunt, non fuisse bonos judices; restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti fuissent, eorum sententiæ solverentur » : ergo.

Resp. neg. ant. Ad primam probat. : 1° Honorius fuit damnatus post mortem; pontifex autem mortuus non remanet pontifex, quia post mortem non habet amplius jurisdictionem ratione cujus est pontifex. 2° Honorius accusatus erat de hæresi, quam dicebatur asseruisse ut privatus doctor; in casu autem hæresis pontifex desinit esse caput Ecclesiæ, qui desinit esse ejus membrum, et ideo potest a concilio damnari.

Inst. : Si pontifex subjiciatur judicio Ecclesiæ in casu hæresis, quidni in aliis casibus?

Resp. quia in casu hæresis et non in aliis, ipsa sua hæresi excidit a pontificatu; quomodo enim remaneret caput Ecclesiæ qui non est amplius ejus membrum? Unde subjicitur judicio Ecclesiæ, non ut deponatur, cum jam seipsum per hæresim deposuerit et pontificatum abjecerit, sed ut declaretur hæreticus, sicque innotescat Ecclesiæ non esse amplius pontificem; ante quam declarationem non licet ipsi denegare obedientiam; quia eo usque retinet juris-

[1] In 4. d. 19. q. 2. a. 2. q. 3. ad 2.

dictionem, non de jure, quasi esset adhuc pontifex, sed de facto, Deo ita volente et dispensante propter commune Ecclesiæ bonum.

Ad secundam probationem: Concilium Pisanum et Constantiense deposuerunt dubios pontifices, non certos; dubius autem pontifex non est pontifex, quia non est caput visibile Ecclesiæ, et apud Ecclesiam non esse et non apparere idem sunt.

Si dicas Joannem XXIII habitum fuisse pro legitimo pontifice ab ipso concilio Constantiensi, resp. id non constare, nec alicubi declaratum : sed, hoc dato, non habebatur talis in aliis obedientiis, sicque remanebat dubius in Ecclesia.

Ad tertiam probationem: 1° Concilium Arelatense non fuit œcumenicum, sed ad summum nationale : unde si quid probaret objectio, sequeretur quod summus pontifex non solum generali concilio, sed etiam nationali esset inferior, quod non admittunt objicientes. 2° Concilium Arelatense non recognovit judicium Melchiadis summo jure, quasi potuisset supra pontificem judicare; sed ex mera indulgentia in donatistas, quorum clamoribus et importunitate victus imperator, ad eos compescendos, hoc concilium illis dederat. Unde S. Aug., Epist. 162, dicit : « Imperator dedit aliud Arelatense concilium, non quia necesse erat, sed horum importunis clamoribus cedens, et omnimodo cupiens tantam insolentiam cohibere. » Adde quod huic concilio, in quo agebatur tantum de facto, ut antea dixi, iidem Romani judices cum legatis summi pontificis adfuerint : unde ad eosdem judices melius informandos potiusquam ad aliud tribunal causa delata est.

Ad verba S. Augustini : Hæc dixit S. Doctor, non approbando, sed ironice exprobrando donatistarum audaciam, quasi dixisset : Quid restabat impudentiæ vestræ, nisi ut concilium congregari peteretis ad rescindendum Melchiadis sententiam? Quod stulte et impie fecistis.

Quod objici posset plures synodos recognovisse judicia pontificum prius lata, ut Nicæna synodus recognovit judicium Sylvestri contra Arium, Ephesina judicium Cœlestini contra Nestorium, Chalcedonensis judicium S. Leonis contra Eutychem, etc., præoccupatum est supra, dum diximus laudatas synodos recognovisse pontificum judicia, non ex necessitate pro certitudine fidei et ob insufficientiam lati judicii a pontifice, quasi esset errori obnoxium; sed ad majorem solemnitatem et ad hæreticorum proterviam magis et efficacius comprimendam, atque ut omnium ecclesiarum in hæresi comprimenda consensio omnibus innotesceret.

Obj. 3° : Plures pontifices agnoverunt concilia generalia esse sibi superiora : ergo. Prob. ant.: 1° Cum concilium Capuanum, anno 391, causam Bonosi Sardicensis episcopi Anysio et quibusdam episcopis Macedoniæ et Illyrici commisisset judicandam, hi, difficultate litis implexæ deterriti, rogaverunt litteris datis Syricium summum pontificem ut hujus causæ cognitionem et judicium in se sumeret; at ille renuit et respondit : « Cum hujusmodi fuerit concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, advertimus quod nobis ea judicandi forma competere non posset; nam si integra esset ejusmodi synodus, recte de iis quæ comprehendit scriptorum vestrorum series decerneremus. Vestrum est igitur qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit..... Primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, synodi vice decernitis : nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit » : ergo.

2° Cum Innocentius I sententiam pseudosynodi ad Quercum contra S. Chrysostomum rescidisset, et ipsum sedi suæ restituisset, scripsit nihilominus clero Constantinop. : « Necessariam esse synodalem cognitionem ad causam illam integre finiendam..... eam solam esse quæ hujusmodi procellarum impetus retardare posset..... deliberare se multum atque despicere quomodo universalis synodus congregetur, ut, de voluntate Dei, turbulenti isti motus compescantur. » Ita apud Paladium *in Dialogo* et Sozomenum, lib. 8, cap. 26. Ergo agnovit pontifex plus posse synodum generalem quam ipse posset, sicque se esse illi inferiorem.

3° Cum Philippus Augustus, Galliarum rex, instanter peteret ab Innocentio III ut rescinderet matrimonium contractum cum Insemburgi, Regis Daniæ sorore (quod illa juramento affirmabat esse consummatum), respondit Innocentius: «Non audemus de ejusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire : si super hoc absque deliberatione concilii determinare aliquid tentaremus, præter offensam et mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis et officii nostri periculum immineret: cum contra præmissam ve-

ritatis sententiam (quod Deus conjunxit, homo non separet) nostra non posset auctoritas dispensare. » Ergo, ut ante, agnovit Innocentius plus posse synodum quam ipse posset, et ab ea posse deponi, si petitioni regis annueret.

Resp. neg. ant. Ad primam probat. neg. conseq. 1° Quia alioquin sequeretur quod concilio etiam provinciali, quale erat Capuanum, pontifex esset auctoritate inferior, quod nemo admittit; 2° Quia Syricius recusavit cognoscere causam Bonosi, non quod non posset summo jure, sed tum ne inverteret ordinem juris secundum quem et canones prima causarum episcopalium cognitio pertinet ad episcopos comprovinciales, tum quia non decebat majestatem pontificiam ut quasi subdelegatus a delegatis per concilium videretur judicare causam Bonosi : quod formalibus terminis exprimit : « Nos, inquit, quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit. »

Ad secundam probat., neg. pariter conseq. Innocentius enim dicit necessariam esse synodum, non ad jus dicendum, siquidem jam ipse judicium Theophili contra S. Chrysostomum irritaverat, sed ad compescendos motus orientalium hac occasione excitatos : qui tamen, favente divina providentia, sola auctoritate Innocentii sedati sunt.

Ad tertiam probat., neg. iterum conseq. Etenim recte dixit Innocentius III se non audere regis postulationi annuere, quia rex postulabat rem divino jure prohibitam, scilicet dissolutionem matrimonii consummati : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quod addit de necessitate synodi, sine qua nihil potest concedere regi, apertum est id dixisse ad meram excusationem et honestum effugium ; nihil enim plus poterat in hoc casu concedere concilium quam pontifex, neque tunc erat congregatum aut ideo congregandum concilium. Tandem subjungit,nec falso, periculum amittendæ dignitatis si regis votis annueret, quia pontifex in hæresim apertam lapsus, ut in casu contingeret, subjicitur concilio generali, a quo ideo potest deponi, seu potius declarari depositus, eo modo quo supra diximus.

Inst. : 1° Summi pontifices sæpe requisiverunt approbationem et confirmationem conciliorum ut necessariam suis decretis, et in conciliis non solent definire nisi *approbante sacro conciliio :* ergo se illi inferiorem agnoscunt.

Resp. neg. conseq. : 1° Retorqueo argumentum : concilia petunt approbationem et confirmationem pontificis; ergo sunt illi inferiora. Negant consequentiam objicientes ; quidni negamus quam inferunt ex simili antecedente? 2° Pontifices quandoque dicunt « Sacro approbante concilio, » seu requirunt approbationem et confirmationem conciliorum, non quæ sit auctoritatis dantis robur et firmitatem decretis pontificiis, sed simplicis assensus et adhæsionis , qualem dare possunt æquales æqualibus, imo inferiores superioribus. Dum ergo dicunt illam esse necessariam, non intelligunt esse necessariam ad certitudinem definitionis, sed ad majorem solemnitatem, ut efficacius frangatur hæreticorum protervia , et motus compescantur, ut diximus supra.

Inst. 2° : Pontifices passim profitentur se adstringi canonibus conciliorum : ergo.

Resp.dist. ant.: Summi pontifices profitentur se adstringi canonibus qui pertinent ad jus divinum naturale, conc. ; qui pertinent ad jus ecclesiasticum tantum, subdistinguo : Adstringuntur via directiva in quantum eorum statui conveniunt, conc.; coactiva, neg. Unde negatur consequentia. Solutio patet.

Inst. 3° : Cælestinus I, Epist. ad episcopos Illyrici, dicit : « Dominentur nobis leges, non legibus dominemur, pareamus canonibus et ea quæ sunt nobis præcepta servemus. » Sylvester II, Epist. ad Segninum archiepiscopum Senonensem, dicit : « Constanter dico quod si ipse pontifex Romanus in fratrem peccaverit, sæpius admonitus Ecclesiam non audierit, hic, inquam, Romanus pontifex præcepto Dei est habendus tanquam ethnicus et publicanus » : ergo.

Resp. ad primum 1° solutione præcedenti; 2° leges debent dominari pontificibus non dominatione potestatis coactivæ, sed dominatione rationis; quicumque enim ductu rationis regitur, ratio dicitur illi dominari.

Ad secundum : Quando hoc dixit Sylvester II, non erat pontifex, sed erat Gerbertus archiepiscopus Rhemensis a papa depositus, et ideo in eum exasperatus : at postea pœnitentia ductus et pontifex factus, aliter sensit et locutus est.

Inst. 4° : Pontifices in sua consecratione jurant, aut saltem jurabant olim, observare canones conciliorum : ergo iis subjciuntur.

Resp. neg. conseq. Obligatio enim juramenti est ad Deum tantum, nec arguit subjectionem ad homines. Sic dum reges in sua inauguratione jurant servare privilegia patriæ,

obligantur coram Deo, non tamen ideo subjiciuntur suis civibus. Deinde pontifices ex juramento tenentur absolute servare canones spectantes jus naturale vel divinum; quantum autem ad eos qui spectant solum jus ecclesiasticum, patet quod non intendant ita stricte se obligare, cum quotidie in eis dispensent.

Obj. 4° : Sæpe, præsertim in Gallia, appellatum est a summo pontifice ad concilium generale: anno 1302, a bullis Bonifacii VIII; anno 1491, a bulla Innocentii VIII, occasione decimarum extraordinariarum; anno 1517, a concordato Leonis X cum Francisco I, propter abrogationem Pragmaticæ Sanctionis; anno 1682, a decretis Innocentii XI, in causa regaliæ: atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem : ergo.

Resp. neg. conseq. 1° Quia ex facto jus nec probatur, nec acquiritur, præsertim si sint jura positiva facto contraria, ut hic contingit et patet probationibus conclusionis. 2° Quia istæ appellationes non sunt factæ ad concilium generale, excluso pontifice, sed ad concilium quod pontifex convocaret et cui præesset per se vel per suos legatos; sicque nom tam sunt appellationes, quam novæ ejusdem causæ cognitiones coram eodem judice, aliis tantum judicibus pontifici subordinatis assidentibns. Insuper appellatio a concordato non erat proprie appellatio ad concilium generale, sed ad ipsum pontificem et plenius concilium Lateranense generale. Similiter non habebant Bonifacium VIII pro legitimo pontifice, ideoque existimarunt sibi licitum ab illo appellare. In aliis regnis gravamini occurritur ordinarie per supplicationes, repræsentationes et legatos, sicque plerumque res pacifice componuntur.

Obj. 5°: Totum est majus sua parte : atqui concilium œcumenicum est quoddam totum morale cujus pontifex pars est etsi præcipua: ergo concilium est majus et superius papa, juxta illud vulgatum S. Hieronymi: « *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe*, cap. *legimus*, D. 93.

Resp. hoc argumentum non attingere thesim, quæ non est de concilio generali computato summo pontifice, sed de concilio seu congregatione episcoporum, non computato pontifice, ut diximus initio articuli. Si autem quæratur de concilio computato pontifice, dicimus concilium esse illo majus extensive, non intensive et auctoritate ; quia tota concilii auctoritas a summo pontifice dimanat: et in hac hypothesi pontifex est pars, sed dominatrix et rectrix, sicut caput est pars corporis, ipsi toti dominans atque illud regens, quo sensu pars non est toti, cui dominatur, auctoritate inferior. Res magis elucescet retorsione argumenti in adversarios. Totum est majus sua parte : atqui comitia generalia regni Galliæ sunt quoddam totum cujus rex est pars etsi præcipua : ergo comitia generalia sunt quid majus et auctoritate superius rege. Idne concedunt Galli ?

Neque dicas comitia regni Galliæ olim deposuisse regem. Idne licite factum, an illicite? meum non est inquirere : at persuasum habeo quod quid simile nunc, etiam suppositis iisdem circumstantiis, non auderent attentare Galli. Sed et est disparitas, quod auctoritas regum sit originative a populo; auctoritas autem summi pontificis sit immediate a Deo.

Neque etiam inferas, juxta nos, episcopos in conciliis non sedere ut judices, sed esse tantum consiliarios pontificis : sunt namque veri judices, sed inferiores et subordinati summo pontifici, qui eorum judicium potest recognoscere, examinare et emendare.

Quantum ad dictum S. Hieronymi, id dixit S. Doctor, non comparando auctoritatem pontificis cum auctoritate concilii, sed comparando consuetudinem urbis Romæ cum consuetudine aliorum regnorum, vultque alia regna non teneri, usibus suis abdicatis, sequi usum urbis Romæ, secundum quem diaconi se præferebant presbyteris. De quo jam dixi alibi.

Inst. 1° : Auctoritas concilii est divina, seu divinæ conjuncta, potestque dicere sicut concilium Jerosolymitanum : « Visum est Spiritui Sancto et nobis : » ergo tenetur pontifex illi assentiri nisi velit deviare a Spiritu Sancto, sicque est inferior concilio.

Resp. 1° argumentum eadem chorda ac præcedens aberrare; concilium enim cujus est divina auctoritas et quod potest dicere : « Visum et Spiritui Sancto et nobis, » est concilium computato summo pontifice, de quo non est quæstio, non vero concilium sejuncto summo pontifice : unde concilium Chalcedonense condens canonem 28, repugnantibus legatis, et quem rescidit S. Leo, non poterat dicere : « Visum est Spiritui Sancto. » 2° Esto pontificem teneri assentiri definitis a concilio generali, eo absente, non inde sequitur quod sit illi inferior, sed quod concilium recte definivit : sic concilium Ephesinum tenebatur assentiri definitis a concilio Nicæno, nec tamen ideo erat illi inferius.

Inst. 2°: Est de fide quod concilium generale sit infallibile, et non est de fide quod summus pontifex sit infallibilis: atqui auctoritas, quæ est de fide infallibilis, potior est ea quæ non est de fide infallibilis: ergo auctoritas concilii est potior et superior auctoritate pontificis.

Resp. iterum argumentum currere in eadem falsa hypothesi: concilium namque, quod secundum fidem est infallibile, est concilium œcumenicum cum suo capite Romano pontifice, de quo non procedit quæstio, non vero concilium sejunctum a suo capite de quo procedit quæstio; constat enim plura concilia, sejuncto capite, errasse, ut Ephesinum II, Chalcedonense et Ariminense. Insuper infallibilitas non arguit necessario superioritatem: nam S. Joannes erat infallibilis in fide, et tamen auctoritati Lini et Cleti summorum pontificum, quorum temporibus vivebat et scripsit Apocalypsim, subjiciebatur; quamvis hi pontifices, juxta adversarios, essent in fide fallibiles.

Inst. 3°: Summus pontifex est filius Ecclesiæ: atqui filius est inferior matre: ergo.

Respondet Pius II in bulla Retractationis, data anno 1463, quod, etsi Ecclesiæ filius sit, « propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur. Et sicut, filiationis causa, debet ipse Ecclesiam venerari tanquam matrem, ita et prælationis causa præfertur ei ut pastor gregi, princeps populo, rector familiæ. »

Inst 4°: Ecclesia potest eligere pontificem: ergo et illum deponere.

Resp. neg. conseq. Quia per electionem fit caput et superior Ecclesiæ, in quem proinde Ecclesia non habet jurisdictionem nec potestatem coactivam: sic capitulum potest eligere episcopum, illum autem semel electum non potest deponere.

Inst. 5°: Secundum jura potest deponi pontifex simoniace electus; ergo.

Resp. neg. conseq. Quia pontifex simoniace electus non est vere pontifex, cum electio simoniaca sit nulla, modo tamen non sit acceptatus ab universa Ecclesia; hoc enim casu acceptatio Ecclesiæ suppleret defectum electionis, ut dicemus art. seq.

Obj. 6° ab inconvenientibus: Non est credibile Deum destituisse Ecclesiam omni remedio in extremis: atqui id contingeret si pontifex non subjiciatur concilio: 1° si pontifex esset noxius Ecclesiæ eamque vellet subvertere; 2° si sit captivus; 3° si sit amens; in his enim casibus nullum videtur remedium nisi in concilio quod possit papam deponere: ergo.

Resp. neg. min. Ad primum casum: Si nitatur subvertere Ecclesiam in fide, cum tunc sit manifeste hæreticus, hoc ipso excidit a pontificatu, et requiritur tantum declaratio Ecclesiæ, ut denegetur ipsi obedientia, sicut diximus antea. Si autem aliter sit noxius Ecclesiæ, quidam respondent fideles posse vi armorum illi resistere, absque eo quod ideo amittat superioritatem: sic dum injuste invasus a suo superiore illi resistit, invadens non admittit ideo superioritatem. Sic iterum si rex Galliæ, qui nullum agnoscit superiorem in temporalibus, vellet regnum subvertere, possent populi vi armorum illi resistere, nec tamen ideo amitteret dignitatem regiam. Respondet S. Thomas [1] « recurrendum esse ad Deum qui eum emendet, vel de medio subtrahat »: vel dicendum quod, cum Deus speciali providentia regat et conservet suam Ecclesiam, non permittet, sicut hucusque non permisit, hunc casum evenire, aut si permittat, non deerit in subministrandis mediis et auxiliis opportunis.

Ad secundum casum pontificis captivi: Fient ab Ecclesia ad Deum preces, sicut fiebant pro Petro dum detinebatur captivus ab Herode; nec interim desinet esse pontifex, aut poterit deponi a concilio, sicut rex Galliæ captivus non desinit ideo esse rex, nec deponi potest a populis.

Ad tertium casum: Si pontifex sit perpetuo amens, censebitur mortuus; est enim amens revera mortuus quantum ad vitam rationalem, sicque Ecclesia sibi providere poterit de alio pontifice. Interea vero in hoc et præcedenti casu non desinet Ecclesia, sed servabit infallibilitatem fidei passivam. Quod si occurrant controversiæ de fide vel moribus, poterunt episcopi vel concilium definire; sed definitio non habebit ultimam et absolutam firmitatem, donec confirmetur a pontifice sequente, ut jam diximus et dicemus.

ARTICULUS IX.

UTRUM SIT DE FIDE CLEMENTEM XIV ESSE SUMMUM PONTIFICEM.

Hæc quæstio nata est et facta celebris ineunte sæculo superiori, cum quidam in Hispania, præsentientes Clementis VIII judicium fore

[1] In 4. d. 19. q. 2. a. 2. q. 3. ad 2.

contrarium suis opinionibus, quæ tunc Romæ examinabantur, ut pararent sibi viam ad illud declinandum, propositis publicis thesibus defenderunt non esse de fide Clementem VIII esse Petri successorem, quarum auctores jussit incarcerari summus pontifex, et inde contrarium etiam in publicis thesibus cœpit Romæ propugnari.

Nullus est inter catholicos qui non certo teneat Clementem XIV, vel quemcumque alium actu sedentem, esse summum pontificem, sed diverso gradu certitudinis. Quidam tenent id certum certitudine morali tantum, quidam certitudine theologica, alii et communius, quibus subscribimus, certitudine fidei.

Ad cujus ultimæ sententiæ intelligentiam revocanda sunt quæ scripsimus dissert. de Ecclesia, a. 7, § 3, in 2 resp. ad obj. 1. Id dicitur de fide, quod est revelatum : dupliciter autem aliqua veritas a Deo revelatur : 1° immediate in se, ut hæc : « Deus est unus et trinus : Christus est homo » ; 2° mediate in alio; et hoc iterum dupliciter, vel ut effectus in causa, seu proprietas in essentia; ut hæc : « Christus est risibilis », revelata est in hac : « Christus est homo », ut proprietas in essentia, seu effectus in causa; vel ut pars in suo toto, ut hæc : « Petrus est mortalis », in hac : « Omnis homo est mortalis » ; vel : « David peccavit in Adam », in hac : « Omnes peccaverunt in Adam »; vel hæc : « Christus est mortuus pro me », in hac : « Christus est mortuus pro omnibus. »

Quæ revelantur mediate ut effectus in causa, seu ut proprietas in essentia, non sunt objectum fidei, sed assensus theologici tantum, quia effectus in causa non continetur formaliter, sed virtualiter duntaxat. Quæ autem revelantur, ut partes in toto, sunt objectum fidei, quia partes non solum virtualiter in toto, sed formaliter, et veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quæ in ipsa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares quas continet sunt veræ, v. g. ideo verum est quod omnes homines sunt mortales, quia verum quod et iste et iste homo sit mortalis. Unde eo ipso quo revelatur propositio universalis, revelantur etiam omnes propositiones particulares, sicque ad idem fidei lumen pertinent, seu eodem fidei habitu attinguntur. His notatis,

Dico : Probabilius videtur esse de fide Clementem XIV esse summum pontificem.

Prob. 1° ex prænotatis : Hæc propositio universalis : « Omnis homo acceptatus ab universa Ecclesia in Petri successorem est summus pontifex», est de fide : atqui hæc particularis : « Hic homo, Clemens XIV, acceptatus ab Ecclesia universa in successorem Petri, est summus pontifex », continetur in priori universali tanquam pars in toto : ergo est etiam de fide. Major a nullo catholico negatur. Cum enim sit revelatum et de fide, Christum instituisse Ecclesiam usque ad consummationem sæculi duraturam, pariter est revelatum et de fide quod successor Petri quem fundamentum, caput et summum pastorem instituit, iisdem privilegiis gaudeat. Min. est evidens; partes enim hujus propositionis universalis : Omnis homo acceptatus ab universa Ecclesia in Petri successorem est summus pontifex, sunt : et iste, et iste ab Ecclesia acceptatus in Petri successorem, est pontifex. Consequentia denique constat ex prænotamine; quia, ut dictum est, particularis formaliter contenta in universali de fide, est etiam de fide.

Confir. hæc propositio : « Hoc concilium Tridentinum acceptatum ab Ecclesia pro œcumenico est regula fidei », est de fide; quia continetur ut pars in toto in hac universali de fide : « Omne concilium acceptatum ab Ecclesia pro œcumenico est regula fidei » : ergo a pari de pontifice.

Dices : Ista propositio particularis : « Hic homo Clemens XIV, acceptatus ab Ecclesia in successorem Petri, est summus pontifex », non continetur in hac universali : « Omnis homo acceptatus ab Ecclesia universali in successorem Petri est summus pontifex», nisi supponendo quod Clemens XIV fuerit rite electus: atqui non est revelatum nec de fide quod fuerit rite electus, sed hoc scitur tantum ex testimonio hominum. Sit paritas : est de fide quod omnis hostia rite consecrata sit adoranda; non est tamen de fide quod hæc hostia sit adoranda, quia non est de fide quod sit consecrata.

Resp. neg. maj. Hæc enim suppositio non habet locum in casu nostro, neque pro propositione universali, neque pro particulari : quia, cum Ecclesia sit infallibilis in acceptanda fidei regula, ut modo dicam, fuerit rite facta vel non electio pontificis, hoc ipso quo Ecclesia illum acceptat, est verus pontifex et fidei regula, suppletque Ecclesiæ acceptatio defectum qui potuit irrrepere in electione : et si quidam canones videantur dicere oppositum, intelligendi sunt de electione ante accepta-

tionem Ecclesiæ. Unde est disparitas de hostia: Ecclesia enim non declarat hanc hostiam esse consecratam, adeoque contineri sub universali, sicut in actu exercito declarat Clementem XIV esse acceptatum ab Ecclesia in Petri successorem, sicque contineri sub universali. Insuper, cum consecratio hujus hostiæ sit quid particulare non pertinens ad regimen universale Ecclesiæ, non esset infallibilis Ecclesia in hoc declarando, nec ejus declaratio posset supplere defectum consecrationis; ut autem propositio particularis, contenta in universali de fide, sit quoad nos de fide, debet nobis certo constare eam contineri in universali de fide.

Repones: Saltem non constat hunc hominem Clementem XIV esse Petri successorem et pontificem, nisi ex hoc discursu humano: « Omnis homo acceptatus ab Ecclesia in Petri successorem est summus pontifex: atqui Clemens XIV est acceptatus ab Ecclesia in Petri successorem: ergo est summus pontifex »: atqui assensus seu cognitio veritatis quæ innititur discursui humano non est fidei: ergo. Item minor hujus syllogismi non est de fide: ergo nec conclusio; quia, secundum dialecticos, conclusio sequitur debiliorem partem.

Resp. dist. min.: Assensus veritatis quæ innititur discursui humano, ut causæ moventi ad assentiendum, non est fidei, conc.; quæ innititur discursui humano, ut causæ applicanti motivum assentiendi, seu ipsam revelationem, non est fidei, neg. Non repugnat ergo cognitioni seu assensui fidei, quod supponat aliquem discursum, non tanquam motivum propter quod præbeatur assensus, sed per quem revelatio universalis applicatur huic particulari subjecto, ut patet in hac propositione: « David in Adam peccavit », quæ licet sit fidei, indiget tamen, ut credatur, hoc discursu: « Omnes posteri Adam in ipso peccaverunt: atqui David est ex posteris: ergo peccavit in Adam. » Iste discursus non est causa seu motivum propter quod credo Davidem in Adam peccasse, sed est tantum applicatio hujus revelationis universalis: « Omnes in Adam peccaverunt », huic particulari subjecto, nempe Davidi; et ista revelatio est motivum cur credam Davidem peccasse. Ita in nostro casu.

Ad id quod additur de regula dialecticæ, resp. hanc regulam non habere locum in discursu mere applicativo; quia propositio universalis, quæ ponitur in majori, non est causa propositionis particularis quæ ponitur in conclusione; cum, ut dictum est, propositio universalis nihil aliud sit quam omnes particulares: minor autem naturalis hæc: « David est ex posteris Adam », est tantum explicatio majoris universalis et ejus applicatio ad hoc determinatum subjectum: unde si propositio universalis sit de fide, non obstante minori naturali, conclusio particularis, in majori contenta ut pars in toto, erit etiam de fide.

Prob. 2° conclusio: De fide est quod Ecclesia errare non possit in acceptanda fidei regula: atqui acceptando hunc hominem in summum pontificem, eum acceptat ut fidei regulam; ergo de fide est hunc hominem quem acceptat in pontificem esse verum pontificem. Min. est certa. Prob. maj. Si Ecclesia errare posset in acceptanda fidei regula, errare posset in acceptandis definitionibus ab hac incerta regula emanatis, sicut, si errare posset in declarando aliquo libro canonico, aut in acceptando aliquo concilio œcumenico, errare posset adhærendo contentis in isto libro, vel rebus definitis ab isto concilio, sicque portæ inferi possent adversus illam prævalere: ergo.

Confirm.: De fide est Ecclesiam, in qua sumus, esse veram et catholicam Ecclesiam: atqui non est vera et catholica Ecclesia quæ non est unita legitimo suo capiti: ergo hoc ipso quo Ecclesia acceptat hunc hominem in pontificem et caput cui unitur, est de fide quod sit pontifex et caput Ecclesiæ.

Neque refert quod Ecclesia possit esse sine capite; præsto enim est remedium in electione novi capitis. At si habeat caput fictum quod ignoret, nullum superest remedium; non potest enim sibi de alio providere, et ficto jubenti atque definienti parere tenetur.

Præter jam solutas instantias,

Obj.: Non est revelatum in S.Scriptura, nec in traditione, Clementem XIV esse summum pontificem: ergo.

Resp. dist. ant.: Non est revelatum immediate in se, conc.; mediate in suo toto, neg. Solutio patet ex probationibus conclusionis. Insta in paritate cum concilio Tridentino.

Inst. 1°: Non est revelatum, nec de fide, quod Clemens XIV sit baptizatus et mas: ergo nec quod sit summus pontifex. Prob. conseq. Clemens XIV non potest esse summus pontifex nisi sit baptizatus et mas: ergo si non sit revelatum quod sit baptizatus et mas, non est revelatum quod sit pontifex.

Resp. conc. conseq. Ad probat. neg. conseq. Ex hoc enim quod aliquid sit revelatum, non sequitur quod debeant esse revelata quæcumque sunt necessario cum illo connexa: quin

imo in hoc consistit theologicus discursus, quod versetur circa ea quæ necessario connectuntur cum revelatis : sic v. g. quod Christus sit homo est revelatum, et quia risibilitas est necessario connexa cum homine, inde infertur quod Christus sit risibilis certitudine theologica, sed non fidei. Jam autem in casu, revelatio spectat tantum personam acceptatam in pontificem, non conditiones ad id requisitas, sed ex revelato consecutione et certitudine theologica inferuntur. Unde, cum ante acceptationem Clementis XIV in pontificem, esset tantum moraliter certum quod esset baptizatus, jam nunc post acceptationem est certum certitudine theologica. Sit paritas : definitio lata a concilio, quod Ecclesia acceptat pro œcumenico, est revelata et pertinet ad fidem ; ad eam necessario prærequiruntur quod res definita fuerit prius maturo examine diligenter discussa, et quod judices sedentes fuerint veri episcopi : neutrum tamen est revelatum nec de fide; sed quia est de fide quod Ecclesia errare non possit in acceptando concilio œcumenico, et definitio ejus non possit esse falsa, inde infertur ut certum certitudine theologica omnia necessaria adfuisse , et discussionem sufficientem fuisse adhibitam, et judices sedentes in numero competenti saltem fuisse veros episcopos.

Inst. 2° : Qui negaret Clementem XIV esse pontificem non esset hæreticus : ergo non est de fide.

Resp. dist. conseq. : Non est de fide certo, conc.; probabilius, neg. Seu, ut alii dicunt, est de fide, sed non est de fide quod sit de fide, sicque non est de fide catholica et obligante, quod tamen requiritur ut quis negando sit hæreticus; hæresis enim consistit in pertinacia in negando id de quo certum est de fide in Ecclesia, quod pertineat ad fidem.

Inst. 3° : Quod semel est de fide, semper est de fide : atqui intra centum annos non erit de fide quod Clemens XIV fuerit summus pontifex, sicut non est certum nunc quod defuncti pontifices fuerint summi pontifices : ergo neque nunc est de fide quod Clemens XIV sit pontifex.

Resp. dist. maj. : Quod est semel de fide semper est de fide quoad se, conc.; quoad nos, neg. Multa enim tempore Christi fuerunt de fide quoad nos, quæ non sunt modo. Ratio est, quia nihil est de fide quoad nos nisi proponatur ab Ecclesia, ut ad fidem pertinens : quamvis autem nunc proponat Clementem XIV ut summum pontificem et caput Ecclesiæ tanquam ad fidem pertinens, non sequitur quod intra centum annos proponet ut quid ad fidem pertinens quod fuerit summus pontifex, sicut nunc non proponit alios pontifices defunctos, quia id non est necesse ad regimen communo Ecclesiæ. Quid enim facit ad regimen præsens et bonum commune Ecclesiæ scire quot et qui fuerint olim pontifices? Id autem noscimus tantum ex testimonio humano cui potest subesse falsum. Quidam excipiunt casum quo Ecclesia proponeret credendum aliquod dogma definitum a tali defuncto pontifice; videtur enim quod hoc ipso proponeret eum fuisse pontificem et fidei regulam, sine quo dogma ab ipso definitum non foret fide divina credendum.

Inst. 4° : Semper erit verum Ecclesiam proposuisse Clementem XIV ut pontificem : ergo, si ex præsenti propositione nunc sit de fide quoad nos quod sit pontifex, semper erit de fide quoad nos quod fuerit summus pontifex.

Resp. dist. ant. : Semper erit verum Ecclesiam proposuisse Clementem XIV ut pontificem, et hoc semper constabit ex principiis fidei quæ sunt Scriptura, traditio, et Ecclesiæ determinatio seu propositio, neg. ant.; et non semper sic constabit, conc. ant. et neg. conseq. Quia, sicut diximus, ut aliquid sit de fide quoad nos, debet nobis constare ex Ecclesia determinante et proponente tanquam revelatum in S. Scriptura vel traditione.

Quod posset opponi de fabula papissæ, late expositum et solutum est in tract. de Ordine, digress. 2, ad dissert. 3.

DISSERTATIO V.

De conciliis generalibus.

concilium, dictum vel a consulendo, vel a considendo, vel a concurrendo in eamdem sententiam, significat cœtum seu congregationem : unde comitia regni vel provinciæ possunt dici concilium; sed hic quærimus de concilio in rebus ecclesiasticis et religionem spectantibus. Potest definiri : Congregatio ecclesiasticorum, præsertim episcoporum, legitima auctoritate convocata ad statuendum quæ spectant religionem, moresque christianorum.

Usum conciliorum habemus ex apostolis. Etenim, Act. 1, concilium celebrarunt in electione S. Mathiæ; aliud, Act. 6, in electione septem diaconorum; aliud, Act. 15, in causa legalium, et aliud cujus non meminit Lucas, in quo Symbolum fidei ediderunt, antequam in universam terram dispergerentur : estque probabile institutionem esse divinam, tum ex illo Matth. 18 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* tum quia verisimile est apostolos vel ex præcepto Christi, vel ex speciali motione Spiritus Sancti, sua concilia celebrasse.

Quadruplex solet distingui concilium : diœcesanum, provinciale, nationale et generale. Diœcesanum est quod ab episcopo celebratur cum clero suæ diœcesis; provinciale quod celebratur ab archiepiscopo cum episcopis suæ provinciæ; nationale cui adsunt omnes archiepiscopi et episcopi unius nationis, convocati a primate vel patriarcha; generale, quod dicitur etiam œcumenicum et plenarium, est cœtus episcoporum a summo pontifice ex toto orbe christiano convocatorum, et cui ipse summus pontifex per se vel per legatos præsidet : et de illo est præsens dissertatio. Quandoque nationale aut etiam provinciale dicitur generale, sed cum addito, hujus scilicet nationis seu provinciæ.

ARTICULUS I.

CUJUS SIT CONVOCARE CONCILIUM GENERALE?

Dico : Solius est summi pontificis certi et indubitati convocare concilium generale.

Est in terminis S. Thomæ qui, *Opusc.* 19 contra impugnantes religionem, cap. 4, dicit : « SS. Patres in conciliis congregati nihil statuere possunt, nisi auctoritate Romani pontificis interveniente, sine qua etiam nec concilium congregari potest. » Et 2 2, q. 1, a. 10, in arg. sed contra : « Hujusmodi synodus (generalis) auctoritate solius summi pontificis congregari potest, ut habetur in decreto, dist. 17 », cap. *Synodum* et cap. *Regula.*

Prob. 1° Julius I, Epist. ad Orientales, apud Socratem, l. 2, c. 13, dicit : « Canon ecclesiasticus vetat ne decreta absque sententia Romani episcopi ecclesiis sanciantur »; seu, ut legit Cassiodorus, in Hist. tripart. : « Non debere absque sententia Romani pontificis concilia celebrari. » Refertur cap. *Regula* citato : hunc-que canonem a Nicæna synodo renovatum scribit synodus Alexandrina, Epist. ad Felicem papam.

Pelagius II, Epist. 1, c. 1, ad episcopos qui non convenerant ad convocationem Joannis Constantinopolitani dicit : « Multis denuo apostolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani pontificis concilia celebrari. » Refertur cap. *Multis*, D. 17.

In concilio Chalcedonensi, act. 1, Dioscorus prohibitus est sedere inter episcopos; « quia, inquiunt patres, synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. » Septima synodus, act. 6, reprobat concilium iconoclastarum sub Constantino Copronymo, quia celebratum

fuerat sine auctoritate Romani pontificis. Unde Auctor, 1 p. q. 36, a. 2, ad 2, scribit quod « auctoritate Romani pontificis etiam antiqua concilia congregabantur et confirmabantur. »

Si dicas ex his sequi quod nec diœcesana aut provincialia concilia possint nisi a Romano pontifice convocari, præsertim cum cap. *Nec licuit*, ead. D. 17, Pelagius II dicat nec synodum particularem sine auctoritate Sedis apostolicæ licere celebrare; consequens autem non admittitur : ergo.

Resp. quod jura et ipsimet pontifices concedant, imo jubeant episcopis et archiepiscopis, ut particularia concilia celebrent, sicque non sine eorum auctoritate celebrantur. Caput *Non licuit* loquitur de synodis particularibus congregatis contra universalem synodum: patet ex rubrica quæ sic est : « Absque apostolicæ Sedis auctoritate synodum particularem contra universalem aliquibus congregare non licet. » Et apud Ivonem, Anselmum et Polycarpum, verbis Gratiani additur : « Ad judicandum universalem synodum » : unde annotatio Gregoriana monet textum Gratiani corrigendum esse ex Ivone, Anselmo et Polycarpo; idque satis aperte innuit textus ipse Gratiani verbis sequentibus : « Quoties aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur, etc. »

Prob. 2° : Illi soli competit jus convocandi concilium generale qui habet curam totius Ecclesiæ et auctoritatem in episcopos convocandos : atqui is est Romanus pontifex, ut patet ex dissert. præced. : ergo. Maj. etiam constat; quia concilium generale spectat universam Ecclesiam; et sine auctoritate in episcopos, qua compellantur comparere concilio, frustranea et impotens foret convocatio.

Confir.: Solius est episcopi convocare synodum diœcesanam, solius archiepiscopi convocare synodum provincialem, solius regis convocare comitia generalia regni : atqui non minor est, imo major est auctoritas pontificis in universam Ecclesiam, quam episcopi in diœcesim, archiepiscopi in provinciam, et regis in regnum; neque ulli alteri quam summo pontifici competit hæc auctoritas in universam Ecclesiam : ergo.

Dixi in conclusione : *Certi et indubitati pontificis;* quia in casu schismatis, in quo forent dubii pontifices, ut tempore concilii Constantiensis, posset Ecclesia per suos prælatos convocare concilium ad succurrendum præsenti necessitati, nimirum ad providendum sibi de certo pontifice : quod si ulterius aliquid definiat in materia fidei et morum, aut in his quæ spectant universam Ecclesiam, non erit ratum et firmum, nisi a sequente pontifice confirmetur, ut jam antea diximus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Concilia orientalia ut plurimum convocata fuere auctoritate imperatorum : ergo. Prob. ant. Constantinus magnus convocavit concilium Nicænum, ex Euseb. lib. 3, de Vita Constantini, c. 6, Socrate, lib. 1, c. 6, et Theodoreto, lib. 1, c. 11; Constantius convocavit concilium Sardicense ex eodem Theodoreto, lib. 2, c. 5; Theodosius senior convocavit Constantinopolitanum primum ex eodem Theodoreto, lib. 5, c. 9; Theodosius junior convocavit Ephesinum ex Evagrio, lib. 5, c. 3; Martianus imperator Chalcedonense, ex S. Leone, Epist. 43 : ergo.

Ante responsionem observandum est quod quamvis non sit idem auctoritas et consensus, attamen in eo qui habet auctoritatem aliquid faciendi, in illud consentire, sit ejus auctoritate fieri. Unde, cum sit penes solum pontificem auctoritas convocandi concilia generalia, ut probatum est, idem est respectu illius præbere consensum convocationi concilii ac illud per alium convocare. Hinc ad objectionem

Resp. nullum concilium ex orientalibus convocatum fuisse, sine saltem assensu summi pontificis, consequenter sine ejus auctoritate. De Nicæno probavimus ex sexta synodo, et ex Rufino, digressione I historica ad dissert. proœm. de Deo Trino; vide ibi textus. Sardicense fuisse convocatum jussu Julii papæ, colligitur ex S. Athanasio, Epist. ad solitarios, in qua scribit : « Episcopus Romanus jussit synodum fieri ubicumque vellemus », et ex Socrate, lib. 2, c.16, ubi refert quosdam episcopos, non præsentes concilio, absentiæ suæ causam attulisse temporis constituti angustiam, culpamque in Julium retulisse, quod est apertum signum Julium indixisse concilium, et tempus illud celebrandi præfixisse. Quantum ad Constantinop.I, non fuit œcumenicum, nisi ex post facto, ut sat prolixe explicuimus in tract. citato de Trinitate, digress. II hist., sect. III; vide diligenter. De concilio Ephesino, convocatum fuisse ex assensu Cœlestini probavimus ex professo digress. I hist., ad dissert. IV de Incarnat. sect. III. Item Chalcedonense convocatum fuisse a S. Leone invicte probavimus ibid.,

digressione II historica, sect. III. Require in utroque loco.

Inst. 1°: In octava synodo, Constantinopolitana IV, anno 869, vicarii orientalium sedium dixerunt: « Scitis quia in præteritis temporibus imperatores erant qui congregabant synodos et ex toto terrarum orbe ad dispositionem hujusmodi causarum colligebant » : ergo.

Resp. imperatores præteritis temporibus convocasse concilia, non sumo jure, sed ex assensu et dispensatione summorum pontificum, ita ut concilium ab imperatore, vel alia quacumque potestate sæculari, nunquam habitum fuerit pro legitimo et œcumenico, nisi postquam accessit consensus Romani pontificis.

Inst. 2°: Ipsimet pontifices sæpe ab imperatoribus petierunt ut vel indicerent, vel indici permitterent concilia: sic Liberius petiit a Constantio: ergo.

Resp. id petiisse pontifices ab imperatoribus, non quod haberent potestatem convocandi concilia, sed quod plerumque hanc potestatem exercere non possent absque consensu imperatorum, sive quia imperatores favebant hæreticis, et sæviebant in catholicos, ut contigit Constantio ariano; sive quia, cum tunc Ecclesia nullius urbis aut provinciæ haberet dominium, necesse erat ut imperatores aliquem locum concederent ad celebrationem concilii, et episcopis ad concilium commeantibus, quorum plures erant pauperes, necessaria in victu et vecturis providerent; sive tandem quia L. *Conventicula*, C. tit. *de Episcopis et Cleris*, cautum erat ne conventus fierent absque licentia principis, quod etiamnum viget in pluribus regnis.

Obj. 2°: Act. 6, de duodecim apostolis dicitur: « Congregaverunt multitudinem discipulorum », quibus verbis significatur non ad solum Petrum, sed ad omnes apostolos pertinuisse convocare concilium: ergo pariter id non pertinet ad solum papam, sed ad omnes episcopos.

Resp. neg. assumptum; ex eo enim quod Petrus cum undecim convocaverit concilium, non sequitur quod convocatio non fuerit facta principaliter auctoritate Petri qui erat illorum caput; sicut, si nunc papa convocaret concilium cum cardinalibus, non sequitur quod convocatio non fieret principaliter auctoritate papæ.

ARTICULUS II.

QUI SINT DE JURE VOCANDI AD CONCILIUM GENERALE?

Dico: Soli episcopi sunt de jure vocandi ad concilium generale.

Prob 1°: Ii soli sunt de jure vocandi ad concilium generale qui habent jurisdictionem non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori ecclesiastico: atqui soli episcopi habent hujusmodi jurisdictionem: ergo. Min. constat; non enim laici, cujuscumque sint conditionis aut dignitatis, etiamsi imperialis, habent jurisdictionem in foro exteriori ecclesiastico, cum sit spiritualis, neque inferiores clerici, ut curati, patet ex usu et quia non sunt primarii et proprie pastores, sed, ut inquit Auctor, 2. 2. q. 184, a. 6 ad 2, « habent tantum aliquas subministrationes sub episcopis », quas ad nutum limitant episcopi. Prob. maj. In conciliis generalibus non solum definiuntur simpliciter controversiæ circa fidem et mores et causas privatas episcoporum, sed etiam decernuntur pœnæ et compelluntur contumaces obedire definitionibus et sententiis prolatis, hæc autem pertinent ad forum exterius Ecclesiæ: ergo.

Prob. 2° ex usu Ecclesiæ quæ non solet nisi episcopos de jure vocare ad concilia generalia: unde illud celebre dictum Theodosii et Valentiniani imperatorum, Epist. ad synodum Ephesinam, in ejus actis inserta: « Nefas est qui sanctorum episcoporum catologo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus se immiscere » ; item illud synodi Chalcedonensis: « Mitte foras superfluos, concilium » episcoporum est.

Dixi *de jure;* quia quandoque ex privilegio summorum pontificum vocantur abbates et generales ordinum cum jure suffragii decisivi, idque non incongrue, ut scilicet repræsentantes suos subditos, ex priori privilegio a jurisdictione episcoporum exemptos.

Vocantur etiam theologi et canonistæ, non cum jure suffragii decisivi, sed ut res fidei et Ecclesiæ inquirant et examinent, et sensus suos patribus concilii referant. Item quandoque vocantur imperatores, non ut res Ecclesiæ definiant, sed ut concilium defendant et adjuvent, atque decretorum sint testes, et ea libentius ac efficacius mandent executioni, atque rebelles pœnis coerceant.

Dices 1°: Act. 15, ad concilium Jerosolymitanum, in quo agebatur de causa legalium,

convenerunt apostoli et seniores : ergo non solum episcopi.

Resp. per *seniores,* phrasi in novo Testamento usitata, non significari ætatem, sed dignitatem ecclesiasticam, ut jam alibi observavimus; et quamvis incertum sit quæ dignitas ecclesiastica, an episcopalis, an presbyteralis tantum, hic significetur, probabile est tamen designari illos qui erant non solum presbyteri, sed etiam episcopi, et qui per accidens, negotiorum causa, reperiebantur tunc Jerosolymis; quia in fine ejusdem capitis de Paulo dicitur quod præcipiebat *custodire præcepta apostolorum et seniorum;* sed et nihil vetat quominus simplices presbyteri potuerint adesse concilio, sive ad consultandum, sive etiam ad definiendum, non de jure, sed ex privilegio ipsis a Petro concesso.

Inst. : Ibidem post priora verba legitur : *Placuit apostolis et senioribus cum omni Ecclesia :* ergo non solum episcopi et presbyteri, sed etiam laici aderant cum jure suffragii.

Resp. neg. conseq. Hæc enim verba non spectant definitionem et decretum concilii, dicitur enim cum de decreto ageretur : *Conveneruntque apostoli et seniores videre de verbo hoc,* et postea *tacuit omnis multitudo :* sed spectant electionem eorum qui mittendi erant Antiochiam cum Paulo et Barnaba ad deferendum decretum concilii : nihil autem obstat quominus hæc electio plebi placuerit, aut etiam, si vis, a plebe facta sit; sed missio, quæ est auctoritatis, facta est ab apostolis.

Dices 2° : Ex regula juris 19, in 6 : *Quod tangit omnes, ab omnibus debet approbari :* ea autem quæ aguntur in conciliis generalibus tangunt omnes : ergo omnes debent vocari : unde S. Ambros. Epist. 32, dicit causam fidei coram populo esse agendam : « Veniant, inquit, si qui sunt, ad ecclesiam; audiant cum populo. »

Resp. neg. conseq. Non enim sensus regulæ est, quod id quod tangit omnes debeat ab omnibus, id est, singulis et sigillatim, approbari, sed sufficit quod approbetur ab illis qui omnes seu communitatem repræsentant : sic leges regni tangunt omnes cives, non est tamen necesse quod a singulis probentur, sed sufficit quod approbentur a supremo senatu qui omnes cives repræsentat : concilium vero generale omnes fideles repræsentat.

Ad textum S. Ambrosii : Non refertur integre; subdit enim S. Præsul : « Non ut quisquam judex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. » Quibus verbis S. Ambrosius excludit populum a judicio publico et definitivo, et concedit tantum ipsi judicium privatum, unicuique pro se; quia cum imperator esset arianus, non poterat plus obtinere; nec ibi agebatur de concilio generali, sed de disputatione cum Auxentio episcopo ariano, quam imperator volebat fieri in suo palatio, et S. Ambrosius in ecclesia : « Si tractandum est, inquit S. Doctor, tractare in ecclesia didici, quod majores fecerunt mei; si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio. »

Petes 1° quis episcoporum numerus requiratur ad concilium generale ?

Resp. 1° non requiri quod omnes omnino totius orbis episcopi adsint : patet tum ex usu; nullum enim fuit celebratum concilium cui omnes totius orbis episcopi adessent; tum quia alias impossibile foret celebrari concilium generale, cum semper aliqui episcopi, sive propter infirmitatem, sive propter senectutem, aliasve causas, adesse non possent.

Resp. 2° non requiri certum episcoporum numerum; quia id neque ex S. Scriptura, neque ex traditione, neque ex usu habetur, cum in conciliis generalibus hucusque habitis, modo plures, modo pauciores fuerint episcopi.

Resp. 3° requiri quod convocatio auctoritate summi pontificis facta innotescat omnibus, saltem majoribus provinciis, et nullus ex toto orbe verus episcopus non excommunicatus excludatur; sed aliqui ex majori parte provinciarum adsint : sic tamen, ut, si concilium celebretur in Oriente, plures ex Oriente adsint, et aliqui ex Occidente qui alios repræsentent, et e converso si celebretur in Occidente : patet ex praxi Ecclesiæ in anterioribus conciliis. Neque dicitur concilium generale ex eo quod omnes corporaliter adsunt, sed ex eo quod omnes adsunt repræsentative, ut fit in comitiis generalibus alicujus regni, quibus non est necesse quod omnes omnino jus suffragii habentes corporaliter intersint, sed sufficit quod plures ex præcipuis provinciis, alios repræsentantes, adsint.

Petes utrum episcopi in concilio sint vere judices an consiliarii tantum ?

Resp., ut jam prius dixi, non esse tantum consiliarios, sed vere judices, gaudentes jure suffragii decisivi, subordinatos tamen summo pontifici.

Prob. 1° : Apostoli in concilio Jerosolymitano, Act. 15, fuerunt veri judices; dixerunt enim : *Visum est Spiritui Sancto et nobis;* et Jacobus sub his verbis sententiam dixit : *Pro-*

pter quod ego judico. 2° Episcopi in conciliis subscribunt: « Ego N. statuens », vel: « Ego N. definiens subscripsi. » 3° Potestas ligandi et solvendi annexa est episcopatui, quæ non spoliantur episcopi in conciliis congregati. 4° Quia alioquin satius esset convocare ad concilia viros doctos quam episcopos indoctos.

Nec refert quod summi pontifices soleant dicere : « Sacro approbante concilio », vel : « De fratrum nostrorum consilio »; quia equidem episcopi et approbant et consilium dant, sed id non solum præstant, verum etiam judicant cum pontifice. Dicit pontifex de eorum consilio et non judicio, quia consilium ab eis accipit, sed non judicium, nec judicandi potestatem, quam a solo Deo habet.

Dixi : « Subordinatos tamen summo pontifici »; quia summus pontifex sedet in concilio, non ut simplex præses, sed ut princeps; principi autem subordinantur judices in senatu. Quapropter, sicut rex præsidens in concilio civili potest, si sua auctoritate uti velit, non sequi majorem partem judicum, sed illorum judicium irritare, sic pontifex non tenetur sequi majorem partem episcoporum judicantium in concilio, sed potest, sua auctoritate utens, illorum judicium, dum a veritate deviant, irritare, sicut irritavit concilium Ephesinum II, Ariminense, et canonem 28 Concilii Chalcedonensis.

ARTICULUS III.

CUJUS SIT PRÆSIDERE CONCILIO GENERALI ?

Dico : Solius summi pontificis est præsidere auctoritative concilio generali per se vel per suos legatos.

Prob. 1° : Illius est auctoritative præsidere concilio generali, cujus est præsidere toti Ecclesiæ quam repræsentat concilium generale : atqui solius est summi pontificis præsidere auctoritative toti Ecclesiæ, cujus nimirum est caput, pastor et princeps, ut patet ex dissert. præced. : ergo. 2° Illius est præsidere concilio generali, cujus est illud convocare, ut patet in conciliis diœcesanis, provincialibus et nationalibus : atqui solius est pontificis convocare concilium generale, ut probatum est art. 1 : ergo. 3° Si tempore Christi celebrata fuisset synodus, Christus absque dubio illi præfuisset: ergo id ejus vicario competit.

Prob. 4° ex usu et praxi Ecclesiæ : Nullum hucusque celebratum fuit concilium generale, cui non præsederit summus pontifex per se vel per suos legatos : ergo jus præsidendi Ecclesia constanter in eo agnovit.

Prob. ant. : Et quidem de conciliis occidentalibus perspicuum est et a nemine negatur. De concilio Nicæno probavi in tract. de Deo Trino, digress. I historica ad dissert. proœm., sect. 1, conclus. 2, Osium Cordubensem, Victorem et Vincentium presbyteros Romanos illi præsedisse nomine S. Sylvestri.

Quantum ad secundum concilium generale, Constantinopolitanum I, ostendimus ibidem digress. IV hist., sect. 1, non fuisse generale, nisi ex post facto.

Concilio Ephesino, tertio generali, nomine Cœlestini summi pontificis, præsedisse S. Cyrillum, Arcadium et Projectum episcopos, et Philippum presbyterum, probavimus digress. I hist. ad dissert. IV, de Incarnat., sect. 3, conclus. 2.

Concilio Chalcedonensi, generali quarto, præfuerunt, nomine S. Leonis, Paschasius et Lucentius episcopi, Bonifacius et Basilius presbyteri, ut probatum manet ex digress. II hist. ad dissert. IV, de Incarnat., sect. 3, conclus. 2.

In concilio quinto generali, Constantinopolitano II, in causa trium Capitulorum , Vigilius papa instanter a concilio rogatus ut præsideret, renuit; agnovit ergo saltem in eo concilium jus præsidendi, quo uti noluit. Vide quæ dixi in dissert. 3 hujus tract. art. 7, § 4.

Concilio sexto generali, Constantinop. III, in causa monothelitarum, præfuerunt, nomine Agathonis, Theodorus et Georgius presbyteri et Joannes diaconus, ut probavimus digress. hist. ad dissert. 18, de Incarnat., sect. 3, conclus. 2.

Concilio septimo generali, Nicæno II, in causa iconomachorum, nomine Adriani I præsederunt Petrus archipresbyter S. Petri et Petrus abbas S. Sabæ, ut ferunt acta concilii : unde Nicolaus papa, scribens ad Michaelem imperatorem, dicit : « Quasi non et ipsi in Nicæa collectæ synodo nostra fides præsederit. »

Concilio generali octavo, Constantinop. IV, contra Photium, præfuerunt, nomine Adriani II, Donatus Ostiensis et Stephanus Nepesinus. Constat 1° quia in actis semper primi loquuntur et subscribunt; 2° quia Adrianus in Epistola ad Basilium imperatorem, quæ lecta fuit actione I, dicit : « Volumus per vestræ pietatis industriam illic (Constantinopoli) numerosum celebrari concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, etc. »; 3° quia, actione 10, legati Adriani sic subscribunt : « Ego N. locum obtinens domini mei Adriani summi pontificis et

universalis papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ et universali synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis promulgavi et manu propria subscripsi. » Imperatores autem sic subscribunt : « Basilius, Constantinus et Leo, perpetui Augusti in Christo Dei fideles principes Romanorum et magni imperatores, sanctam hanc synodum suscipientes, et omnibus quæ ab ipsa definita et scripta sunt concordantes subscripsimus. »

Dices 1° : Non legitur in S. Scriptura Petrum præsedisse conciliis apostolorum : ergo.

Resp. 1° neg. cons. Non enim omnia scripta sunt. 2° Neg. ant. Nam, Act. 1, in concilio pro electione S. Mathiæ, Petrus ut præses loquitur : *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit : Viri fratres, oportet impleri Scripturam, etc.* Et cap. 15, in concilio de observatione legalium dicitur : *Cum magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, etc.* Unde S. Cyrillus Alexand., apud S. Th. in Opusc. contra errores Græcorum, cap. 68, dicit quod « Apostoli Petro, tanquam Dei locum tenenti, darent locum in omni capitulo et synagoga, in omni electione et affirmatione. »

Dices 2° : Imperatores sæpe dicuntur præsedisse conciliis : ergo.

Resp. dist. ant. : Imperatores sæpe dicuntur præsedisse conciliis loco et honore, conc.; auctoritate et potestate, neg. Vel dicuntur præsedisse ad protegendum concilium et servandum ordinem, conc.; ad definiendum et statuendum in rebus fidei et Ecclesiæ, neg. Require plura locis superius citatis.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONCILIUM GENERALE SIT INFALLIBILE IN DEFINIENDIS QUÆSTIONIBUS FIDEI ET MORUM?

Dico : Concilium generale, legitime congregatum et confirmatum a summo pontifice, est infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum.

Prob. 1° iis omnibus quibus probavimus, dissert. 3, a. 5, Ecclesiam universam, sive credentem sive docentem, non posse errare; est enim concilium generale ipsa universa Ecclesia repræsentative. Unde de concilio sicut de Ecclesia intelligendæ sunt S. Script. Matth. 16 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* ibid. 28 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* ibid. : *Docete omnes gentes;* 1 Timoth. 3 : *Ecclesia Dei columna et firmamentum veritatis;* Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* Joan. 14 : *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis;* ibid. : *Ille vos docebit omnia et suggerei vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Item omnia quæ protulimus ibid. de Ecclesia ex Patribus et a ratione hic applicanda sunt.

Prob. 2° ex iis omnibus quibus probavimus infallibilitatem summi pontificis; quia, si concilium a summo pontifice confirmatum errare posset, sequeretur quod ipse pontifex erraret confirmando definitiones erroneas.

Prob. 3° : Si concilium generale a summo pontifice confirmatum errare posset, nihil haberemus certum et fixum in Ecclesia, cum judicio talis concilii generalis non detur majus et certius. Item omnes hæreses a conciliis generalibus damnatæ reviviscerent ; dicerent enim hæretici concilia a quibus sunt damnati errasse. Item non certo nobis constaret utrum sint canonici libri quos concilia definierunt esse canonicos : unde tota subrueret fides et religio. Item Ecclesia fuisset hucusque in errore intolerabili, proponens ut fide credenda a conciliis generalibus definita, quæ possent esse falsa.

Quidam probant conclusionem ex illo Matth. 18 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* arguendo a minori ad majus sic : dum duo vel tres in nomine Christi conveniunt ad judicandum de aliqua re privata, Christus est in medio eorum adjuvans illos, quanto magis, dum Ecclesiæ judices, si non omnes, saltem multi cum Ecclesiæ capite conveniunt ad judicandum de rebus fidei et Ecclesiæ, Christus est in medio eorum adjuvans : ergo. Ita arguunt S. Gregorius, lib. 7, Epist. 110; concilium Chalcedonense, Epist. ad S. Leonem, et sexta synodus, actione 17.

Verum pro hujus loci intelligentia recte observat Sylvius aliquos posse dupliciter in nomine Christi convenire : 1° si conveniant in bonum finem et animo vere christiano; 2° si auctoritate Christi conveniant, quod fit, cum auctoritate ejus vicarii conveniunt, et quæ definiunt ejus auctoritate firmantur. Qui priori modo conveniunt in nomine Christi, ut in conciliis provincialibus, Christus adest tanquam adjutor, non ut infallibiliter definiant, sed ut diligenter rem discutiant, et si contingat eos errare, a capite infallibili erudiantur et firmentur in veritate. Qui vero posteriori modo

conveniunt in nomine Christi, Christus eis adest, ut infallibiliter definiant; quia summo pontifici et Ecclesiæ promisit infallibilitatem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° ex Patribus : S. Gregorius Nazian., Epist. 55 ad Procopium, dicit : « Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius concilii finem lætum et faustum vidi.» Ergo.

Resp. S. Gregorium non loqui de conciliis generalibus, sed de particularibus et quidem illegitimis, qualia fuerunt Seleuciense, Tyrense, Ariminense, Sirmyense, etc.; alioquin concilium Nicænum magni facit et amplectitur Orat. 21 in laudem S. Athanasii : « In sancto, inquit, concilio Nicææ habito... quantum in ipso fuit morbum compressit. » Et Orat. 49, dicit : « Nicænæ synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes amplectimur. » Imo et interfuit concilio primo Constantinop., ut constat ex Orat. 32, quam in eo habuit.

Inst. 1° : S. Aug. lib. 3 contra Maximinum, c. 14 : « Nec ego, inquit, Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre concilium » : ergo non agnoscebat concilium generale Nicænum infallibile.

Resp. neg. conseq. Non enim hoc dixit S. Augustinus quasi reputasset concilium Nicænum errori obnoxium; sed quia, cum Maximinus, contra quem disputabat, istud concilium non recipiebat, nec ipse Augustinus Ariminense, quod opponebat Maximinus. Ut non tereret tempus in probando concilio Nicæno et in expugnando Ariminensi, compendiosioremque disputationis viam iniret, maluit ab utriusque concilii decretis abstrahere et solis S. Scripturis adversarium urgere.

Inst. 2° : S. Aug., Epist. 162 : « Putemus, inquit, episcopos qui Romæ judicarunt non bonos fuisse judices » : ergo idem quod ante.

Resp. neg. conseq. Non enim ibi loquitur Augustinus de concilio generali, nec de concilio in materia fidei et morum, sed de concilio particulari et in facto particulari, utrum scilicet Cœcilianus episcopus Carthaginensis fuisset traditor. Insuper hoc non dixit S. Augustinus approbando, sed vel ironice exprobrando, ut superius exposuimus, dissert. præced. art. 8, § 2, obj. 2, vel per gratuitam concessionem quasi dixisset : Esto episcopos Romæ non bene judicasse, restabat donatistis appellare ad concilium plenarium, et non ad imperatorem, ut fecerunt.

Inst. 3° : Idem S. Aug. l. 2 contra donat. c. 3, dicit concilia plenaria priora posse emendari a posterioribus : ergo ea non agnoscit infallibilia.

Resp. neg. iterum conseq. in sensu conclusionis; loquitur enim ibi S. Augustinus de conciliis plenariis non in quæstionibus fidei et morum, de quibus procedit conclusio, sed in factis particularibus in quibus fatemur concilia plenaria ex falsis testimoniis errare posse, ideoque a conciliis posterioribus posse emendari, nempe « cum, ut ait ibidem S. Doctor, aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. »

Obj. 2° ex conciliis generalibus quæ dicuntur errasse. Concilium generale, Nicænum I, erravit dum, canone 2, damnavit eos qui ad militiam redibant : ergo.

Resp. concilium non absolute militiam damnasse, sed eos tantum, qui, cum cingulum militiæ deposuissent, quod erat tunc signum conversionis ad fidem, illud resumebant, quod erat signum reversionis ad idololatriam. Vel, ut alii volunt, novis tantum pœnitentiæ publicæ laboribus subjecit eos qui, cum militiam causa pœnitentiæ agendo abdicassent, ad eam sub principibus gentilibus redibant, ut ab inchoatæ pœnitentiæ molestiis se subducerent.

Inst. : Sexta synodus generalis centum duos canones edidit, inter quos multi ut erronei reprobantur : ergo.

Resp. neg. ant. Sexta namque synodus nullum edidit canonem; sed hi canones centum duo sunt concilii quod dicitur Trullanum seu Quini-Sextum. Cum enim nec quinta nec sexta synodus ullum canonem edidissent circa disciplinam et morum reformationem, Justinianus junior, paucis annis post sextam synodum, congregavit ducentos viginti septem episcopos in Trullo, seu sub capula (*le Dôme*) palatii imperialis Constantinopoli, ut in supplementum quintæ et sextæ synodi de disciplina et morum reformatione statuerent : unde dicta est hæc synodus *Quini-Sexta,* et a loco *Trullana.*

Hæc constant ex ipsis orientalibus horum canonum fabricatoribus, qui, in Epist. ad Justinianum imperatorem, dicunt : « Quoniam sanctæ et universales synodi, quinta sub Justiniano Augusto, sexta sub Constantino patre tuo Augusto, de mysterio fidei plenissime disputantes, canones non fecerunt, sicut cæteræ quatuor universales synodi; propterea nos convenientes in hanc imperialem urbem sacros

canones conscripsimus.» Refertur cap. *Quoniam*, dist. 16. Idem habetur in actione 6 synodi septimæ.

Hæc autem synodus Trullana seu Quini-Sexta nunquam fuit ab Ecclesia recepta, nec a summis pontificibus confirmata, ut constat ex venerabili Beda, qui, lib. de Sex Ætatibus ad annum 4649, de Justiniano sic habet : « Hic beatæ memoriæ pontificem Romanæ Ecclesiæ Sergium, quia erraticæ suæ synodo (sic vocabat synodum Trullanam) quam Constantinopoli fecerat favere et subscribere noluisset, misso Zachario protospatario suo, jussit Constantinopolim deportari; sed prævenit militia Ravennatæ urbis.» Et ex Platina, qui, in vita Sergii I et Joannis VII, refert Justinianum non potuisse ab his pontificibus extorquere horum canonum approbationem.

Utrum autem interfuerint huic concilio legati summi pontificis, disputant historici. Affirmant Lupus et Natalis Alexander, quia Basilius, Gortynensis episcopus, huic synodo subscripsit dicens : « Locum tenens synodi S. Romanæ ecclesiæ » ; et Anastasius bibliothecarius, in vita Sergii, dicit : « Hujus pontificis temporibus Justinianus imperator concilium in regia urbe fieri jussit, quo et legati apostolicæ Sedis convenerant et decepti subscripserant. »

Negant Baronius, Cabassutius et alii, quia nunquam unus tantum legatus ad concilium generale fuit a summis pontificibus missus; solus autem Basilius ut legatus subscripsit : unde verisimile existimant quod, sicut fatentibus adversariis aliæ subscriptiones sunt magna ex parte vitiatæ, hæc Basilii sit pariter interpolata. Aliunde, cum isti patres adversus ecclesiam Romanam ausi sint condere canones, non reputant incredibile eos hunc titulum Basilio tribuisse, ut majorem suis decretis fidem conciliarent. Quantum ad Anastasium, respondent per legatos intellexisse vicarios quos summus pontifex habebat in Oriente, quos Justinianus, absque speciali mandato summi pontificis, advocavit ut majorem suo concilio auctoritatem tribueret : unde Platina, in vita Sergii, dicit : « Eadem quoque Sergii apocrysiarius, qui tunc Constantinopoli erat, subscriptione sua stolide nimium confirmavit.»

Quidam opponunt insuper canones apostolicos, inter quos sunt quidam erronei, et arguunt a majori ad minus : Si apostoli erraverunt, a fortiori errare possunt episcopi in concilio. Verum canones, qui dicuntur apostolici, esse apocryphos abunde probavimus in tract. de Jure, digress. I hist. ad dissert. I. Require.

Obj. 3° : Quamvis sit de fide omne concilium generale legitimum esse infallibile, non est tamen de fide hoc concilium generale, puta Nicænum, esse legitimum ; id enim tenemus ex historia humana : ergo non est de fide hoc concilium esse infallibile.

Resp. neg. ant. Est namque de fide quod omne concilium ab Ecclesia acceptatum sit legitimum, quia Ecclesia errare non potest in acceptanda fidei regula; in hac autem propositione universali, continetur ut pars in toto, hæc particularis : Hoc concilium, puta Nicænum, ab Ecclesia acceptatum, est legitimum, sicque est in sua universali revelata. Pro majori intelligentia et explicatione hujus solutionis, vide art. ultimum dissertationis præcedentis.

2° Esto non sit de fide hoc concilium esse legitimum, sed tantum certum consecutione theologica, quia forte non requiritur tanta certitudo ad præambula fidei, quam ad ipsam fidem, ut loco citato diximus; saltem hujus concilii decreta, quæ fide divina credenda proponit Ecclesia omnibus fidelibus, ad fidem pertinent, cum fide certum sit Ecclesiam errare non posse circa res fidei.

Quædam alia argumenta require dissert. prius citata, ubi de infallibilitate Ecclesiæ : et nota quod, sicut probavimus ibidem Ecclesiam esse infallibilem, non solum in quæstionibus fidei et morum, sed etiam in factis dogmaticis et canonisatione sanctorum, idem ex iisdem principiis dicendum sit de concilio generali, quod est Ecclesia repræsentative.

Petes quid sit dicendum de decretis conciliorum provincialium aut nationalium ?

Resp. 1° : Si secundum se spectentur, sunt quidem venerandæ, non tamen infallibilis auctoritatis, quia concilia particularia nullo titulo gaudent privilegio infallibilitatis, et sæpe erraverunt.

2° Si sint a S. Sede confirmata ut dogmata fidei ab omnibus fidelibus fide divina credenda, sunt infallibilis auctoritatis ex ipsa summi pontificis confirmatione.

3° Si, seclusa confirmatione positiva et expressa summi pontificis, pervenerint in communem Ecclesiæ notitiam, et neque summus pontifex neque Ecclesia contradicant, Alphonsus a Castro et Bannes, quos citat et sequitur Sylvius, censent esse infallibilis auctoritatis; quia istud silentium censetur tacita et virtualis approbatio; nam, si hæc decreta omnibus nota essent falsa, nunquam Ecclesia

aut pontifex taceret, sed errori per contraria decreta occurreret: hujusmodi sunt, inquiunt, concilia Toletana, Arelatensia, Hispalensia et quædam alia.

ARTICULUS V.

UTRUM CONCILIUM GENERALE DEBEAT NECESSARIO CONFIRMARI A SUMMO PONTIFICE.

Dico: Confirmatio summi pontificis debet necessario accedere concilio generali, ut sit ratum et firmum.

Prob. 1° ex Julio I, Pelagio II, synodo quarta et septima, quorum textus citavimus, art. 1 hujus dissert., juxta quos nullum concilium est ratum et firmum, nisi auctoritate Romani pontificis fulciatur, media autem confirmatione fulcitur. Item Eugenius IV, in decreto super unione jacobitarum, dicit ecclesiam Romanam recipere synodos, autoritate Romani pontificis « congregatas, celebratas et confirmatas »: ergo.

Prob. 2° ex usu et praxi Ecclesiæ: Omnia concilia generalia hucusque celebrata fuerunt confirmata a summo pontifice, et plura ejus confirmationem petierunt; hoc autem apertum est indicium hanc confirmationem existimatam fuisse necessariam, alioquin ut quid tam accurate, tam constanter data et toties petita?

Prob. ant. Concilium Nicænum, primum generale, petiisse confirmationem a S. Sylvestro habemus ex epistola synodi Romanæ sub Felice papa III, apud Baronium ad annum 484, in qua dicitur « Quod trecenti octodecim patres apud Nicæam congregati, sequentes hanc vocem Domini : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, confirmationem rerum in ea gestarum atque auctoritatem S. Romanæ ecclesiæ detulerunt. »

Concilium generale secundum, Constantinopolitanum I, a Damaso papa in synodo Romana fuisse confirmatum tradit Photius, lib. de septem synodis ad Michaelem imperatorem, ubi post recensitos illustriores concilii patres subdit: « Quibus haud multo post et Damasus episcopus Romæ eadem confirmans atque sentiens accessit.» Constat insuper ex eo quod, cum istud concilium esset tantum ex se nationale, non evasit œcumenicum, nisi ex confirmatione Damasi in concilio Romano. Vide quæ hac de re latius disseruimus tract. de Trinit., digress. IV hist. ad dissert. procem. sect. 1.

Concilium Ephesinum, tertium generale, acta sua misit Cœlestino ab ipso confirmanda; « Quia vero, inquit in Epistola, seu relatione quæ habetur in actis, act. 5, necesse est ut omnia quæ consecuta sunt Sanctitati Tuæ significentur, non potuimus non scribere » ; et infra reservat summo pontifici ultimum judicium contra Nestorium et alios. Tum petit specialiter confirmari consecrationem Maximiani substituti in locum Nestorii, quam approbavit Cœlestinus in epistola ad synodum dota, licet post absolutam synodum scripta. Denique nihil aliud definivit hoc concilium, quam quod prius Cœlestinus definierat atque præscripserat.

Concilium Chalcedonense, generale quartum, petiisse confirmationem a S. Leone constat ex relatione patrum ad ipsum, quæ refertur parte 3, in qua dicunt: « Rogamus et tuis decretis honora nostrum judicium... omnium gestorum vim vobis insinuavimus ad probationem nostræ sinceritatis, et ad eorum quæ a nobis gesta sunt firmitatem et consonantiam. » Quibus respondet S. Leo: « Se per approbationem gestorum synodalium eamdem iniisse sententiam in sola videlicet fidei causa », quia renuit approbare vigesimum octavum canonem, ut alibi vidimus.

Concilium II Constantinopolitanum, generale quintum, fuisse confirmatum a Vigilio et ejus successoribus Pelagio I, II et S. Gregorio, ostendimus dissert. præced., dum de causa trium Capitulorum.

Concilium generale sextum, Constantinopolitanum III, petiit confirmationem in Epistola data ad Agathonem, his verbis : « Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus, quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, Vestram oramus Paternam Sanctitatem. » Obierat Agatho quando hæc epistola Romam pervenit: at illi satisfecit Leo II, ejus successor, rescribens imperatori Pogonato his verbis: « Idcirco et nos et per nostrum officium hæc veneranda Sedes apostolica concorditer ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, et B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem. »

Concilii generalis septimi, Nicæni II, acta Tharasius, patriarcha Constantinopolitanus, misit ad Adrianum I et eorum petiit confirmationem. Adrianus decretum fidei de sacris imaginibus editum act. 7 confirmavit: canones autem viginti duos ab eodem concilio editos non confirmavit, eo quod in eis probaret

omnes canones apostolicos et omnes Trullanos, quos tamen omnes non admittit Ecclesia.

Concilium generale octavum, Constantinopolitanum IV, postulavit confirmationem ab Adriano II, in epistola synodica, his verbis : « Omnium nostrum conventum et universalis hujus atque catholicæ synodi consensum et consonantiam recipiendum prædica : eum magis ac magis veluti proprium et solidius confirma evangelicis præceptionibus et admonitionibus vestris. » Quam confirmationem ab Adriano datam testatur Anastasius bibliothecarius in præfatione ad hanc synodum.

Hæc de conciliis in Oriente celebratis. Quantum ad concilia in Occidente celebrata, cum omnibus, excepto Tridentino, adfuerit personaliter summus pontifex, ibidem ea confirmavit. In Tridentino autem, eo absoluto, quæsitum est an placeret, ut omnium et singulorum, quæ in eo fuerant decreta et definita, peteretur confirmatio nomine s. synodi per S. Sedis legatos a Romano pontifice ? Responderunt omnes : *Placet.*

Prob. 3° : Concilium generale non est ratum et firmum in suis decretis, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam universam : atqui non repræsentat Ecclesiam universam, nisi caput suum Romanum pontificem secum judicantem habeat, nec censetur Romanus pontifex judicare nisi dum concilii decreta confirmat : ergo.

Verum statim occurit difficultas non levis : Concilium generale legitime congregatum, assidentibus et judicantibus cum concilio legatis apostolicis, qui vices Romani pontificis gerunt et ejus nomine præsunt, repræsentat universam Ecclesiam, est enim suo capiti unitum : ergo hoc ipso ejus decreta sunt rata et firma, nec indigent ulteriore confirmatione pontificis.

Ad hujus difficultatis enodationem, observandum est legatos apostolicos mitti ad concilia, aliquando cum instructione summi pontificis circa quæstiones definiendas, quod fieri solet quando pauca sunt definienda; aliquando sine instructione, quod contingit quando plura sunt definienda, ut in concilio Tridentino. Hac observatione præmissa, ad difficultatem propositam

Resp. 1° : Si legati habeant instructionem et eam non sequantur definiendo cum concilio, definitio non est rata et infallibilis; cum enim non agant tunc ut legati pontificis, concilium non est in definiendo suo capiti junctum, nec consequenter repræsentat Ecclesiam.

2° Si vero sequantur adamussim suam instructionem, arbitramur, quidquid dicant aliqui, definitionem concilii esse ratam et infallibilem, quia tunc habet junctum suum caput, nempe summum pontificem, expresse secum consentientem, et sic totam Ecclesiam repræsentat.

Neque dicas hanc pontificis instructionem non esse definitionem ex cathedra, alioquin non essent libera episcoporum suffragia; solam autem definitionem pontificis ex cathedra esse infallibilem. Fateor equidem hanc instructionem, dum datur, non esse definitionem ex cathedra, sed dum illi consentit concilium, et secundum illam formatur decretum, incipit esse definitio ex cathedra, estque sententia definitiva, non concilii tantum, sed etiam pontificis, quam retractare non potest; sic enim mittuntur legati, ut, si concilium instructioni assentiat, formetur decretum; si non assentiat, suspendatur decretum, et interim consulatur pontifex.

Nihilominus et in hoc casu existimamus necessariam esse confirmationem summi pontificis, non ut decreta concilii acquirant infallibilitatem, quam jam habent, sed ut innotescat Ecclesiæ omnia in concilio rite fuisse servata, et juxta instructionem et mentem pontificis decreta fuisse formata, quod aliter certo sciri non potest; cum quandoque legati, præter instructiones publicas, habeant secretas, quas forte non exhibuerunt, aut saltem non exhibere poterant.

3° Si vero adsint legati concilio sine instructione summi pontificis, quidquid definit concilium, etiam iis assentientibus, non est infallibilis auctoritatis, nisi accedat confirmatio summi pontificis, quia pontifex non potest conferre legatis privilegium infallibilitatis; est enim annexum summo pontificatui, seu dignitati capitis et supremi pastoris Ecclesiæ, pro quo solo Christus oravit, ut non deficeret fides; non potest autem papa legatos constituere summos pontifices, et supremos Ecclesiæ pastores. Confir.: Legati cum instructione pontificis possunt ab illa recedere et errare : ergo pariter errare possunt sine instructione.

Verum redit argumentum prius factum : Concilium legitime congregatum, præsidentibus apostolicis legatis, repræsentat universam Ecclesiam : atqui universa Ecclesia errare non potest : ergo.

Resp. dist. ant. Concilium legitime congregatum, præsidentibus legatis, apostolicis repræsentat universam Ecclesiam incomplete et imperfecte, conc.; complete et perfecte, neg.;

nondum enim habetur consensio capitis cum corpore, siquidem legati, quamvis nomine pontificis præsideant, non sint tamen caput et pontifex cum privilegio infallibilitatis, et ipse nondum mentem suam aperuerit circa definita.

Inst. 1°: Hujusmodi concilium est congregatum in Spiritu Sancto, et potest dicere: « Visum est Spiritui Sancto et nobis »: ergo.

Resp. dist. primam partem ant. Est congregatum in Spiritu Sancto quantum ad inchoationem, conc.; quantum ad consummationem, nisi accedat confirmatio pontificis, neg.; sicut enim pontifex dedit auctoritatem ut inchoaretur, sic necesse est ut illud confirmet.

Ad secundam partem ant., potest hoc concilium dicere: «Visum est Spiritui Sancto et nobis », quatenus definit auctoritate pontificis, et confidit definitionem, quam ad illum refert, ab eo esse probandam.

Inst. 2°: Hujusmodi concilium ante pontificis confirmationem sæpe definit sub anathemate; imo quandoque procedit ad executionem, pellendo hæreticos in exilium, eos deponendo et tradendo brachio sæculari, aut aliis pœnis eos afficiendo, ut contigit in concilio Ephesino quod deposuit Nestorium, et in Constantiensi quod Hieronymum de Praga tradidit brachio sæculari, sess. 21, ante electionem Martini V. Ergo.

Resp. ad primam partem ant. Hoc anathema dici a concilio pro eo tempore quo ejus decreta erunt a pontifice confirmata: sicut, dum judex inferior pronuntiat sententiam mortis in reum, intelligitur reum debere subire mortem, si judex superior, ad quem appellatur, confirmet sententiam. Adde sequentia: unde

Ad secundam partem ant., observandum est quædam definiri in conciliis quæ spectant disciplinam tantum, et ea non indigent confirmatione pontificis, quia non requirunt infallibilitatem. Quædam definiuntur et damnantur, quorum instructio prævia data est a summo pontifice, aut quæ jam a prioribus conciliis vel pontificibus sunt damnata, et ab omnibus catholicis damnantur, et hæc pariter sunt rata et infallibilia ante confirmationem pontificis. Quæ autem damnantur de novo sine instructione pontificis, non exigunt quidem, ante confirmationem, fidem, bene tamen obedientiam, ad quam non requiritur infallibilitas, sicut ad assensum fidei: sic sententiæ judicis, aut mandato regis, quamvis fallibili, tenentur parere partes aut cives, et refractarii possunt puniri. Ex his facile colliges quomodo concilium ante confirmationem possit quandoque procedere ad executionem suorum decretorum.

SYNOPSIS HISTORICA

Conciliorum generalium in Ecclesia receptorum.

Octodecim vulgo numerantur: Octo celebrata in Oriente, scilicet Nicænum cui adjungitur Sardicense, Constantinopolitanum I, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinop. II, Constantinop. III, Nicænum II, et Constantinop. IV: decem celebrata in Occidente, scilicet quatuor Lateranensia, duo Lugdunensia, Viennense, Florentinum, Lateranense V et Tridentinum. His quidam addunt Pisanum et Constantiense, de quibus etiam dicemus.

SECTIO I.

De conciliis generalibus in Oriente celebratis.

Concilium Nicænum, generale primum.

Anno 325, cessante persecutione in christianos, concilium generale a tempore apostolorum primum celebratum fuit Nicææ in Bithynia, promovente Constantino Magno, qui vecturas, victum et alia itineri necessaria episcopis ministrari propriis expensis curavit.

Huic concilio præsederunt, nomine S. Sylvestri, ut antea diximus, Osius, Cordubæ in Hispania episcopus, Victor seu Vitus aut Vito et Vincentius ecclesiæ Romanæ presbyteri. Interfuerunt trecenti octodecim patres, inter quos illustriores erant quatuor patriarchæ, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, Macarius Jerosolymorum et alter Alexander Constantinopolis, plures alii sanctitate et notis confessionis fidei illustres. His adjungit Methodius S. Nicolaum, Myræ in Licya episcopum. Adfuit Constantinus Magnus, qui thronum sublimem sibi paratum recusavit, nec nisi rogatus sedere inter patres voluit, et tanquam unus ex illis: iis de quibus disputabatur attente auscultabat, inquit Eusebius I. 3, *de Vita Constantini*, c. 13, rumores sedabat, suum sensum modeste aperiebat, et singulos amice alloquebatur. Libellos Arianorum contra episcopos orthodoxos legere noluit, sed palam combussit, dicendo episcopos a solo Deo esse judicandos, se autem judicio episcoporum in his quæ spectant religionem subesse, et occultanda esse sacerdotum de-

licta, ne sacrum ministerium veniat in contemptum.

Convocationis hujus concilii causa triplex : Prima et præcipua fuit hæresis ariana. Arius, ecclesiæ Alexandrinæ presbyter, dogmatizabat Verbum et Christum simplicem esse creaturam, aliis tamen perfectiorem, et ideo « fuisse quando non erat. » A suo episcopo Alexandrino in duobus conciliis jam prædamnatus, in concilio Nicæno potentem adversarium et expugnatorem habuit S. Athanasium adhuc juvenem ecclesiæ Alexandrinæ diaconum, quem Alexander secum in hunc finem duxerat. Proscripta ergo fuit a concilio Nicæno Arii hæresis et ipse in exilium pulsus est, atque inserta symbolo vox ομουσιον seu *consubstantialis*.

Secunda causa concilii convocandi fuit controversia de tempore celebrandi Paschatis, quam licet Victor papa jam diremisset, et anathema comminatus fuisset contra eos qui contendebant celebrandum esse cum Judæis, 14 luna primi mensis quacumque die occurreret (unde dicti *Quarto-decimani*), hucusque tamen nondum habebantur ab Ecclesia alieni : decrevit ergo sacra synodus Pascha celebrandum esse dominica post lunam decimam-quartam primi mensis, scilicet martii, incidentem in æquinoxium vernum, vel ipsum proxime sequentem.

Tertia causa convocationis concilii fuit schisma Meletii : Meletius, Lycopolis in Ægypto episcopus, idolis sacrificaverat, et a S. Petro Alexandrino patriarcha suo exauctoratus, schisma fecerat. Hunc denuo exauctoravit concilium.

Insuper canones aliquos circa disciplinam edidit, viginti vulgo circumferuntur : an non fuerint plures controvertitur inter auctores, de quo vide Cabassutium, *Notit. Ecclesiast.*, *Diatriba* ad concilium Nicænum, pagina mihi 119 et sequentibus.

Hæresis ariana Nicææ damnata, sed non extincta, recruduit agentibus episcopis arianis, qui, metu damnationis et imperatoris, fidei Nicænæ fraudulenter subscripserant. Hi igitur in hunc finem Athanasium præcipuum consubstantialitatis defensorem, a quo superati fuerant in concilio, et qui loco Alexandri mortui sedem Alexandrinam conscenderat, variis calumniis impetiverunt, atque in concilio Tyrensi damnarunt : ita ut Constantinus Magnus eorum artibus circumventus eum in exilium amandaverit.

Mortuo Constantino, Athanasius se purgavit apud Julium papam, sed ariani auctoritate Constantii insignis arianismi fautoris freti, non destiterunt in Athanasium furere, donec Constans ejus frater, totius Occidentis, post mortem Constantini alterius fratris, imperator, et Nicænæ fidei defensor, a Constantio fratre, tum precibus cum minis, obtinuit ut amborum consensu concilium Sardicæ celebraretur.

Anno itaque 347, celebratum est Sardicæ concilium generale trecentorum episcoporum, octoginta episcopis arianis secedentibus Philippim in Thracia, quod viderent se impares episcopis orthodoxis.

Concilium Sardicense confirmavit fidem Nicænam et Athanasium insontem declaravit, ipsumque et alios ab arianis ejectos suis sedibus restituit. Et quia hoc concilium nullum novum decretum fidei edidit, sed Nicæna decreta tantum confirmavit et eorum defensores vindicavit, inter concilia generalia non tenet locum distinctum a Nicæno, et sub Nicæni nomine venit, atque ejus canones, quos viginti unum condidit, tanquam Nicæni citantur, saltem in ecclesia Romana, ut jam alibi observavi.

Ariani vero Philippi congregati, non solum in Athanasium et Osium, sed etiam in Julium papam insolenter dixerunt. Et ut incautos deciperent, suam pseudo synodum Philippensem, Sardicensem appellarunt : unde donatistæ, quibus ariani se junxerant, suppressa vera synodo Sardicensi, Synodum Philippensem sub nomine Sardicensis per totam Africam promulgarunt; ita ut S. Aug. l. 3 contra Crescon. c. 34 et alibi, nullam aliam synodum Sardicensem agnoscat quam arianorum.

De Ario et arianismo latius vide tractatum de Trinitate, dissert. proœm. art. 1.

Concilium Constantinopolitanum I, generale secundum.

Anno 381, Kalendis maii, imperantibus Theodosi seniore, Gratiano et Valentiniano, inchoatum est concilium Constantinopolitanum primum; fuit centum quinquaginta episcoporum imperii Orientis, quibus sub initium aderant tringinta episcopi parte macedoniarum, sed statim discessere.

Hujus concilii convocandi causa præcipua fuit ut fide Nicæna tot pseudo synodis et formulis arianis labefactata firmaretur, et hæreses Macedonii atque Appollinaris damnarentur.

Macedonius, primum ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus, postea episcopus, stabat e

partibus semi arianorum, qui rejicientes ομουσιον, id est consubstantialem, admittebant ομοιουσιον, id est similem in substantia; anno 360, novam aliam hæresim commentus est, dicens Spiritum Sanctum non esse ejusdem cum Patre et Filio substantiæ ac honoris participem, sed utriusque ministrum ac creaturam. Vide tract. de Trinitate, dissert. proœm. art. 1.

Appollinaris, patria Laodicenus, filius alterius Appollinaris presbyteri, qui contra Porphyrium multa pro religione scripsit, dogma hæreticum, quod senior Appollinaris tentaverat, promovit circa annum 367, nempe Christum corpus quidem sumpsisse ex Maria virgine, sed sine anima; postea errorem suum emolliens, dixit sumpsisse etiam animam, sed quæ mente careret, Verbumque fuisse illi loco mentis. Tandem mutata adhuc priori sententia, dixit carnem non de Virgine, sed de cœlo assumpsisse. Vide proœmium tractatus de Incarnatione.

Altera causa congregandæ synodi fuit ut de legitimo episcopo Constantinopolitano statueretur adversus Maximum Cynicum ab Ægyptiis episcopis illegitime intrusum contra S. Gregorium Nazianzenum, communi consensu ad sedem assumptum.

Concilium itaque 1° damnat hæreticos cum suis erroribus, anomæos scilicet seu puros arianos, confirmando symbolum Nicænum; appollinaristas, addendo symbolo, *Conceptus de Spiritu Sancto ex Maria virgine;* Macedonianos, addendo de Spiritu Sancto, *Deum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per prophetas.*

Quantum ad alterum caput, legitimam declaravit electionem S. Gregorii, eamque confirmavit; sed cum factio Maximi novos tumultus cieret, instaretque contra validitatem electionis S. Gregorii, eo quod ex aliis sedibus Sasimorum scilicet et Nazianzi, in sedem Constantinopolitanam contra canones translatus fuisset, S. præsul sponte cessit episcopatui, illud memorabile proferens ; « Si vobis ullo modo causa dissidii sum, Jonam prophetam integritate vitæ non supero, projicite me in mare, et tumultuum tempestate agitari desinetis. » Nihil tamen obtinuit Maximus, sed in locum S. Gregorii suffectus est Nectarius adhuc catechumenus.

Quomodo istud concilium evasit generale et œcumenicum ubertim explicuimus digress. IV hist., ad dissert. proœm. de Trinit., sect. 1. Vide diligenter, non enim vacat hic repetere.

Quosdam etiam canones edidit hæc synodus: quidam numerant septem, alii tres tantum. Hos, præsertim secundum aut tertium, quo primus locus post Romanum pontificem conceditur episcopo Constantinopolitano, non admisit ecclesia Romana, nisi diu post in concilio Lateranensi sub Innocentio III, eumdemque improbavit S. Leo in concilio Chalcedonensi. Nec obstat quod in sequentibus conciliis episcopus Constantinopolitanus secundum locum obtinuerit, non reclamantibus legatis apostolicis ; id enim factum est ex quadam legatorum dissimulatione et suprema imperatorum potestate.

Concilium Ephesinum, generale tertium.

Anno 431, Cœlestini octavo, Theodosii junioris vigesimo quarto, celebratum fuit Ephesi concilium generale contra Nestorium. Omnia quæ illud et errores Nestorii spectant, habes digress. 1. hist. ad dissert. 4 de Incarnatione, per quinque sectiones : illic require.

Concilium Chalcedonense, generale quartum.

Anno 451, celebratum est hoc concilium Chalcedone sub S. Leone et Marciano imperatore contra Eutychem. Omnia etiam quæ hanc synodum et errores atque fautores Eutychis spectant, habes ad longum digress. 2 hist. ad dictam dissert. 4 de Incarnatione, per quinque sectiones : vide.

Concilium Constantinopolitanum II, generale quintum.

Hoc concilium celebratum fuit, anno 553, sub Vigilio papa et Justiniano imperatore in causa trium Capitulorum et origenistarum. Adfuerunt centum sexaginta episcopi. Quæ spectant hoc concilium, quoad tria Capitula, late exposita sunt dissert. 3 hujus tractatus, art. 7, §. 4 : illuc recurre.

Quantum ad origenistas, Origenes a suo episcopo Demetrio Alexandrino propter varios errores damnatus, negavit esse suos, sed a quedam æmulo suis operibus esse insertos. Præcipui errant circa divinitatem Verbi divini et Spiritus Sancti, de qua minus recte sentire videbatur ; circa pœnas damnatorum, quas aliquando finiendas dicebat ; circa formam resurrectionis corporum, quæ in figura rotunda resurrectura docebat ; circa astrorum et cælorum naturam quæ anima intellectiva esse præ

dita dicebat, etc. Hæc autem falsa dogmata disseminabant quidam monachi Novæ Lauræ, seu S. Sabæ in Palestina, quos cum suis erroribus confixit hoc concilium.

Concilium Constantinopolitanum III, generale sextum.

Hoc concilium auctoritate Agathonis papæ convocatum, promovente et ministerialiter concurrente piissimo imperatore Constantino Pogonato contra monothelitas, celebratum fuit anno 680, in secretario palatii imperialis quod *Trullum* vocant, cui adfuerunt centum sexaginta sex episcopi. Omnia quæ ad illud et monothelitas pertinent, abunde exposuimus digress hist. ad dissert. 18 de Incarnat., per quinque sectiones : illuc lectorem remitto.

Concilium Nicænum II, generale septimum.

Fuit celebratum hoc concilium, anno 787, sub Adriano I et Constantino cum matre Irene imperante, contra iconoclastas. Hujus concilii et iconoclastarum historiam habes descriptam in tractatu de Incarnatione dissert. 23, art. 3. Vide.

Concilium Constantinopolitanum IV, generale octavum.

Sanctus Ignatius, Michaelis Curopalatis filius, quem Leo Armenus eunuchum et monachum fieri jusserat, ope Theodoræ Augustæ, alterius Michaelis imperatoris matris, sedem Constantinopolitanam conscenderat. Barda, Theodoræ frater, in Ignatium exacerbatus, quod ipsum ob stupri consuetudinem cum propria nuru ab Ecclesiæ communione separasset, suadet Michaeli ut Theodoram matrem in monasterio includat, et Ignatio præcipiat ut illi etiam inviræ religionis velum imponat ; quod cum recusaret Ignatius, in exilium pulsus est, et ejus loco substitutus Photius, homo laicus, qui per Gregorium Syracusanum, a S. Ignatio ob facinora depositum, intra sex dies fuit ordinatus. Vir erat Photius acerrimi ingenii et humaniorum litterarum peritissimus, sed summæ malitiæ et ambitionis. Et hæc est prima origo schismatis Græcorum, quod, licet aliquoties interruptum, hodie tamen adhuc perseverat.

Nicolaus I Ignatii depositionem in concilio Romano irritavit, legatosque Rodoaldum et Zachariam Constantinop. misit, qui ipsum suæ sedi restituerent et iconomachos redivivos comprimerent.

At Photius, congregata synodo, Ignatium præsentem dignitate nudavit, et variis tormentis vexatum ac fere semi mortuum, uno ex ministris apprehendente ejus manum, crucem in charta facere coegit, qua significaret se suæ depositioni consentire. Huic pseudo synodo legati, molestiis a Photio illatis victi, ignave subscripserunt. Hæc autem, ubi rescivit Nicolaus, irritavit, et legatos atque Photium anathemati subjecit, sed et ipse Photius, coacto conciliabulo, summum pontificem vicissim excommunicare attentavit.

Michaeli successit Basilius qui, ut tot malis occurreret, petiit ab Adriano II, qui Nicolao defuncto successerat, concilium generale. Libenter annuit summus pontifex et misit legatos Donatum Ostiensem, Stephanum Nepesinum et Marinum diaconum, qui concilio Constantinopoli celebrando suo nomine præsiderent.

Anno itaque 869, quinta octobris inchoata est hæc synodus præsidentibus dictis legatis et præsente Basilio cum centum duobus episcopis : ii qui a S. Ignatio fuerant consecrati et cum Photio communicaverant, veniam petentes, post brevem pœnitentiam ad consessum admissi sunt. Photius comparere coactus, de variis criminibus accusatus et interrogatus respondere renuens, anathemate confixus est, cujus damnationi patres synodici, ut refert Nicetas David, auctor coævus, *in vita S. Ignatii*, calamo intincto, non atramento tantum, sed etiam sanguine Christi in atramentum infuso, subscripsere. Iterum insuper damnati sunt iconoclastæ, et editis quibusdam canonibus, absoluta est synodus pridie Kal. martii 870.

Mortuo post aliquot anno S. Ignatio, Photius ope Basilii imperatoris fretus, petiit a Joanne VIII in sedem Constantinopolitanam restitui, misso Romam cum litteris imperatoris Santabareno insigni impostore, cujus artibus circumventus pontifex, restitutioni, seu potius promotioni Photii in sedem Constantinopolitanam nimia facilitate consensit, missis etiam in hunc finem legatis Constantinopolim. At Photius, falsificatis litteris apostolicis, et legatis blanditiis et muneribus corruptis, pseudo synodum, quasi ex consensu Joannis, congregavit, quam œcumenicam appellavit, in eaque omnia acta præcedentis synodi œcunemicæ contra ipsum a Nicolao I et Adriano II confirmata irritavit, atque anathemate confixit eos, qui particulam *Filioque* Symbolo addiderant aut adderent. Joannes se delusum sentiens, ambonem conscendit et anathema in Photium solemniter pronuntiavit, sed tardius : ex tunc

enim formatum est schisma Græcorum, quod hucusque penitus extingui non potuit.

SECTIO II.

De conciliis generalibus in Occidente celebratis.

Ecclesia Græca per schisma Photianum a latina divisa, nulla amplius in Oriente celebrata sunt concilia generalia; sed plura, eaque numerosissima in Occidente, quæ sequuntur.

Concilium Lateranense I, generale nonum.

Causa convocandi hoc concilium fuit grave dissidium inter summos pontifices et imperatores ac Germaniæ reges circa investituras. Investitura autem in eo sita erat quod rex seu imperator consentiret electioni alicujus ad episcopatum vel abbatiam, et concederet electo per baculum et annulum possessionem et usum bonorum ecclesiasticorum; sine quo electus privabatur istis bonis et electio manebat irrita.

Ortum habuit in imperatoribus et regibus iste usus ex eo quod multa bona, etiam feuda regalia, ecclesiis contulissent, sub ea conditione omnibus feudis communi, quod electi episcopi vel abbates horum possessionem non adirent, nisi eam a donatoribus vel eorum successoribus aliquo ritu exteriori accepissent, præstito prius juramento fidelitatis.

Id potuit esse ab initio inculpatum, sed in graves postea degeneravit abusus : hinc enim effectum est ut reges et imperatores investituram non ad sola feuda regalia, sed ad omnia bona ecclesiastica extenderent, et, libertate electionum sublata, episcopatus et abbatias, quibus vellent, etiam indignis, mediante pretio, simoniace conferrent. Adde quod traditione baculi et annuli, quæ sunt insignia pastoralia, præbebatur multis occasio credendi non solum feudorum possessionem, sed etiam jurisdictionem spiritualem ab imperatoribus et regibus conferri.

Huic malo conati sunt occurrere plures pontifices, præsertim Gregorius VII, antea dictus Hildebrandus monachus Cluniacensis, et Calixtus II, antea Guido episcopus Viennensis. Iis obstiterunt duo imperatores seu Germaniæ reges, Henricus III et IV, juxta Italos; juxta Germanos autem IV et V; duobusque legitimis pontificibus duos opposuerunt pseudo pontifices: Gregorio Guibertum Ravennæ episcopum, Calixto Burdinum Bracharensem archiepiscopum. Henricum IV anathemate confixit Gregorius, Henricum V Calixtus, qui, et comparato exercitu, Henrico V occurrit: at, instante prælio, inter deputatos ex utroque exercitu, Deo sic speciali gratia disponente, conventum est quod Henricus, missis ad pontificem legatis, pacem, propositis quibusdam conditionibus, peteret, quæ concilio generali firmaretur.

Annuit pontifex, et concilium generale Romæ in ecclesia Lateranensi celebrandum convocavit, quo, anno 1123, convenerunt, juxta Sugerium S. Dionysii abbatem, qui aderat, trecenti et amplius episcopi, non numeratis abbatibus et aliis clericis.

Conditiones itaque pacis, de quibus jam conventum erat Viceburgi inter deputatos utriusque exercitus, atque in hoc concilio firmatæ, sunt sequentes : imperator dimittit omnem investituram per baculum et annulum, et concedit in omnibus ecclesiis fieri electionem et liberam consecrationem, atque bona ecclesiis ablata ab initio hujus discordiæ restituere promittit. Pontifex vero concedit imperatori electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni in præsentia sua fieri absque simonia et violentia, ut, si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum et auxilium præbeat : electus autem regalia per sceptrum ab ipso recipiat; ex aliis vero partibus imperii, consecratus infra sex menses regalia per sceptrum ab ipso recipiat.

In hoc concilio sunt etiam conditi canones, juxta vulgatam conciliorum editionem viginti duo, licet alii pauciores numerent. Hi canones spectant disciplinam et sacras expeditiones promovendas in Oriente et in Hispania, contra christiani nominis hostes, renovatis indulgentiis ab Urbano II concessis crucigeratis, seu iis qui, cruce in vestibus super scapulas assuta, opem christianis contra Saracenos militando ferrent.

Concilium Lateranense II, generale decimum.

Hoc concilium ab Innocentio II convocatum et celebratum, anno 1139 : 1° occasione schismatis Petri Leonis; 2° contra errores petrobrusianorum et Arnaldi Brixiensis; 3° pro restauranda disciplina ecclesiastica.

Circa primam causam : imminente obitu Honorii II, convenerant cardinales, ut statim post ejus mortem in ecclesia S. Marci successorem eligerent: at metuentes ne, si mors pon-

tificis divulgaretur, factiones et tumultus, ut in his occasionibus fieri solet, excitarentur, præsertim tunc commovente Arnaldo Brixiensi monacho seditiosissimo, ad S. Marcum accedere ausi sunt, sed non statim, majori numero congregati, elegerunt Innocentium II, cujus vita et fama, ætas et scientia digna summo pontificatu habebantur, inquit abbas Bonævallis, lib. 2 *de Vita S. Bernardi*, cap. 1. Alii vero numero pauciores, apud S. Marcum congregati, elegerunt Petrum *Leonis* cognominatum, qui Anacletus II dictus est: hic fretus parentum, affinium et amicorum potentia et opibus, quas templorum direptione auxit, prævaluit in urbe adversus Innocentium, qui ideo discedere et in Galliam se recipere coactus est: illum ut verum pontificem magnificentissime excepit Ludovicus sextus cognomento *Crassus:* illi pariter adhæserunt plura alia regna, agente potissimum per litteras S. Bernardo; et collectis apud Gallos copiosis pecuniis subsidiariis, atque Lotharii imperatoris exercitu adjutus, Romam rediit, schismaticos repressit, ita ut tandem, mortuo Petro Leone, et Victore ejus successore dignitati cedente ac misericordiam implorante, pax Ecclesiæ sit reddita. Ad hujus ergo pacis confirmationem et ad mala ex præterito schismate orta removenda, hoc concilium celebratum est, in quo acta Leonis fuerunt rescissa et ejus ordinationes declaratæ irritæ; quod intelligendum est quoad locum honoris et exercitium functionum, non quoad substantiam et characterem ordinis, ut explicatum est in tractatu de Ordine, dissert. 3, art. 2.

Errores Petri de Bruis, a quo petrobrusiani, confixit concilium; hos autem refert Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis, epistola ad archiepiscopos Arelatensem et Ebredunensem: 1° negabat baptismum prodesse parvulis; 2° dicebat templa non esse necessaria christianis ad orandum, nulla debere extrui, extructa debere destrui; 3° cruces frangi præcipiebat; 4° veritatem sacrificii missæ negabat; 5° sacrificia, orationes, eleemosynas pro defunctis deridebat, easque nihil defunctis prodesse affirmabat.

Arnaldus Brixiensis, Petri Abelardi discipulus, pariter in eodem concilio damnatus, ut facilius imponeret Brixiæ et Romæ, assumpto monastico habitu, suos errores disseminabat. De baptismo parvulorum et de Eucharistia cum Petro de Bruis sentiebat; regiminis ecclesiastici auctoritatem ad laicos revocabat, episcopis, clericis et monachis omnem bonorum proprietatem et possessionem abrogabat, eis ea bona esse adimenda prædicabat.

Canones etiam in hoc concilio sunt editi qui ut plurimum spectant disciplinam; numerantur triginta, quorum decimus quintus celebris in jure sic habet: « Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur et ejus mandatum suscipiat. Præcipimus etiam ut in eos qui ad ecclesiam vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat; quod si fecerit, excommunicetur.»

Concilium Lateranense III, generale undecimum.

Adriano III vita functo, septemdecim cardinales elegerunt in ejus successorem Rolandum ecclesiæ Romanæ cancellarium, qui dictus est Alexander III; duo vero aut tres tantum cardinales elegerunt Octavianum Romanum qui dici voluit Victor IV: hujus partes suscepit Fredericus imperator, et per viginti duos annos bellum in Italia gessit adversus Alexandrum III; sed tandem victus et a majori parte suorum desertus se ad pedes Alexandri projecit et excommunicationis absolutionem petiit, quam obtinuit.

Alexander itaque ut in posterum contra hujusmodi schismata de opportuno remedio provideret, hoc concilium generale convocavit anno 1179, cui adfuerunt trecenti episcopi, inter quos erant quidam Orientales. Quapropter canone I decretum est ut nemo deinceps pro legitimo pontifice haberetur, nisi a duabus partibus cardinalium esset electus.

Damnati sunt in eo concilio waldenses sic dicti a Petro Waldo, cive Lugdunensi, eorum auctore; vocati sunt etiam pauperes de Lugduno a loco in quo secta nata est; item insabbatati, sive quia in calceo quem Hispani zapato vocant, signum speciale ad modum scuti deferebant, sive quia nulla sabbata seu festivos dies celebrabant: in odium sectæ, a catholicis appellati sunt *turlupini, poplicani, ribaldi, piphles.*

Eorum errores recensere longum foret, erat enim hæc hæresis colluvies seu quasi collectio omnium errorum hujus sæculi: hos fuse exponit Natalis Alexander, *Hist. Ecclesiast.* sæcul. 11 et 12, cap. 4, a. 13, ex Reinero qui inter hos hæreticos fuerat episcopus.

Plures alios canones edidit hoc concilium

pro resarcienda disciplina circa simoniam, usuram, polygamiam, fastum et avaritiam clericorum : numerantur viginti septem.

Concilium Lateranense IV, generale duodecimum

Hoc concilium vulgo diciur magnum Lateranense, ab Innocentio III celebratum, anno 1215. Huic præsedit Innocentius, adfuerunt duo patriarchæ Contantinopolitanus et Jerosolymitanus; Antiochenus et Alexandrinus impediti, primus infirmitate, secundus Saracenorum tyrannide, per procuratores ; primates et metropolitani septuaginta septem ; episcopi quadringenti duodecim : abbates et priores octingenti et amplius, absentium prælatorum et capitulorum procuratores innumeri , imperatorum Orientis et Occidentis, regum Galliæ, Hungariæ, Jerosolymorum, Cypri et Aragoniæ oratores.

In hoc concilio decreta est expeditio in Terram Sanctam, concessæ indulgentiæ cruce signatis; hi liberantur ab omnibus oneribus publicis et sub apostolicæ Sedis potestate et protectione suscipiuntur ; præscribitur episcopis et aliis clericis sub pœna excommunicationis ut per triennium vigesimam partem suorum proventuum in subsidium Terræ Sanctæ conferant; se quoque pontifex cum cardinalibus ad decimæ collationem adstringit, et insuper triginta millia librarum in eumdem finem contulit.

In eodem concilio damnati sunt albigenses. 1° Novi manichæi duo prima principia admittebant, bonum invisibilium, malum visibilium creatorem ; 2° sacramenta abrogabant ; 3° resurrectionem carnis negabant; 4° purgatorium et orationes pro defunctis irridebant ; 5° ab umbilico et inferius neminem posse peccare affirmabant ; 6° sacrarum imaginum venerationem idololatriam esse et campanas tubas dæmonum dicebant ; 7° B. Mariam Dei genitricem, horribile effatu , meretricem inclamabant ; 8° injuste ablata non esse restituenda, bona opera non prodesse et mala non obesse prædicabant. Hæc et plura alia falsa et impia quæ fuse describit Natalis Alexander, *Hist. Ecclesiast.*, sæc. 13, cap. 3, § 2, passim disseminabant. In his debellandis et convertendis plus omnibus laboravit SS. P. Dominicus, utque non deessent catholicæ fidei propugnatores adversus hos et alios futuros hæreticos, FF. Prædicatorum ordinem instituit.

Item proscriptus est error abbatis Joachim, qui dicebat in Trinitate tres personas non esse unam essentiam numero, sed collective tantum, sicut plures homines sunt unus populus: non tamen fuit damnatus ut hæreticus, quia non fuit pertinax.

Item summus pontifex in eodem concilio indulsit sedi Constantinopolitanæ locum post Romanam, de quo in pluribus conciliis actum fuerat, sed nunquam concessum.

Plures insuper canones maxime circa disciplinam (numerantur septuaginta) condidit, inter quos est celebris canon *Omnis utriusque sexus* , de quo diximus in tract. de Pœnitentia.

Huic concilio adfuisse S. Dominicum plures testantur , et Innocentio III aperuisse mentem suam de ordine FF. Prædicatorum instituendo, quem probavit pontifex, ea de re prius in somnis cœlesti visione monitus.

Concilium Lugdunense I, generale decimum tertium.

Fredericum II, Henrici IV imperatoris filium, a primis annis, parentibus orbatum, sub sua tutela susceperat Innocentius III, ipsique non solum regnum maternum Siciliæ et Apuliæ servaverat, sed etiam aditum ad imperium fecerat, depulso in ejus gratiam Othone IV. At ingratus princeps sui juris factus, tot beneficiorum immemor, in ipsos Romanos pontifices Innocentium III, Gregorium IX et Innocentium IV hostiliter insurrexit, Romam obsidione cinxit, terras Ecclesiæ invasit, fœdus cum Saracenis inivit, Italiam cædibus et incendiis depopulavit, excitata factione *Gibellinorum* ipsi faventium contra *Guelfos* summo pontifici adhærentes ; pacem initam inter Ecclesiam et imperium juramento firmatam pluries violavit, cardinales et alios prælatos euntes ad concilium, quod Gregorius IX convocaverat, capi jussit et incarcerari ; de hæresi vehementibus argumentis erat suspectus ; regnum Siciliæ, quod ab apostolica Sede in feudum tenebat, in servitutem redegit, atque Romanam ecclesiam hostiliter impugnare coegit.

Propter hæc et alia crimina de quibus accusabatur, Innocentius III, tum Gregorius IX ipsum anathemate confixerant : at horum successor Innocentius IV conditiones pacis ipsi proposuit, quas superbus princeps cum contemptu rejecit. Hinc persensit Innocentius sibi tutum non esse Romæ remanere : quapropter ex Italia cum quibusdam cardinalibus clam recessit et Lugdunum in Gallia se recepit, ubi,

ut tot malis occurreret, concilium, de quo agimus, celebravit, anno 1245, regnante S. Ludovico in Gallia. Huic concilio adfuerunt centum quadraginta episcopi, inter quos tres patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus et Aquileiensis; item adfuit Balduinus II, imperator Constantinopolitanus, qui sedebat a dextris pontificis, alii principes a sinistris.

Fredericus personaliter citatus ad concilium comparere noluit, sed misit legatos qui ejus causam defenderent; præcipuus erat Thadæus, vir subtilis et eruditus, qui nihil non tentavit ut accusationes contra Fredericum dilueret: sed, hoc non obstante, lata est in ipsum sententia, qua imperio et regno Siciliæ et Apuliæ privabatur, facta libertate iis ad quos in imperio spectat electio successorem eligendi. Electus est Henricus Thuringiæ et Hassiæ langravius, cui post biennium defuncto successit Willelmus, Hollandiæ comes. Fredericus autem victus a Longobardis qui in ipsum rebellaverant, fugit in Apuliam, ubi a Manfredo proprio filio, sed illegitimo, pulvinari ejus ori admoto, suffocatus est anno a concilio quinto.

Plura insuper circa disciplinæ ecclesiasticæ restaurationem sancita sunt decreta, quæ referuntur in 6 Decretalium. Item renovata est expeditio in Terram Sanctam, cujus dux S. Ludovicus fuit institutus: cardinales novo privilegio adaucti, eo in concilio pileo rubro donati sunt.

Concilium Lugdunense II, generale decimum-quartum.

Mortuo Clemente IV, sedes Romana vacavit ferme per biennium. Cardinales inter se dissentientes in S. Bonaventuram tunc ordinis Minorum ministrum generalem tandem compromiserunt, qui, omissis cardinalibus, designavit Thibaldum archidiaconum Leodiensem, tunc in Syria occasione belli sacri versantem.

Hic, assumpto nomine Gregorii X, animum et curas statim intendit, 1° ut subsidia militiæ sacræ necessaria non deessent; 2° ut Græci ad communionem Sedis apostolicæ revocarentur; 3° ut mores fidelium, maxime clericorum, reformarentur et media adhiberentur, ne deinceps sedes Romana tandiu vacaret. His de causis concilium generale Lugduni intra biennium celebrandum indixit, directis tum litteris, tum nuntiis ad episcopos et principes Orientis et Occidentis.

Anno itaque 1274, celebratum est Lugduni concilium generale cui ipse Gregorius X præsedit. Præter duos patriarchas Constantinopolitanum et Antiochenum, plures abbates et generales ordinum, adfuerunt quingenti circiter episcopi, Michaelis Paleologi Græcorum imperatoris legati, Jacobus rex Aragoniæ, et plurium principum oratores.

Quantum ad id quod dicunt Sixtus IV in bulla canonisationis S. Bonaventuræ, et Sixtus V in diplomate quo illum Ecclesiæ doctoribus aggregavit, S. doctorem concilio præfuisse, intelligendum est de directione concilii, quatenus a pontifice illi commissum erat ea quæ proponenda et decernenda erant providere; præsente enim summo pontifice nullus alius præsidere potest. Advocatus etiam fuerat ad hoc concilium Doctor Angelicus, sed in via apud monachos Fossæ Novæ fato cessit.

Sessione tertia, præsentibus imperatoris Græcorum legatis, concurrentibus unanimi voto patriarchis Orientalibus et omnibus episcopis, concordia utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ inita et firmata est. Summus pontifex solemniter missam celebravit, in qua Symbolum fidei fuit decantatum, repetito pluries Græce et latine, *Filioque procedit*, quod hucusque fuerat præcipuum pacis obstaculum, de quo sat diximus in tract. de Trinitate, disser. 5, a. 4 et 7. Tum sess. 4, lectis litteris imperatoris Michaelis et episcoporum Græcorum in quibus Romani pontificis primatum agnoscebant, legati obedientiam ipsi exhibuerunt, et eamdem fidem professi sunt.

Decimæ ex proventibus ecclesiasticis in subsidium Terræ Sanctæ denuo institutæ sunt, forma a cardinalibus observanda in electione summi pontificis constituta, ut nempe in conclavi includerentur, interdicta quacumque cum extraneis communicatione sive per litteras, sive per nuncios, et præmissa irritatione cujuscumque pactionis, promissionis aut juramenti circa futuram electionem. Denique varia decreta sancita sunt circa morum reformationem, quæ referuntur in 6 Decretal.

Petes utrum jus eligendi Romanum pontificem semper fuerit penes cardinales?

Resp. negative: Primis enim sæculis, Romanus episcopus non secus ac alii episcopi eligebatur, præsente plebe, a comprovincialibus episcopis, aut a clero, saltem majori parte, ut constat ex S. Cypriano, Epist. 41, 52 et 68, et ex C. 4 et 6 concilii Nicæni.

Postea occasione schismatum interponi cœpit auctoritas imperatorum in electione ponti-

ficum : ita ut successu temporis usurpaverint jus eligendi pontificem, aut ejus electionem sic probandi, ut sine eorum approbatione pro pontifice non haberetur. Hanc usurpationem nunquam agnovit, aut probavit Ecclesia : unde Baronius et Morinus, in Historia potestatis Rom. pontificis, bene probant esse fictitium concilium Romanum, in quo Sigebertus Gemblacensis, qui partibus Henrici IV addictus erat, dicit hoc jus concessum fuisse imperatoribus ; consequenter expungendos esse canones *Hadrianus* et *In synodo*, dist. 63, quos Gratianus, nimia facilitate, ex Sigeberto exscripsit.

Carolus Magnus liberas pontificum electiones Romanis reliquit, sed Otho I istud jus iterum sibi asseruit, et in successoribus perduravit usque ad Henricum IV, a quo Paschalis II et Gregorius VII ecclesiæ Romanæ revindicarunt.

Quandonam præcise istud jus solis cardinalibus reservatum fuerit, incertum est. Eo jam fruebantur ineunte sæculo XI, quo florebat S. Petrus Damianus et ipse cardinalis, qui lib. 1, Epist. 20, sic scribit : « Romanæ ecclesiæ cardinales Romanum pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis, non modo quorumlibet episcoporum, sed etiam patriarcharum, atque primatum jura transcendunt : salvo quippe universalis Ecclesiæ sacramento, ipsi sunt oculi unius lapidis, ipsi lucernæ unius candelabri. »

Concilium Viennense, generale decimum quintum.

Religiosi milites, templarii dicti, eo quod circa templum Jerosolymitanum habitarent, quamvis etiam toto orbe essent diffusi, juxta suum institutum, christianæ ditionis fines defendere, et christianos ad loca sancta peregrinantes a latrociniis et infidelium vexationibus tutari tenebantur, idque initio laudabiliter præstiterunt. Sed excrescentibus divitiis in varia crimina lapsi sunt : initi fœderis cum Saracenis et Turcis, horrendarum blasphemiarum in Christum crucifixum in suis arcanis cœtibus, et nefandæ inter se libidinis palam infamantur.

Rem hanc gravissimam quæ universum ordinem et plures nobilitate et potentia ejus professoribus consanguineos, affines et addictos spectabat, nonnisi concilii generalis sententia definiendam existimavit Clemens V : ipsum etiam ad convocationem concilii movebant errores fratricellorum, begardorum et beguinarum, tunc grassantes, subsidium Terræ Sanctæ conferendum, et disciplinæ ecclesiasticæ restauratio.

His ergo de causis, quas ipse pontifex in bulla *Regnans in cœlis* exprimit, indixit concilium generale celebrandum Viennæ ad Rhodanum, cui ipse præsedit et adfuerunt plusquam trecenti episcopi.

Ibi sententia concilii extinctus est ordo templariorum, omnibus eorum bonis concessis hospitalariis S. Joannis militibus. Non defuerunt qui apologiam templariorum susceperint; sed magis standum est concilii plenarii judicio. Adde quod sententia in ordinem non fuerit definitiva, sed per modum provisionis, nec dicat omnes esse horum criminum reos, sed quod, cum omnes de iis infamarentur, ordo sit factus inutilis, ideoque abrogandus.

Item damnati sunt fratricelli seu dulcinistæ, sic dicti a Dulcino suo duce qui pellicem a se imprægnatam dicebat concepisse ex Spiritu sancto : hi insuper promiscuos concubitus in suis conventiculis exercebant, et visionem beatificam ultra ultimum judicium differri dicebant.

Similiter damnati sunt begardi et beguinæ, fratricellorum cognati vel propago; a quo sic dicti incertum est. Dogmatizabant hominem in hac vita ad summam perfectionem posse assurgere, et tunc nullis adstringi legibus humanis, sive civilibus, sive ecclesiasticis; item hominem in hac vita posse frui visione beatifica, ad quam non requireretur lumen gloriæ; item actus carnales ad quos inclinat natura non esse peccatum, consequenter coïtum cum muliere culpa vacare, osculum autem mulieris esse peccatum mortale.

Damnati sunt pariter errores Petri Joannis, qui dicebat animam rationalem, qua rationalis est, non esse formam corporis humani, gratiam et virtutes in Baptismo non infundi, et latus Christi adhuc viventis fuisse lancea perforatum, contra expressum S. Joannis testimonium.

Subsidium Terræ Sanctæ, ut in præcedentibus conciliis, ex decimis proventuum ecclesiasticorum statutum est. Plura sancita decreta circa restaurationem disciplinæ ecclesiasticæ quæ continentur in *Clementinis :* ac tandem explicata regula S. Francisci, ut videre est Clementina *Exivi* de verborum significationibus.

Concilium Pisanum, generale decimum sextum [1].

Mortuo Perusii Benedicto XI, ex ordine FF. Prædicatorum assumpto, cardinales ibidem congregati, anno 1305, elegerunt Bertrandum de Goust Gallum, archiepiscopum Burdigalensem, qui cardinales Lugdunum convocavit, ubi coronatus est, assumpto nomine Clementis V. Avenione sedem fixit, ubi permansit plusquam septuaginta annis, usque ad Gregorium XI, qui hortatu potissimum S. Catharinæ Senensis Romam rediit, et ibidem obiit anno 1378. Romani, veriti ne futurus papa in Galliam rediret, clamaverunt tumultuose et minando se velle papam Italum et non alium; quorum minis territi cardinales elegerunt Bartholomæum Prignani, archiepiscopum Bariensem, absentem, nec cardinalem, dictum Urbanum VI, qui, cum severiori agendi ratione et verbis et factis cardinales sibi infensos reddidisset, hi sub prætextu vitandi caloris æstivi, Agnaniam primum, deinde Fundos se contulerunt, ubi congregati electionem Urbani VI, tanquam metu extortam, irritam declaraverunt, et Robertum Genevensem, episcopum Cameracensem et cardinalem, renuntiarunt pontificem, qui dictus est Clemens VII.

Et hæc est origo luctuosi schismatis quod quadraginta et amplius annis Ecclesiam laceravit : moriente enim alterutrius factionis pontifice, cardinales qui illi adhæserant alterum eligebant, quousque tandem anno 1409, cardinales utriusque obedientiæ cum centum octoginta episcopis, tribus patriarchis Alexandrino, Antiocheno et Jerololymitano, pluribus abbatibus, generalibus ordinum, doctoribus et principum legatis, Pisis congregati, citatis et monitis Gregorio XII, Urbani VI successore, et Benedicto XIII, Clementis VII successore, non comparentibus, in eos tanquam schismaticos, schismatis fautores, collusionis et violatæ fidei reos, sententiam depositionis protulerunt, et pontificatu privatos declararunt. Tum cardinales numero viginti quatuor conclave ingressi Petrum Philargi Cretensem, humili loco natum, sed meritissimum ex ordine FF. Minorum, archiepiscopum Mediolanensem, assumpserunt in pontificem, qui dictus est Alexander V. Verum nec inde fuit extinctum schisma, quin potius auctum, duobus enim pontificibus in retinendo pontificatu pertinacibus adjunctus est tertius.

Quidam hoc concilium a numero generalium rejiciunt; quia non fuit auctoritate pontificis convocatum; sed videtur quod in casu schismatis, quando est dubius pontifex, Ecclesia habeat jus convocandi concilium, si non ad ultimate definiendas res fidei, saltem ad sibi providendum de certo capite, ut factum est in sequenti concilio Constantiensi, alioquin Christus non satis providisset necessitati et securitati suæ Ecclesiæ.

[1] Concilium Pisanum, sicut et Constantiense, non numeratur inter œcumenica.

Concilium Constantiense, generale decimum septimum.

Cum tres de summo pontificatu contenderent, Balthasar Cossa sub nomine Joannis XXIII qui Alexandro V successerat, Angelus de Corario sub nomine Gregorii XII et Petrus de Luna sub nomine Benedicti XIII, dirumque schisma magis ac magis Ecclesiam dilaceraret, Sigismundus Romanorum imperator et Hungariæ rex non satis laudandus, ardenti religionis zelo, nullis laboribus pepercit, ut illud extingueret. Non solum legatos circumquaque ad principes misit, sed ipse Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, Hispaniam in hunc finem peragravit, quousque tandem a Joanne XXIII obtinuit litteras indicentes concilium generale Constantiæ, cum propriæ dimissionis promissione.

Anno itaque 1413, indictum est a Joanne XXIII concilium generale Constantiæ et, anno sequenti 5 novembris inchoatum, absolutum fuit post quatuor annos, scilicet anno 1418, 22 aprilis.

Sub initium illi præfuit Joannes XXIII, et sess. 2 solemni juramento promisit se pontificatui cessurum, quoties alii duo contendentes cedere vellent. At non multo post ipsum promissi pœnituit; clam enim nocte Constantia aufugit Schafusiam sub ditione Frederici Austriæ ducis, qui ipsi favebat.

Post hujus fugæ perquisitiones et legationes ac citationes missas ad eumdem Joannem, institui cœpit processus criminalis contra ipsum, in quo de variis criminibus accusatus et convictus, ac etiam confessus, se jurisdictioni concilii submisit, dixitque nihil habere quo se defenderet. Unde concilium in eum tulit sententiam, qua fidei juramento promissæ violator et plurium enormium criminum in processu relatorum convictus et confessus, privatur pontificatu, nunquam eligendus et sub custodia Sigismundi imperatoris, quamdiu concilio placuerit, detinendus.

Sessione 14, advenerunt delegati et procuratores Gregorii XII, inter quos præcipui erant

Joannes de Malatesta, princeps Arimini, et Joannes Dominicus, cardinalis de Ragusino. Hi, nomine et auctoritate Gregorii XII, concilium solemniter convocarunt et confirmarunt, postea cessionem ejusdem Gregorii pontificatui, prius datam Sigismundo, concilio tradiderunt.

Sessione 37, celebrata 26 julii, præside Joanne cardinali Ostiensi, ut in omnibus anterioribus sessionibus a recessu Joannis XXIII, post plures citationes et processus, definitiva tandem sententia exauctorationis lata est a concilio contra Petrum de Luna, dictum in sua obedientia Benedictum XIII, tanquam perjurum, universalis Ecclesiæ scandalizatorem, fautorem inveterati schismatis, schismaticum et hæreticum, hujus articuli fidei, *Unam sanctam Ecclesiam catholicam*, violatorem pertinacem, etc.

Sessione 40, decretum est, pro hac vice tantum, ut pontifex eligeretur a cardinalibus et sex prælatis ex qualibet natione, Itala, Gallicana, Germanica, Anglica et Hispanica assumptis; et qui a duabus partibus cardinalium simul a duabus partibus adjunctorum ex qualibet natione esset electus, foret verus pontifex.

Sessione 41, cardinales numero viginti et electores nationum triginta intraverunt conclave, et tertia post die 11 novembris elegerunt Othonem Columna, nobilem Romanum, cardinalem diaconum S. Georgii ad velum aureum, qui, in honorem S. Martini, cujus festum ea die celebrabatur, voluit nominari Martinus V, et die dominica 21 novembris in ecclesia Constantiensi solemni ritu coronatus est.

Sessione 45 et ultima, rogatus pontifex ut acta concilii confirmaret, respondit ore proprio, « Se omnia et singula concilii in materia fidei conciliariter decreta tenere et inviolabiliter observare velle, et non aliter, nec alio modo » : quod per advocatum concilii postea iterari jussit. Materiam autem fidei diximus, dissert. præcedenti, principaliter spectare condemnationem hæresum Joannis Wicleffi, Joannis Hus et Hieronymi de Praga, quorum duo ultimi (obierat Wicleff) traditi sunt brachio sæculari et combusti tanquam pertinaces in hæresi. Nec ideo violata est fides salvi conductus ipsis dati : enim vero concilium non dederat salvum conductum Joanni Hus, sed imperator a quo non poterat ligari concilii auctoritas, præsertim contra justitiam et fidem. Dederat quidem concilium salvum conductum Hieronymo de Praga, sed adjecta hac clausula, *justitia semper salva :* exigebat autem justitia ut in hæreticos pertinaces animadverteret. De quo plura Natalis Alexander in hist. sæcul. 14, dissert. 7.

Hoc itaque concilio et electione Martini V pax reddita est Ecclesiæ, quamvis nondum penitus extinctum esset schisma; nam Petrus de Luna umbratilem pontificatum pertinaciter retinuit usque ad mortem, et jussit moriens, ut duo cardinales ipsi adhuc adhærentes, ipso mortuo, alterum pontificem eligerent : elegerunt autem Ægidium Munio, canonicum Barcinonensem, qui non nisi reluctans et ex jussu Alphonsi, Aragonum regis, Martino V infensi, hanc fictitiam dignitatem acceptavit, cui, inita pace inter pontificem et regem, lubens cessit anno decimo post concilium Constantiense, et sic penitus extinctum fuit schisma, quod quinquaginta annis duravit.

Concilium Basileense omitto, quia, licet initio fuerit legitimum, degeneravit tamen in apertum conciliabulum et conventum schismaticum; nec quidquam in eo a summis pontificibus probatum est, quam quædam gesta circa censuras et causas beneficiales, ut dissert. præcedenti ostendimus.

Concilium Florentinum, generale decimum octavum.

Cum patres Basileenses in schismate contra Eugenium IV pertinaciter hærerent, nec Græci vellent Basileam convenire propter distantiam et itineris difficultates, Eugenius, juxta horum votum et consensum, conventum Basileensem transtulit Ferrariam, seu potius concilium generale indixit Ferrariæ, quod deinde, propter pestem ea in urbe grassantem, post plures sessiones translatum fuit Florentiam, unde dictum Florentinum.

Anno itaque 1438, mense januario inchoatum fuit hoc concilium Ferrariæ. Adfuerunt ex Latinis centum quinquaginta episcopi, quorum plures Basilea recesserant. Primæ sessioni præfuit Nicolaus Albergatus, cardinalis S. Crucis, ex ordine Carthusianorum, cæteris Eugenius IV. Mense februario sequenti advenit Joannes Paleologus Græcorum imperator, cum fratre suo Demetrio, Josepho patriarcha Constantinopolitano, legatis aliorum patriarcharum et plurimis Orientis episcopis, qui ab Eugenio, et cæteris patribus, primoribusque civitatis honorificentissime excepti sunt.

Actum est de quinque capitibus inter utramque Ecclesiam controversis, nempe 1° de processione Spiritus Sancti a Filio; 2° de additione hujus particulæ *Filioque,* facta Symbolo; 3° de

pane azymo vel fermentato in Eucharistia; 4° de purgatorio; 5° de primatu Romani pontificis. Sex ex Latinis, totidem ex Græcis selecti sunt qui circa illa publice disputarent: ex Latinis designati sunt duo cardinales, unus archiepiscopus, unus episcopus, et duo theologi, quorum unus erat noster Joannes de Monte Nigro, provincialis Lombardiæ, communiter dictus Joannes theologus, qui, in pluribus sessionibus cum Marco Ephesino congressus, ipsum non semel mutum reddidit. Ex parte Græcorum nominati sunt ipse Marcus Ephesinus, vir doctus, sed obstinatissimæ mentis, alter metropolita, Bessarion episcopus Nicænus, et alii tres; præcipuus inter eos fuit Bessarion, postea creatus cardinalis ab Eugenio IV.

Post plures itaque disputationes, tandem convenerunt Græci, excepto uno Marco Ephesino, de articulis propositis ad sensum Romanæ ecclesiæ, scilicet Spiritum a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedere, merito additum fuisse Symbolo *Filioque*, in pane azymo vel fermentato posse valide Eucharistiam confici, quemlibet tamen ritum suæ ecclesiæ debere servare, dari purgatorium in quo animæ, quibus aliquid expiandum restat, detinentur; addiderunt tamen; « Sed in eo, sive ignis sit, sive caligo, aut turbo, sive quid aliud non contendimus »; denique pontificem Romanum esse Christi vicarium, caput totius Ecclesiæ, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino plenam potestatem traditam esse.

Hæc quinque capita sic definita expresse continentur in celebri decreto *Unionis* a concilio edito, quod incipit *Lætentur Cœli*. Verum hæc pax tam solemniter inita et firmata non diu stetit; Marcus Ephesinus enim in patriam redux, cum apud suos auctoritate polleret, plures in suas partes retraxit; nulla tamen hucusque facta est publica definitio contraria Florentinæ: unde error Græcorum, qui a nobis dissident, debet dici error personalis, non totius ecclesiæ Græcæ.

Consummata utriusque Ecclesiæ unione, antequam discederent Græci, advenerunt deputati a patriarcha Armenorum, qui etiam pacem et unionem cum ecclesia Romana petebant: hi autem eutychianismo erant infecti, seu, juxta aliquos, unam tantum in Christo naturam admittebant, sine tamen confusione et admixtione; circa quædam alia fidei capita errabant: postquam igitur sufficienter fuerunt instructi, Eugenius, sacro approbante concilio, dedit eis litteras unionis continentes compendio doctrinam catholicam, et quæ dicuntur decretum Armenorum, quod incipit *Exultate Deo*.

Volunt quidam hoc decretum non habere auctoritatem decreti concilii generalis, sed nationalis tantum, quia discesserant Græci quando fuit editum.

Verumtamen Eugenius in eo dicit datum « sacro approbante concilio. » Item dicit se ipsis tradere « decretum unionis cum Græcis consummatæ, pridem *in hoc sacro œcumenico Florentino concilio* promulgatum, cujus tenor talis est: *Eugenius, etc., Lætentur Cœli, etc.* » Item istud decretum subscribitur: « Datum Florentiæ in publica sessione synodali solemniter in ecclesia majori celebrata. » Item in decreto unionis jacobitarum, etiam edito post discessum Græcorum et quod incipit, *Cantate Domino,* dicit idem Eugenius: « Hanc quæ sequitur, veram necessariamque doctrinam, hodie in hac solemni sessione, sacro approbante *œcumenico concilio Florentino* in nomine Domini tradidimus. » Item, cum in concilio Tridentino, anno 1547, februarii 26, episcopus Clodiensis excitasset difficultatem de bulla unionis jacobitarum, quasi non pertineret ad concilium Florentinum, quod dicebat absolutum, quando consignata fuit bulla unionis Græcorum, cardinalis de Monte reposuit « hallucinaturos qui putant finem concilii Florentini fuisse unionem Græcorum, cum longe post, per tres scilicet fere annos perduraverit, videlicet ad annum Domini 1442, quo anno, sexto Kalendas maii, celebrata sessione, Romam translatum fuit: patere id ex diversis constitutionibus medio illo tempore editis, quæ in actis concilii habentur. » Ita legitur tom. I actorum concilii Tridentini, sub Paulo III, quæ in arce Sancti Angeli asservantur, ut refert Horatius Justinianus, 3 p. actorum concilii Florentini.

Ad rationem oppositam respondetur Græcos fuisse ad hoc concilium convocatos, et potuisse, si voluissent, usque ad finem remanere, quod sufficit ad œcumenicitatem concilii, si adsint plures ex majori parte provinciarum aliarum cum summo pontifice. Insuper Armenorum legati mentem suam Græcis aperuerant antequam discederent; Græci patribus commiserant vices concilium continuandi et Armenos instruendi ac recipiendi; adeoque decretum, pro illorum instructione editum, auctoritatem concilii Florentini, quo approbante factum est, sibi merito vindicat.

Sed esto non esse decretum concilii generalis, est saltem decretum concilii nationalis circa fidem catholicam a summo pontifice solemniter confirmatum, proinde irrefragabilis auctoritatis.

Petes utrum synodus Florentina, etiam ante discessum Græcorum, fuerit certo et indubitate œcumenica, talisque semper habita fuerit in universa Ecclesia?

Resp. affirmative : Quia omnis synodus ex episcopis Orientis et Occidentis congregata, Romano pontifice per se vel per suos legatos præsidente, est et semper fuit habita œcumenica; talis autem fuit synodus Florentina : ergo.

Dices : Synodus Florentina absque legitima auctoritate fuit congregata, nimirum contra prohibitionem concilii Basileensis, quod sessione 8 et 11, quando erat adhuc legitimum, sancivit nullum aliud concilium, stante Basileensi, celebrari posse, et hoc Basileense a nemine « etiamsi papalis dignitatis transferri posse, absque expresso consensu duarum partium cujuslibet deputationis » : ergo.

Resp. 1° hæc decreta concilii Basileensis non fuisse confirmata ab Eugenio IV, ut sat superque ostendimus dissert. præced. 2° Summus pontifex, in his quæ non spectant fidem, potest temperare et interpretari decreta conciliorum generalium, ubi subsunt justæ causæ, ut etiam declarat ipsa synodus Basileensis, sess. 12; hic autem aderat justa causa, quia Græci nolebant ire Basileam. Insuper ista translatio facta est de consensu majoris et sanioris partis concilii Basileensis, quæ cum legato apostolico cardinali S. Juliani et cardinali S. Petri ad vincula, Basilea Ferrariam transmigravit.

Inst.: Cardinalis a Lotharingia, in epist. data in concilio Tridentino ad Joannem Britonem, suum in curia Romana procuratorem, ut excusaret aliquo modo apud summum pontificem ardorem quo obstiterat sessioni 23, ne in præfigendis titulis Romani pontificis adhiberentur termini quos usurpaverat concilium Florentinum, dicit : « Ego negare non possum quin Gallus sim et Parisiensis academiæ alumnus, in qua pontificem subesse concilio tenetur, et qui docent ibi contrarium tanquam hæretici notantur. Apud Gallos, Constantiense concilium in omnibus suis partibus generale habetur; Basileense in auctoritate admittitur; Florentinum perinde legitimum et generale non reputatur. Atque idcirco Galli de vita potiusquam de sententia decederent. »

Respondet doctissimus Serry ipse doctor Parisiensis, Opusculo de Romano pontifice, p. 231, his verbis : « Næ tu, quæso, nimia simplicitate bonus, qui exaggeratis illis Lotharingi verbis illud tibi facile pateris? Certe quanquam negari non possit academiam Parisiensem, aut certe doctorum illius partem plurimam, ab avita doctrina, de Romanorum pontificum supra concilia, etiam œcumenica, præstantia atque auctoritate, deflexisse, jam tum a concilii Constantiensis et Basileensis temporibus, et in oppositam sententiam propendisse magis; falsum tamen est theologos illos Parisienses sententiam, quam tunc primum amplexi sunt, uti fidei caput habuisse, a quo quicumque deflecterent *tanquam hæretici notarentur*. Falsum perinde est, imo falsissimum, concilium Florentinum pro legitimo et generali in Galliis non haberi. Unde et hanc ipsam cardinalis Lotharingi hallucinationem nervose confutat, falsique convincit Natalis Alexander, dissert. 10, in Hist. Ecclesiast., sæc. 15 et 16, a. 1, n. 6, quanquam sit iste hac in parte Romanis pontificibus parum propitius, quos conciliis œcumenicis subjicit. Quare, aut ea quæ jactatur cardinalis a Lotharingia ad Joannem Britonem procuratorem suum epistola, supposititia est ac plane fictitia, aut de nimio excessu, in exaggeranda amplificandaque Parisiensis academiæ sententia, convincitur vir, alias omni laude dignissimus. Ecquis enim auxesim illam amplificationemque non rideat, *Gallos de vita potiusquam de sententia, quæ Romanos pontifices conciliis subjicit, decessuros.* »

Concilium Lateranense V, generale decimum nonum.

Novem cardinales a Julio II animo alieni, adfaventibus Maximiliano imperatore et Ludovico XII, rege Galliæ eidem pontifici pariter infensis, anno 1511, conciliabulum Pisis congregaverunt, quod postea Mediolanum, deinde Lugdunum transtulerunt. Julius ut horum conatus sisteret, generale concilium convocavit Romæ celebrandum, quod sæpius interruptum, duravit quinquennio, utpote inchoatum anno 1512 et absolutum anno 1517. Huic adfuerunt quindecim cardinales, patriarchæ Alexandrinus et Antiochenus, et episcopi, juxta quosdam septuaginta septem, juxta alios centum quatuordecim. Relicto concilio Pisano, huic adhæsit Ludovicus XII, misso ad illud oratore.

Sessione 2, damnantur conciliabuli Pisani acta; sessione 3, decernuntur pœnæ in cardinales schismaticos conciliabuli auctores; ses-

sione 4, Pragmatica Sanctio, jam a Ludovico XI, Pio II suadente, abrogata, proscribitur.

Post quintam sessionem moritur Julius II, cui succedit Leo X, qui reliquis sessionibus præsedit; sessione 7, duo cardinales schismatici ad pedes pontificis in simplici habitu clericali provoluti, abjurato schismate et concilio Pisano, pristinæ dignitati restituuntur; sessione 8, definitur animam rationalem esse immortalem; sessione 10, montes pietatis declarantur justi et liciti: sessione 11, approbatur concordatum Pragmaticæ Sanctioni subrogatum, initum Bononiæ, durante concilio, inter Leonem X et Franciscum I, Ludovici XII successorem; sess. 12, decernuntur ad triennium decimæ ex omnibus proventibus ecclesiasticis pro expeditione Terræ Sanctæ, et concilium dirimitur.

Petes quid sit famosa illa Sanctio Pragmatica? Quid concordatum?

Resp. quod hæc Pragmatica Sanctio sit constitutio edita a Carolo VII, an. 1438, in conventu Bituricensi, continens viginti tres articulos conformes decretis concilii Basileensis, quorum præcipui sunt, quod electiones episcoporum, abbatum et abbatissarum, fierent more antiquo a capitulis ex licentia et assensu regis; quod annatæ non solverentur curiæ Romanæ; quod Romanus pontifex subjiceretur concilio generali, etc.

Hac ergo Sanctione et a Ludovico XI et a concilio Lateranensi, pluribus licet Gallis reclamantibus, abrogata, Leo X et Franciscus I Bononiæ concordatum inierunt quo nominationes ad episcopatus et abbatias, quæ non vacarent in curia Romana, pertinerent ad regem, modo fierent intra sex menses a vacantia; confirmatio autem pertineret ad Romanum pontificem. Plures alios articulos continet, partim conformes, partim difformes Sanctioni Pragmaticæ; sed de annatis solvendis curiæ Romanæ, et de subjectione pontificis concilio generali, nihil.

Concilium Tridentinum, generale vigesimum et ultimum.

Ut erroribus Lutheri in Germania, Zwinglii in Helvetia, Calvini in Gallia, Ecclesiam Dei misere vexantibus, innumerisque prope malis inde scaturientibus, atque morum tam cleri quam populi relaxationi obviaretur, necessarium visum est concilium generale congregari.

Illud indixit Tridenti Paulus III, anno 1542, et inchoatum fuit anno subsequenti 1545, decima tertia decembris; duravit octodecim annis, ad annum scilicet 1563, sub tribus pontificibus Paulo III, Julio III et Pio IV, bis interruptum, semel occasione pestis Tridenti grassantis, secundo propter ingruentia bella.

In prima sessione sub Paulo III aderant tantum, cum duobus legatis pontificis concilii præsidentibus, quatuor archiepiscopi et viginti duo episcopi; sed alii postmodum successive advenerunt, ita ut, sub Pio IV, adfuerint fere trecenti tam cardinales quam patriarchæ, archiepiscopi et episcopi; item plures abbates et generales ordinum, theologi ex omni natione pene innumeri, oratores Cæsaris, regum Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ et aliorum principum ac rerumpublicarum sexdecim. Inter episcopos numerantur viginti sex Galli, Illyrici tres, Græci sex.

Sub Paulo III habitæ sunt decem sessiones; sub Julio III, sex; sub Pio IV, novem; in summa viginti quinque. In ultima, quæ sancita fuerant sub Paulo et Julio approbata sunt, et omnia ad petitionem patrum confirmavit Pius IV bulla data septimo Kalendas februarii anno 1564. Acta hujus concilii fusius et distinctius non refero, quia, ubique publici juris facta, omnium manibus teruntur.

Petes utrum concilium Tridentinum quantum ad disciplinam sit receptum in Gallia? Dico *quantum ad disciplinam*; quia quantum ad decreta fidei in Gallia, sicut in universa Ecclesia, summo et venerabundo consensu esse receptum nemo ambigit.

Ad petitionem, resp. verbis duorum insignium inter Gallos scriptorum, Joannis Cabassutii et Joannis Pontas.

Cabassutius, *Notitia Ecclesiastica*, sæculi 16, pag. mihi 599, de concilio Tridentino hæc habet: « Postremo edictum confirmationis sacrosancti concilii, publicatum Romæ septimo Kalendas februarii anno 1564, universus clerus Gallicanus in provincialibus, quæ passim tota Gallia postea coacta sunt, conciliis, atque in generalibus sacri cleri comitiis, sacrosanctæ hujus synodi decreta ita complexus est, ut nefas sit ei refragari. »

Pontas, verbo *Bénéficier*, casu 27, sic loquitur Gallice: « Le Concile de Trente a été reçu unanimement par l'assemblée générale du clergé de l'église Gallicane convoquée et tenue à Paris en l'année 1615, ainsi qu'on le voit par les pièces contenues dans les mémoires du clergé: *Après une longue et mûre délibération*, disent les prélats assemblés, *du commun et unanime consentement de l'assemblée, la*

résolution suivante y a été faite : les cardinaux, archevêques, évêques, prélats et autres ecclésiastiques soussignés, représentant le clergé général de France, assemblés par la permission du roi au couvent des Augustins à Paris, après avoir mûrement délibéré sur la publication du concile de Trente, ont unanimement reconnu et déclaré, reconnaissent et déclarent, qu'ils sont obligés par leur devoir et conscience à recevoir, comme de fait ils ont reçu et reçoivent ledit concile, et promettent de l'observer autant qu'ils peuvent par leur fonction et autorité spirituelle et pastorale. »

Quæ sic latine reddunur : « Concilium Tridentinum unanimiter fuit receptum a conventu generali cleri ecclesiæ Gallicanæ, convocato et congregato Parisiis anno 1615, prout constat ex actis contentis in commentariis cleri. *Post maturam et longam deliberationem*, inquiunt præsules congregati, *communi et unanimi consensu cœtus, decretum sequens in eo fuit editum : cardinales, archiepiscopi, episcopi, prælati et alii ecclesiastici subscripti, repræsentantes clerum generalem Galliæ, congregati cum licentia regis in conventu Augustinianorum Parisiis, post maturam deliberationem super publicationem concilii Tridentini, unanimiter agnoverunt et declaraverunt, agnoscunt et declarant, se teneri ex officio et conscientia recipere, sicut de facto receperunt et recipiunt præfatum concilium, promittuntque illud observare quantum possunt vi sui officii et auctoritatis spiritualis ac pastoralis.*»

Huic decreto subscripserunt quinquaginta unus tam cardinales quam archiepiscopi et episcopi, quorum nomina refert laudatus Pontas ibidem, et viginti octo alii ecclesiastici deputati.

Alias digressiones historicas præsenti tractatui non inseruimus, quia totus ferme est historicus.

TRACTATUS DE SPE

DISSERTATIO UNICA.

D. Th. à Q. 17. ad 22.

ARTICULUS I.

QUID SIT SPES?

Spes, generaliter sumpta, est *Motus appetitivæ partis in bonum futurum arduum, seu difficile, possibile tamen adeptu.* [1]

Dicitur *bonum*, quia, [2] licet antiqui quandoque dixerint spem esse etiam malorum, hæc tamen acceptio est valde impropria; non enim proprie loquendo est spes nisi de bono, et per hoc spes differt a timore qui est de malo. Dicitur *futurum*, quia non est spes de præsenti jam habito, et per hoc differt spes a gaudio. Dicitur *arduum*, id est difficile adeptu; non enim aliquis dicitur sperare quid minimum, quod statim est in sua potestate ut habeatur; et per hoc differt spes a cupiditate vel desiderio, quod est de bono futuro simpliciter: unde desiderium pertinet ad appetitum concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Dicitur *possibile adeptu;* nemo enim sperat id quod adipisci omnino non potest, et secundum hoc spes differt a desperatione.

Spes vero theologica definiri potest *Habitus animi divinitus infusus, per quem certa cum fiducia æternæ vitæ bona auxilio divino obtinenda expectamus.* De ea quærimus in hoc articulo 1° an sit virtus? 2° an sit virtus theologica? 3° an sit virtus distincta ab aliis virtutibus theologicis? Potest considerari cum charitate, et dicitur spes formata, vel sine charitate, et dicitur spes informis, sicut supra dictum est de fide.

[1] 2. 2. q. 40. a. 2. o. [2] Ibid. a. 1. o.

Dico 1°: Spes [1] christiana, etiam informis, est virtus, imperfecta tamen.

Prob. prima pars [2]: Sperare Deum ejus auxilio possidendum est actus bonus, ad quem, cum sit supernaturalis, voluntas ex se non est determinata et proportionata: ergo debet in eo poni virtus qua ad illum determinetur et proportionetur, eumque prompte et facile eliciat; non nisi enim in hos fines ponuntur in potentiis habitus virtutum. Prob. ant. Sperare Deum ejus auxilio possidendum est actus conformis legi æternæ, tum quia de illo datur præceptum: *Spera in Deo et ipse faciet*, Psal. 36; tum quia illo sanctificamur et salvamur: *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se*, 1 Joan. 3, et: *Spe salvi facti sumus*, Rom. 8. Ergo.

Confir. 1°: Spei christianæ, etiam informi, convenit definitio virtutis; est enim bona qualitas menti a Deo infusa, qua bene vivitur, et nemo male utitur, ut principio: ergo.

Confir. 2°: Apost. 1 Cor. 12, spem annumerat fidei et charitati quæ sunt virtutes: item omnes theologi agnoscunt tres virtutes theologicas, fidem, spem et charitatem: ergo.

Patet secunda pars: Quia spes sine charitate non facit hominem simpliciter bonum, licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, vitam scilicet æternam; ideoque non habet statum et modum perfectæ virtutis, sicut ante diximus de fide informi.

Dices contra primam partem: 1° Virtus, juxta philosophum, est dispositio perfecti: atqui spes non est dispositio perfecti, cum perans careat

[1] Hic q. 17. a. 1. o. [2] Ibid.

bono et perfectione quam sperat: ergo. 2° Præsumptio est sperare beatitudinem sine charitate. 3° Virtus versatur circa difficile, non est autem difficile sperare. 4° Sic se habet spes ad bonum sicut timor ad malum: atqui timor non est virtus : ergo.

Resp. ad primum, quod, [1] quamvis ille qui sperat sit imperfectus secundum considerationem ad id quod sperat obtinere, quod nondum habet, est tamen perfectus quantum ad hoc quod attingit regulam propriam, scilicet Deum cujus auxilio nititur: unde dist. maj. Virtus est dispositio perfecti in omni genere, neg., alioquin una tantum esset virtus; in certo genere et materia, conc. Sic autem spes est dispositio perfecti, quia perficit voluntatem in suo proprio ordine et propria materia, ut scilicet recte feratur, innixa divino auxilio, in æternam beatitudinem adipiscendam.

Ad secundum, dist. ant. Præsumptio est sperare beatitudinem obtinendam sine charitate, conc., nec sic sperat qui est extra charitatem ; præsumptio est sperare sine charitate beatitudinem obtinendam per charitatem, neg. Et sic sperat peccator; sperat enim, saltem tacite, consequi remissionem peccatorum, et ita charitatem obtinere, atque per eam vitam consequi æternam.

Ad tertium, neg. min. Norunt enim qui tentationibus desperationis concutiuntur, quam sit difficile sperare. Aliunde, etsi esset facile simpliciter sperare, est tamen difficile sperare eo modo quo oportet.

Ad quartum, neg. ant. Spes enim importat actionem qua insurgimus contra difficultates, et accedimus ad Deum ; timor autem importat recessum et cessationem ab actione; ubi enim est solus timor sine ulla spe, homo non agit, sed succumbit : porro ad agendum requiritur virtus , non ad non agendum. Præterea neg min. universaliter sumptam ; datur enim timor qui est donum Spiritus Sancti et potest dici virtus.

Dico 2° : Spes [2] est virtus theologica a fide et charitate distincta.

Prob. prima pars: Illa virtus [3] est theologica, cujus objectum immediatum est Deus : atqui objectum immediatum virtutis spei est Deus possidendus , ut constabit ex art. sequenti ; ergo.

Prob. secunda pars : Virtutes [4] distinguuntur penes objecta formalia : atqui objectum formale spei distinguitur ab objecto formali fidei et charitatis ; objectum enim formale fidei est Deus ut verus, charitatis Deus, ut in se bonus ; spei Deus , ut nobis bonus : ergo.

Confir. : Ubi non est distinctio [1], ibi non est numerus : atqui spes ab omnibus passim annumeratur aliis virtutibus theologicis, Apost. 1 Cor. 13 : *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc,* etc. S. Gregorius, lib. 2 *Moral.* 28, dicit esse tres virtutes, fidem, spem et charitatem : et sic alii passim : ergo.

[1] Ibidem ad 3. [2] Ibid. a. 5 et 6. o. [3] Ibid. a. 5. o. [4] Ibid. a. 6. o

ARTICULUS II.

QUODNAM SIT OBJECTUM SPEI?

Præmitto quod jam observavi de fide et alibi, triplex distingui objectum potentiæ aut habitus: materiale et formale, formale duplex, formale *quod* et formale *quo*. Objectum materiale est id omne quod attingitur a potentia et habitu : formale quod est id quod in objecto materiali principaliter et ratione sui attingitur , cætera ratione illius: formale quo est motivum, et ratio propter quam, et sub qua objectum materiale attingitur: exemplum poni solet in potentia visiva : ejus objectum materiale et extensivum est omne corpus coloratum lucidum ; objectum formale quod, seu, ut dicunt, attributionis, est color; objectum formale quo, lux. Difficultas est de objecto formali quod et formali quo spei.

§ I.

Quodnam sit objectum formale quod spei?

Suppono 1° objectum materiale adæquatum et extensivum spei esse æternam beatitudinem, et omnia ad illam conducentia ; quia hæc omnia cadunt sub objecto quo, seu sub ratione formali spei, quæ est omnipotentia auxilians, ut dicam § seq.

Suppono 2° inter hæc omnia beatitudinem esse objectum primarium et principale, quod dicitur formale quod ; quia est id quod principaliter primo per se et ratione sui speratur, cætera autem ratione illius : unde sub diverso respectu est objectum materiale et formale : ut res sperata determinanda a motivo sperandi est objectum materiale sicut cætera ; ut res principaliter et ratione sui sperata, et ratio propter quam alia sperantur, est objectum formale quod ; seu, si mavis, materiale primarium

[1] Ibid. in a. s. c.

cætera materiale secundarium. Et hæc constant inter theologos ; sed difficultas est, quæ beatitudo sit objectum formale quod spei, an formalis, an objectiva ? Beatitudo objectiva est ipse Deus, formalis est possessio Dei seu visio beatifica qua possidetur, ut explicatum est in tractatu de Beatitudine.

Dico : Objectum formale[1] quod spei non est beatitudo formalis, sed objectiva, connotans tamen beatitudinem formalem, seu visionem beatificam.

Prob. 1° : Spes [2], ut dicam § seq., innititur omnipotentiæ divinæ auxilianti, cujus virtus est infinita : atqui virtuti infinitæ debet respondere effectus infinitus, effectus enim proportionatur causæ : ergo bonum, ad quod omnipotentia auxilians tanquam ad sibi proprium et proportionatum perducit, est infinitum ; subsumo : atqui beatitudo objectiva et non formalis est bonum infinitum : ergo. Bene advertit Joannes a S. Th. Auctorem non dixisse proprium virtutis infinitæ esse perducere ad effectum infinitum receptum in creatura, quia creatura non est capax effectus infiniti in se recepti, sed perducere ad bonum infinitum quod est communicabile modo finito.

Prob. 2° : Objectum formale quod et immediatum spei debet esse aliquid pure divinum et increatum, ut patet in fide et charitate, et quia alioquin religio, quæ mediante cultu attingit Deum, foret virtus theologica, quod communiter negatur : atqui sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, est quid divinum et increatum, non beatitudo formalis quæ est actus creatus : ergo.

Confir.: Idem est objectum in quod tendit motus spei seu desiderii, et in quo quiescit quando illud consequitur, sicut idem est locus in quem tendit lapis, et in quo quiescit : atqui objectum formale quod et immediatum quietis et fruitionis Dei est ipse Deus, ut bonum infinitum, non aliquid creatum : ergo.

Prob. 3° : Illud est objectum formale quod spei, quod principaliter primo per se et ratione sui a spe attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur : atqui id est sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, non beatitudo formalis : ergo. Prob. min. Sperans non quærit Deum propter possessionem, alias poneret finem ultimum in actu creato, sed quærit possessionem Dei propter Deum; item non quærit possessionem Dei ut rem beatificantem, sed ut modum et applicationem Dei beatificantis, ita ut tota ratio beatificans sit ipse Deus. Sic avarus quærit pecuniam ut rem, possessionem autem non quærit ut rem ; non enim quærit possessionem ut possidendam, sed ut modum et applicationem rei possidendæ : ergo.

Prob. secunda pars : Deus non est objectum spei, nisi ut possidendus : atqui possidetur per visionem beatificam, quæ est beatitudo formalis : ergo in objecto formali quod spei importatur de connotato et in obliquo visio beatifica, seu beatitudo formalis, tanquam conditio et applicatio objecti formalis.

Ex his colliges quod neque aggregatum ex beatitudine formali et objectiva possit dici objectum formale quod spei, tum quia istud aggregatum non est quid pure divinum et increatum, tum quia beatitudo formalis et objectiva in objecto spei, non sunt duæ res aut duæ causæ, sed una res tantum, et una causa cum applicatione causæ; ita ut tota ratio formalis objecti sit beatitudo objectiva seu Deus, ejus autem possessio, conditio tantum requisita ut beatificet; sicut, dum ignis applicatus ligno comburit, ignis et applicatio non sunt duæ causæ, sed una tantum, quæ est solus ignis ; in eo solo enim est tota virtus comburendi, in applicatione nulla, sed requiritur duntaxat ut virtus ignis attingat lignum et in ipsum agat.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Spes supponit amorem concupiscentiæ, et ex illo oritur : atqui Deus non potest amari amore concupiscentiæ : ergo Deus ipse non potest esse objectum formale quod spei, sed beatitudo formalis. Prob. min. Quod amatur amore concupiscentiæ amatur propter aliud ; sic qui amat cibum et potum ad sui conservationem, illos amat propter se, et ad se eos ordinat : atqui Deus non potest amari propter aliud, et ad illud ordinari, cum sit ipse finis ultimus, ad quem omnia debent referri : ergo.

Resp. solutione communi, neg. min. Ad prob. dist. maj. Quod amatur amore concupiscentiæ amatur propter aliud, τὸ *propter* dicente semper finem cujus gratia, neg.; τὸ *propter* dicente aliquando finem cui, seu subjectum per rem amatam perficiendum, conc. Ad cujus sensum distincta min., neg. conseq. Dupliciter itaque aliquid potest amari amore concupiscentiæ, 1° sic ut res amata referatur ad amantem tanquam ad finem, ut cum appetimus cibum et potum in nostram conservationem : hoc modo Deus non potest amari amore con-

[1] Ibid. a. 2. o. [2] Ibid.

cupiscentiæ, quia hoc esset ipsum ordinare ad aliud tanquam ad finem, cum ipse sit finis omnium. Alio modo potest aliquid amari amore concupiscentiæ, sic ut res amata habeatur semper ut finis, sed amatur alteri tanquam subjecto per hunc finem perficiendo : sic Deus dilexit mundum, ut illi Filium suum unigenitum daret, non quasi ad nos tanquam ad finem ordinaverit incarnationem Filii, sed nobis tantum tanquam subjectis per illam salvandis, ad se autem tanquam ad finem ultimum. Sic iterum dum desidero alicui beatitudinem æternam, non ordino beatitudinem ad ipsum tanquam ad finem, sed ipsi tanquam subjecto, ut bene illi sit per illam tanquam per suum ultimum finem: similiter ergo, cum amo Deum amore concupiscentiæ, ipsum non refero ad me tanquam ad finem, quin e contra ipsum amo mihi, quia est ultimus finis meus, et ipsi inhærere, ut ultimo fini, est summa animæ meæ felicitas : duntaxat ergo refero ipsum ad me, ut ad subjectum per illum perficiendum tanquam per ultimum finem meum, in quo non tantum non est perversio, sed totius rectitudinis consummatio.

Inferes : Ergo iste amor qui comitatur spem est amor charitatis et non concupiscentiæ. Probatur illatio : Fertur in Deum, ut ultimum finem : atqui talis amor est charitatis : ergo.

Resp. neg. illationem : Ad probat. dist. ant. Fertur in Deum ut ultimum finem, ut bene illi sit, neg., hoc pertinet ad amorem charitatis; ut bene mihi sit, conc., et hoc est amoris castæ concupiscentiæ.

Obj. 2° : Objectum spei est futurum : atqui Deus non est futurus : ergo.

Resp. dist. maj. Objectum spei est futurum in se, neg.; in sui assecutione, conc. Sic pecuniæ quas sperat avarus non sunt futuræ in se, sed ut assequendæ tantum.

Inferes : Ergo Deus, ut assequendus, est objectum spei.

Resp. dist. illationem : Deus, ut assequendus, est objectum spei, τὸ *ut* dicente conditionem, seu modum intrinsecum objecti, conc.; dicente rationem formalem objecti, neg. Ratio enim formalis objecti quæ per se primo attingitur a spe est ipse Deus ut nobis bonus : sic objectum fidei necessario est obscurum, obscuritas tamen non est ratio formalis objecti, sed conditio tantum et modus illius intrinsecus.

Obj. 3° : Idem est objectum spei et delectationis in patria: atqui objectum delectationis in patria non est Deus, sed ejus possessio : ergo.

Resp. neg. min. Delectatur enim beatus in patria primario de ipso Deo, secundario de ejus possessione : Deus enim est objectum beatificans, et possessio conditio tantum requisita ut beatificet. Vide plura in tractatu de Beatitudine.

Obj. 4° : Deus non est nobis immediate bonus, sed mediante visione beatifica : ergo nec objectum immediatum spei.

Resp. neg. ant. Quamvis enim mediet visio beatifica, non mediat ut res, sed ut conditio et applicatio boni, quod non impedit quin Deus sit nobis immediate bonus, sicut unio inter materiam et formam non impedit immediatam utriusque unionem, nec applicatio ignis ad stupam impedit quominus ignis immediate comburat stupam.

Obj. 5° : Objectum spei est præmium in patria conferendum : atqui istud præmium non est Deus, sed ejus possessio : ergo. Prob. min. Præmium in patria conferendum causatur a meritis nostris : atqui Deus non causatur a meritis nostris : ergo.

Resp. neg. min. Ad probat. dist. maj. Præmium conferendum in patria causatur in se a meritis nostris, neg.; ut conferendum, conc. Id est, merita nostra non sunt causa cur Deus sit summum bonum nostrum et præmium nostrum, sed sunt causa cur nobis conferatur: et ita contingit in omnibus præmiis. Sic miles generose pugnando dicitur meruisse equum, non quod merita causent equum, sed sunt causa cur ipsi conferatur equus.

Obj. 6° : Spes et desperatio, cum sint opposita, versantur circa idem objectum : atqui desperatio non versatur circa Deum, sed circa ejus possessionem : ergo.

Resp. 1° dist. maj. Spes et desperatio versantur circa idem objectum et eodem modo, neg.; diverso modo, conc.; desperatio namque versatur circa Deum, destruendo possibilitatem assecutionis, sine qua Deus non est objectum spei; 2° Neg. min. Desperatio enim principaliter est de Deo consequendo, licet possit esse etiam de aliis, quia vitium est; vitium autem contingit multis modis a virtute deficere.

§ II.

Quodnam sit objectum formale quo spei?

Dico : Objectum formale [1] quo spei est omnipotentia auxilians, id est, præbens aut offerens auxilia.

[1] Q. unica de Spe a. 1 et hic q. 17. a. 1.

Est certo; D. Th. locis citatis, q. de Spe, dicit : « Spes adipiscendi vitam æternam habet duo objecta, scilicet vitam æternam quam quis sperat, et auxilium divinum a quo sperat » ; idque explicat ex paritate objecti fidei, quod, sicut fides innititur tanquam motivo primæ veritati revelanti, sic spes auxilio divino. Nec obstat quod, hic a .3 et q. citata, requirat quod objectum spei sit arduum ; ita et nos requirimus; sed negamus arduitatem esse rationem ob quam speramus beatitudinem, quin imo potius spem retardaret. Porro per auxilium divinum in S. Th. intellige non auxilium creatum, et in homine receptum, sed ipsam omnipotentiam auxiliantem ; quia objectum virtutis theologicæ debet esse aliquid divinum et increatum.

Prob. Illud est objectum formale quo spei quod est motivum et ratio cur speramus, seu expectamus a Deo certa cum fiducia beatitudinem æternam, et media ad illam conducentia : atqui istud motivum est omnipotentia auxilians : ergo. Prob. min. Non possumus sperare certa cum fiducia beatitudinem, nisi ab eo quem novimus posse et velle eam dare : atqui Deus ut omnipotens potest eam dare, et ut auxilians, seu præbens aut offerens auxilia, vult illam dare : ergo.

Confir. Illud est objectum formale quo spei, in quod fit ultima ejus resolutio; sicut objectum formale quo fidei est illud in quod fit ultima ejus resolutio, ut dictum est : atqui ultima spei nostræ resolutio fit in omnipotentiam auxiliantem; quærenti enim cur speras beatitudinem, adæquate respondes, quia Deus potest et vult illam dare, sicut quærenti cur credas Deum esse unum et trinum, adæquate respondes, quia Deus, qui verax est, revelavit.

Dices 1° : Omipotentia auxilians habet rationem causæ efficientis tantum, non formalis specificativæ : ergo.

Resp. neg. ant. Habet namque rationem utriusque causæ sub diverso respectu; quatenus causat auxilia ad salutem conducentia, est causa efficiens; quatenus causando et conferendo hæc auxilia nos movet ad sperandam beatitudinem, habet rationem causæ formalis extrinsecæ et specificativæ.

Inst. : Ojectum formale quo spei debet habere aliquam rationem boni : atqui omnipotentia auxilians non habet rationem boni, sed entis : ergo.

Resp. neg. maj. Quamvis enim vera sit de objecto formali, quod expectatur a spe, id tamen non requiritur ad objectum formale quo, quia non est id quod a spe expectatur, sed cui spes innititur ad superandas difficultates; quod quidem dici potest bonum ut quo, licet non ut quod.

Dices 2° : Amor quo amamus Deum, ut summum bonum nostrum, est actus spei : atqui objectum formale hujus amoris non est omnipotentia auxilians, sed bonitas divina ut nobis conveniens: ergo. Min. est certa : patet etiam maj. Quia iste amor non est actus charitatis, cum charitas terminetur ad Deum ut bonum in se : ergo.

Resp. neg. maj. Amor enim non est actus spei, sed supponitur a spe, quatenus non speramus nisi amatum. Ad prob. neg. ant. Quia licet charitas primario respicait Deum in se bonum, secundario tamen respicit proximum. Dum ergo homo amat Deum, ut sibi bonum, ejus amor respectu Dei est amor concupiscentiæ, sed charitas respectu sui, est enim sibi maxime proximus. In his vero in quibus non est charitas, iste amor est ab auxilio actuali supplente vices habitus charitatis.

Petes 1° utrum sperare alteri salutem sit actus virtutis spei?

Resp. Spes [1] directe respicit solum bonum operantis, quia actus spei est quidam motus seu protensio appetitus ; motus autem est semper ad proprium terminum proportionatum mobili, et ideo spes directe respicit proprium bonum, non alienum: sed, supposita unione amoris, etsi naturalis tantum, puta quo homo alios homines in natura similes diligit et bonum alterius quasi suum reputat, tunc potest sperare alteri vitam æternam; sicut enim eadem est virtus charitatis qua quis diligit Deum, et seipsum et proximum, ita est eadem virtus spei qua quis sperat sibi et alteri. Adde quod sperare nobis aut alteri beatitudinem, habeat idem objectum formale quod et quo.

Dices 1° : Sperare alteri beatitudinem est velle illi bonum : atqui velle alteri bonum est actus charitatis et non spei : ergo.

Resp. data maj. dist. min. Velle alteri bonum ut illius bonum simpliciter est actus charitatis, conc.; ut bonum arduum et difficile adeptu, neg. Sic enim non est actus charitatis, sed spei.

Dices 2° : Si sperare beatitudinem alteri sit actus spei, ergo desperare de ejus beatitudine est actus oppositus spei : ergo destruit spem in sperante, quia omnis actus mortaliter malus oppositus virtuti infusæ illam destruit : atqui falsum consequens: ex eo enim quod de-

[1] Hic a. 3, o.

sperem de alicujus salute, non sequitur quod amittam spem respectu mei.

Resp. dist. primum illatum : Desperare contrarie de salute alterius, diffidendo scilicet de omnipotentia auxiliante, quasi insufficiente ad salvandos homines, est actus oppositus spei, conc.; et sic destrueret etiam spem propriam, quia destrueret rationem formalem spei; desperare negative de salute alterius, cessando scilicet ab actu sperandi, quia diffido, non de auxilio Dei, sed de meritis alterius, sicut desperamus de salute Antichristi, v. g., est actus oppositus spei, neg.; quia non tollit rationem formalem spei, nec consequenter destruit spem propriam.

Petes 2° utrum liceat sperare in homine?

Resp. : Non licet sperare in homine [1], sed in solo Deo tanquam in primaria causa nostræ beatitudinis; quia ipse solus tanquam causa principalis ad eam nos perducere potest; licet autem sperare in homine, vel in aliqua creatura, tanquam in agente secundario et instrumentali per quod adjuvamur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata : et hoc modo convertimur ad sanctos, et ab aliis hominibus aliqua petimus.

Hinc inferes etiam esse licitum spem aliquam ponere in propriis meritis ex gratia Dei factis, tanquam in causis instrumentalibus, siquidem sint media a Deo ad salutem ordinata, et tota fiducia ultimate refundatur in ipsum auctorem gratiæ et meritorum.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO SPEI.

Quæstio [1] non est de subjecto quo et partiali spei, quod certum est esse voluntatem ; cum enim objectum spei sit bonum, actus spei est necessario actus appetitus, non sensitivi; quia objectum non est quid sensibile, sed quid divinum, ergo rationalis. Est igitur quæstio de subjecto quod et totali, seu de habentibus spem.

Dico 1° : Spes remanet in omnibus fidelibus viatoribus etiam peccatoribus, qui non desperant vel præsumunt.

Prob. 1° : Quia Tridentinum, sess. 6, cap. 6 et can. 3, et sess. 14, cap. 3, requirit spem in peccatoribus qui se ad justificationem disponunt. S. Thom. q. præcedenti 17, a. 8, docet spem ordine generationis præcedere charitatem, et 1 2, q. 65, a. 4, fidem et spem posse esse sine charitate.

2° Habitus destruitur vel per accidens ad destructionem fundamenti, vel per se a suo contrario, aut ex destructione objecti : atqui fundamentum spei, quod est fides, remanet in peccatoribus fidelibus, et peccata quæcumque, præter desperationem et præsumptionem, non sunt spei contraria ; remanet etiam objectum spei formale quod, beatitudo scilicet futura, ardua, possibilis, et formale quo, nimirum omnipotentia auxilians; quamvis enim peccator non possit sperare beatitudinem adipisci manendo in eodem statu, potest tamen sperare ex omnipotentia auxiliante statum mutare, et, eo mutato, beatitudinem per gratiam et charitatem obtinere.

Dices : Virtutes morales infusæ non permanent cum peccato mortali : ergo nec spes.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod virtutes morales infusæ sint proprietates consequentes ad gratiam : unde, ea sublata per peccatum mortale, non remanent proprietates ; fides autem et spes in adultis præcedunt gratiam, ut mox dicebam ex Trid. et Auctore, et sunt veluti semina gratiæ et virtutum quæ Deus voluit remanere in peccatoribus, ut possent facilius resurgere.

Dixi 1° : *In omnibus fidelibus viatoribus*, quia in hæreticis, cum in iis destruatur fundamentum spei, quod est fides, destruitur etiam spes: unde, quamvis videantur sperare , spes eorum non est theologica , sed humana et falsa.

Dixi 2° : *Qui non desperant aut præsumunt*, quia desperatio et præsumptio contrariantur spei, de quibus articulo subsequenti.

Petes utrum spes viatorum habeat certitudinem ?

Resp. : Si spes [1] spectetur ex parte sui objecti, scilicet Dei omnipotentis auxiliantis, habet certitudinem ; fide enim certum est Deum posse et velle nos salvare, nobisque dare auxilia ad id sufficientia. Si vero spectetur ex parte sperantis qui ex fragilitate potest deesse gratiæ, non habet certitudinem, sed inde potius est causa timendi, non tamen diffidendi aut desperandi : unde certitudo spei in viatoribus non est absoluta, sed conditionata, sicque intelligitur quomodo hæc duo stent simul : sperare certa cum fiducia salutem, attenta scilicet omnipotentia auxiliante, et salutem cum timore et tremore operari, attenta nimirum fragilitate nostra.

[1] Ibid. a. 4, o. [2] Hic q. 18. a. 1, c.

[1] Ibid a, 4. o.

Dico 2° : In damnatis[1] non remanet spes, bene tamen in animabus in purgatorio.

Prob. prima pars : Spes est de beatitudine futura possibili : atqui ad conditionem miseriæ damnatorum pertinet, ut ipsi sciant quod nullo modo possunt damnationem evadere, et ad beatitudinem pervenire.

Confirm. : Spes fundatur in fide : atqui fides non remanet in damnatis, ut alibi diximus: ergo nec spes.

Prob. secunda pars : Respectu animarum in purgatorio, beatitudo est adhuc absens, ardua et per graves pœnas assequenda, sicque objectum spei. Idem dicendum est de patribus in limbo, quibus beatitudo pariter erat absens et ardua, hoc sensu quod ejus assecutio esset supra eorum vires. Nec refert quod utrique sint aut essent certi de sua beatitudine, quia certitudo non evacuat rationem spei.

Dico 3° : Spes theologica[2], neque quoad actum, neque quoad habitum, manet in beatis.

Prob. 1° ex Apostolo[3], Rom. 8, dicente : *Spes quæ videtur non est spes, nam quod videt quis, quid sperat ?*

Prob. 2° : Substracto eo quod dat speciem, resolvitur species et non potest res eadem remanere : atqui in beatis subtrahitur objectum formale a quo spes habet speciem : ergo. Prob. min. Objectum formale spei est beatitudo futura, et nondum habita : ergo in beatis, etc.

Confir. : Id quod in se importat imperfectionem subjecti stare non potest in subjecto quod oppositam perfectionem habet : atqui spes importat de se imperfectionem subjecti, scilicet quod feratur in beatitudinem nondum habitam : ergo stare non potest in eis qui illam beatitudinem habent.

Solvuntur objectiones contra hanc ultimam conclusionem.

Obj. 1° : Sicut spes est rei non habitæ, ita et desiderium : atqui desiderium, hoc non obstante, est in beatis etiam circa beatitudinem, secundum illud 1 Petri 1 : *In quem Angeli desiderant prospicere :* ergo.

Resp. desiderium ibi non poni proprie[4], secundum quod est rei futuræ, sed secundum quod excludit fastidium, per modum quo Eccl. 22 dicitur : *Qui me edunt adhuc esurient.*

Obj. 2° : Sicut adeptio beatitudinis est quoddam bonum arduum, ita et ejus continuatio : atqui beati in via sperabant adeptionem beatitudinis : ergo nunc in patria possunt sperare ejus continuationem.

Resp. neg. conseq. Quia continuatio[1] beatitudinis non habet rationem futuri ; hoc ipso enim quo aliquis fit beatus, participat æternitatem in qua non est præteritum et futurum : unde beatitudo illa dicitur vita æterna. Dato etiam quod haberet rationem futuri, non habet rationem ardui respectu illius qui jam beatitudinem obtinet; ex hoc ipso enim accepit non solum facultatem, sed etiam necessitatem quamdam nunquam peccandi, sed semper permanendi : et ideo totaliter tollitur ratio spei.

Inst. 1° : Ad beatitudinem sanctorum pertinet non solum gloria animæ, sed etiam gloria corporis; sed animæ sanctorum in patria expectant adhuc gloriam corporis : ergo illam sperant.

Resp. neg. conseq. 1° Quia gloria corporis[2] est tantum objectum secundarium spei, gloria animæ, quæ est fruitio divina, primarium; sublato autem objecto primario spei; non remanet spes. 2° Gloria corporis, etsi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam, non tamen respectu habentis gloriam animæ : tum quia gloria corporis est minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ ; tum etiam quia habens gloriam animæ, habet jam sufficientem causam gloriæ corporis.[3] Sicut ergo non proprie dicitur aliquis qui habet pecuniam sperare se habiturum aliquid, quod statim in potestate ejus est ut emat, sed desiderare tantum; ita qui habent gloriam animæ non dicuntur proprie sperare gloriam corporis, sed desiderare tantum; non enim omne desiderium est spes, licet omnis spes importet desiderium; quia desiderium est de re non habita sive ardua et difficili, sive non, spes autem est de re non habita ardua et difficili.

Inst. 2° : Beati sperant beatitudinem viatoribus : ergo.

Resp. dist. ant. Beati sperant[4] beatitudinem viatoribus spe communiter et late dicta, transeat ; spe theologica, neg. Quamvis enim, durante virtute spei in via, eadem spe aliquis sperat beatitudinem sibi primario, et aliis secundario, evacuata tamen spe in beatis, secundum quam sibi primario sperant beatitudinem, eam non sperant aliis spe theologica quæ non remanet, sed desiderant potius ex amore charitatis.

[1] Ibid. a. 3, o. [2] Ibid. a. 2, o et q. de Spe a. 1. [3] Ibid. ad a. s. c. [4] Q. de Spe a. 4 ad 1.

[1] Ib. ad. 3, [2] Ibidem ad 4. [3] 1 2 q. 67, a. 4 ad 3.
[4] Hic ad 3.

Dixi: Transeat ant. Quia quidam, inter quos Joannes a S. Th. et Serra, negant beatos sperare viatoribus beatitudinem etiam spe communiter dicta; quia, inquiunt, respectu beatorum, non est ardua et difficilis salus viatorum, sed ex sola horum resistentia, non secus ac bonis filiis facile est, sicut cibum consuetum, ita et consuetum suæ intercessionis effectum obtinere a patre, nisi per alios steterit.

Inst. 3°: Hi omnes actus hucusque recensiti, scilicet desiderare sibi continuationem gloriæ, gloriam corporis, aliis beatitudinem; item desiderare Deum sibi bonum, delectationem ex ejus fruitione, etc. sunt actus supernaturales, quibus assignari debet habitus supernaturalis: atqui nullus videtur assignari posse, nisi spes theologica: ergo.

Resp. neg. min. Hi enim actus [1], ut jam dixi, eliciuntur in beatis a charitate quæ primario respicit Deum, secundario proximum: charitate itaque, qua beatus diligit seipsum, optat sibi continuationem gloriæ, gloriam corporis, Deum sibi bonum, delectationem ex ejus fruitione, et charitate, qua diligit proximum, optat illi beatitudinem; et iste amor, quatenus attingit bona desiderata, est amor concupiscentiæ, quatenus autem respicit personas quibus optantur, est amor charitatis; ex charitate enim mihi et proximo volo bonum æternum.

Inst. 4°: Christus erat comprehensor: atqui tamen habuit spem gloriæ corporis et exaltationis nominis: dicitur enim in ejus persona Psal. 30: *In te, Domine, speravi*: ergo.

Resp. dist. min. Christus habuit spem [2] communiter dictam, transeat; spem theologicam, neg. Quia beatitudo essentialis, quæ est objectum primarium spei theologicæ, non erat ei futura, sed præsens.

Obj. 3°: Idem est principium movendi ad terminum et quiescendi in termino: atqui spes est principium motus in beatitudinem: ergo est etiam principium quiescendi in termino, sicque est spes in beatis.

Resp. dist. maj. Idem est principium primum [3] movendi ad terminum et quiescendi in termino, conc.; idem est principium secundarium et instrumentale, neg. Quædam ergo sunt principia motus quæ cessant, cum perventum fuerit ad terminum, sicut navis cessat et impulsio venti, cum perventum fuerit ad portum. Charitas igitur, quæ est primum principium movens, manet in termino beatitudinis, non autem spes quæ est secundarium principium appropriatum motui.

[1] Ibid. [2] Ibid. ad 1 et q. de Spe cit. ad 16. [3] Q. cit de spe ad 7.

Obj. 4°: Si non remanet spes in patria, sicut nec fides, ut alibi dictum est, non remanet etiam charitas: falsum consequens; ergo et ant. Prob. sequela: Destructo fundamento et pariete, destruitur tectum: atqui in ædificio spirituali fides se habet ut fundamentum, spes per modum parietis, charitas quæ operit per modum tecti: ergo si non remaneant fides et spes in patria, nec remanet charitas.

Resp. neg. sequelam. Ad probat. dist. maj. Destructo fundamento [1] et pariete quantum ad id quod in eis perfectionis est, destruitur tectum, conc.; destructo fundamento et pariete, quantum ad id quod eis est imperfectionis, destruitur tectum, neg. Itaque fides et spes habent rationem fundamenti vel parietis ex parte ejus quod est in eis perfectionis, scilicet ex eo quod fides inhæret primæ veritati, spes summæ majestati; non autem ex hoc quod est imperfectionis in utroque, in quantum scilicet fides est non apparentium et spes non habitorum. Et ideo in statu perfectæ beatitudinis, quando charitas, quæ nihil imperfectionis de sui ratione importat, perficitur, fidei succedit perfectius fundamentum, scilicet visio aperta, et spei perfectior paries, scilicet comprehensio plena.

Obj. 5°: Virtutes morales ut prudentia, fortitudo, temperantia, etc. remanent in beatis, saltem ad ornamentum; ergo a fortiori spes theologica quæ est virtus nobilior moralibus.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod, quamvis spes sit nobilior virtutibus moralibus, quia respicit nobilius objectum, importat tamen imperfectionem respective ad illud repugnantem beatitudini, nempe absentiam: unde non potest esse ornamentum in beatis, qui illud præsentialiter possident. At vero virtutes morales sunt tam de præsenti quam de absenti: unde non important imperfectionem repugnantem beatitudini. Et quamvis in patria non remaneat materia circa quam versantur in via, ut pericula, delectationes sensuum, etc. manet tamen quod est in eis formale, scilicet rectitudo appetitus conformiter ad rationem, quæ est ipsis ornamentum.

ARTICULUS IV.

DE DONO TIMORIS, PER QUÆSTIUNCULAS.

Timor, quo spei fiducia temperatur, mediat

[1] Ibid. ad 14.

inter spem et desperationem, et ideo Auctor prius, hic q. 19, de illo agit quam de desperatione. Est autem timor, vulgariter sumptus, motus appetitus refugientis malum arduum et imminens, seu, ut communiter definitur, futuri et instantis periculi causa mentis trepidatio. Si sit motus appetitus sensitivi, est passio, si appetitus rationalis, est certo sensu donum timoris, ut dicam infra.

Petes 1° utrum Deus possit timeri [1]?

Rep. Deum posse timeri, non ut malum nobis imminens, sed ut potentem nobis infligere malum pœnæ; sicut enim spei duplex est objectum, scilicet bonum quod speratur, et id per quod obtineri potest, ita timoris est duplex objectum, scilicet malum quod refugimus et bonum seu suprema majestas quæ potest nobis illud infligere.

Unde, in rigore loquendo, timor non solum malum, sed etiam bonum respicit, scilicet infinitam Dei potentiam et majestatem creaturæ in infinitum supereminentem, et ideo actus timoris non est solum fugere malum, sed etiam revereri summam Dei majestatem, se illi subjicere, atque ad ejus conspectum trepidare; unde *revereri*, quasi *vereri re*, et timor quoad hunc actum manet in beatis, ut dicam infra.

Petes 2° quotuplex sit timor [2]?

Resp. esse quadruplicem : mundanum, servilem, filialem et initialem. Quia hic agimus de timore mali, prout est in viatoribus et quatenus per eum avertimur a Deo, aut accedimus ad Deum; contingit enim quandoque quod homo propter malum quod timet recedat a Deo, et est timor mundanus; quandoque e contra, propter malum quod timet, convertitur ad Deum : hoc autem malum est duplex, pœnæ et culpæ : si ergo aliquis convertatur ad Deum propter timorem pœnæ, est timor servilis, quia servorum est timere pœnam; si propter timorem culpæ, est timor filialis, nam filiorum est timere offensam patris; si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.

Petes 3° utrum timor mundanus sit semper malus?

Resp. affimative [3] : Quia timor mundanus, ut mox dicebam, est quo quis, propter malum temporale, paratus est Deum offendere, quod est semper malum. Quod si timore mali temporalis paratus sit offendere Deum mortaliter, timor erit mortaliter malus et proprie mundanus; quia, cum timor mali ex amore boni oppositi nascatur, qui sic est dispositus innititur mundo tanquam fini, seu constituit finem suum in re creata, quam sic inordinate amat, ut propter eam velit Deum deserere. Si autem timore mali temporalis velit tantum venialiter Deum offendere, timor erit venialiter malus et minus proprie mundanus, quia non inhæret mundo tanquam fini. Et hæc intellige de timore mundano actuali vel virtuali, non habituali; habitibus enim nec meremur, nec demeremur, sed actibus, ut alibi dictum est.

Petes 4° utrum timor mundanus sit peccatum distinctum ab eo quod per illum committitur?

Resp. 1° Qui sic timet amissionem boni temporalis ut pro eo servando paratus sit actualiter vel virtualiter, et non habitualiter tantum, quodcumque peccatum mortale committere, et occurrente casu, v. g. pejerat ex illo timore, timor est peccatum distinctum a perjurio; quia ante perjurium jam erat peccatum, ideo in confessione distincte exprimendum.

2° Qui timet amissionem boni temporalis, jam aliunde prohibiti, puta, timet non fornicari, et ex hoc timore peccat, puta, furatur, timor iste est etiam peccatum speciale distinctum a furto; aliud enim peccatum est amare fornicationem, aliud amare furtum.

3° Extra hos duos casus, timor mundanus non est peccatum distinctum ab illo quod ex eo committitur : v. g. quis, occasione data, metu amittendæ famæ pejerat, timor iste non est peccatum distinctum a perjurio, quia non est vitiosus nisi in quantum conjungitur perjurio : unde sufficit dicere in confessione : pejeravi.

Petes 5° utrum timor servilis sit bonus?

Resp. Timor servilis [1] secundum substantiam est bonus, secundum servilitatem est malus.

Prob. prima pars: Timor servilis [2] secundum substantiam nihil aliud est quam timor pœnæ, timere autem præcise pœnam, quæ est quoddam malum, bonum est : unde Christus dicebat : *Timete eum qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.*

Prob. secunda pars : Servilitas timoris [3] est timere pœnam culpæ annexam, ut summum et principale malum, ita ut si non esset pœna, committeretur culpa; hoc autem esse malum constat; tum quia inordinatum est plus timere minus malum quale est pœna, quam majus

[1] Hic q. 10 q. 1. o. [2] 15. a. 2. [3] Ibid. a. 3. o.

[1] Ibid a. 4 o. [2] Ibid [3] Ibid.

quale est culpa: tum quia non timet pœnam ut principale malum, nisi quia bonum proprium, unde oritur timor pœnæ, habet tanquam principale bonum et finem ultimum, in quo est perversitas.

Verum ista servilitas [1] non pertinet ad speciem timoris, sicut nec informitas ad speciem fidei informis: species enim moralis habitus vel actus ex objecto accipitur, objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus, et per consequens pœna timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem; vel quod ordinetur in Deum sicut in finem, et per consequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem: unde servilitas non est vitium timoris, sed timentis, et ideo timor servilis secundum substantiam est bonus, servilitas vero mala. Confer quæ dixi in tract. de Pœnitentia, dissert. 4, a. 5.

Petes 6° utrum timor servilis et filialis sint idem in substantia?

Resp. negative [2], quia habent diversa objecta formalia: objectum timoris servilis est malum pœnæ, objectum timoris filialis malum culpæ: unde specie differunt.

Petes 7° utrum timor servilis remaneat cum charitate?

Resp. Timor serviliter servilis [3] non manet cum charitate; quia servilitas repugnat charitati. Timor autem servilis secundum substantiam remanet cum charitate, quia sicut amare Deum, et simul proprium bonum, non tanquam finem ultimum, possunt stare simul, ita amare Deum, quod est charitatis, et timere pœnam, non tanquam principale malum, quod est timoris servilis quoad substantiam, possunt stare simul.

Petes 8° utrum timor sit initium sapientiæ et quomodo?

Resp. Timor non est initium sapientiæ [4] quantum ad ejus essentiam, sed quantum ad ejus effectum. Explicatur exemplo artis: sicut initium artis, quantum ad ejus essentiam, sunt principia unde procedit ars, sic initium sapientiæ, quantum ad essentiam, sunt principia unde procedit: cum autem sit cognitio supernaturalis fidem consequens, principia ejus sunt ipsi articuli fidei, non timor. Est tamen timor initium sapientiæ quantum ad ejus effectum, quia est id unde sapientia incipit operari; sicut si diceretur fundamentum esse principium artis ædificatoriæ, quia ibi incipit ædificator operari. Aliter tamen timor servilis et aliter timor filialis. Timor servilis enim est quasi principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis, timore pœnæ, discedit a peccato et per hoc habilitatur ad sapientiæ effectum; timor autem filialis seu castus est initium sapientiæ, sicut primus ejus effectus: cum enim ad sapientiam pertineat quod humana vita reguletur secundum rationes divinas, hinc oportet sumere principium ut homo revereatur Deum et se ei subjiciat, sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur.

Petes 9° utrum timor initialis differat essentialiter a filiali?

Resp. negative [1]: Quia imperfectum et perfectum non differunt secundum essentiam: atqui timor initialis et filialis differunt secundum imperfectum et perfectum: timor enim initialis est imperfectus timor filialis per inchoationem charitatis: ergo.

Dices 1°: Timor initialis habet pro objecto malum pœnæ et culpæ; hoc autem objectum est diversum ab objecto timoris filialis, quod est solum malum culpæ: ergo. 2° Medium differt eadem ratione ab utroque extremorum: atqui timor initialis est medius inter servilem et filialem, ut dictum est: ergo essentialiter differt ab utroque vel a nullo.

Resp. ad primum [2], quod timor initialis non timeat pœnam tanquam proprium objectum, sed in quantum habet aliquid de timore servili adjunctum, qui secundum substantiam manet cum charitate, servilitate remota: unde proprium objectum timoris initialis est malum culpæ.

Ad secundum: Timor initialis [3] est medius inter timorem servilem et filialem, non sicut inter ea quæ sunt unius generis, aut quasi compositus ex utroque, sed sicut imperfectum est medium inter ens perfectum et non ens; est autem imperfectum idem secundum essentiam cum ente perfecto, diversum totaliter a non ente. Item dicitur medius, quia generationi sequitur servilem, et præcedit filialem.

Petes 10° utrum timor servilis sit donum Spiritus Sancti.

Resp. timorem servilem [4] hoc sensu esse donum Spiritus Sancti, quod sit a Spiritu Sancto, non autem numerari inter septem dona Spiritus Sancti. Ratio primæ partis est, quia timore divinæ justitiæ utiliter concutiuntur peccatores et disponuntur ad pœnitentiam, ut

[1] Ibid. [2] Ib. a. 5, o. [3] Ib. a. 6, o. [4] Ib. a. 7, o.

[1] Ib. a. 8, o. [2] Ib. ad 2. [3] Ib. ad 3. [4] Ib. a. 9, o.

definit Trid. sess. 6, cap. 6, et sess. 14, cap. 4; nullum autem in nobis est salutare bonum nisi a Deo. Ratio secundæ partis est quia timor servilis potest habere annexam voluntatem peccandi : dona autem Spiritus Sancti non possunt esse cum voluntate peccandi, quia non sunt sine charitate.

Unde relinquitur quod timor Dei, qui numeratur inter septem dona Spiritus Sancti, est amor filialis sive castus, ut enim alibi diximus, dona Spiritus Sancti sunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ quibus redduntur bene mobiles a Spiritu Sancto secundum altiores rationes : sicut virtutibus moralibus potentiæ appetitivæ redduntur bene mobiles a ratione. Ad hoc autem quod aliquid sit bene mobile ab aliquo movente, primo requiritur ut sit ei subjectum non repugnans; quia ex repugnantia mobilis ad movens impeditur motus. Hoc autem facit timor filialis vel castus, in quantum per ipsum Deum reveremur, et refugimus nos ipsi subducere : unde timor filialis quasi primum locum tenet ascendendo inter dona Spiritus Sancti, ultimum autem descendendo, ut dicit S. Aug., l. 1 de Serm. Dom. in monte, cap. 9.

Petes 11° utrum timor servilis sit habitus et virtus?

Resp. quod sit habitus; quia dantur habitus ad actus bonos, quales sunt actus timoris servilis : non est tamen virtus; tum quia principaliter est de malo, virtus autem est principaliter circa bonum; tum quia crescente charitate virtus crescit; timor autem servilis crescente charitate minuitur, ut mox dicam : unde non est principium perfectæ operationis, qua ratione continentia, licet sit bonus habitus, non tamen dicitur virtus. Neque etiam timor servilis videtur pertinere ad spem, siquidem crescente spe etiam minuatur. Nec obstat quod S. Th., hic art. 6, dicat, « esse ejusdem rationis quod homo cupiat bonum suum, et quod timeat eo privari »; hoc enim dicit respective ad charitatem, non ad spem. De hac materia latius Serra hic.

Petes 12° utrum crescente charitate minuatur timor?

Resp. 1° : Crescente charitate [1] crescit timor filialis : quanto magis enim aliquis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere et ab eo separari; non quod augeatur periculum, quin imo minuitur, sed quia magis apprehenditur gravitas mali.

2° Crescente charitate [2] minuitur timor servilis quoad substantiam; tum quia quanto quis plus diligit Deum, tanto minus attendit ad proprium bonum; tum etiam quia ferventius per charitatem inhærens Deo magis confidit de præmio, ac per consequens minus timet de pœna.

[1] Ibid. a. 10, o. [2] Ibid.

Petes 13° utrum timor remaneat in patria?

Resp. 1° : Timor servilis [1] non remanet in patria; quia beati sunt securi de perpetuitate suæ beatitudinis.

2° Timor filialis [2] remanet in patria; quia timor filialis habet duos actus, scilicet revereri Deum, et quantum ad hunc actum manet; et timere separationem ab ipso, et quantum ad hunc actum non manet. Ille autem actus reverentiæ tunc fit, quando homo ex consideratione altitudinis divinæ contremiscit et in propriam resilit parvitatem, quo sensu S. Greg. 17 Moral. c. 15, intelligit hæc verba Job. 26 : *Columnæ cæli contremiscunt et pavent ad nutum ejus;* hujusque timoris reverentialis habemus exempla in S. Scripturis, ut cum Joannes Baptista, non audens tangere Christi verticem, clamat cum timore : *Sanctifica me, Salvator :* item, cum Petrus dixit : *Exi a me, Domine,* etc.

Si dicas : Spes est perfectior quam timor, quia spes est respectu boni, timor respectu mali : sed spes non erit in patria : ergo nec timor.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod spes importat quemdam defectum, scilicet futuritionem beatitudinis, quæ tollitur per ejus præsentiam. Sed timor importat defectum naturalem creaturæ secundum quod in infinitum distat a Deo, quod etiam in patria permanebit; et ideo timor non evacuabitur totaliter. Confer quæ dixi de Incarnat. dissert. 8, a. 4, conclus. 1.

ARTICULUS V.

DE VITIIS SPEI OPPOSITIS.

Duo vitia spei opponuntur, desperatio per defectum, et præsumptio per excessum.

§ I.

De desperatione.

Desperatio est animi desponsio seu motus voluntatis, quo quis refugit adipisci beatitudinem per media ordinaria.

[1] Ibid. a. 11, o. [2] Ibid. et 1. 2. q. 67. a. 4. ad. 2.

Dico 1° : Desperatio positiva [1] et plena deliberata beatitudinis adipiscendæ est peccatum mortale, gravius secundum se peccatis quæ opponuntur virtutibus moralibus, sed minus odio Dei et infidelitate. Ratio primæ partis, quia desperatio opponitur spei, *spe autem salvi facti sumus*, Rom. 8 : ergo desperatione perimus. Et quidem desperans magnam injuriam irrogat divinæ misericordiæ et sibi grave nocumentum, subtrahens sibi anchoram salutis. Ratio secundæ partis est, quia spes, cum sit theologica et Deum immediate respiciat, est dignior virtutibus moralibus, inferior tamen fide et charitate.

Dixi 1° : *Desperatio positiva* ; quia non sumitur hic desperatio private pro omissione actus sperandi, quamvis et hæc omissio posset etiam esse peccatum, si præceptum sperandi urgeret, sed sumitur pro actu seu recessu positivo, quo quis fugit beatitudinem, ut adeptu sibi difficiliorem.

Dixi 2° : *Plene deliberata*, ut excludantur desperationis motus indeliberati, vel non plene deliberati, orti sæpius vel ex nimio timore, vel ex vacuitate cerebri, vel ex complexione melancholica, vel ex dæmonis tentatione : ad quod debet advertere prudens confessarius.

Dico 2° : Desperatio [2] potest esse sine infidelitate ; quia judicium particulare practicum, quo quis sibi persuadet quod Deus illi non parcet, quod ad beatitudinem non perducet, et ideo quod non sit sperandum, non destruit judicium universale speculativum quo judicat consecutionem salutis esse possibilem, esse remissionem peccatorum in Ecclesia : sicut judicium practicum, quo quis judicat hic et nunc sibi fornicationem esse bonam et eligendam, non destruit judicium speculativum quo judicat omnem fornicationem esse illicitam et fugiendam. Et ratio est quia judicium speculativum est de re secundum se, practicum autem de re facienda vel non facienda, secundum affectum operantis : et sic ista duo judicia sunt de diversis formaliter objectis, ideoque non sibi contradicunt. Ita contingit in omnibus peccatis, ut docuimus in tract. de Peccatis, dissert. 5, a. 8. Unde illud vulgatum: *Omnis peccans ignorans*.

Dices : Qui negat aliquam particularem veritatem contentam in universali, negat universalem ; sic qui negat Petrum esse mortalem, negat omnem hominem esse mortalem : ergo qui judicat suam salutem esse impossibilem, judicat omnem salutem non esse possibilem.

Resp. 1° dist. maj. Qui negat judicio speculativo aliquam particularem veritatem inclusam in universali, negat universalem, conc.; judicio practico, neg. Quia, ut dictum est, judicium speculativum est de re secundum se, practicum de re facienda vel non facienda in ordine ad affectum operantis : unde potest ex aliqua passione aut mala dispositione istud judicium decipi aut corrumpi circa particulare, retento recto judicio de re in universali et secundum se.

Resp. 2°: Transeat totum, nihil contra nos ; non enim ut aliquis desperet est necesse quod judicet consecutionem suæ salutis esse absolute impossibilem, sed sufficit quod ex aliis motivis judicet quod eam non consequetur, puta, quia se credit a Deo derelictum, aut non esse prædestinatum, quia frequentius et facilius labitur, quia media sunt ipsi molestiora et difficiliora, quia se nimis intricatum reputat, etc., ex quibus motivis animum despondet et judicat non esse sibi sperandum.

Dico 3° : Desperatio [1] specialiter oritur ex luxuria et acedia, specialius tamen ex acedia : quia homo luxuriosus, deditus delectationibus carnalibus, bona spiritualia fastidit, et ea non reputat magna et ardua. Ex acedia autem reputat nimis difficile bene vivere ; unde refugit labores bonorum operum. Ideoque luxuria tollit arduitatem beatitudinis, acedia derogat possibilitati ; magis autem est proprium objecto spei quod sit absolute possibile quam quod sit arduum, quia bonum et arduum etiam ad alias passiones pertinent.

Quidam hic operose et morose disputant, utrum homo, cui de potentia Dei extraordinaria facta esset revelatio suæ damnationis, posset adhuc et deberet sperare? Dixi : *De potentia Dei extraordinaria;* quia omnes conveniunt cum S. Thom. q. 23 de verit., a. 8 ad. 2, id fieri non posse de potentia ordinaria, et docet ibid. S. Doctor quod « Si de potentia extraordinaria alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum prophetiæ prædestinationis vel præscientiæ, sed per modum prophetiæ comminationis quæ intelligitur supposita conditione meritorum ». Cujus ergo utilitatis sit hæc quæstio, sicut aliæ, ut plurimum, quæ sunt de potentia Dei extraordinaria, non video : quapropter ne diutius lectorem detineam in studio inutili, rem paucis expediam : unde breviter

[1] Hic q. 20, a. 1 et 3, o. [2] Ibid. a. 2, o.

[1] Ibid a. 4.

Dico 4° : Homo, cui de potentia Dei extraordinaria facta esset suæ damnationis revelatio, quam revelationem non respiceret ut comminatoriam, sed ut absolutam prædictionem, posset quidem adhuc concupiscere et desiderare inefficaciter beatitudinem, quia concupiscentia et desiderium inefficax est de omni bono secundum se, abstrahendo ab hoc quod sit futurum vel non; sed non posset nec deberet sperare.

Prob. Voluntas non potest sperare nisi bonum quod intellectus prudenter judicat esse futurum, objectum enim spei est bonum futurum : atqui homo, posita revelatione suæ damnationis, non posset prudenter judicare beatitudinem sibi esse futuram, etiam dato quod non vellet huic revelationi assentire, quia non posset prudenter dissentire, cum supponeretur Deum clare et indubitanter revelare; sicque beatitudo respectu ipsius desineret esse objectum spei : ergo.

Dices : Supposita revelatione damnationis, salus est adhuc possibilis ; cum enim ista revelatio sit saluti extrinseca, nihil in ea mutat : ergo potest adhuc sperari.

Resp. neg. conseq. Quia ad objectum spei non sufficit quod sit possibile, sed requiritur quod prudenter judicetur futurum et consequendum.

Inst. 1° : Plus requiritur ad salutem adipiscendam, quam ad illam sperandam : atqui, posita dicta revelatione, homo potest adhuc consequi salutem : ergo a fortiori sperare.

Resp. neg. conseq. Quia syllogismus constat quatuor terminis et ideo nihil concludit : a salute enim de facto consequenda in majori, transitur ad possibilitatem illius in minori ; quæ, ut servaretur legitima forma, debuisset sic exprimi : Atqui posita dicta revelatione homo consequitur salutem; sed tunc fuisset falsa. Plus ergo revera requiritur ad consequendam de facto salutem quam ad illam sperandam ; sed non plus requiritur ad possibilitatem quam ad spem illius; requiritur enim ad spem quod possit judicari prudenter futura, hoc autem non requiritur ad ejus possibilitatem.

Inst. 2° : Si Deus alicui revelaret suum peccatum, puta violationem castitatis, posset adhuc non solum illud vitare, sed etiam sperare illud vitare : ergo similiter.

Resp. neg. ant. pro secunda parte, quia, in hac hypothesi sicut in nostra, cum vitatio peccati non posset prudenter judicari futura, non esset objectum spei, sicut nec salus, supposita revelatione damnationis.

Inst. 3° :Iste homo posset adhuc et deberet conari evitare peccatum : ergo posset sperare illud vitare.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod objectum hujus conatus, nempe fornicatio possibilis vitari, permaneat, et urgeat præceptum castitatis servandæ, quod violari non potest sine peccato; tenetur autem homo, qualibet suppositione facta, conari non peccare. At non manet hujus spei objectum, scilicet vitatio futura : unde, quamvis præcipiatur observatio castitatis, non tamen præcipitur spes illius. Uno verbo, præceptum castitatis servandæ est de præsenti, spes illam servandi est de futuro, quod non potest prudenter judicari futurum supposita revelatione peccati futuri, sicut salus non potest judicari futura, supposita revelatione damnationis.

Inst. 4° : Non magis erat reprobo futura salus ante revelationem damnationis quam post; atqui tamen ante revelationem poterat sperare : ergo et post.

Resp. dist. maj. Non magis erat futura salus absolute in se, et judicabatur tamen prudenter futura ante revelationem damnationis, conc.; et non judicabatur prudenter futura, neg. Voluntas autem sequitur judicium intellectus : unde, si intellectus judicet prudenter salutem futuram, etsi forte secundum se non sit futura, voluntas potest illam sperare.

§ II.

De præsumptione.

Præsumptio apud juristas accipitur pro actu intellectus quo ex signis manifestis judicatur aliquid occultum. Item accipitur pro actu voluntatis quo quis facit vel aggreditur facere quod superat ejus facultatem sive physicam et executivam, sive juris tantum : juris, ut cum quis sciens et volens legem transgreditur, quomodo dicitur in jure : *Si quis hoc præsumpserit facere;* executivam, cum quis id quod superat vires, sive proprias, sive quas habet in aliis paratas, aggreditur, ut majora pericula quam possit vincere, majores abstinentias quam possit sustinere.

Quantum vero ad subjectam materiam et præsens institutum, præsumptio definiri potest : *Temeraria expectatio beatitudinis mediorumve ad illam.* [1] Est autem temeraria seu inconsulta

[1] Hc q. 21, a. 1,o.

et infundata ex duplici capite, scilicet innitendo nimium propriis viribus, et innitendo inordinate divinæ misericordiæ et potentiæ.

Innitendo nimium propriis viribus [1], ut cum quis confidit consequi beatitudinem aliudve bonum supernaturale propriis viribus, sine Dei auxilio et misericordia, et dicitur nimia confidentia suarum virium. Hæc autem præsumptio opponitur magnanimitati cujus est hujusmodi spem moderari juxta regulam rationis, ut illam neque excedat, neque ab ea deficiat. Pro quo vide tractat. de Fortitudine, dissert. 2, a. 2 et 3. Posset tamen etiam dici quod hæc præsumptio opponatur spei theologicæ, in quantum non expectat beatitudinem eo modo quo debet expectari.

Innitendo inordinate Dei misericordiæ [2] et potentiæ, quatenus expectat a Deo beatitudinem vel aliud supernaturale eo modo quo non est possibile illa obtineri, secundum legem a Deo constitutam et nobis notam; ut si quis sperat se veniam peccatorum a Deo consecuturum sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis, vel sine voluntate servandi mandata divina: et dicitur nimia confidentia de Dei bonitate et misericordia : nimia, inquam, non ex parte Dei, quasi quis posset nimium sperare a Deo ; sed ex parte nostra, quatenus speramus id quod non est possibile secundum legem a Deo statutam, ut dixi. His positis,

Dico 1° : Præsumptio est peccatum, [3] tum quia se habet conformiter ad intellectum falsum, tum quia opponitur virtuti spei. Est peccatum mortale, quia opponitur virtuti theologicæ, magnamque Deo injuriam irrogat et magnum homini detrimentum. Est peccatum contra Spiritum Sanctum; quia auxilium divinum, a quo homo revocatur a peccato, contemnit, quasi non esset necessarium ad merendum vel ad pœnitentiam agendum. Est peccatum minus grave quam desperatio, quia desperatio contemnit misericordiam, præsumptio justitiam seu ultionem; Deo autem magis convenit misereri quam ulcisci, quia est ex se misericors, justus seu ultor ex peccatis nostris.

Dico 2° : Præsumptio non semper tollit spem, nec semper est conjuncta cum infidelitate.

Prob. prima pars : Qui permanens in peccato nec volens mutare vitam, sperat Deum fore sibi in fine propitium, præsumit; cum enim id rarissime contingat, et paucissima sint tantæ propitiationis exempla, merito dicitur

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ibid. a. 2, o.

præsumptuosus qui sic sperat: sicut in humanis dicitur præsumptuosus qui se conjicit in periculum a quo paucissimi evadunt : atqui tamen non amittit spem, quia non destruit rationem formalem objecti spei, sed tantum inordinate sperat. Qui vero speraret, seu præsumeret obtinere vitam æternam propriis viribus, vel sine auxilio Dei, amitteret spem, quia destrueret rationem formalem objecti spei.

Prob. secunda pars : Quamvis contingere possit quod quis ideo speret beatitudinem ex propriis viribus, aut sine meritis ex Dei gratia, quia credit beatitudinem sic esse acquisibilem, in quo casu est infidelis; potest tamen etiam contingere quod quis ita speret absque eo quod in intellectu has erroneas opiniones speculative teneat, sed tantum quod practice sic intendat salutem ac si illam expectaret sine gratia: eo modo quo diximus de desperatione.

Petes utrum peccare sub spe veniæ augeat peccatum, vel minuat?

Resp. quod peccare [1] cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ, non diminuit sed auget : peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato et pœnitendi, non est præsumptionis, sed peccatum diminuit, quia per hoc homo videtur habere voluntatem minus firmatam in malo. Porro hoc ultimum dictum S. Thomæ non esse intelligendum de his qui proponunt abstinere a peccato in fine vitæ tantum, constat ex prima parte præcedentis conclusionis, in qua diximus hos esse præsumptuosos.

Dico 3° : Præsumptio [2] quæ innititur propriæ virtuti, attentans scilicet aliquid ut sibi possibile quod propriam virtutem excedit, procedit ex inani gloria : ex hoc enim quod quis multum desiderat gloriam, sequitur quod attentet ad gloriam quamdam supra vires suas. Præsumptio vero quæ innititur inordinate divinæ misericordiæ et potentiæ, per quam sperat se obtinere gloriam sine meritis et veniam sine pœnitentia, oritur ex superbia, quasi ipse tanti se æstimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel a gloria excludat.

De præcepto spei eodem modo loquendum est, proportione servata, ac de præcepto fidei. Pro quo vide de Fide, dissert. 2, a. 4.

[1] Hic a. 2. ad 3. [2] Ibid. a, 4. 0.

TRACTATUS DE CHARITATE.

D. Th. a. q. 23. ad q. 46.

DISSERTATIO I.

De charitate secundum se.

D. Th. q. 23.

Cum charitas, amor, dilectio et amicitia ad idem quodam modo pertineant et sint de bono, pauca de earum notionibus et de bono prælibanda sunt.

Ratio formalis boni consistit[1] in perfectione, non ut constitutiva entis, sed ut conveniente et coaptata appetitui, atque illius perfectiva per modum appetibilis et finalisantis, ut latius explicavimus de Deo, dissert. 3, a. 3.

Deus est bonum per essentiam, quia[2] unumquodque est bonum secundum quod est perfectum, et in tantum est perfectum in quantum est actu; esse autem actu soli Deo essentialiter convenit.

Item Deus est summum bonum [3], quia omnes omnium rerum perfectiones et bonitates sunt ab ipso tanquam a causa æquivoca; effectus autem est excellentius in causa æquivoca quam in seipso, quia causæ æquivocæ producunt effectus sibi inferiores. Vide dissert. citatam, a. 4.

Bonum itaque appetitui propositum[4], ut ipsi conveniens et coaptatum, quasi pondus ipsum movet, attrahit et inclinat ad se, et ista inclinatio, seu propensio appetitus in ipsum, dicitur *amor* seu complacentia; si sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio,* ut ipsum nomen sonat; si sit boni quod magni pretii æstimatur, dicitur *charitas,* ut etiam ipsum nomen designat; si tandem sit cum redamatione, dicitur *amicitia.*

Amor itaque magis late patet[1] quam dilectio, charitas et amicitia. Alius est naturalis quo unaquæque res etiam non cognoscitiva appetit bonum sibi conveniens, non ex apprehensione propria, sed ex apprehensione ejus qui naturam constituit; sic grave dicitur amare centrum; alius animalis, seu sensitivus, qui sequitur ad apprehensionem sensuum, et reperitur etiam in brutis; alius rationalis qui oritur ex apprehensione intellectus. Et hic est duplex, concupiscentiæ et benevolentiæ; motus enim amoris in duo tendit, in objectum quod amatur, et est concupiscentiæ, et in personam cui amatur, et est benevolentiæ; si quæ sit redamatio ex parte personæ amatæ, erit amor amicitiæ. Quod amatur amore benevolentiæ, simpliciter et per se amatur; quod autem amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri: unde amor benevolentiæ est amor simpliciter, et amor concupiscentiæ amor secundum quid. De his vide latius Auctorem locis citatis.

[1] 1 p. q. 5, a. 1 et q. 21, de Verit. a. 1. [2] 1 p. q. 6, a. 3. [3] Ibidem a. 2. [4] 1 2 q. 26, 1, 2 et 3, o.

[1] Ibid. a. 2 et 4.

ARTICULUS I.

QUID SIT CHARITAS?

Quæstio est de charitate habituali; definiri solet : *Virtus divinitus infusa, qua Deus propter se et proximus propter Deum diligitur*. Quæritur in hoc articulo, an sit aliquid creatum in anima, et an sit virtus specialis ?

Magister sententiarum dicebat [1] quod charitas habitualis esset ipse Spiritus Sanctus mentem inhabitans, immediate movens ad actum dilectionis, et non mediante habitu, ut fit in actibus aliarum virtutum; et hoc dicebat propter excellentiam charitatis; sed hæc opinio inolevit, et quibusdam videtur damnata, ut patebit ex sequentibus.

Dico 1° : Charitas habitualis est quid creatum in anima.

Prob. 1° [2] : Apost. Rom. 5 : *Charitas,* inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis;* ubi distinguit aperte charitatem a Spiritu Sancto tanquam effectum a causa. S. Augustinus, cui innitebatur Magister sententiarum, lib. *de Nat. et Grat.*, cap. ultimo, ait : « Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est. » Justitia autem est quid creatum in anima. Idem pluries alibi.

Prob. 2° ex concilio Trident. sess. 6, cap. 7, ubi definit quod in justificatione « per Spiritum Sanctum, charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque in ipsis inhæret : unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et charitatem. »

Prob. 3° : Nullus actus perfecte producitur [3] ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam, quæ sit principium actionis. Unde Deus, qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas, per quas inclinantur ad fines sibi præstitutos a Deo, et secundum hoc disponit omnia suaviter, ut dicitur Sapient. 8 : atqui manifestum est quod actus charitatis excedit naturam potentiæ volitivæ : ergo aliqua forma superaddenda est naturali potentiæ, per quam inclinetur ad charitatis actum; alias iste actus esset imperfectior actibus naturalibus, et actibus aliarum virtutum, nec esset facilis et delectabilis : quod patet esse falsum; quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur.

[1] Hic q. 23, a. 2. [2] Ibid. [3] Ibid.

Dices 1° : 1 Joan. 4 dicitur : *Deus charitas est,* et subditur : *Qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo,* quod non potest intelligi nisi de charitate qua Deum diligimus : ergo.

Resp. prima verba intelligi de charitate increata qua Deus nos diligit, de qua immediate ante dixerat : *Credimus charitati quam habet Deus in nobis;* sequentia autem de charitate qua ipsum diligimus, de qua vere dixit evangelista quod qui manet in ea, manet in Deo : Nam *Si quis diligit me,* inquit Christus, Joan. 14, ... *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Deinde, cum charitas qua Deum diligimus sit effectus charitatis increatæ qua nos ipse diligit, non qualiscumque, sed quo efficimur ei similes, grati et amici, ratione hujusmodi effectus, Deus vero sensu dicitur manere in nobis, et nos in ipso, sicut quis dicitur manere in sole qui manet in lumine a sole diffuso, et sol manere in loco, in quo ejus lumen diffunditur.

Dices 2° : S. Augustinus in pluribus locis docet charitatem fraternam qua diligimus proximum esse charitatem increatam et Deum : ergo.

Resp. sensum S. Augustini esse [1] quod charitas qua diligimus proximum sit charitas increata non formaliter sed effective, quia charitas nostra est a Deo et divinæ charitatis participatio.

Inst. : Juxta S. Aug. lib. 15 *de Trin.* cap. 17, Deus vocatur charitas, non eo modo quo, Psal. 78, dicitur *patientia nostra,* sed quo modo dicitur Spiritus : atqui tamen patientia nostra est etiam a Deo : ergo.

Resp. etiam secundum nos Deum aliter dici charitatem, et aliter patientiam nostram; est enim formaliter charitas, scilicet increata, per quam charitas, quæ est illius participatio, diffunditur in cordibus nostris; sed non est formaliter patientia, cum patientia sit ejus qui pati potest; Deus autem est impassibilis.

Dico 2° : Charitas est virtus specialis. [2] Ratio primæ partis est, quia charitas est principium actus boni nimirum attingentis regulam non solum naturalem quæ est recta ratio, sed etiam supernaturalem quæ est Deus, cui nos unit. Item est bona qualitas mentis qua recte vivitur et nemo male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur : hæc autem est definitio virtutis. Ratio secundæ partis est quia

[1] Ibidem ad 1. [2] Ibid. a. 3 et 4, o.

habet objectum formale speciale; sicut enim objectum fidei est Deus ut verus, spei Deus ut nobis bonus, charitatis est Deus ut bonus in se, ut dicetur infra; virtutes autem distinguuntur ex objectis formalibus.

Nec obstat quod Auctor hic dicat objectum charitatis «esse bonum divinum in quantum est beatitudinis objectum» ; non enim sensus horum verborum est quod summum bonum sit objectum charitatis reduplicative quatenus beatificat, seu sub ea formali ratione qua nos beat, ut perperam quidam intellexerunt; tota enim hac quæstione docet S. Doctor objectum charitatis esse summum bonum ut est in se; sed sensus est specificativus, scilicet quod summum bonum sit objectum charitatis secundum eam entitatem, bonitatem et perfectionem, secundum quam est objectum beatitudinis, seu secundum quam videtur a beatis, ita ut bonitas, quæ videtur a beatis, diligatur a charitate : et quia videtur a beatis secundum quod in se est : *Videbimus enim eum sicuti est*, Joan. 1 et 3. Ita est objectum charitatis secundum quod in se est.

ARTICULUS II.

UTRUM CHARITAS SIT PROPRIE DICTA AMICITIA INTER DEUM ET HOMINEM?

Quæstio non est de relatione amicitiæ, sed de actu exercente conditiones amicitiæ, certum est enim quod charitas sit habitus vel actus, et non relatio.

Dico : Charitas est vera [1] et proprie dicta amicitia inter Deum et hominem.

Prob. 1° ex S. Scriptura [2] : Christus, Joan. 15, dicit apostolis : *Vos amici mei estis*, et : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos*. Jacobi 2 : *Abraham amicus Dei appellatus est*. Psal. 138 : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus*. Nihil autem assignari potest quo homines sint Dei amici, nisi charitas.

Prob. 2° : Ad veram et proprie dictam amicitiam [3] tres conditiones communiter requiruntur. Prima quod amor sit benevolentiæ quo volumus alicui bonum propter ipsum, non concupiscentiæ quo volumus bonum propter nos, sicut cum dicimus amare vinum aut equum aut aliquid hujusmodi, non est amor amicitiæ sed concupiscentiæ; ridiculum enim esset dicere quod quis habeat amicitiam ad vinum aut equum. Vide plura de amore benevolentiæ et concupiscentiæ in tract. de Pœnit., dissert. 4, a. 7. Secunda conditio est ut amor iste sit mutuus; non enim sufficit ad hoc ut aliquis sit amicus alterius, quod illum præcise amet, sed etiam debet ab illo amari; amicus enim est amico amicus, et dicitur quasi amicatus, ita ut talis amor mutuus sit quasi nexus inter duos. Tertia conditio est quod iste mutuus amor fundetur in aliqua communicatione; qui enim in nullo communicant, nullam inter se habent conjunctionem : unde ratione diversæ communicationis diversæ sunt amicitiæ; sic in communicatione sanguinis fundatur amicitia consanguinitatis, in communicatione superioris cum inferiori amicitia excellentiæ, in communicatione sociorum amicitia æqualitatis : atqui hæ tres conditiones reperiuntur in amore charitatis : ergo.

Prob. min. : 1° Per charitatem homo diligit Deum propter se ut ultimum finem, et Deus diligit hominem propter se, non tanquam propter finem ultimum, sed propter ejus utilitatem, seu tanquam propter subjectum cui vult æternam beatitudinem, et sic utrinque est amor benevolentiæ. 2° Est amor mutuus; diligimus enim per charitatem eum qui nos diligit, juxta illud Proverb. 8 : *Ego diligentes me diligo*, et Joan. 14 : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum*. 3° Est communicatio beatitudinis hic per gratiam in jure et in spe, in patria in re : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Ad rationem amicitiæ requiritur quod amicus propter seipsum diligatur et non propter amantem, ut dictum est : atqui Deus non amat homines propter ipsos, sed propter semetipsum : *Universa enim propter semetipsum operatus est Dominus*, Prov. 16 : ergo.

Resp. solutione jam insinuata, dist. maj. De ratione amicitiæ est quod amicus diligatur propter seipsum, τo *propter* dicente finem *cui*, conc.; τo *propter* dicente finem *cujus gratia* seu rationem motivam, neg. Quando ergo dicitur amicum diligi propter seipsum et non propter amantem, sensus est quod amatus sit subjectum seu finis *cui* beneficiorum, ita ut amans non conferat illa ad suam, sed ad amici utilitatem; non est autem sensus quod bonum quod est in amico sit finis *cujus gratia*, seu ratio cur amans illum amet et illi conferat beneficia, quin e contra tanto generosior et perfectior est amicitia, quanto amatus nihil in se amabile habens, ex sola voluntate gratuita

[1] Ibid. a. 1, o. [2] Ibid. in a. s. c. [3] Ibid., o.

amici diligitur et ejus beneficiis cumulatur. Ita Deus diligit creaturas ex sola sua bonitate, iisque sua bona communicat, non propter suam utilitatem, *bonorum enim nostrorum non indiget Dominus,* sed ut illis bene sit in ipso tanquam in summo bono et suo ultimo fine.

Obj. 2°: Non est amicitia nisi inter æquales: unde S. Hieron. super cap. 7 Micheæ dicit: « Amicitia pares aut accipit aut facit; ubi inæqualitas est, amicitia non est » : atqui inter Deum et homines non est æqualitas sed infinita distantia : ergo.

Resp. dist. maj. Non datur amicitia nisi inter æquales, æqualitate absoluta, neg.; æqualitate proportionis qualis est, v. g. inter patrem et filium, inter maritum et uxorem, conc.; amicitia enim non tam attendit ad dignitatem personæ quam ad ejus amorem : unde juxta philosophum, ut dictum est, in communicatione superioris ad inferiores fundatur amicitia excellentiæ. Est autem æqualitas proportionis inter Deum et homines, quatenus hi per gratiam elevantur ad dignitatem filiorum Dei, et fiunt consortes divinæ naturæ.

Inst : Justi sunt servi Dei : atqui inter servum et dominum non potest esse perfecta amicitia : ergo.

Resp. hanc instantiam multiplicem pati solutionem : 1° dist. min. Inter servum, qua servum et jure servitutis, et dominum non datur amicitia, conc.; sub alia ratione, neg. Potest enim servus per gratiam domini elevari ad eam dignitatem ut sit ejus filius adoptivus vel amicus. 2° Dist. eamdem min. Inter servum servitute vili, ut in mancipiis, et dominum non datur amicitia, transeat; servitute honorata, ut in iis qui serviunt regi, neg. Nulla autem servitus est honoratior quam ea qua servitur Regi regum : unde dicebat S. Antoninus: « Servire Deo regnare est». 3° Denique, dist. maj. Inter servum et dominum non datur perfecta amicitia quoad homines inter se, transeat; inter Deum et homines, neg. Disparitas est quia quo magis Deus sibi subjicit aliquem, eo majus bonum ipsi vult et confert; tota enim perfectio et beatitudo hominis est Deo subjici et illi ut ultimo fini uniri; inter homines autem, domini, non servorum, sed suam propriam utilitatem quærunt.

Obj. 3° : Charitate diligimus non solum amicos, sed etiam inimicos : atqui non est redamatio ex parte inimicorum : ergo.

Resp. dist. maj. Charitate [1] diligimus inimicos principaliter et ratione sui, neg.; secundario et ratione Dei, conc. Sufficit autem ad amicitiam redamatio ex parte illius qui primario et ratione sui diligitur, licet non sit ex parte illorum qui ratione alterius diliguntur : sic qui habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione ejus diligit omnes ad illum hominem pertinentes, et tanta potest esse dilectio, ut amet etiam pertinentes ad amicum a quibus offenditur et odio habetur, et tamen permanet amicitia, quia est redamatio ex parte illius qui principaliter et ratione sui amatur.

Obj. 4° : Plures sunt aliæ leges amicitiæ quas non servat charitas: ergo. Prob ant. 1° Amicitia requirit ut amor mutuus innotescat; nescimus autem an Deum diligamus et a Deo diligamur, quia nemo scit an odio vel amore sit dignus. 2° Requirit amicitia ut amici simul convivant; nos autem in via peregrinamur a Domino. 3° Amicitia non est inter multos sicut charitas. 4° Amor amicitiæ est amor benevolentiæ quo volumus alicui bonum; Deo autem qui nullo bono caret, nullum est bonum quod possumus illi velle. Et inde 5° nulla est communicatio hominis ad Deum, maxime cum simus servi inutiles : ergo.

Resp. neg. ant. Ad primam probat., dist. maj. Amicitia requirit ut amor mutuus innotescat certo physice, neg., alias nulla esset amicitia inter homines; certo moraliter, conc. Talis autem certitudo habetur de mutuo amore charitatis inter Deum et homines ex indiciis et conjecturis, scilicet bona vita, observatione mandatorum, bonis operibus, piis in Deum motibus, etc.

Ad secundam probat [1] posset negari maj. cum, juxta philosophum 8. *Ethic.* c. 5, possit inter absentes amicitia servari. Sed, ea omissa, dist. min. Peregrinamur a Domino secundum vitam carnalem et quantum ad visionem beatificam quam nondum adepti sumus ambulantes adhuc per fidem, conc.; quantum ad vitam spiritualem et conversationem mentis et cordis, neg. Sic enim magnus est nobis cum Deo convictus, ut feliciter experiuntur justi et devoti.

Ad tertiam probat., dist. ant. Amicitia humana non est inter multos, conc.; amicitia charitatis, neg. Disparitas est quod in humanis difficile sit unum placere multis et multos uni, multorum consuetudine frui, et scire utrum sint futuri amici idonei. Hæ autem rationes cessant in Deo cui nota sunt omnia, et qui multos æque ac unum potest diligere et se fruendum multis ac uni præbere. Cessant pariter ex parte hominum, quia amicitiæ cha-

[1] Ibid. ad 2.

[1] Ibidem. ad 1.

ritatis unum est objectum scilicet Deus, in quo et propter quem omnia diliguntur. Insuper *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam*, etc., 1 Cor. 13.

Ad quartam probat., neg. min. Quamvis enim Deus nullo bono careat, non obest quin velimus illi bonum, gaudendo scilicet et gratulando de bonis ejus internis et procurando externa, nempe laudem, honorem, nominis celebritatem, cultum, etc., seque illi subjiciendo et se totum offerendo.

Atque hinc patet responsio ad quintam probat. Adde quod, si per communicationem intelligatur collatio bonorum externorum, hæc non requiritur ad amicitiam; possunt enim duo cives communicare amicabiliter in bono communi, duo justi in aliquo bono honesto, absque eo quod alter alteri conferat aliquod bonum extrinsecum, sed consilia duntaxat, secreta et quid simile.

Ad S. Scripturam : Non dixit Christus nos esse servos inutiles, sed quod debeamus nos dicere servos inutiles, ad exercitium scilicet humilitatis; alibi enim dicit : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis*, etc., et 2 Timoth. 2 justus dicitur vas utile Domino, ejus usibus accomodatum. Insuper sumus ex nobis servi inutiles, utiles autem ex gratia Dei.

ARTICULUS III.

DE OBJECTO CHARITATIS.

Quamvis Auctor agat de objecto charitatis infra q. 25, quia tamen tam dicta quam dicenda vix intelligi possunt, nisi intellecto objecto charitatis a quo ejus natura et species petitur, ideo quæstionem de illo hic propono.

Suppono tanquam certum Deum esse rem amatam a charitate, seu ejus objectum materiale, principale et primarium, et hac ratione objectum ejus formale quod; per charitatem enim nihil aliud intelligimus quam dilectionem Dei, juxta illud *Diliges Dominum Deum tuum; hoc est primum et maximum mandatum*, Matth. 22. Pariter certum est quod proximus sit objectum charitatis materiale secundarium, quia charitas est, ut diximus, amicitia hominis cum Deo; lex autem amicitiæ postulat ut non tantum diligamus amicum, sed etiam omnes qui ad illum specialiter pertinent: unde illud ibid.: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

Difficultas est in duobus : 1° quodnam sit objectum formale quo seu ratio formalis motiva charitatis? 2° utrum sit eadem specie charitas qua diligitur Deus et proximus? Pro quarum difficultatum resolutione sit

§ I.

Quodnam sit objectum formale charitatis.

Dico 1° ; Objectum formale [1] quo seu ratio formalis motiva charitatis est bonitas increata ut est in se et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis.

Prob. : Charitas 1° est amor; amor autem non est de aliquo nisi sub ratione boni; 2° est amor Dei : ergo est de Deo sub ratione boni divini; 3° est amor non concupiscentiæ quæ generat spem, sed benevolentiæ : ergo sub ratione boni divini, non ut nobis commodi, sed ut est in se et propter se amabilis.

Dixi: *lumine supernaturali cognoscibilis*, quia diligere Deum propter ejus bonitatem naturali lumine cognoscibilem, esset amor naturalis, non supernaturalis qualis est charitas.

Dices : Amare Deum propter beneficia ab eo accepta est actus charitatis : atqui ibi ratio amandi non est bonitas increata, sed creata, scilicet beneficium : ergo.

Resp. dist. maj. Amare Deum propter beneficia est actus charitatis, τo *propter* dicente motivum amoris eliciti, neg.; τo *propter* dicente medium per quod devenimus ad cognitionem divinæ bonitatis, conc. Ex hoc enim quod Deus nobis conferat beneficia et nos amet, cognoscimus quod sit infinite bonus et amabilis, et propter hanc infinitam bonitatem ipsum amamus : unde iste amor elicitur a charitate et imperatur a gratitudine propter acceptum beneficium : et ideo neganda est minor et consequentia.

Insuper gratitudo, [2] si sit perfecta, non tam est propter beneficium quam propter amorem benefactoris. Unde, cum Deus perfecte amatur ex gratitudine, amatur propter ejus amorem, adeoque propter divinam bonitatem, quia amor Dei Deus est, summa bonitas et perfectio.

Dico 2° : Objectum formale quo charitatis non est sola bonitas essentiæ divinæ ut distinctæ virtualiter ab attributis; sed est bonitas divina ut involvit essentiam, attributa et per-

[1] Hic q. 23, a. 5, o et ad 2 et q. 25, a. 1, o. [2] 2 3, q. 106, a. 5.

sonas, seu bonitas divina transcendens omnem Dei perfectionem.

Prob. 1°: Objectum formale charitatis, juxta D. Th. hic q. 23, a. 2, ut supra vidimus, est objectum beatitudinis, id est bonum divinum ut cognoscibile visione beata : atqui objectum beatitudinis seu bonum divinum ut cognoscibile visione beata, est bonum divinum involvens attributa et personas, est enim Deus ut est in se, ut probavimus in tractatu de Deo, dissert. 4, a. 10 : ergo.

2° Omnia quæ sunt in Deo, sapientia, justitia, fœcunditas, etc. sunt, non secus ac natura, bona per se divina, increata, infinita, propter se amabilia amabilitate ultimi finis : ergo objectum charitatis. Prob. ant. : Non sunt amabilia amabilitate medii aut finis intermedii, cum id essentialiter involvat imperfectionem; est enim imperfectio et defectus quod aliquid ametur propter aliud, et non possit se solo terminare et satiare appetitum : ergo.

Ast, inquies, nulla est imperfectio quod attributa divina virtualiter dimanent a natura : ergo nec quod habeant rationem finis intermedii virtualiter tantum ordinati ad ultimum finem.

Resp. neg. conseq. Disparitas est, quod in tantum dicatur attributum virtualiter dimanare a natura, in quantum natura est ratio illud probandi secundum modum nostrum concipiendi, quod nullam involvit imperfectionem. At medium aut intermedium virtuale tale est ut non habeat amabilitatem propter se, nec sit tale bonum quod ex se satiet appetitum, quod necessario involvit imperfectionem et defectum.

Obj. 1° : Bonitas divina, specificans charitatem, debet esse una tam formaliter quam virtualiter, cum ex ea probetur unitas charitatis : atqui bonitas divina omnibus attributis imbibita, est virtualiter multiplex, sicut ipsa attributa virtualiter distinguntur : ergo.

Resp. dist. min. Bonitas divina omnibus attributis imbibita, est virtualiter multiplex in esse rei, conc.; in esse objecti, neg. Est enim una ratio boni amabilis propter se in qua conveniunt omnia attributa.

Obj. 2° : Natura divina ut virtualiter distincta ab attributis, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, tum quia natura divina in sua linea est bonum infinitum ; tum quia, si Deus per impossibile careret attributis, esset sufficiens objectum charitatis : ergo non requiritur bonitas transcendens omnia attributa.

Resp. dist. ant. Natura divina, ut virtualiter distincta ab attributis, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, ratione naturæ qua talis, neg. ; ratione amabilitatis omnibus attibutis communis, conc. Quapropter non sola movet, sed pariter movent attributa quæ eadem gaudent amabilitate : unde dist. conseq. Ergo non requiritur bonitas transcendens omnia attributa ad movendum voluntatem, id est non est absolute necessaria, transeat; id de facto non movet, neg. Et ut vanitas argumenti clarius pateat, sic ipsum retorqueo : Omnipotentia, ut virtualiter distincta a natura, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, quia est in sua linea bonum infinitum et amabile, etiamsi per impossibile a natura separetur ; ergo non requiritur bonitas naturæ ad movendum. Vides infirmitatem argumenti. Perinde est ac si argueres : Lux solis potest movere potentiam visivam : ergo non potest movere lux facis. Unus equus potest trahere navim : ergo non potest alter equus.

Obj. 3° : Objectum charitatis est id quod constituit Deum in ratione ultimi finis : atqui bonitas naturæ, ut distinctæ ab attributis et personis, constituit Deum in ratione ultimi finis, cum omnia ratione illius ad Deum ordinentur et ipsa naturæ bonitas ad nihil aliud ordinetur. Item illud est objectum formale charitatis in ratione boni, quod est objectum formale beatitudinis in ratione veri : atqui sola veritas naturæ divinæ est objectum formale beatitudinis, attributa autem et relationes pertinent ad objectum secundarium beatitudinis : ergo.

Resp. ad primum, neg. min. et ejus probationem ; repugnat enim bonitatem increatam et infinitam ordinari ad aliud, quia hoc involvit imperfectionem impræscindibilem, ut dictum est.

Ad secundum, neg pariter min. ; objectum enim beatitudinis est Deus sicuti est unus, trinus, bonus, omnipotens, sapiens, etc. ; alioquin visio gloriæ non foret intuitiva, quidditativa et beatificativa, ut ex professo probavimus in tract. de Deo, dissert. 4, a. 10. In his nobis præluxit Contensonus cum Cajetano contra Gonetum.

§ II.

Utrum eadem specie charitatis diligatur Deus et proximus?

Dico : Eadem specie charitatis diligitur[1] Deus

[1] Hic. q. 25. a. 1. s.

et proximus, Deus propter seipsum, proximus propter Deum.

Prob. Idem est specie actus quo diligitur[1] Deus propter se et proximus propter Deum : ergo idem specie habitus charitatis. Patet conseq., quia habitus specificantur ab actibus. Prob. ant. Idem est specie actus qui fertur in rationem objecti et qui fertur in objectum sub tali ratione; sicut eadem est specie visio qua videtur lumen et qua videtur color ; species enim actus sumitur ex objecto secundum rationem formalem ipsius : atqui ratio formalis diligendi proximum Deus est, hoc enim debemus in proximo diligere ut in Deo sit, ut illi tanquam fini ultimo hæreat, indeque Deus ametur, laudetur et glorificetur propter infinitam ejus bonitatem et perfectionem, sicque patet quod ratio formalis diligendi proximum sit infinita Dei bonitas in se et propter se amabilis : ergo.

Hinc colliges quod amare proximum ex alio motivo, puta propter beneficia accepta, propter egregias ejus qualitates, sive naturales, sive supernaturales, quatenus sunt ipsius perfectiones, non sit amor charitatis, quia sic non amatur formaliter ratione bonitatis divinæ, sed est amor naturalis; nec refert quod forte sint qualitates supernaturales, supernaturalitas enim ibi se habet materialiter, si ratio amandi non sit supernaturalis; sic v. g. peccator impœnitens, qui per lumen fidei cognoscit paradisum, illum amat amore naturali.

Dixi : *Quatenus sunt ejus perfectiones*, quia, si considerentur ut participationes divinæ perfectionis, videntur etiam sic amari amore charitatis; quia, licet in infinitum distent ab infinita Dei perfectione, tamen non tam ipsæ quam ipsa Dei perfectio in illis amantur, sicut in imagine amatur prototypus qui est tota ratio amandi imaginem.

Obj. 1° : Virtus latriæ, qua exhibetur honor Deo, specie differt a virtute duliæ, qua honor defertur sanctis : atqui tamen sancti non honorantur nisi propter Deum : ergo licet proximus ametur propter Deum, alia est specie charitas qua Deum, alia qua proximum diligimus.

Resp. dist. min. Sancti non honorantur[2] nisi propter Deum, τo *propter* dicente finem extrinsecum, conc.; τo *propter* dicente rationem motivam intrinsecam et formalem honoris, neg.; ratio enim formalis honorandi sanctum est propria ejus excellentia, licet iste honor ex imperio charitatis referatur ad Deum tanquam ad finem extrinsecum, sicut actus aliarum virtutum, ut temperantiæ, justitiæ, eleemosynæ, etc. At ratio formalis diligendi proximum est ipsa Dei bonitas infinita in se et propter se amabilis, ut explicatum est. Rationem hujus disparitatis altius repetit Auctor ex ipsa natura amoris et honoris; quia nempe amor respicit bonum in communi, id est bonum abstrahens a proprio et alieno, ab intrinseco et extrinseco, sicut enim amamus sanitatem propter propriam et intrinsecam ejus bonitatem, sic etiam amamus medicinam amaram propter extrinsecam sanitatis bonitatem; sed honor respicit bonum proprium et intrinsecum honorati, defertur enim alicui in testimonium propriæ virtutis. Et ideo amor non diversificatur specie propter diversas bonitates diversorum, si in eis attendatur una bonitas communis propter quam amentur, sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum : unde, cum in amore Dei et promixi attendatur una bonitas, una ratio diligendi, scilicet increata Dei bonitas, est utrinque idem specie amor; sed, cum in honore, quem deferimus Deo et sanctis, sit diversa specie virtus et excellentia, sunt diversi specie honores.

Inst. 1°: Sicut, dum amatur proximus, Deus amatur in proximo, sic, dum honorantur sancti, Deus honoratur in sanctis : ergo nulla disparitas.

Resp. neg. ant. Deus enim in amore proximi amatur ut ratio formalis diligendi proximum : at, cum honoratur sanctus, non excellentia divina, sed propria sancti excellentia est ratio ipsum honorandi ; et in tantum Deus dicitur in illo honorari, in quantum est causa et finis ejus excellentiæ.

Inst. 2° : Quando minister aut prælatus malus honoratur, non honoratur propter propriam excellentiam, sed propter Deum cujus est minister : atqui tamen iste honor est a divino distinctus : ergo similiter in amore Dei et proximi.

Resp. neg. maj. Minister enim seu prælatus malus habet auctoritatem a Deo, sive a republica sibi concessam, et hæc auctoritas est quædam in eo excellentia moralis propter quam honoratur.

Obj. 2° : Sicut diligimus proximum propter Deum, sic cognoscimus conclusiones propter principia : atqui cognitio principiorum et cognitio conclusionum sunt ex diverso habitu, scilicet intelligentiæ et scientiæ : ergo similiter.

[1] Ibid. [2] Ibid. ad 2.

Resp. neg. maj. Principia enim nude et secundum se spectata non sunt ratio formalis cognoscendi conclusionem, sed ut fœta conclusione et illius illativa : unde qui cognoscit principia secundum se, non ideo cognoscit conclusionem, sed ultra requiritur ad hoc studium et labor; et ideo alia est specie cognitio principiorum, alia cognitio conclusionum: verum Deus in se spectatus est ratio formalis diligendi proximum : unde qui amat Deum, amat proximum; vult enim Deo omne bonum, consequenter quod ab omnibus ametur, colatur, laudetur et glorificetur, quod est simul amare proximum et velle illi summum bonum.

Obj. 3° : Amor Dei est intentio, amor proximi est electio : atqui intentio et electio specie distinguuntur : ergo.

Resp. dist. min. Intentio et electio in ratione intentionis et electionis præcise specie distinguuntur, conc.;in ratione amoris, neg. Sub eadem enim ratione formali feruntur in Deum et proximum : unde prior diversitas speciei se habet materialiter ad rationem amoris.

Obj. 4° : Quod diligimus ex charitate, illud diligimus super omnia : atqui non diligimus proximum super omnia : ergo.

Resp. dist. maj. Quod diligimus ex charitate ratione sui ipsius, illud diligimus super omnia, conc.; quod diligimus ex charitate alterius, diligimus super omnia, neg. Implicat enim quod diligam aliquid ratione alterius et propter alterum, et illud diligam super omnia.

Obj. 5° : Sunt distincta præcepta amoris Dei et proximi : ergo sunt distinctæ virtutes.

Resp. neg. conseq. Quia præcepta dantur de actibus virtutum, non de habitibus : et cum amor Dei et proximi ferantur in objectum sub eadem ratione formali, sicque non specie, sed solo numero distinguantur,pertinent ad eumdem habitum. Nec repugnat quod de actibus materialiter tantum diversis dentur distincta præcepta,præsertim si sint subordinata,ut sunt præcepta amoris Dei et proximi.

Quinam comprehendantur sub nomino proximi, dicam infra.

Consectarium.

Hinc colliges [1] charitatem esse unam virtutem specie atoma ; quia, si ex aliquo capite divideretur in plures species, maxime ex eo quod versetur circa Deum et proximum : atqui ex eo capite non diversificatur, ut probatum est : ergo.

[1] Hic q. 23, a. 5, o.

Insuper charitas [1] est amicitia hominis ad Deum : diversæ autem amicitiarum species accipiuntur, vel secundum diversitatem finis, et sic sunt tres species amicitiæ, scilicet utilis, delectabilis et honesti ; vel secundum diversitatem communicationum in quibus amicitiæ fundantur, sicut alia species amicitiæ consanguineorum, alia concivium aut peregrinantium, quarum una fundatur super communicatione naturali, alia super communicatione civili vel peregrinationis : atqui neutro modo charitas potest dividi in plures species, nam charitatis unus est finis, nempe divina bonitas, est etiam una communicatio beatitudinis æternæ super quam hæc charitatis amicitia fundatur : ergo.

Dices 1° : Actus charitatis sunt specie diversi : ergo diversi specie charitatis habitus. Patet conseq. Habitus specificantur ab actibus. Prob. ant. Dilectio Dei et odium peccati, item gaudium et desiderium de Deo sunt actus charitatis : atqui sunt specie diversi : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. min. Hi actus sunt specie diversi materialiter et comparative inter se, conc.; formaliter et ut a charitate procedunt, neg. ; cum enim procedant sub eodem formali motivo, ex illa parte sunt ejusdem speciei. Paritas est in aliis virtutibus, v. g. adorare et vovere sunt actus religionis et respective inter se specie distincti ; quatenus tamen ab habitu religionis procedunt sub eodem motivo, sunt ejusdem speciei et ab eadem specie virtute eliciuntur.

Inferes : Ergo plura accidentia solo numero distincta possunt esse in eodem subjecto, quod est contra doctrinam D. Thomæ et thomistarum.

Resp. doctrinam D. Thomæ et thomistarum intelligendam esse de accidentibus ita solo numero distinctis, ut neque specie incompleta, neque ex parte materiæ vel diversæ modificationis distinguantur actus, sicut distinguuntur actus de quibus instantia.

Dices 2° : Charitas viæ et charitas patriæ specie differunt : ergo. Prob. ant. 1°, quia charitas viæ regulatur per fidem seu cognitionem obscuram, charitas patriæ per lumen gloriæ, seu claram visionem : atqui diversitas regulæ arguit in regulatis diversitatem specificam : ergo. 2° Amor viæ est liber, amor patriæ est necessarius ; libertas autem et necessitas inducunt in actibus species diversas : ergo.

Resp. neg. ant. Ad primam probat. dist.

[1] Ibid.

min. Diversitas formalis regulæ arguit in regulatis diversitatem specificam, conc.; diversitas materialis regulæ, neg. Licet autem fides et lumen gloriæ inter se specie differant, non tamen specie differunt in ratione regulæ seu in regulando actum amoris; quia amor abstrahit ab objecto viso et non viso, habito et non habito; et applicant voluntati objectum, sub eodem formali motivo, scilicet bonitatis increatæ. Insuper potest negari major; non enim fides aut lumen gloriæ regulant charitatem, quippe quæ non eget regulatione cum non consistat in medio, sed simpliciter proponunt objectum charitati; propositio autem objecti non est ratio formalis objecti voliti, sed conditio tantum.

Ad secundam probat., resp. libertatem et necessitatem non constituere diversas species essentiales in actibus voluntatis, sed accidentales seu modales, quatenus sunt illorum modi intrinseci. Et esto amorem viæ et amorem patriæ ex parte libertatis et necessitatis essentialiter distingui inter se, attamen, quatenus procedunt ab habitu charitatis sub eadem ratione formali, scilicet bonitatis divinæ, non differunt specie, et sic possunt ab eodem specie habitu procedere, ut prius dictum est.

ARTICULUS IV.

QUOMODO CHARITAS SE HABEAT AD ALIAS VIRTUTES?

Dico 1° : Charitas est excellentior [1] aliis virtutibus, non solum in esse moris, sed etiam probabilius in esse physico.

Prima pars est contra lutheranos, qui, cum dicant nos justificari per fidem, volunt eam aliis virtutibus in esse moris præcellere.

Prob. 1° ex S. Scriptura, [2] 1 Cor. 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas;* Coloss. 3 : *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,* et alibi plura similia, quæ saltem intelligi debent de charitate in esse moris : ergo.

Prob. 2° : Cum bonum [3] in actibus humanis seu moralibus attendatur secundum quod regulatur regula debita, perfectio virtutis quæ est principium bonorum actuum consistit in attingendo humanorum actuum regulam, quæ est duplex, scilicet recta ratio humana et Deus, Deus tamen prima regula a qua etiam humana ratio regulanda est : ergo illa virtus est perfectior quæ perfectius attingit regulam humanorum actuum. Subsumo : Atqui virtutes theologicæ, quarum objectum est Deus, attingunt regulam primam, virtutes morales attingunt tantum rationem humanam : inter autem virtutes theologicas, charitas perfectius attingit regulam primam seu Deum, quam fides et spes: ergo charitas est excellentior in genere moris non solum virtutibus moralibus, sed etiam fide et spe. Prob. secunda pars min., prima enim patet; semper id quod est per se est majus eo quod est per aliud : atqui fides et spes attingunt Deum, secundum quod ex ipso nobis provenit vel cognitio veri, vel adeptio boni, sed charitas attingit Deum ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat : ergo charitas perfectius attingit primam regulam quam fides et spes.

Ex eo autem quod charitas finem supremo modo attingat, habet quod moveat et imperet aliis virtutibus, quod sit radix meriti, et inseparabiliter conjuncta justificationi, in quibus consistit ejus excellentia moralis.

Confir. 1° : Fides et spes compatiuntur peccatum, non charitas. 2° Spes et fides involvunt imperfectionem, spes proprium commodum, fides obscuritatem, nihil horum charitas ex se.

Prob. secunda pars [1] in qua agitur tantum de fide et quæ controvertitur etiam inter thomistas : Quamvis cognitio eorum quæ sunt infra nos sit physice nobilior quam dilectio, attamen dilectio eorum quæ sunt supra nos est nobilior quam cognitio : atqui charitas est dilectio eorum quæ sunt supra nos, scilicet Dei : ergo. Prob. maj. ex discrimine quod est inter operationem intellectus et voluntatis : operatio intellectus completur secundum quod intellectum est in intelligente, et ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur secundum mensuram intellectus. Operatio autem voluntatis et cujuslibet virtutis appetitivæ perficitur in inclinatione appetentis ad rem, sicut ad terminum; ideoque dignitas operationis appetitivæ attenditur secundum rem quæ est objectum operationis : atqui ea quæ sunt infra animam, nobiliori modo sunt in anima quam in seipsis; quia unumquodque est in aliquo per modum ejus in quo est. Quæ vero sunt supra animam, nobiliori modo sunt in seipsis quam sunt in anima : ergo eorum quæ sunt infra nos nobilior est cognitio quam dilectio; propter quod philosophus, 7 Ethic., prætulit virtutes intellectuales moralibus, sed eorum quæ sunt supra nos, et præcipue Dei, cognitioni præfertur dilectio.

[1] Hic q. 23, a. 6., o. [2] Ibid. in a. s. c. [3] Ibid. o.

[1] Ib. ad. 1.

Dices contra primam partem : 1° *Fides per dilectionem operatur*, Galat. 5 : ergo fides est nobilior in genere moris, sicut dominus est nobilior servo vel instrumento per quod operatur. 2° Justificatio fidei tribuitur Rom. 1 et 5 : ergo.

Resp. ad primum : 1° Quod fides [1] non operatur per dilectionem sicut per instrumentum, ut dominus per servum, sed sicut per formam propriam. 2° Multi volunt τo *operatur* hic sumi passive et eo significari quod fides in actu constituatur et excitetur ad agendum per dilectionem : neque hæc interpretatio contraria est priori ; quia fides sic excitata agit vere et operatur per charitatem veluti per formam.

Ad secundum : Justificatio tribuitur fidei, non quod sine charitate justificet ; sed quia est initium salutis, et radix justificationis secundum Trid., sess. 6, cap. 7.

Dices contra secundam partem : Genus intellectivum est nobilius genere appetitivo, juxta D. Thomam et thomistas : ergo habitus pertinens ad genus intellectivum, qualis est fides, est nobilior habitu pertinente ad genus appetitivum, ut est charitas.

Resp. dist. ant. : Genus intellectivum est nobilius appetitivo absolute, conc. ant. ; omnibus modis, neg. ant. et conseq. Sunt ergo quædam genera omnibus modis perfectiora, ita ut ab imperfectioribus nunquam superari possint, ut substantia spiritualis, v. g. respectu substantiæ corporeæ ; sunt autem et alia genera absolute quidem perfectiora, sed non omnibus modis, ita ut quandoque contingat quod ratione differentiæ nobilioris contrahentis genus imperfectius, compensetur ejus imperfectio, et illius species superet speciem generis perfectioris ; sic qualitas activa, v. g. calor, est genus perfectius quam passiva : attamen datur qualitas passiva, v. g. potentia cognoscitiva quatenus recipit species, quæ ratione differentiæ superat genus activum. Item corpus incorruptible, ut cœlum, est generice seu ratione corporeitatis perfectius corruptibili, et tamen corruptibile animatum, ratione differentiæ, præstantius est incorruptibili : sic ergo, quamvis genus intellectivum sit absolute perfectius volitivo, non tamen omnibus modis, sed potest volitivum ratione differentiæ seu tendentiæ perfectioris ad objectum contrahi ad speciem nobiliorem.

Dico 2° : Sine charitate [1] potest esse vera virtus, sed imperfecta ; quia sine charitate potest esse bona qualitas quæ sit constanter principium boni actus, consequenter vera virtus : sed quia sine charitate non ordinat ad ultimum finem, neque facit operari meritorie ad vitam æternam, non est perfecta virtus. Vide tract. de Virtutibus, dissert. 2, a. 4, § 3 ubi hanc materiam ex professo tractavimus.

Dico 3° : Charitas est forma [2] aliarum virtutum non intrinseca et essentialis, alias omnes virtutes essent ejusdem speciei ; sed extrinseca et accidentalis, quatenus per eam referuntur ad finem ultimum supernaturalem, quo veluti ornamento formantur in ordine supernaturali.

Charitatem distingui a gratia multis probavimus in tract. de Gratia, dissert. 4, a. 4 : adeat lector.

[1] Ib. ad. 2.

[1] Ibid a. 7, o [2] Ibid, a. 8, o.

DISSERTATIO II.

De augmento, diminutione et amissione charitatis.

D. Th. Q. 24.

Huic quæst. 24 Auctor præfixit titulum de subjecto charitatis, ratione cujus agit de causa efficiente, augmento, diminutione et amissione charitatis.

Suppono 1° voluntatem [1] esse subjectum charitatis, tum quia idem est objectum voluntatis et charitatis, scilicet bonum per intelle-

[1] Hic q. 24. a. 1, o.

ctum apprehensum, tum quia actus charitatis, qui est amor, elicitur a voluntate; virtus autem est in ea potentia, in qua est ejus actus.

Suppono 2° habitum [1] charitatis non acquiri nostris actibus, sed a Deo infundi, juxta illud Rom. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Ratio est quia charitas est quædam amicitia hominis cum Deo, quæ fundatur in communicatione beatitudinis; hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita : ergo charitas naturæ facultatem excedit. Adde quod ejus objectum sit bonum supernaturale, et quod sit proprietas consequens ad gratiæ infusionem.

Si dicas ex actibus charitatis infusæ generari aliquem habitum dilectionis, ut docet Auctor q. 17 de Verit, a. 1 ad 4, resp. hunc habitum non esse charitatem qua sumus Dei amici et filii adoptivi, sed habitum diversæ speciei ex actibus hujus charitatis infusæ ortum, ideoque acquisitum, neque tamen naturalem absolute, hoc sensu scilicet quod per naturam causetur, sed aliquo modo supernaturalem, nempe ex actibus supernaturalibus ortum; unde, cum S. Th. 1 2, q. 51, a. 4 ad 3, dicit ex actibus habitus infusi non produci aliquem habitum, intelligit de habitu ejusdem speciei, prout argumentum requirebat. Ita interpretatur Sylvius.

His prælibatis de subjecto et causa efficiente charitatis, quærimus inprimis et specialius de ejus augmento : unde sit

ARTICULUS I.

UTRUM CHARITAS POSSIT AUGERI ET QUOMODO?

Dico 1° : Charitas [2] viæ potest augeri sine termino.

Est definita in concilio Viennensi, Clementina *Ad nostram* de hæreticis, contra begardos et beguinas qui dicebant hominem in hac vita posse quemdam charitatis terminum attingere ultra quem progredi non posset. Et in concilio Trid. sess. 6, cap. 10 : « Hoc, inquit, justitiæ incrementum petit Ecclesia cum orat : Da nobis fidei, spei et charitatis augmentum. »

Prob. ulterius 1° ex S. Scriptura, Ephes. 4 : *In charitate crescamus;* Philip. 1 : *Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet;* Apocal. ultimo : *Qui justus est justificetur adhuc;* Prov. 4 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem,* scilicet diem beatitudinis.

Suffragantur SS. PP. : S. Aug. tract. 5 in Epist. Joan. : « Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. » S. Hieron., lib. 2 contra Jovin. cap. 18, S. Athanas. in vita S. Antonii, S. Leo, Serm. 2 de Quadrag., S. Gregor., Hom. 15 in Ezech. etc.

Prob. 2° ratione. Ex hoc dicimus [1] viatores quod in terminum destinatum, qui est Deus, tendimus : atqui de ratione viatorum est, quod ita tendere possint ad terminum, ut magis ac magis ad illum appropinquent, alioquin cessaret viæ processus : ergo ita possumus tendere in Deum, ut magis ac magis ad illum appropinquemus. Subsumo : Atqui istam appropinquationem facit charitas; non enim appropinquamus Deo passibus corporis, sed affectibus mentis quibus illi unimur : ergo charitas in hac vita potest semper augeri.

Confir. Ex nulla parte [2] præfigitur terminus augmento charitatis; non ex parte ipsius charitatis, quia est secundum rationem suæ speciei participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus Sanctus; non ex parte causæ efficientis quæ est Deus infinitæ virtutis; non ex parte subjecti, quia crescente charitate subjectum fit magis habile ad illam perfectionem recipiendam; cum enim ista habilitas sit obedientialis, crescente charitate crescit : ergo.

Si dicas inde sequi hominem viatorem tantam charitatis perfectionem posse acquirere, ut æquet aut superet charitatem Christi et B. Virginis, resp., neg. sequelam; quia, licet charitas secundum se possit semper augeri, non augetur tamen, nisi secundum gradum a Deo prædestinatum; nemo autem est prædestinatus ad eum charitatis gradum qui Christo et B. Virgini fuit collatus.

Dico 2° : Charitas [3] non augetur extensive, sed intensive tantum : quia etiam minima charitas se extendit ad omnia illa quæ sunt ex charitate diligenda; cum enim sit amor efficax ultimi finis, scilicet Dei, habet secundum se sufficientem virtutem ad amandum cætera propter Deum. Quod si actu non extendatur ad consilia et ad bona supererogationis, non est ex defectu ipsius charitatis habitualis, sed voluntatis, quia habitibus utimur cum volumus.

Dico 3° : Charitas [4] non augetur intensive per additionem charitatis ad charitatem; hoc enim esset charitatem multiplicari, non augeri;

[1] Ibid, a. 2, o. [2] Ibid. a. 4, 0 et 7, o.

[1] Ibid. a. 4. o. [2] Ibid. a. 7. o. [3] Ibid. a. 5. o. [4] Ib.

sed per majorem radicationem in subjecto, sive per majorem actuationem subjecti, sive per majorem inhæsionem subjecto, accidentis enim esse est inhærere : hæc omnia sunt unum et idem, et modo unum, modo alterum usurpat S. Thomas, dum agit de intensione qualitatum. Item, sive istud *majus* dicas novum gradum, sive novum modum, est perinde ad propositum; est enim ista quæstio, de intensione qualitatum, philosophica; et ideo eam ad physicos remittimus.

Petes 1° utrum charitas viæ sic possit augeri ut adæquet aut etiam superet charitatem patriæ?

Suppono, ante responsionem, charitatem viæ et patriæ esse, ut supra diximus, ejusdem speciei essentialis; quia habent idem objectum formale, differre autem accidentaliter secundum statum modum operandi.

Resp. 1° : Charitas viæ in eodem homine non potest æquare aut superare ejus charitatem in patria; quia Deus præmiat ultra condignum; et cum dilectio Dei pertineat ad objectum saltem secundarium præmii seu beatitudinis, homo, dum fit beatus, accipit aliquod charitatis incrementum.

Resp. 2° : Videtur charitas habitualis alicujus viatoris posse esse perfectior et intensior charitate alicujus beati; verisimile enim est quod charitas B. Virginis, aut eximii alicujus sancti, dum esset in via, fuerit major quam charitas habitualis in patria unius infantis statim post baptismum defuncti.

Resp. 3°: Attamen, quoad statum et modum operandi, charitas patriæ est perfectior qualibet charitate viæ; tum quia charitas patriæ est in termino et in statu suo naturali, charitas autem viæ est adhuc in motu et extra statum; tum quia beatus in Deum clare visum semper amore fertur secundum totum conatum voluntatis et totam intensionem habitus charitatis, non sic in via. Atque hoc sensu Christus, Matth. II, de Joanne Baptista dixit : *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo.* Quamvis tamen multi intelligant hanc sententiam de ipso Christo et Ecclesia, ita ut sensus sit, quod Christus qui secundum ætatem et multorum opinionem erat in Ecclesia minor Joanne Baptista, esset tamen major divinitate, majestate et potestate : ita interpretantur SS. Hilarius et Chrysost. in hunc locum, S. Aug. tract. 13 in Joan. etc.

Petes 2° utrum charitas in hac vita possit esse perfecta?

Resp. Perfectio charitatis[1] potest intelligi, vel ex parte diligibilis, vel ex parte diligentis. Ex parte diligibilis perfecta est charitas, ut diligatur aliquid quantum diligibile est : Deus autem est infinite diligibilis, quia est infinite bonus : unde ad hunc modum nulla creaturæ charitas potest esse perfecta; quia, cum quælibet virtus creata sit finita, nulla creatura potest Deum infinite diligere. Ex parte vero diligentis tunc est perfecta charitas quando diligit tantum quantum potest, quod contingit tripliciter : uno modo sic quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum; et hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum. Alio modo ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit : et ista est perfectio charitatis quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo sic quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet quod nihil cogitet vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium : et hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

ARTICULUS II.

UTRUM QUOLIBET ACTU CHARITATIS ETIAM REMISSO AUGEATUR CHARITAS?

Suppono 1° actus nostros non causare efficienter physice augmentum charitatis; quia eadem est ratio augmenti et productionis habitus; augmentum enim est veluti continuata rei productio : atqui actus nostri præcedentes charitatem, quantumvis ex auxilio supernaturali eliciti, non producunt efficienter charitatem, ut diximus art. præcedenti : ergo.

Suppono 2° actus nostros concurrere ad augmentum charitatis dispositive, non solum moraliter seu meritorie, sed etiam physice; quia, ut jam dicebam, eadem est ratio augmenti et productionis habitus : actus autem nostri sunt dispositiones physicæ ad productionem gratiæ et charitatis. Utramque suppositionem probavimus in tract. de Gratia, dissert. 6, art. 3. Vide.

Suppono 3° hominem justum posse sibi mereri augmentum charitatis, ut probavimus ex professo in eodem tract., dissert. 8, art. 5, § 4.

[1] Ibid. a. 3. o.

Et hæc omnia docet Auctor in 1, d. 17, q. 2, a. 3, o, ubi sic ait: « Non eodem modo se habet actus informatus charitate ad augmentum charitatis, et actus præcedens charitatem ad habendam charitatem : actus enim qui est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis, et per modum dispositionis et per modum meriti, sed actus præcedens charitatem ordinatur ad consequendam charitatem solum per modum dispositionis et non per modum meriti, quia ante charitatem nullum potest esse meritum. Neuter autem actus ordinatur ad habendam charitatem, vel augendam per modum alicujus efficientiæ, sicut actus nostri ad habendos habitus acquisitos. »

Dico : Quilibet actus charitatis [1] etiam remissus, sive elicitus, sive imperatus, meretur de condigno augmentum charitatis. Est contra Durandum.

Prob. 1° ex concilio Trident., sess. 6, c. 32, ubi sic definit : « Si quis dixerit justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. » Atqui actus charitatis etiam remissus est bonum opus factum a justo per Dei gratiam et Christi meritum : ergo est meritorius augmenti gratiæ et gloriæ, consequenter charitatis, quæ est proprietas consequens ad gratiam et cui correspondet et commensuratur gloria.

Idem concilium, eadem sess. cap. 10, docet justum bonis operibus, quibus observat mandata, crescere in gratia; sed ad observationem mandatorum non requiritur actus charitatis intensior habitu : ergo.

Prob. 2° : Actus charitatis etiam remissus habet omnes conditiones requisitas ad meritum de condigno augmenti charitatis : ergo. Prob. ant. Actus charitatis remissus est supernaturalis, ab homine grato et amico in obsequium Dei factus, et a Deo ordinatus ad præmium, siquidem actibus etiam minimis, ut calici aquæ dato in suo nomine, promittat mercedem : hæ autem sunt conditiones meriti de condigno, ut expendimus in tract. de Gratia, dissert. 8, art. 1 : ergo.

Prob. 3° ab absurdo. Ex opposita sententia sequeretur, quod actus remissior quandoque mereretur augmentum charitatis et non mereretur actus intensior; pone enim quod homo habens charitatem ut duo, eliciat actum charitatis ut tria, et alter habens charitatem ut decem eliciat actum charitatis ut octo, primus merebitur augmentum charitatis, non alter; hoc autem videtur absurdum, cum actus charitatis ut octo sit dignior præmio quam actus charitatis ad tria : ergo.

Obj. 1° : S. Th. in 1, d. 17, q. 2, a. 3 ad 2, dicit : « Quilibet actus charitatis, in quantum est informatus tali habitu, ordinatur ad præmium substantiale, non tamen ad augmentum præmii, sed nec ad augmentum charitatis. » Nihil videtur expressius pro sententia Durandi.

Quorumdam responsio est S. Thomam hanc sententiam retractasse in locis citatis pro conclusione, in quibus docet aperte contrarium. Sed non videtur necesse recurrere ad retractationem.

Respondent ergo alii S. Thomam loqui de primo actu charitatis, qui est ultima dispositio ad primam infusionem gratiæ, qui licet sit intensissimus, non ordinatur ad augmentum præmii nec charitatis, sed solum ad præmium substantiale, cum sit primus qui hominem præmio dignum reddat, nec supponat præmium quod augeat. Hæc solutio facilis est, sed utrum sit ad mentem S. Thomæ non ita constat : unde, illa in sua probabilitate relicta,

Verius mentem S. Thomæ attingere videntur qui respondent ipsum nihil aliud velle quam quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum statim conferendum, ut art. seq. explicabimus; tum quia, ibid. in corp., dicit in terminis, quod « actus, qui est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis et per modum dispositionis et per modum meriti »; per modum dispositionis proximæ et ut statim conferatur, si sit intensus; per modum dispositionis remotæ, si sit remissus, ut explicat ibid; tum quia, in resp. ad 2, quæ objicitur, non dixit simpliciter, quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum charitatis, sed quod « non ordinatur ad augmentum charitatis, secundum quod charitas remanet primum principium merendi; sed solum secundum quod augmentum charitatis pertinet ad perfectionem præmii » : ergo aliquo sensu actus remissus charitatis, secundum S. Thomam, meretur augmentum charitatis, et aliquo sensu non meretur : non meretur augmentum charitatis « secundum quod charitas est primum principium merendi », id est, non statim confertur illud augmentum; quia charitas aucta physice est principium merendi etiam juxta gradum augmenti; meretur tamen augmentum charitatis « secun-

[1] Hic a. 6 ad 1 et 1 2, q. 114, a. 8 ad 3.

dum quod pertinet ad perfectionem præmii »; præmium autem merito correspondet et illud consequetur homo, quando ad illud fuerit sufficienter dispositus. Denique hanc esse mentem S. Thomæ evidentissime constat ex his quæ docet in 2, dissert. 17, q. 1, a. 5, ubi se refert ad præsentem locum qui objicitur et quem expendimus : illic ergo docet quemlibet actum charitatis mereri augmentum charitatis, sed non esse semper sufficientem dispositionem, ut de facto conferatur istud augmentum, sed solum tunc, « cum quis utitur prædicta gratia secundum proportionem suarum virium, ut in nullo gratiæ desit per negligentiam, ut in 1 lib. dist. 17 dictum est. » Ergo in 1 lib. dist. 17, quæ objicitur, nihil aliud vult quam quod actus charitatis remissus non mereatur augmentum charitatis statim conferendum.

Inst. 1° : Juxta hanc solutionem non est differentia inter præmium substantiale et augmentum charitatis, quia actus remissus non meretur etiam præmium substantiale statim conferendum : atqui, secundum D. Th., est differentia inter præmium substantiale et augmentum charitatis : ergo.

Resp. neg. maj. Ad prob. dist. Actus remissus non meretur præmium substantiale statim conferendum per accidens et ratione status, conc., quia status vitæ non est status præmii substantialis ; per se et defectu dispositionis, neg. Est enim sufficiens dispositio ad præmium substantiale; at non est sufficiens dispositio ad augmentum charitatis, nisi accedat actus ferventior, ut dicemus art. seq.

Inst. 2° : S. Th. 1 2, q. 52, a. 3, o, dicit «quod si intensio actus proportionaliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius » : ergo.

Resp. 1° S. Thomam illic agere de dispositione physica ad augmentum habitus, non morali seu meritoria, de qua nos hic agimus. 2° Actus remissus disponit ad diminutionem habitus, non per se et quatenus est actus talis virtutis, quin potius sic eum firmat et ad augmentum remote disponit, sicut plures guttæ disponunt ad cavationem lapidis, quam ultima gutta complet, ut docet hic S. Doct. in corp. art. et ad 2, sed per accidens disponit ad diminutionem, quatenus qui remisse operatur facile dat locum contrariis actibus, quibus habitus corrumpitur.

Obj. 2° : Qui male utitur acceptis non meretur majora accipere, sed qui habens habitum intensum remisse operatur, male utitur habitu, cum actus non sit proportionatus intensioni habitus : ergo.

Resp. neg. min. Cum enim nullum sit præceptum utendi habitu secundum totam suam latitudinem, qui illo remisse utitur, non male utitur, sed facit actum bonum, quantum sufficit ad observationem præceptorum, etsi non meliori quo posset modo bono illo utatur.

Obj. 3° : Inter meritum de condigno et præmium debet esse æqualitas : atqui inter actum remissum charitatis et ejus incrementum non est æqualitas, ut patet : ergo.

Resp. dist. min. Non est æqualitas in esse physico, conc.; in esse morali, neg. Quamvis enim incrementum excedat entitatem actus remissi, non tamen excedit ejus valorem sumptum ex gratia et charitate a quibus procedit; cum enim hunc valorem non excedat ipsa gloria æterna, a fortiori nec augmentum charitatis.

Obj. 4° : Continuatio actus charitatis, si non sit cum majori intensione, non meretur augmentum charitatis : ergo nec multiplicatio actuum remissorum. Patet conseq. Quia alias foret pejoris conditionis qui continuaret per horam, quam qui sæpe intra idem tempus interrumperet. Prob. ant. : 1° quia sequeretur quod qui continuaret actum charitatis per horam, mereretur augmentum infinitum, quia sunt infinitæ partes horæ; 2° ex duobus hominibus qui inciperent simul actum charitatis cum proposito efficaci continuandi per horam, si unus ante horam completam moriatur, non minus merebitur de præmio essentiali quam alter : ergo continuatio nihil addit.

Ante responsionem suppono quod qui continuat actum charitatis per horam, cæteris paribus, plus mereatur quam qui intra eamdem horam pluries multiplicat actus charitatis, etenim actus continuatus meretur quantum omnes multiplicati, et aliquid plus propter durationem tempore interruptionis illorum.

Resp. neg. ant. Ad primam probat. neg. ant. Ad ejus probat. dist. Sunt infinitæ partes proportionales et indeterminatæ horæ, conc.; partes aliquotæ et determinatæ, neg. Meritum autem determinatum correspondet partibus aliquotis et determinatis, non proportionalibus et indeterminatis, nisi prout continentur in aliquotis et determinatis. Ad secundam probat. neg. conseq. Quia propositum efficax continuandi per horam pro facto reputatur, et ideo tam est meritorium præmii essentialis, quam

continuatio exercita, quæ se habet ad intensionem efficacem, sicut actus exterior ad intenorem; actus autem exterior, ut dictum est in 1, 2, nihil addit interiori in ordine ad præmium essentiale : secus esset ideo si, sine hujusmodi proposito, unus continuaret per horam et alter morte præventus non continuaret.

Verum gravior difficultas est, quandonam conferatur istud gratiæ et charitatis augmentum, quod actus remissi merentur. Pro cujus enodatione sit

ARTICULUS III.

QUANDONAM CONFERTUR AUGMENTUM GRATIÆ ET CHARITATIS ACTIBUS REMISSIS DEBITUM?

Quidam, attendentes ad solam rationem meriti, volunt istud augmentum conferri statim ac elicitur actus meritorius, sive intensus sit, sive remissus. Alii, attendentes non solum ad rationem meriti, sed etiam ad rationem dispositionis, dicunt illud conferri quando homo per actum ferventiorem ad illud erit dispositus : et hi iterum dividuntur: quidam dicunt conferri quando homo in hac vita prorumpit ex auxilio divino in actum ferventiorem habitu, quod iterum dupliciter intelligitur : 1° de augmento correspondente actibus remissis præter illud quod correspondet et debetur actui ferventiori; 2° de uno et eodem augmento quod confertur duplici titulo, scilicet titulo actuum remissorum et titulo præsentis actus ferventioris. Alii denique dicunt quod istud augmentum non conferatur nisi in altera vita, quibus subscribimus.

Sed pro hujus sententiæ intelligentia, notandum est gratiam et charitatem posse considerari dupliciter : 1° in esse physico, quatenus sunt qualitates; 2° in esse morali, prout dicunt jus ad gloriam ut mercedem.

Si dicas jus ad gloriam fundari in gratia et charitate physice sumptis, resp. id verum esse de jure physico et intrinseco ad gloriam ut hæreditatem, quale competit infantibus post baptismum decedentibus ; non vero de jure morali et extrinseco ad gloriam ut mercedem, illud enim fundatur in bonis operibus quæ Deus acceptat ad gloriam ut coronam et mercedem. Sicut si filius regis, regni hæres, insignibus heroicis factis a patre propositis coronam meruisset, duplex jus ad regnum haberet: unum physicum et intrinsecum in navitate fundatum ad regnum ut hæreditatem ; alterum morale et extrinsecum fundatum in egregiis factis ad regnum ut coronam et præmium.

Dico 1° : Gratia et charitas statim moraliter augentur per actus remissos, seu, quod idem est, homo per actus charitatis remissos acquirit jus novum ad augmentum gratiæ, charitatis et gloriæ. Patet ex art. præced., ubi probavimus hominem per actus remissos mereri de condigno augmentum gratiæ, charitatis et gloriæ; meritum autem est jus ad præmium. Vide Auctorem conclusione sequenti.

Dico 2° : Gratia et charitas [1] non statim augentur in esse physico per actus remissos.

Hanc et priorem conclusionem docet in terminis S. Th. locis citatis: primo loco: « Quilibet, inquit, actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum. » Secundo loco : « Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut et gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed, sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum.»

Prob.: Augmentum gratiæ et charitatis non confertur nisi juxta dispositionem subjecti : atqui actus remissi, puta ad duo in habente charitatem ut sex, non sunt dispositiones sufficientes ad augendam physice charitatem ultra sex, cum sint tali augmento improportionati et imperfectiores ipso habitu : ergo. Prob. maj. 1° Gratia et charitas non infunduntur adultis nisi juxta dispositiones subjecti, ut probavimus de Gratia, dissert. 6, art. 3 : atqui eadem est ratio augmenti et primæ productionis, ut jam diximus, cum augmentum sit veluti continuata rei productio : ergo. 2° De spiritualibus, proportione servata, loquendum est sicut de naturalibus, nisi contrarium ex revelatione constet, id enim exigit suavis Dei providentia, ut de supernaturalibus disponat sicut de naturalibus quæ nobis sunt nota ; alias cuilibet fas erit fingere quodlibet circa supernaturalia : atqui effectus naturales, sive in augmento, sive in prima productione, non producuntur nisi juxta dispositiones subjecti : ergo.

Hac ratione Auctor hic probat augmentum charitatis fieri in nobis, sicut augmentum ani-

[1] Hic a. 6 ad 1 et 1 2, q. 111, a. 8 ad 3.

malis aut plantæ : « Per aliquod tempus, inquit, natura operatur disponens ad augmentum, et nihil augens actu : et postmodum producit in effectum id ad quod disposuerat, augendo ipsum animal vel plantam in actu. Ita etiam non quolibet actu charitatis charitas actu augetur ; sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem; et, habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum, et tunc charitas augetur in actu. »

Dico 3° : Quando justus prorumpit in actum ferventiorem, augmentum charitatis, quod acquirit, correspondet isti soli actui ferventiori, non actibus prioribus remissis, ita ut non sit unum præmium duplici titulo collatum. Est contra Bannem et Contensonum.

Prob. 1° Juxta Trid., sess. 6, cap. 10, justus per bona opera, quibus observat mandata, crescit in gratia et charitate, adeoque per actus remissos qui sufficiunt ad observationem mandatorum : atqui, si sit idem augmentum correspondens actui intensiori et actibus remissis, per istos non crescit in gratia et charitate, cum propter illos non plus recipiat quam si non præcessissent : ergo.

Prob. 2° : Inter meritum de condigno et præmium debet servari æqualitas : atqui, si augmentum gratiæ et charitatis, quod respondet actui intensiori, idem conferatur alio titulo actibus remissis, non servatur æqualitas ; hi enim actus remissi fraudantur suo præmio ; sicut, si laborans per sex dies in vinea mereatur quotidie viginti asses, et in fine hebdomadæ dentur tantum illi semel viginti asses pluribus titulis, fraudatur sua mercede, nec servatur æqualitas inter meritum et præmium : ergo.

Prob. 3° ab absurdis : Ex opposita sententia sequitur 1° quod justus, qui per plures annos, actus remissos mille et amplius elicuisset, si non eliciat actum ferventiorem et sic moriatur, perpetuo carebit præmio suis actibus remissis debito. 2° Sequitur quod qui innumeros actus remissos ut octo per longam vitam elicuisset, et moriendo eliciat actum intensum ut decem, non obtineat majus præmium essentiale quam flagitiosissimus, qui in fine vitæ elicit actum charitatis ut decem. 3° Sequitur quod qui habet charitatem tantum ut duo, et elicit actum charitatis ut quatuor, melioris conditionis sit quam qui habet charitatem ut decem et elicit actum ut octo; quia primo confertur præmium distinctum a præmio quod cuilibet alteri actui correspondet, non secundo ; hæc autem esse absurda nemo non sentit : ergo.

Dico 4°: Augmentum debitum actibus remissis non confertur in hac vita, sed differtur usque ad ingressum gloriæ, seu ad primum instans glorificationis. Ita Joannes a S. Th., Serra, de Marinis, Gonet, etc.

Prob. prima pars : Justus nunquam est sufficienter dispositus in hac vita ad augmentum gratiæ et charitatis debitum actibus remissis : ergo. Prob. ant. Quando justus elicit actum ferventiorem, per illud disponitur ad augmentum huic actui correspondens et simul illud meretur atque recipit : atqui istud augmentum adæquate actui ferventiori respondet et pro solo illo datur ac si nullus actus remissus præcessisset, ut probatum est : ergo nulla relinquitur dispositio ad augmentum actibus remissis debitum.

Prob. secunda pars : Justus in ingressu gloriæ, seu in primo instanti glorificationis ex clara Dei visione, erumpit in actum ferventissimum tantæ intensionis quantæ fuit meritum actuum remissorum ; et cum ille actus non sit meritorius, quia non est amplius viatoris, sed tantum dispositio physica, totum augmentum huic dispositioni proportionatum correspondebit solis actibus remissis elicitis in via : ergo.

Confir. Actus remissi, quibus homo meruit de condigno augmentum gratiæ et charitatis, non possunt fraudari suo præmio : atqui illud recipere non possunt in hac vita defectu dispositionis, ut probatum est : ergo recipiunt in patria.

Atque ita colligimus ex S. Th. qui, q. 93 suppl., a. 3, quærens quomodo mansiones in cœlo distinguantur per diversos gradus, dicit : « Distinguuntur mansiones secundum charitatem patriæ, quæ quanto in aliquo erit perfectior, tanto reddet eum capaciorem divinæ charitatis, secundum cujus augmentum augebitur perfectio divinæ visionis. » Ergo, juxta D. Th., actus charitatis in patria disponit hominem ad divinam visionem, ita ut, quamvis procedat a divina visione in genere causæ efficientis, visio tamen ab illa procedat in genere causæ dispositivæ : causæ enim sunt sibi invicem causæ in diverso genere: « Sic calor, inquit Auctor 3 p., q. 7, a. 13 ad 2, qui est dispositio, scilicet ultima, ad formam ignis, est effectus profluens a forma ignis ». Et cum iste actus charitatis patriæ, disponens ad gradum gratiæ et gloriæ,

non sit amplius meritorius, sed tantum dispositio physica, habemus actum physice disponentem ad augmentum actibus remissis debitum, quod in hac vita, defectu dispositionis physicæ, non sunt consecuti.

Sed petes unde scimus quod iste actus charitatis patriæ adæquet aut superet in intensione omnes actus remissos viæ? id enim est divinare.

Resp. id nos scire : quia, cum actus remissi viæ mereantur augmentum gratiæ et gloriæ, consequenter merentur quæ sunt necessaria ad istud augmentum ; qui enim dat formam, dat necessaria ad formam ; cum autem ad augmentum gratiæ et gloriæ, si connaturali modo fiat, requiratur dispositio, et actus charitatis in patria ad illud disponat, ut diximus ex Auctore, sequitur quod qui meruit augmentum gratiæ et gloriæ in tali gradu habeat actum charitatis intensum in eodem gradu, qui sit ultima dispositio ad istud augmentum, consequenter tantum intensum quantum actus remissi meruerunt in via de augmento gratiæ et gloriæ.

Si inde inferas sublimem gloriam obtenturos illos qui sæpe in hac vita actus charitatis remissos elicuerunt, annuo ; neque in hoc ullum est inconveniens.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra secundam conclusionem : Juxta concilium Trid., sess. 6, cap. 10 et 16, et can. 24, communemque sensum fidelium, justi per bona opera quotidie crescunt in accepta justitia suamque salutem promovent : ergo per quodlibet opus bonum augetur in eis phycice gratia et charitas.

Resp. neg. conseq. Vere enim ille quotidie crescit in accepta justitia et salutem suam promovet qui quotidie acquirit novum jus ad gratiam et gloriam, licet actu eam non recipiat quotidie: sic operarius laborans quotidie in vinea dicitur crescere in divitiis et promovere suas facultates, quia quotidie acquirit jus novum ad mercedem, licet physice eam non accipiat nisi in fine hebdomadæ.

Obj. 2° contra eamdem : Actus remissus est dispositio sufficiens tam ad infusionem gratiæ et charitatis, quam ad ejus augmentum per sacramenta : sic attritio est dispositio sufficiens ad infusionem gratiæ et charitatis in sacramento pœnitentiæ : similiter actus charitatis ut duo est dispositio sufficiens ad augmentum gratiæ et charitatis in communicante : ergo etiam extra sacramenta.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod gratia sive ejus augmentum conferatur per sacramenta ex opere operato ; et ideo Deus supplet partem dispositionis in adultis, sicut supplet totam in infantibus qui baptizantur : extra sacramenta vero tam gratia quam ejus augmentum habentur ex opere operantis per actus contritionis et charitatis, tanquam per dispositiones physicas, quas ideo Deus non supplet.

Inst. : Secundum Trid., sess. 6, c. 7, sacramenta causant gratiam « juxta propriam cujusque dispositionem » : ergo nulla disparitas.

Resp. dist. ant. Sacramenta causant gratiam juxta cujusque dispositionem, arithmetice, neg. ; proportionaliter, conc. Non itaque gratia per sacramentum collata sic commensuratur dispositioni pœnitentis, quasi dispositio debeat esse tanta quanta est gratia, ita ut, si gratia sit ad quatuor, etiam dispositio sit ad quatuor ; commensuratur tamen proportionaliter, quia, quo major est dispositio in suscipiente sacramentum, eo majorem accipit gratiam : et hoc sensu intelligendum est Trid.

Obj. 3° contra eamdem : Actus remissus meretur de condigno augmentum statim conferendum, cum ejus valor adæquet augmentum statim conferendum æque ac postea conferendum ; non enim fit præstantius augmentum dilatum quam præsens : atqui id quod cadit sub merito de condigno confertur infallibiliter : ergo.

Resp. posse negari majorem : Non enim meretur de condigno augmentum conferendum nisi connaturaliter ; non confertur autem connaturaliter nisi adsit sufficiens dispositio. Vel dist. maj. Meretur augmentum statim conferendum per se, transeat ; per accidens, neg. Esto igitur valor adæquet præmium statim conferendum, quia tamen non confertur absque sufficienti dispositione, per accidens defectu hujus dispositionis non meretur statim conferendum.

Inst. : Qui habens charitatem ut duo elicit actum charitatis ut tria, statim accipit augmentum charitatis : ergo a fortiori qui habens charitatem ut octo elicit actum ad sex. Patet conseq. Quia majoris dignitatis et meriti est actus ad sex quam ad tria : et alioquin sequeretur quod habens charitatem ut octo foret pejoris conditionis quam qui habet charitatem ut duo : ergo.

Resp. neg. conseq. Ad primam probat. neg. conseq. Quia collatio actualis augmenti gratiæ non attenditur solum penes dignitatem actus, sed etiam penes dispositionem physicam, quæ in habente charitatem ut octo deest: unde ex majori dignitate tam actus quam habitus sequitur quidem meritum ad majus augmentum, sed non statim conferendum. Ad secundam probat. neg. sequelam : Qui enim habet charitatem ut octo, cum jure ad augmentum, licet absque actuali augmento, semper est melioris conditionis quam qui habet charitatem ut duo cum augmento actuali ut tria. Quod si primus non recipiat statim suum augmentum, hoc non provenit ex majori sua dignitate, sed quia ad collationem actualem augmenti non requiritur solum meritum, sed etiam dispositio quæ deest. Aliunde non privabitur suo augmento, sed suo tempore conferetur.

Obj. 4° contra eamdem : Gratia et charitas non potest augeri moraliter quin augeatur physice : atqui quolibet actu augetur moraliter: ergo et physice. Prob. maj. Gratiam et charitatem augeri moraliter est acquirere novum jus ad gloriam : atqui jus ad gloriam fundatur in gratia et charitate physice existente : ergo.

Resp. neg. maj. Ad probat. dist. min. Jus physicum et intrinsecum ad gloriam ut hæreditatem fundatur in gratia et charitate physice existente, conc. ; jus morale et extrinsecum ad gloriam ut præmium, neg. Solutio patet ex notamine in capite articuli.

Inst. : Non datur jus sive physicum, sive morale ad gloriam secundum se, sine gratia et charitate physice existente : ergo non datur jus sive physicum sive morale ad majorem gloriam sine gratia et charitate physice majori.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod, sine gratia et charitate physice existente, homo non sit filius nec hæres, sed peccator et inimicus, proindeque privatus omni jure ad gloriam ; sed qui habet gratiam et charitatem, quamvis non auctam physice, non impeditur quominus ex illa possit facere actus bonos, consequenter meritorios, in quibus fundatur jus morale ad majorem gloriam.

Obj. 5° contra tertiam conclusionem : Idem præmium meruit Christus diversis titulis. Et juxta Trid. eadem gloria datur justis ut hæreditas et ut præmium : ergo potest idem augmentum gratiæ et charitatis dari titulo actuum remissorum et præsentis actus ferventioris.

Resp. neg. conseq. Quantum ad primum, disparitas est quod, cum quodlibet opus Christi meritorium esset infinitum in ratione meriti, nihil restabat quod per subsequentia opera posset mereri ; ideoque idem variis titulis merebatur quia aliter fieri non poterat ; non sic autem in nostro casu.

Quantum ad secundum, disparitas est quod, licet per gratiam constituamur filii adoptivi, adeoque ejus gloriæ hæredes, noluit tamen Deus eam nobis conferre nisi propter merita, quia talis modus acquirendi est nobilior et nobis gloriosior, et ideo sunt tituli diversæ rationis ; qua de causa non est inconveniens quod eadem gloria propter utrumque detur, atque hoc sensu dixit S. Th. in 3, dist. 18, q. unica, a .5, objectus a Contensono, « quod quis meretur, quando facit sibi debitum uno modo, quod debeatur alio modo. » At vero omnia nostra merita, prima et secunda, sunt ejusdem rationis : unde est disparitas.

Inst.; Juxta S. Thomam, resurgenti per pœnitentiam idem præmium essentiale retribuitur duplici titulo, scilicet propter merita præcedentia quæ reviviscunt et propter præsentem charitatem in qua resurgit : ergo idem augmentum gratiæ et charitatis datur propter actus remissos et propter actum intensiorem.

Resp. neg. ant. Pro quo et aliis spectantibus hanc conclusionem, vide tract. de Pœnitentia, dissert. 3, a. 5, § 2, præsertim object. 3.

Obj. 6° contra quartam conclusionem : Augmentum gratiæ et charitatis est præmium viæ, sicut augmentum gloriæ est præmium patriæ ; ergo.

Resp. 1° augmentum charitatis esse etiam præmium patriæ ; nullus enim negat charitatem quoad habitum et actum augeri in patria, maxime cum pertineat ad objectum saltem secundarium beatitudinis. 2° Dist. ant. Augmentum charitatis est præmium viæ respective ad aliquos actus, conc., actus enim intensiores consequuntur in via suum augmentum ; quoad omnes, subdistinguo : per se, conc., per se enim, si adesset dispositio, consequerentur omnes suum augmentum ; per accidens, neg. Quia defectu dispositionis, quæ non est in hac via et erit in patria, non consequentur hic suum effectum, sed consequentur per accidens in patria : et sic remanet quod augmentum charitatis sit semper præmium viæ. Augmentum autem gloriæ est semper præmium patriæ, quia nunquam in via datur sufficiens dispositio physica ad illam.

Quod objici posset actum intensum charita-

tis in patria procedere a visione beatifica, præoccupatum est in fine probationum ejusdem conclusionis.

ARTICULUS IV.

DE DIMINUTIONE ET AMISSIONE CHARITATIS.

§ I.

Utrum charitas possit diminui?

Non est quæstio de charitate actuali; certum est enim actus charitatis esse modo intensiores, modo remissiores; sed de ipso habitu charitatis.

Dico: Charitas habitualis [1] non potest diminui directe, bene tamen indirecte: est communis.

Prob. prima pars: Diminutio directa charitatis potest attendi vel ex parte objecti, vel ex parte subjecti: atqui neutro modo potest minui: ergo. Prob. min. Non ex parte objecti, quia minima charitas diligit omnia quæ sunt ex charitate diligenda; non ex parte subjecti quasi tollatur aliquid de essentia habitus charitatis, id enim importat diminutio directa; quia id fieret vel per cessationem ab actu, vel per actum positivum: non per cessationem ab actu, quia charitas habitualis non causatur ab humanis actibus, sicut habitus acquisiti, sed solum a Deo: ergo per cessationem ab actu, si ista cessatio non sit peccatum mortale, non minuitur nec corrumpitur habitus charitatis. Non per actum positivum peccaminosum; quia peccatum istud vel erit mortale, vel veniale: si mortale, non diminuit, sed totaliter destruit charitatem; si veniale, non potest diminuere charitatem, neque effective, seu physice, neque demeritorie: non effective, quia ad ipsam charitatem non attingit; charitas enim est circa finem ultimum, veniale autem est inordinatio quædam circa ea quæ sunt ad finem; non autem diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea quæ sunt ad finem: sicut aliquando contingit quod aliqui infirmi, multum amantes sanitatem, inordinate tamen se habent circa dietæ observantiam: sicut etiam in speculativis falsæ opiniones circa ea quæ deducuntur ex principiis non diminuunt certitudinem principiorum. Non demeritorie; ex hoc enim quod aliquis delinquat in minori, non meretur pati detrimentum in majori: sic enim non esset proportio inter demeritum et pœnam, magisque Deus se averteret ab homine quam homo a Deo: ergo.

Confir. Si peccata venialia diminuerent charitatem, tandem possent illam destruere, cum enim charitatis gradus sint finiti, et omne finitum per detractionem finiti absumatur, tot possent multiplicari venialia, ut tandem charitatem destruerent, quod nemo admittit et est contra Trid., sess. 6, cap. 11.

Ad hanc confirmationem respondent 1° primos gradus esse amissibiles propter venialia, non ultimum, quia tollere primos est diminuere, tollere vero ultimum est destruere, quod non fit nisi per peccatum mortale; 2° gradus, per peccata venialia deperditos, reparari posse per bona opera, quæ justus facit.

Sed contra primum: Ultimus gradus non est alterius rationis nec majoris firmitatis quam priores; si ergo priores possint tolli per peccata venialia, quidni ultimus? Si dicas ultimum veniale fieri mortale ratione destructionis charitatis: contra: cum nullus possit scire quando est in ultimo gradu charitatis, teneretur sub mortali vitare peccata venialia, quod est absurdum. Contra secundum: Potest contingere quod homo diu maneat absque exercitio bonorum operum, aut saltem pauca exerceat, et interim innumera peccata venialia committat.

Prob. secunda pars: Charitas habitualis [1] dicitur indirecte minui: 1° quantum per peccata venialia minuitur ejus fervor, non intrinsecus tamen, qui est ipsa intensio habitus, sed extrinsecus, id est, impeditur per peccatum veniale ejus applicatio ad ordinandum in finem ultimum materiam circa quam peccatur venialiter. Quod si homo retineat habitualiter illum affectum ordinatum ad peccatum veniale, dicitur minuere fervorem charitatis habitualiter, quia impedit habitualiter dictam applicationem; sicut qui habet brachium habitualiter ligatum non potest movere quamdiu est ligatum, licet nihil de virtute intrinseca amittat. 2° In quantum per peccata venialia, cessationem ab actibus charitatis et tepidam vivendi rationem, generantur pravæ inclinationes quæ reddunt difficile charitatis exercitium; et meretur homo ut Deus illi subtrahat auxilia specialia. 3° Denique quia peccata venialia disponunt ad mortale, quo charitas destruitur.

Dices 1°: Charitas potest augeri: ergo et diminui.

[1] Hic a. 10, o. [2] Ibid.

[1] Ibid.

Resp. neg. conseq. Quia potest assignari causa augmenti, non diminutionis.

Inst. : Potest assignari Deus qui, sicut confert charitatem se præparanti, minorem minus se præparanti, ita conservat charitatem minorem minus se præparanti.

Resp. neg. ant. Ad probat. neg. paritatem. Disparitas est quod ad infusionem gratiæ et justificationem requiratur motus liberi arbitrii, ut ostendimus in tract. de Gratia, dissert. 6, a. 3. Non requiritur autem ad conservationem, ut patet in dormiente, in quo sine motu liberi arbitrii conservatur gratia et charitas habitualis.

Dices 2° : Amicitia humana minuitur per leves offensas : ergo et divina.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod amicitia humana sit quid acquisitum actibus nostris, quod ideo actibus nostris contrariis minuitur; secus charitas quæ est habitus infusus. 2° Disparitas est quod amicitia humana multum pendeat ab extrinseca communicatione : unde sola cessatione communicationis, quæ per leves offensas potest contingere, minuitur : at amicitia charitatis consistit in habitu infuso semper remanente, nisi per peccatum mortale tollatur.

§ II.

Utrum charitas possit amitti?

Dico : Charitas potest amitti.

Est contra Jovinianum : item contra begardos [1] et beguinas damnatos in concilio Viennensi, Clementina *Ad nostram* de hæreticis; et contra Calvinum damnatum in concilio Trident., sess. 6, cap. 12, 13 et 14, et c. 23, his verbis : « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum qui labitur et peccat nunquam vere fuisse justificatum.... anathema sit.

Prob. ex S. Scriptura : Ezech. 18 : *Cum averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, morietur in eis;* Galat. 5 : *Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini, a gratia excidistis;* Rom. 11 : *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time;* 1 Corinth. 9 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Confir. Adam, David, S. Petrus erant justi, et tamen peccando a justitia et charitate exciderunt. Item omnes infantes qui baptizantur accipiunt per baptismum gratiam et charitatem. Quis dicat eos omnes nunquam a gratia et charitate peccando excidere ?

Suffragantur SS. Patres : Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ et de lapsis, Tertull. de Præscript. cap. 3, Ambros. in libris de Pœnitentia, Hieron. lib. 2 cont. Jovin., Augustinus, epist. 107 et lib. *de Correpl. et Grat.* cap. 12, 13, 14, Prosper ad capitula Gallorum cap. 2 et 7, et alibi.

Prob. ratione [1] : Eæ solæ formæ sunt inamissibiles quæ replent totam capacitatem materiæ seu subjecti, ut sunt, v. g. formæ cœlorum; quæ autem non replent totam capacitatem materiæ, seu subjecti, ut sunt formæ sublunarium, sunt amissibiles per introductionem alterius formæ: atqui, licet charitas patriæ repleat totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum clare visum in se, et semper est in actu, ideoque inamissibilis, charitas tamen viæ non replet totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum obscure tantum et imperfecte cognitum, nec semper est in actu: unde, quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere per quod charitas amittatur ex mutabilitate arbitrii : ergo.

Dices 1° : 1 Joan. 3, dicitur : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est :* ergo. Hoc fuit fundamentum Calvini.

Resp. sensum horum verborum esse compositum, scilicet justum quamdiu manet justus, seu servat semen Dei quod est gratia et charitas, non posse peccare mortaliter, sic ut peccatum mortale stet cum gratia et charitate : patet quia scopus S. Joannis erat discernere inter filios Dei et filios diaboli, et assignare aliquod signum quo possent discerni et cognosci ; hoc autem assignat, quod qui facit peccatum mortale sit filius diaboli, qui non facit sit filius Dei. Vide Wigers hic.

Dices 2° : Cantic. 8, dicitur : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem;* Apost. Rom. 8 : *Certus sum quod neque mors, neque vita..... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei;* 1 Cor. 13 : *Charitas nunquam excidit;* 1 Joan. 2 : *Si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum;* Proverb. 17 : *Omni tempore diligit qui amicus est :* unde S. Aug. Epist. ad Julianum comitem, dicit : « Charitas, quæ deficere potest, nunquam vera fuit » ; et S. Hieronymus Epist. 40 : « Amicitia,

[1] Ibid. a. 11, o.

[1] Ibid.

quæ deficere potest, nunquam vera fuit » : ergo.

Resp. ad primum, secundum communem interpretationem, per charitatem hic intelligi eam qua Christus Ecclesiam sponsam suam diligit, et Ecclesia Christum sponsum suum. Quod si intelligatur de charitate particularium, sensus est quod quamdiu quis voluerit retinere charitatem, neque tribulationes, neque alia quæcumque possent illam eripere, licet ex libertate arbitrii possit velle illam amittere peccando.

Ad secundum, juxta plures, idem est sensus, scilicet quod nulla creatura possit nos invitos et nolentes a Dei charitate separare, sed soli nos ipsi prava voluntate. Nam, ut docet S. Aug., lib. *de Moribus Ecclesiæ*, c. 11 et seq. : « Ita his adstruitur potentia et efficacia divini erga nos affectus, ut tamen metus relinquatur propriæ malitiæ et negligentiæ. » Unde τo *Certus* non significat omnimodam et absolutam certitudinem, sed solum ex parte Dei; ex nostra autem conditionatam, si Deo cooperari, nec ab eo separari velimus : et idem est ac spero, confido, persuasum habeo. Ita Tyrinus post SS. Ambrosium, Hieron. et alios.

Alii intelligunt hæc verba de prædestinatis, de quibus paulo antea dixerat : *Quis accusabit adversus electos Dei.* Dicunt itaque Paulum non in propria persona, sed in persona electorum asserere, quod nihil possit prædestinatos separare ab ea dilectione qua Deus ipsos diligit, neque illos prædestinatos separare finaliter a charitate qua Deum diligunt : quamvis enim contingat prædestinatos a charitate cadere, certum est tamen quod tandem illam finaliter recuperabunt.

Ad tertium, sensus non est, quod charitas in particularibus nunquam excidat, sed quod ea, quæ habetur finaliter in via, remaneat in patria.

Ad quartum, sensus est: Si fuissent ex nobis perfectis, solidis et constantibus christianis, ut interpretantur SS. Cyprianus, Cyrillus, Hieronymus apud Tyrinum; vel si fuissent ex prædestinatis, ut interpretatur S. Aug. *de Correpl. et Grat.* cap. 9 et *de Dono Persev.* cap. 8.

Ad quintum, sensus est, quod quamdiu est amicus, diligat tam in adversis, quam in prosperis; cum quo stat quod ex mutabilitate voluntatis possit desinere esse amicus tam in prosperis quam in adversis.

Ad verba S. Aug. quæ citantur, c. *Charitas* 3 de Pœnitentia, observat doctissimus Sylvius ea nunc reperiri in libro de salutaribus documentis ad quemdam comitem, qui liber falso adscribitur S. Augustino. Sed esto ea verba esse S. Augustini; sensus est, juxta Auctorem[1], quod charitas, quæ ex ipsa ratione charitatis deficere potest, puta, si quis haberet in amore, quod vellet amare ad tempus, et non amplius postea, non sit vera charitas seu amicitia; sed si charitas amittatur ex mutabilitate subjecti contra propositum charitatis, hoc non repugnat veritati charitatis et amicitiæ. In eodem sensu intellige verba S. Hieronymi, nisi τo *Vera* sumas pro constanti et stabili. Alioquin culpandus foret ipse S. Hieronymus quod veram amicitiam non coluisset cum Rufino a quo semel et iterum discessit.

Dices 3° : Charitas est nobilior charactere, sed character non potest amitti : ergo nec charitas.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod charitas, etsi nobilior, habeat contrarium a quo possit destrui, non character; 2° quia charitas quantum ad sui conservationem pendet a libero arbitrio, character a solo Deo ipsum conservante.

Dices 4° : Liberum arbitrium[2] non inclinatur ad peccandum nisi per aliquod peccandi motivum : atqui charitas excludit omnia motiva peccandi : ergo.

Resp. dist. min. Charitas excludit omnia motiva peccandi quando est in actu, conc., quia tunc actu diligit Deum super omnia; quando non est in actu, neg. Tunc enim potest intervenire aliquod motivum peccandi, cui liberum est homini consentire; quia, quamvis charitas habitualis importet propositum non peccandi, non facit tamen hoc propositum inviolabiliter observari propter mutabilitatem voluntatis.

§ III.

Utrum per unum peccatum mortale amittatur charitas?

Dico : Per unum peccatum[3] mortale amittitur charitas.

Est de fide decisa in concilio Trid., sess. 6, cap. 15, his verbis : « Asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti. » Et Joan. 14 : *Qui diligit Deum mandata ejus servat;* qui autem peccat mortaliter, mandata Dei non servat : ergo non diligit Deum.

[1] Ib. ad 2. [2] Ib. ad 4. [3] Ibid. a. 12, o.

Prob. insuper argumentis theologicis[1]: 1° Per peccatum mortale, homo fit dignus morte æterna, Rom. 6 : *Stipendia peccati mors :* et quilibet habens charitatem est dignus vita æterna : atqui nemo potest esse simul dignus morte æterna et vita æterna : ergo.

2° Unum contrarium pellitur[2] per aliud contrarium superveniens : atqui quodlibet peccatum mortale contrariatur charitati secundum propriam rationem; charitas enim est unio amicitiæ cum Deo, ut ultimo fine, peccatum mortale est aversio a Deo, ut ultimo fine; charitas facit hominem velle diligere Deum super omnia, et se omnibus ejus præceptis subjicere; peccatum mortale præfert creaturam Deo et violat ejus præcepta : ergo.

Nec obstat[3] quod actus non contrarietur directe habitui, quodque ideo unus actus non destruat habitum acquisitum contrarium. Disparitas est quod habitus acquisitus, tam in acquisitione quam in conservatione, pendeat a virtute subjecti : unde, sicut pluribus actibus acquiritur, uno actu non destruitur; at habitus infusus, ut est charitas, dependet ex Dei actione infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione charitatis, sicut sol in illuminatione aeris; et ideo sicut lumen statim cessaret in aere per hoc quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi solis, ita etiam charitas statim desinit esse in anima per hoc quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ charitatis a Deo in animam : manifestum est autem quod per quodlibet peccatum mortale, quod est destructio amicitiæ cum Deo, aversio ab illo ut ultimo fine et prævaricatio mandatorum ejus ponatur prædictæ influentiæ obstaculum.

Dices 1° : Fides et spes sunt virtutes infusæ, nec tamen amittuntur per quodlibet peccatum mortale : ergo nec charitas.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod quodlibet peccatum mortale non contrariatur fidei et spei, sicut charitati; nam 1° quodlibet peccatum mortale, ut diximus, est aversio a Deo, ut ultimo fine, charitas conversio et unio cum Deo ut ultimo fine, non sic fides et spes; 2° peccatum mortale destruit objectum formale charitatis quod est diligere Deum super omnia; non sic destruit objectum formale fidei et spei; potest enim peccator adhuc credere Deo et sperare beatitudinem.

Inst. : Negare exterius fidem corde retentam, est actus contrarius fidei. Item præsumere Deum in fine vitæ fore propitium, nec abstinere a peccato, est actus contrarius spei : atqui hi actus non tollunt fidem et spem, ut suis locis diximus : ergo similiter de peccato mortali respectu charitatis.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod hi actus non destruant objectum formale fidei et spei; in primo enim remanet assensus internus rebus revelatis propter primam veritatem; in secundo manet expectatio beatitudinis ex auxilio Dei : at peccatum mortale destruit objectum formale charitatis, quod est, ut jam dixi, summum bonum super omnia et præ omnibus diligendum.

Dices 2°: S. Leo, serm. 9, *de Passione Domini,* alloquens Petrum, dicit : « Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non deficit affectus; affectus charitatis lavit verba formidinis » : ergo.

Resp. quod charitas amittitur dupliciter[1] : uno modo directe per actualem contemptum, et hoc modo Petrus charitatem non amisit; alio modo indirecte, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiæ vel timoris, et hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam cito recuperavit.

Plura alia hanc conclusionem spectantia, et quoad probationes, et quoad argumenta, vide in tract. de Gratia, dissert. 7, a. 3, ubi probavimus nequidem de potentia Dei absoluta peccatum et gratiam posse esse simul in eodem subjecto.

[1] Ibid. in a. s. c. [2] Ibid. o. [3] Ibid.

[1] Ib. ad 2.

DISSERTATIO III.

De charitate erga proximum.

D. Th. q. 25.

Diximus dissert. 1, a. 3, proximum esse objectum secundarium charitatis. Quæstio nunc est, qui veniant sub nomine proximi?

Suppono creaturas irrationales non posse diligi ex charitate [1], sicut diligimus eum ad quem habemus amicitiam, seu cui volumus bonum æternæ beatitudinis, quia hujus sunt incapaces. Possunt tamen diligi ex charitate, sicut diligimus bona quæ volumus amicis, quatenus volumus ex charitate ea conservari in gloriam Dei et in utilitatem proximi. Quæstio est itaque de creaturis rationalibus, angelis scilicet et hominibus : de angelis nullus dubitat eos esse diligendos ex charitate propter Deum ; de hominibus difficultas est de dilectione sui ipsius, proprii corporis, peccatorum et inimicorum : unde sit

ARTICULUS I.

UTRUM HOMO DEBEAT EX CHARITATE DILIGERE SEIPSUM, CORPUS SUUM ET PECCATORES?

Dico 1° : Homo debet seipsum diligere ex charitate [2].

Prob. : Homo debet diligere proximum sicut seipsum, Matth. 19: atqui debet diligere proximum charitate : ergo et seipsum. Confir. 1° : Deus, ut infinite bonus, dignus est ut omnibus amore amicitiæ diligatur : ergo homo debet propter Deum hunc amoren sibi velle : atqui hoc est se amare amore charitatis : ergo. Confir. 2° Amicitia charitatis fundatur in communicatione beatitudinis: ergo illi sunt ex charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus: atqui homo debet sibi velle beatitudinem : ergo.

[1] Hic q. 25. a 3. o. [2] Ibidem, a. 4, o.

Dices 1°: « Charitas minus quam inter duos haberi non potest », inquit S. Greg., hom. 17 in Evang. Et patet quia charitas est amicitia, quæ importat redamationem et æqualitatem : ergo homo non potest se amare amore charitatis.

Resp. dist. conseq. Ergo homo non potest se amare ex charitate [1] considerata sub communi ratione amicitiæ, conc., quia sic, prout probat argumentum, non est nisi inter duos inter quos importat unionem : attamen amor quo quis se diligit est fortior amore quo diligit alterum, quia non importat tantum unionem, sed unitatem : unde, sicut unitas est principium unionis, ita amor quo quis se diligit est forma et radix amicitiæ; homo non potest se amare ex charitate secundum propriam rationem ipsius charitatis, neg., ut sic enim est amicitia hominis ad Deum principaliter, et ex consequenti ad ea quæ sunt Dei, inter quæ etiam est ipse homo qui habet charitatem.

Dices: Amare seipsum est quid vituperabile, 1 Timoth. 3: ergo.

Resp. dist. ant. : Amare seipsum ex cupiditate [2] qua homines se amant secundum naturam sensibilem et corruptam cui indulgent, est vituperabile, conc. ; amare seipsum ex charitate secundum naturam rationalem, volendo sibi Deum ut ultimum finem, neg.

Dico 2° : Homo debet ex charitate diligere corpus suum [3], non solum ut id quod tanquam bonum vult amico, sed etiam ut id cui vult bonum. Ratio primæ partis est, quia corpus nostrum potest esse instrumentum bonorum operum quibus Deus honoretur. Ratio secundæ partis est, quia, licet corpus nostrum non sit capax æternæ beatitudinis Deum cognoscendo et amando, est tamen capax beatitudi-

[1] Ibid. [2] Ibidem ad 3. [3] Ibid. a. 5, o et ad 2.

nis participatæ quæ ex anima gloriosa in ipsum redundat.

Dices : Sancti videntur odisse corpus suum ipsum affligendo : et Paulus, Rom. 5, cupit separarari a suo corpore : ergo.

Resp. sanctos et apostolos non odisse suum corpus secundum naturam quæ bona est, sed secundum corruptionem ejus quæ aggravat animam, et infectionem concupiscentiæ quæ inclinat ad peccatum : unde laudandi sunt qui prudenter et moderate, vigiliis, jejuniis, laboribus, etc. affligunt corpus, ut subjiciatur spiritui, sicut rectus ordo postulat,et ut sit ad bona opera paratum : sic enim est odisse vitam suam in hoc mundo, et in vitam æternam illam custodire.

Dico 3° : Peccatores sunt ex charitate diligendi secundum naturam [2], non secundum culpam. Ratio primæ partis est, tum quia peccatores secundum naturam sunt capaces beatitudinis, quam ipsis propter Deum debemus velle, tum quia peccator non desinit esse proximus, juxta illud Matth. 18 : *Si peccaverit in te frater tuus.* Si frater, ergo proximus. Denique jubemur diligere inimicos, ut mox probabitur: ergo et peccatores; sunt enim inimici peccatores. Ratio secundæ partis est aperta; culpa enim contrariatur Deo et est beatitudinis impedimentum : unde dicebat David Psal. 118 : *Iniquos odio habui.*

Dices : Viri sancti apprecantur mala peccatoribus, ut Psal. 9 : *Convertantur peccatores in infernum;* Psal. 103 : *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint;* Isa. 6. : *Excæca cor populi hujus et aures ejus aggrava :* ergo.

Resp. imprecationes hujusmodi, quæ in S. Scripturis reperiuntur, tripliciter posse intelligi [1] : 1° per modum prænuntiationis, non per modum optationis; sic intelligitur illud : *Convertantur peccatores in infernum,* id est, convertentur ; et istud : *Excæca cor populi hujus,* id est, excæcabis ; 2° per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad justitiam punientis, ut sit quasi indignatio contra culpam et approbatio divinæ justitiæ, secundum illud Psal. 57 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam;* lætatur autem non in malo, sed in justitia Dei, sicut ipse Deus puniens non lætatur in punitione impiorum, ut dicitur Sap. 1, sed in sua justitia, quia *justus Dominus et justitiam dilexit.* 3° Ut desiderium referatur ad remotionem et destructionem culpæ, non ad ipsam pœnam aut malum hominis, ut scilicet peccata destruantur et peccatores salvi fiant; quo sensu intelligitur istud Psalm. 103 : *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint,* id est, secundum quod sunt peccatores et iniqui, seu secundum culpam.

Hinc colliges non licere optare damnationem æternam cuiquo adhuc in hoc sæculo viventi; tum quia non potest esse medium ad majus bonum habendum, vel ad majus malum vitandum; tum quia est contraria fini propter quem debemus charitate diligere proximum; tum denique quia de nullo est desperandum quamdiu vivit; neque etiam licet alicui desiderare ut peccet, quia peccare est simpliciter malum : licet tamen, juxta plures, desiderare ut Deus permittat aliquos peccare, ut inde humiliores et cautiores resurgant. Confer quæ dixi de maledictione in tract. de Justitia, dissert. 15, a. 4, § 3.

ARTICULUS II.

UTRUM INIMICI SINT EX CHARITATE DILIGENDI?

Dico : Inimici sunt ex charitate diligendi [1], non qua inimici, sic enim esset diligere peccatum, sed qua homines; dilectione utique communi, non speciali per se loquendo.

Prob. 1° ex illo Matth. 15 [2]: *Diligite inimicos vestros :* et ut probet Christus esse præceptum omnibus, addit : *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Est autem omnibus necessarium ad salutem esse filii Patris cœlestis.

2° In Oratione Dominica, Matth. 6, petimus ut Deus dimittat nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : ergo præceptum est dimittere inimicis, alias non dimittetur nobis. Item ibid. : *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

3° Præceptum est ut diligamus proximum : atqui inimicus est proximus; ratio enim proximi consistit in eo quod quis sit factus ad imaginem Dei et possit esse particeps æternæ beatitudinis : ergo.

Dixi [3] : Dilectione utique communi, non speciali per se loquendo; quia dilectio inimici potest considerari dupliciter : 1° in universali sic ut quis, diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat ; et sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis ; 2° in speciali, ut scilicet quis in speciali moveatur motu dile-

[1] Ibid. a. 6. o. [2] Ib. ad 3.

[1] Ibid. a. 8, o. [2] Ibid. in a, s. c. [3] Ibid. o.

ctionis ad inimicum; et istud non est de necessitate charitatis absolute et per se loquendo, sed de ejus perfectione; quia sic moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter non est de necessitate charitatis, cum hoc sit impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicos diligeret et specialia beneficia præstaret, si necessitas occurreret.

Dices 1°: S. Aug, in Enchi. c. 73, dicit: « perfectorum esse diligere inimicos, neque hoc a tanta multitudine impleri, quanta exauditur in Oratione Dominica, cum dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* » ; ergo.

Resp. S. Aug. loqui de speciali dilectione [1] qua quis actu afficitur inimico adhuc inimice agenti et ipsi bene vult, quod non est de necessitate, sed de perfectione charitatis, ut mox explicatum est. Et hanc esse mentem S. Aug. patet ex his verbis ibid. : « Ei qui tibi malum vult, et si potest, facit, tu bonum semper velis, faciasque cum possis. »

Inst. : S. Aug., lib. 1, de serm. Domini in Monte, cap. 21, ait: «Ascendit aliquem gradum qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum » ; et S. Hieronymus, lib. 1 contra pelagianos, cap. 9, illos redarguit quod dicerent inimicos esse diligendos sicut proximos : ergo.

Resp. S. Augustinum loqui de gradu justitiæ, non christianæ, sed pharisaicæ ; unde addit: « Iste gradus tam parvus est ut cum publicanis etiam possit esse communis. » Ad S. Hieronymum : Reprehendit pelagianos, non quod dicerent inimicos simpliciter esse diligendos, sed quod dicerent esse specialiter diligendos sicut consanguineos et familiares amicos.

Dices 2° : Charitas non tollit naturam, sed unaquæque res etiam irrationalis naturaliter odit suum contrarium, sicut ovis lupum, aqua ignem: ergo charitas non facit quod diligamus inimicum.

Resp. dist. min. [2] Unaquæque res odit suum contrarium, in quantum est contrarium, conc.; in quantum non est contrarium, neg. Inimici autem sunt nobis contrarii, in quantum sunt inimici: unde hoc debemus in eis odio habere; debet enim nobis displicere quod nobis sunt inimici. Non autem sunt nobis contrarii in quantum homines sunt et beatitudinis capaces; et secundum hoc debemus eos diligere.

[1] Ibid. p. [2] Ibidem ad 2.

Dices 3° : Charitas erat in veteri lege : atqui tunc non erat necessarium diligere inimicos : dicit enim Christus, Matth. 5 : *Audistis quia dictum est* : *Diliges proximum et odio habebis inimicum tuum :* ergo.

Resp. neg. min. Etenim, Levit. 19, præcipitur : *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo..... non quæras ultionem , nec memoreris injuriæ civium tuorum ;* Exod. 23 : *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc eum ;* Proverb. 25 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Et Christus, Matth. 22 , interrogatus : *Quodnam esset mandatum magnum in lege,* respondit esse præceptum dilectionis Dei, tum subjungit : *Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum,* etc.; sub proximo autem comprehenditur inimicus. Insuper præceptum dilectionis inimicorum est legis naturæ, deductum ex illo principio communi legis naturæ : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris ;* nullus enim vult odio haberi et sibi reddi malum pro malo : unde ipse Plato, lib. 1. *de Repub.* et lib. 28. *Dialog.*, solo lumine naturali illud agnovit.

Ad verba Christi: Non est sensus [1] quod in lege dictum fuerat *Odio habebis inimicum,* sed quod dictum fuerat a scribis et pharisæis perverse legem interpretantibus; cum enim, Levit. 10, diceretur: Diliges amicum, a contrario inferebant inimicum esse odio habendum, sed male ; quia argumentum a contrario non valet quando prædicatum eadem ratione convenit subjecto antecedentis et consequentis, sicut hic contingit : nam το *esse diligendum* convenit amico et inimico sub eadem ratione, scilicet quia est proximus : inde ipse Christus, Matth. 5 et Luc 7, reddit cum septuaginta interpretibus το *Amicum* Levit. 19, per το *proximum.* Adde quod vetus testamentum, asserendo in aliis locis a nobis citatis diligendos esse inimicos, excludat hanc pharisæorum interpretationem.

Inst. : Christus, Matth. 5, præcipit dilectionem inimicorum non tanquam quid necessarium absolute, sed ut simus perfecti : concludit enim caput dicendo : *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est:* ergo.

Resp. Christum loqui de perfectione necessaria cuilibet christiano, dixerat enim prius, ut *sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* : est autem necessarium cuilibet christiano quod sit filius Patris cœlestis.

[1] In 3. d. 30. q. 1. a. 1. ad 2.

ARTICULUS III.

UTRUM INIMICIS SINT EXHIBENDA SIGNA ET OPERA CHARITATIS.

Dico : Per se loquendo signa et opera communia charitatis sunt exhibenda inimicis, non specialia [1].

Prob. 1° : Dilectio [2] interior ad inimicum in communi est de necessitate charitatis absolute : in speciali autem non est de necessitate absolute, sed secundum præparationenm animi tantum, ut dictum est art. præced. Ergo idem dicendum est de operibus et signis dilectionis exhibendis.

2° Ex virtute charitatis obligamur nulli esse scandalo : atqui, denegando inimico signa communia dilectionis, sumus illi et aliis scandalo, secus denegando signa specialia : ergo. Prob. min. Denegando inimico signa communia dilectionis quæ omnibus communiter exhibentur, inimicus jure præsumit ita fieri ex odio in ipsum et livore vindictæ, indeque movetur, ut in inimicitia perseveret atque magis obfirmetur : commune enim est inter homines odisse odientes se ; secus vero non exhibendo ipsi specialia signa quæ aliis, etiam non inimicis, non exhibentur.

Pro hujus itaque conclusionis explicatione, præsertim in ordine ad praxim, distinguenda sunt signa dilectionis communia et specialia. Communia dicuntur quæ communiter omnibus exhibentur ; vel forte melius, quæ christiano a quovis christiano, concivi a quovis concive, cognato a quovis cognato, etc. communiter exhibentur ; quia, licet hæc possint esse specialia respective ad omnes homines, sunt tamen communia in sua classe. Specialia sunt quæ exhibentur determinatis personis aut amicis et familiaribus.

Hinc inferes per se loquendo esse illicitum excludere inimicum a communibus orationibus, communibus eleemosynis, aut communi beneficio, etiamsi ex mera liberalitate facto, ut si omnibus pauperibus alicujus oppidi facias eleemosynam, vel alicui collegio seu communitati præstes beneficium, puta, exhibeas prandium, et excludas inimicum ; licet enim exhibere prandium sit secundum se speciale signum amicitiæ, hoc ipso tamen quod exhibetur toti communitati, non est speciale respectu unius membri, sed commune. Item peccat qui merces expositas vendere recusat inimico, qui ipsi alloquenti non respondet, ipsum salutantem non resalutat, qui pluribus occurrens omnes salutat præter inimicum : quia hæc sunt signa communia dilectionis quæ communiter omnibus exhibentur. Per se autem non peccat qui non orat specialiter pro inimicis, qui familiariter cum iis non colloquitur, qui eos non invisit, aut non invitat ad mensam ; quia hæc sunt specialia signa dilectionis. Quidam etiam excusant qui inimicum obvium non salutat ; quia, inquiunt, non magis teneor salutare inimicum quam alterum ; verum limita ubi non est consuetudo omnes obvios salutandi, et non appareat id fieri ex odio.

Dixi tam in conclusione quam in consectario, « per se loquendo », quia per accidens possunt aliquando sine peccato, aut saltem sine gravi, denegari signa communia inimicis ; et aliquando præceptum est illis dare signa specilia.

Itaque non tenemur dare signa communia, quando charitas erga nos vel proximum, aut justitia contrarium suadet, aut rationabilis causa excusat : « Charitas erga nos et proximum », ut si ex denegatione signorum communium speratur inimicus emendandus et non scandalizandus; si, ex aspectu aut colloquio cum inimico, timeas ne injuriarum recordatio, major commotio, aut novæ rixæ insurgant ; deberet tamen in hoc casu innotescere, id non denegari ex odio. «Justitia», ut si parentes aut superiores in punitionem justam et correctionem filii aut subditi, puta, ob crimen infame, contractum indignum matrimonium, etc. denegent absque interno odio, alloquium, aspectum benignum, aliave beneficia et signa filiis aut subditis exhiberi solita : modo tamen hæc vindicta seu pœna non excedat modum delicti, nec in perpetuum duret. «Rationabilis causa», ut si te offendenti deneges loquelam, responsum, salutationem, etc. in instanti injuriæ acceptæ, vel post ad brevem moram, non ex odio et vindicta, sed in significationem justi doloris et tristitiæ ex injuria accepta, idque exterius appareat : item, si sit leve scandalum : item, si ob injuriam te aut familiam graviter diffamantem exhibeas austeriorem vultum aut tristitiam, vel deneges alloquium et salutationem, ne videaris parvi æstimare tantam injuriam : in his casibus poteris excusari a peccato saltem gravi.

E contra vero per accidens tenemur signa dilectionis specialia exhibere inimico in duobus præsertim casibus : 1° quando inimicus veniam petit; 2° quando ejus necessitas saltem gravis corporalis vel spiritualis ita exigit. Auctor hic secundum casum tantum exprimit,

[1] Hic q. 25, a. 9 et q. 83, a. 8. [2] Ibid.

sed q. 83, a. 8 citato, etiam primum; et in 3, d. 30, a. 2 ad 5, etiam primum exprimit; unde, quando hic dicit non esse necesse dare specialia signa dilectionis inimico extra casum necessitatis, sumit necessitatem paulo latius, sive pro ea quam inimicus patitur, sive pro ea quam petendo veniam inducit : censetur autem gravis inimici necessitas, quando est in gravi periculo vitæ, famæ aut fortunæ ; item quando salus ejus animæ periclitatur, aut grave scandalum timetur, si non exhibeantur illa specialia dilectionis signa. Ratio autem hujus corollarii est, quia, cum in certis casibus teneamur benefacere inimico et ei signa dilectionis specialia ostendere, non possunt convenientiores assignari quam quando patitur gravem necessitatem, aut petit reconciliationem, alioquin erit signum interni odii, et grave scandalum et aliis et ipsi inimico, qui inde magis exacerbabitur, et in inimicitia obfirmabitur. Potest assignari tertius casus, quando exhibitio signorum specialium est necessaria ad vincendam tentationem odii vel alteram.

Ut itaque dignoscatur quando et quantum peccetur in hac frequenti materia, duo sunt consideranda, scilicet intentio interna et significatio externa offensiva inimici. Quantum ad intentionem, si deneges inimico signa dilectionis, v. g., ipsum salutare, alloqui, etc., ex odio gravi abominationis ejus personæ, quia apprehendis ipsum malum et summe contemnis, indignumque reputas tua salutatione vel alloquio, videtur peccatum mortale : si ex odio inimicitiæ hæc deneges, ut ipsum affligas et illi malesit, est etiam peccatum mortale ex genere, quod potest fieri leve ex levitate materiæ.

Quantum ad significationem externam offensivam inimici, attendendum est 1° utrum facta vel omissa significent revera internum odium; 2° utrum inimicus hæc advertat et ægre ferat, atque inde offensus scandalizetur et obfirmetur in inimicitia : et tunc ex gravitate vel levitate scandali et offensæ æstimanda est gravitas vel levitas peccati mortalis vel venialis.

Unde potest ex hoc capite statui hæc regula generalis. Secluso odio interno, ea tantum signa et opera charitatis tenemur exhibere inimico, ex quorum omissione is et alii merito intelligunt nos ea denegare ex malo odii vel vindictæ affectu in inimicum.

Casus speciales.

Primus casus : Duo ante inimicitiam, puta, duo religiosi in monasterio, se salutabant et passim colloquebantur : post rixam nec se salutant, nec colloquuntur : peccantne?

Resp. ex regula præcedente : si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in communitate, prout ordinarie accidit, peccant mortaliter vel venialiter pro quantitate scandali. Si tamen antea erant specialiter amici et amica colloquia miscebant, non tenentur redintegrare specialem amicitiam et amica colloquia; quia ex hac omissione non potest colligi odium, modo se habeant ad invicem sicut ad cæteros confratres.

Secundus casus : Teneturne quis salutare inimicum, ipsum alloqui, ipsi propinare, etc., si sciat ipsum non responsurum, non resalutaturum, etc.

Resp. Si id certo sciat, quia jam expertus est, vel quia inimicus sic asseveravit, videtur non teneri; quia id sibi imputare debet inimicus; nec inde scandalum pati potest, cum videat hæc non denegari ex odio, sed ex propria sua malitia : quod si tamen dubitet, debet saltem semel experiri; quod si alter non respondeat, videtur deinceps excusandus.

Petes 1° utrum offensus teneatur omnia condonare seu remittere inimico reconciliationem petenti?

Ante responsionem, nota distinguendum esse inter offensam simplicem, offensam injuriosam et offensam damnosam. Offensa simplex est læsio, seu irritatio voluntatis alterius, absque læsione juris aut damno : ut si amico petenti a te obsequium quo maxime indiget, et quod facile præstare potes, deneges; offendis amicum, et ipsum moves ut a te avertatur, et contra te indignetur; non tamen facis illi injuriam, quia nullum jus ejus strictum violas. Offensa injuriosa, seu simplex injuria, est violatio stricti juris alieni sine damno tamen : ut si alicui soli contumeliam inferas, si alterius uxorem cognoscas non secuta prole. Offensa damnosa est si auferas ab aliquo quod suum est, seu ipsi noceas in bonis animæ, vitæ, famæ aut fortunæ.

Unde in offenso a quo petitur reconciliatio tria attendi possunt: primum remissio offensæ seu depositio indignationis et aversionis seu odii; secundum signa hujus remissionis : tertium remissio injuriæ et damni.

Potest autem peti reconciliatio variis modis, nec semper est necesse quod petatur per veniæ petitionem, vel alia signa humiliationis; sed quandoque sufficit petere per specialia signa amicitiæ, per præventionem in honore, per

amicabile alloquium, ut solet fieri a superioribus erga inferiores. Nunc ad petitionem

Resp. offensum teneri inimico petenti reconciliationem remittere offensam simplicem, seu deponere aversionem, indignationem et odium, et hujus depositionis signa quædam exhibere : constat ex præcedentibus; sed non tenetur remittere injuriam et damnum, potestque exigere pro injuria satisfactionem, et pro damno restitutionem, quia unusquisque potest jus suum prosequi apud legitimum judicem. Cavendum est tamen ne inimicus ad satisfactionem vel restitutionem cum nimio suo damno cogatur, aut ne a judice petatur satisfactio, quando ipse rationabilem offert; id enim vix fieri potest absque aliquo appetitu vindictæ. Item, ubi agitur de pœna capitis aut mutilatione, et nullum emolumentum parti læsæ inde obvenit, expedit propter eamdem rationem illam non urgere : secus esset si communitas aut familia offensi maneret infamis, si offendens non puniatnr secundum leges.

Petes 2° quis sit sensus hujus sententiæ Christi Matth. 5 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.*

Resp. sensum esse : Si, paratus offerre sacrificium, aut quodcumque bonum opus facere, recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, quia in aliquo ipsum offendisti; nam si ipse te offendit, jam non frater habet aliquid adversum te, sed tu adversus illum, sicque non teneris veniam postulare, sed tantum dimittere : relinque ibi munus tuum, id est, absque mora, etiam ante oblationem sacrificii, vade prius reconciliari fratri tuo, id est, cura ut in gratiam cum fratre redeas; quo facto, offer sacrificium, quod tunc erit meritorium et gratum Deo. Hæc autem reipsa quidem præstanda sunt, sed juxta naturam præcepti affirmativi, quando scilicet ratio prudentiæ, locus et tempus id permittunt; alioquin animi præparatione et cordis affectu hæc præstare sufficit, ut docet S. Aug., serm. de Verbis Domini in monte. S. Chrysostomus, Theophilactus et quidam alii intelligunt hanc Christi sententiam, tam de offenso, quam de offendente, sed hic est consilium tantum et non præceptum. Porro ex hoc loco ortus est antiquus Ecclesiæ usus dandi invicem, ante communionem, osculum sanctum, vel, ut nunc fit, tabellam pacis.

DISSERTATIO IV.

De ordine et præcipuo actu charitatis, qui est dilectio.

D. Th. Q. 26 et 27.

Cum quatuor sint ex charitate diligenda, ut docet Auctor, art. ultimo præcedentis quæstionis, post S. Augustinum, et constat ex dictis, unum quod supra nos est, scilicet Deus, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, scilicet proximus, quartum quod infra nos est, scilicet corpus nostrum, et bonum, quod est charitatis objectum, non æqualiter ab omnibus participetur, manifestum est esse aliquem ordinem in charitate, juxta illud Cantic. 2 : *Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem.*

[1] Hic q. 26, a. 1. o.

ARTICULUS I.

UTRUM DEUS SIT MAGIS EX CHARITATE DILIGENDUS QUAM PROXIMUS?

Observant communiter theologi unum plus altero posse diligi tripliciter: 1° objective, quando volumus ei majus bonum quam alteri, ut si optem imperium Titio, ducatum Caio, plus objective diligo Titium quam Caium; 2° appretiative, quando unus pluris æstimatur quam alter, et amans ita illi afficitur, ut magis refugiat ejus quam alterius amicitiam perdere; 3° intensive, quando unus diligitur intensiori conatu, affectu ferventiori et perfectiori secundum gradus intensionales, quam alter.

Nec obstat quod Auctor in hac quæstione videatur agnoscere tantum duos modos, unum ex parte objecti, alterum ex parte diligentis; quia qui est ex parte diligentis comprehendit duos, scilicet majorem appretiative et majorem intensive, uterque enim est ex parte diligentis: unde, quando interdum dicit illos intensius esse dilligendos qui sunt ex charitate diligendi, sumit intensionem generaliter pro perfectione actus, sive ista perfectio sit secundum appretiationem, sive secundum gradus intensionis.

Dico 1°: Deus est ex charitate [1] diligendus super omnia, et præ omnibus objective et appretiative; sicque simpliciter loquendo est magis diligendus quam proximus et quam nos ipsi.

Ratio est quia debemus velle Deo omne bonum, bonum infinitum, infinitas et amabiles ejus perfectiones, in iisque complacere. Item debemus ita illum æstimare, ita illi affici ut mallemns omnia perdere et pati, potiusquam ipsum deserere: atqui hoc est super omnia ipsum diligere objective et appretiative: ergo.

Idque exprimitur in pluribus locis S. Scripturæ: Matth. 22: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua, et in tota mente tua; hoc est maximum et primum mandatum;* Matth. 10: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus;* Matth. 16: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me;* Luc. 14: *Si quis non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

In hac conclusione omnes conveniunt, sed difficultas est de intensione dilectionis, an ex præcepto charitatis Deus sit intensius diligendus quam proximus.

Suppono ad rationem charitatis secundum se non requiri intensionem, minima enim charitas justificat, et quilibet actus charitatis etiam remissus meretur vitam æternam, ut dissert. 2 probatum est.

Suppono 2° Deum esse dignum qui ametur amore perfectissimo et magis intenso quam quælibet creatura; non potest enim tam perfecte ab ulla creatura diligi, quin perfectiori dilectione sit dignus; et ideo inordinatum foret eligere creaturam amare intensius quam Deum; hoc enim esset judicare eam esse dignam intensiori amore, consequenter esse majus bonum et magis appretiative amandum, quod totum est falsum et inordinatum: debet ergo homo eligere amare Deum summo amore et intensius quam creaturam. At utrum, si in actu dilectionis non reperiatur ista major intensio ex conditione naturæ, ut mox explicabimus, sit inordinatio et peccatum? Affirmant quidam Lovanienses cum Petro Soto; non sunt tamen inter se concordes: quidam enim dicunt hoc peccatum esse mortale, alii veniale tantum. Communior sententia negat, cum qua

Dico 2°: Non peccat contra præceptum charitatis qui intensiori amore, sive naturali, sive supernaturali, diligit proximum quam Deum.

Prob. 1° eodem argumento quo in tract. de Pœnitentia probavimus dolorem de peccatis non debere necessario esse maximum intensive. Intensio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti moventis illam; inde enim fit quod majori conatu et fervore feratur in ipsum: atqui objectum sensibile, ut est proximus, vehementius movet voluntatem quam spirituale, ut est Deus: ergo. Prob. min. Quo objectum est propinquius voluntati, eo vehementius illam movet: atqui objectum sensibile pro hoc statu est propinquius voluntati quam spirituale: ergo. Prob. min. Sensibilia sunt proxima et immediata sensibus: voluntas autem pro hoc statu operatur conformiter ad illos et ab illis dependet, quatenus sequitur cognitionem intellectus, qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus: ergo.

Confir. Voluntas intensius fertur in minus bonum præsens quam in majus absens, et intensius refugit minus malum præsens quam majus absens; id experientia notum est; nec alia ratione contingit quam quia objectum præsens propinquius est voluntati et magis

[1] Ibid. a. 2. et 3.

ipsam movet, quamvis tamen in appretiatione mallet perdere minus bonum præsens quam majus absens, et pati minus malum præsens quam majus absens; unde Auctor, suppl. q. 3, a. 1 ad 4, dicit: « Homo etiam bene dispositus quandoque magis percipit in se horrorem præcedentis pœnæ (cujus aliquis effectus remanet) quam præcedentis culpæ; quamvis esset magis paratus pati eamdem pœnam quam committere eamdem culpam. »

Prob. 2° : Omnes conveniunt, ut supposuimus, nos non teneri per se loquendo ad maximam intensionem charitatis, neque ad certum gradum dilectionis, ut satisfiat præcepto charitatis. Suppono itaque quod nunc eliciam actum dilectionis Dei ad quatuor; iste actus est bonus et meritorius; postea elicio actum honestum amoris sive naturalis sive supernaralis proximi ad quinque, iste secundus actus non potest efficere quod primus, qui fuit bonus, fiat malus: transiit enim bonus, neç est amplius mutationi obnoxius : ergo.

Si dicas quæstionem esse de duobus actibus eodem tempore elicitis comparando inter Deum et hominem, 1° neg. suppositum : duo enim actus realiter distincti non eliciuntur eodem tempore, sed sibi succedunt, et adveniente secundo primus transit. Insuper, si quæstio sit tantum de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter se Deum et hominem, vix est quod moveatur questio; quandonam enim sic contingit? Imo totaliter evanescit quæstio, sic enim esset eligere amare Deum minus intense quam hominem, quod est extra quæstionem et quod fatemur esse inordinatum.

Prob. 3° ab inconvenientibus : sequitur 1° ex opposita sententia quod e duobus actibus charitatis æque intensis, unus sit bonus, alter malus, imo intensior malus et minus intensus bonus; pone enim duos homines quorum unus eliciat actum dilectionis Dei ad tria, et actum dilectionis proximi ad duo, iste actus dilectionis Dei ad tria erit bonus; alter autem eliciat actum dilectionis Dei ad quatuor et actum dilectionis proximi ad quinque, iste actus dilectionis Dei ad quatuor erit malus, quamvis intensior primo: atqui hoc videtur absurdum: ergo.

Dicunt hunc amorem Dei ad quatuor non esse malum quia est ad quatuor, sed quia minor est amore proximi ad quinque. Sed contra: Isti duo actus, ut jam dixi, non eliciuntur eodem tempore comparando inter objecta, sed quando secundus advenit, prior transiit, nec potest amplius vitiari.

Sequitur 2° anxietas perpetua conscientiarum; quia impossibile est discernere inter gradus intensionis et scire an intensius diligamus Deum quam proximum.

Respondet eruditissimus Daelman negando sequelam, et dicit quod façile cognoscamus nos diligere Deum plusquam creaturas, «cum infallibiliter fiat quod intensius diligamus Deum quam creaturam, dum hanc diligimus propter Deum, adeoque tollitur anxietas et sufficit quod cognoscamus primum», scilicet nos diligere creaturam propter Deum.

Sed contra: Si per intensiorem dilectionem nihil aliud intelligant adversarii quam dilectionem proximi propter Deum, in vanum desudant; quis enim negat proximum esse ex charitate diligendum propter Deum? Item, si amor Dei intensior sequatur infallibiliter ex amore proximi propter Deum, ut quid movent quæstionem an sit obligatio intensius diligendi Deum quam proximum? Sufficit inquirere an sit obligatio ex charitate diligendi proximum propter Deum, quam omnes agnoscunt.

Sed et data responsione adversarii, non salvatur inconveniens; potest enim aliquis non ex charitate, sed aliquo honesto amore naturali amare proximum; iste amor non erit propter Deum sicut amor charitatis: unde ergo cognoscet se amare Deum intensius quam proximum? De hoc argumento redibit sermo in solutionibus object.

At forte dicet alter idem inconveniens sequi ex obligatione diligendi Deum magis appretiative quam creaturam; id enim etiam difficile cognosci potest.

Resp. longe facilius dignosci amorem appretiativum quam intensiorem; hoc ipso enim quo quis vitam in melius emendat, peccandi occasiones fugit, ablata injuste restituit, virtutes colit, omnia postponit amori Dei et se paratum sentit omnia potius perdere quam Deum offendere mortaliter, noscit se amare Deum magis appretiative quam quodvis creatum, an autem magis intense? nescit.

Solvuntur objeciones.

Obj. 1° cum Daelman : Id intensius diligimus quod magis est nobis conjunctum : atqui Deus est maxime nobis conjunctus : *In ipso enim vivimus, movemur et sumus ;* ergo.

Resp. dist. maj. Id intensius diligimus quod magis est nobis conjunctum physice, neg.; quod magis est nobis conjunctum secundum propositionem factam appetitui, conc. Quia ap-

petitus non fertur nisi in bonum sibi propositum et in quantum est sibi propositum. Quamvis autem Deus sit maxime nobis conjunctus physice, non tamen semper sic proponitur voluntati; et quamvis proponeretur, non sequitur quod intensius amaretur, quia sensibilia magis movent appetitum sensitivum, et appetitus sensitivus movet, sollicitat et inclinat voluntatem, ejusque actum intendit circa sensibilia et retardat circa spiritualia a sensibus remota. Id totum quotidiano usu experimur.

Obj. 2° cum eodem : Præceptum est diligere Deum ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus : ergo intensius quam quodvis aliud.

Resp. neg. conseq. Minima enim charitas diligit Deum ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus, alioquin peccaret qui non haberet majorem; diligere ergo Deum ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus, est ipsum diligere appretiative super omnia, ita ut nihil amori ejus præponatur, et ipse dominetur affectui.

Inst. cum eodem : Inordinatum est quod voluntas plus afficiatur erga bonum creatum quam erga Deum : ergo.

Resp. dist. ant. Inordinatum est quod voluntas plus afficiatur appretiative erga bonum creatum quam erga Deum, conc.; plus intensive, neg. Ratio est quia appretiatio fit ex intentione et electione voluntatis, intensio autem ex vehementia objecti immediatius applicati appetitui; sic voluntas eligit præferre majus bonum absens, quamvis intensius feratur in minus bonum præsens; sensibilia autem, ut jam diximus, pro hoc statu magis nobis applicantur, non solum quoad appetitum sensitivum, sed etiam rationalem, quam spiritualia, quatenus sensibilia immediate tangunt et movent sensus, et intellectus proponit voluntati objectum haustum a sensibus, ex quibus fit et quod sensibilia immediatius et fortius moveant voluntatem, et quod appetitus sensitivus, motus immediate a sensibilibus, moveat, sollicitet etiam voluntatem ejusque actum intendat; experientia enim notum est quod, quo appetitus sensitivus alicujus objecti est intensior, etiam actus voluntatis intendatur propter conjunctionem et sympathiam utriusque. Neque in his est quidquam inordinatum, quia hoc sequitur naturam rerum.

Obj. 3° cum eodem : Amor appretiativus supponit intensivum ; quod enim unum omnibus aliis anteponamus, venit quod magis intense diligamus ; atqui tenemur Deum diligere appretiative super omnia : ergo et intensive.

Resp. 1° Retorqueo argumentum : amor appretiativus supponit intensum : atqui tenemur sub mortali diligere Deum appretiative super omnia : ergo tenemur etiam sub mortali diligere Deum intensive super omnia. Hanc autem consequentiam negat laudatus doctor, vultque esse tantum obligationem sub veniali; argumentum ergo in ejus principiis nihil probat, quia nimis probat.

Resp. 2° neg. ant. et ejus probationem : Jam enim diximus appretiationem haberi ex intensione et electione voluntatis, intensionem vero ex vehementia objecti moventis voluntatem; idque experientia notum est : sic voluntas eligit præferre majus bonum absens minori bono, ita ut, si alterutrum deberet amittere, mallet amittere minus præsens quam majus absens, et tamen intensius fertur in minus præsens quam in majus absens.

Inst. 1° : Tunc magis appretiative aliquid eligitur quando voluntas ei magis adhæret : atqui non videtur voluntas magis adhærere, nisi quia magis conatur et intensiorem actum habet circa illud : ergo.

Resp. neg. min. Potest enim illa major adhæsio oriri ex objecto digniori vel altiori motivo ; sic, v. g. intellectus per actum fidei remissum magis adhæret articulis fidei, quam per actum scientificum intensum conclusioni demonstrationis; sic parentes magis adhærent filio absenti, virtutibus et egregiis dotibus præstanti, quam parvulæ proli præsenti, quamvis tamen hanc intensius diligant. Neque dicas ita esse secundum appetitum sensitivum, non secundum voluntatem ; certum est enim quod parentes non solum appetitu sensitivo, sed etiam voluntate suas proles diligant. Et insuper, appetitu fortius incitante et sollicitante, intenditur actus voluntatis, cujus objectum a sensibus haustum ipsi exhibet intellectus, ut jam non semel dictum est.

Inst. 2° : S. Th., suppl. q. 3, a. 1, docet dolorem de peccatis, qui est in voluntate, debere esse maximum, quia est de maximo malo, non autem dolorem qui est in parte sensitiva : ergo idem de amore.

Resp. S. Thomam loqui de maximo dolore appretiativo, seu, ut alii dicunt, de quantitate essentiali doloris desumpta ex objecto ; quo nempe dolore, ut dicit ibid. ad 4 et nos supra retulimus inter probationes, pœnitens est paratus quamlibet pœnam pati potiusquam culpam admittere. Hic autem, a. 7, docet quod, licet Deo conjunctiores plus diligere debeamus quantum est ex parte objecti, nobis tamen

conjunctiores debeamus intensius diligere, et hoc secundum voluntatem: rationem assignat ad 3, « quia, inquit, charitas non solum eligit actum dilectionis secundum rationem objecti, sed etiam secundum rationem diligentis. » Porro, si non sit inordinatio minus intense diligere Deo conjunctiores : ergo nec ipsum Deum.

Obj. 4° cum eodem : Proximus charitate diligitur propter Deum : atqui propter quod unumquodque tale et illud magis, ut fert commune axioma : ergo.

Inprimis istud argumentum non impugnat nisi partem conclusionis. Quid enim, si proximus diligatur non ex charitate, sed aliquo amore honesto naturali, poteritne tunc intensius diligi proximus quam Deus? Quod si ita est, valde infirmatur sententia adversariorum. Sed, hoc omisso, sicut et aliis quæ de ea materia dixi in ultima probatione,

Resp. dist. ant. Proximus ex charitate diligitur propter Deum, τo *propter* dicente objectum amatum, neg.; τo *propter* dicente rationem motivam amandi, conc. Nostra autem quæstio est de Deo in se amando et non de Deo ut est ratio motiva amandi creaturas.

Subsumes : Atqui laudatum adagium verificatur etiam quando aliquid amatur propter aliud tanquam propter rationem amandi, ut patet in eo qui amat media propter finem, magis amat finem quam media, licet in eo actu amet media propter finem tanquam propter rationem amandi : ergo.

Resp. dist. subsumptum : Laudatum adagium verificatur quantum ad appretiationem quando aliquid amatur propter aliud tanquam propter rationem amandi, conc.; verificatur quantum ad intensionem, neg. Patet in ipso exemplo instantiæ : qui amat media propter finem, quamvis magis appretiative amet finem, aliquando tamen intensius fertur in medium præsens quam in finem absentem.

Inst. : Habitus charitatis magis inclinat ad diligendum Deum qui est ejus objectum formale, quam proximum qui est tantum ejus objectum materiale : ergo Deus non potest ex charitate minus intense diligi quam proximus.

Quidam distinguunt ant. Habitus charitatis magis inclinat ad diligendum Deum objective et appretiative, conc. ; intensive, neg. Quia, cum charitas sit habitus simplex et æque intensus ut respicit Deum et proximum, æquali quasi pondere movet potentiam ad dilectionem utriusque, modo tamen utrique proportionato. Ita Wigers. Hac solutione in sua probabilitate relicta,

Resp. cum Serra, dato ant. neg. conseq. Quamvis enim charitatis habitus secundum se magis et intensius inclinet ad diligendum Deum quam proximum; quia tamen nobis infunditur secundum modum nostrum, scilicet ut libere eo utamur, possumus in exercitio illo uti remissius ad diligendum Deum quam proximum, sicut possumus uti remissius habitu spei ad sperandum beatitudinem quæ est ejus objectum formale, quam ad sperandum alia bona quæ solum pertinent ad ejus objectum materiale : item habitu theologiæ possumus uti remissius ad cognoscendum Deum, qui est ejus objectum formale quam ad cognoscendum alia quæ sunt ejus objecta materialia.

Urgebis : Omnis intensio ab habitu charitatis dimanans est a Spiritu Sancto : atqui Spiritus Sanctus non potest intensius inclinare ad creaturam quam ad Deum : ergo.

Resp. neg. min. Sicut enim Spiritus Sanctus quandoque magis inclinat ad minus bonum, ut ad nubendum, quam ad castitatem servandam, sic potest magis movere ad diligendum proximum propter Deum, quam ad diligendum Deum propter seipsum, movet enim Spiritus Sanctus unumquemque secundum illius modum et dispositionem.

Obj. 5° : Deus meretur ut eum diligamus amore intensiori quam creaturam : ergo sic tenemur ex præcepto eum diligere.

Resp. neg. conseq., quia Deus non præcipit omnia quæ meretur; sic meretur ut frequentius de eo quam de creaturis cogitemus, meretur ut amore continuo, in quantum possibile est, in eum feramur. Neutrum tamen præcipit.

ARTICULUS II.

UTRUM HOMO DEBEAT EX CHARITATE MAGIS SE DILIGERE QUAM PROXIMUM ?

In homine duo sunt [1], scilicet natura spiritualis et natura corporalis; in tantum homo dicitur diligere seipsum, in quantum diligit se secundum naturam spiritualem seu animam. Inter bona animæ quædam sunt absolute necessaria ad amicitiam hominis cum Deo, ut sunt fides, spes, charitas, justitia, observatio mandatorum, etc. Alia non sunt absolute necessaria, ut opera supererogationis, consilia evangelica, etc.

[1] Ibid. a, 4. o.

Dico : Homo debet [1] ex charitate se magis diligere quam proximum.

Prob. 1° ex illo Matth. 22 [2] : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum :* ex quo videtur quod dilectio hominis ad seipsum sit exemplar dilectionis quæ est ad alterum; exemplar autem est potius quam exemplatum : unde S. Aug., lib. 1 *de Civit.* cap. 20 : Regulam diligendi proximum, inquit, a semetipso dilector accipit : ergo.

Prob. 2° [3] : Deus diligitur ut principium boni super quod fundatur dilectio charitatis; homo autem diligit seipsum ut participem illius boni, et proximum ut socium in isto bono : atqui participatio est potior consociatione, sicut unitas est potior unione : ergo homo debet ex charitate magis se diligere quam proximum.

Dices 1° : To *sicut* Matth. 22 significat æqualitatem, non similitudinem : ergo. Prob. ant. 1° ex S. Aug., lib. 1 *Soliloq.*, c. 3, dicente : « Illam legem amicitiæ justissimam esse arbitror qua præscribitur ut sicut non minus, ita nec plus quisquam amicum quam seipsum diligat. » 2° Quia si το *sicut* significaret similitudinem, posset dici : Diliges te ipsum et proximum sicut Deum : ergo.

Resp. Quamvis το *sicut* aliquando significet in S. Scripturis æqualitatem, frequenter tamen significat similitudinem, ut Matth. 5 : *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est;* Joan. 13 : *Ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et ita hic accipi censent communiter interpretes cum Auctore : unde ad primam probat., S. Augustinus intelligit de dilectione ex parte objecti quoad substantiam considerati, scilicet quod eadem bona velimus proximo, quæ nobis volumus, et eadem mala nolimus proximo quæ nobis nolumus. Ita se explicat S. Augustinus lib. *de Vera Relig.*, c. 46, ubi ait : « Ea autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire et illi velit, et quæ accidere sibi mala non vult et illi nolit. » Cæterum de mente S. Augustini non est locus dubitandi, cum sæpe doceat hominem plus debere seipsum diligere quam proximum : in *Enchir.*, c. 76; Hom. 37, inter 50 *de Discipl. Christiana*, c. 6; *de Doct. Christiana*, c. 23; et lib. 1 *Retract.*, c. 8 : « Magis, inquit, mihi me debeo quam cæteris hominibus, quamvis Deo magis quam mihi. » Ad secundam probat. neg. sequelam, quia longe dissimili modo debemus diligere Deum quam nos aut proximum, scilicet ex toto corde, super omnia, et tanquam primum et infinitum bonum.

[1] Ibid. [2] Ibid. in a, s. c. [3] Ibid. o.

Dices 2° : Exod. 32, Moyses Deum sic pro populo deprecatur : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti;* et Apost., Rom. 9 : *Optabam,* inquit, *anathema esse a Christo pro fratribus meis :* ergo.

Propter has auctoritates quidam dixerunt licitum esse pro salute aliorum, non solum velle perpetuo carere gloria, salva tamen amicitia Dei, sed etiam velle carere gratia Dei, modo hujus carentia non proveniret ex peccato; quia carentia visionis beatificæ, salva Dei amicitia, et carentia gratiæ sine peccato, pertinet ad malum pœnæ, et majus bonum est salus plurium atque major Dei gloria inde resultans, quam salus particularis unius. Quamvis hæc sententia non sit improbabilis, nec contradicat conclusioni, opposita tamen est probabilior, quia est contra naturam charitatis, adeoque inordinatum quod homo sibi optet privationem gratiæ et gloriæ pro salute aliorum; proprium enim charitatis est primo et per se perficere subjectum in quo est, ipsum Deo uniendo; unitur autem homo Deo per gratiam et gloriam : unde aliter

Resp. hoc dictum fuisse a Moyse per hyperbolen seu piam exaggerationem ad significandum excessum sui amoris erga populum Israeliticum ; vel sic dictum disjunctive ex magna fiducia quam habebat quod Deus nec vellet nec posset ipsum delere de libro vitæ, quasi diceret : Domine, sum ea in te fiducia, ut omnino persuasum habeam te facturum quod peto; parce ergo populo, aut dele me de libro vitæ ; certus sum autem quod me non delebis; restat ergo ut populo parcas; non secus ac si filius summe dilectus patri volenti dimittere famulum sibi amicum diceret : Aut dimitte illi, aut me cum ipso ejice. Alterutro sensu potest intelligi [1] Apost. ad Rom. 9, vel dicendum cum Auctore quod Apostolus volebat ad tempus privari visione beatifica, ad hoc quod honor Dei procuraretur in proximis.

Dices 3° : Principale objectum charitatis est Deus : atqui quandoque homo habet proximum magis Deo conjunctum, quia meliorem quam ipse sit : ergo magis debet eum diligere quam seipsum.

Resp. neg. conseq. Quia dilectio charitatis [2] non solum habet quantitatem ex parte objecti quod est Deus, sed ex parte diligentis, qui est ipse homo charitatem habens; sicut et quantitas cujuslibet actionis dependet quodam modo ex ipso subjecto. Et ideo, licet proximus

[1] Q. 27, a. 8 ad 1. [2] Q. 26, a. 8 ad 1.

melior sit Deo propinquior, quia tamen non est ita propinquus charitatem habenti, sicut ipse sibi, non sequitur quod magis debeat aliquis proximum diligere quam seipsum. Quod ut melius intelligas, adverte sedulo id quod est secundum se majus et melius non esse unicuique majus et melius : sic, v. g., mille nummi sunt secundum se quid majus et melius quam decem nummi ; attamen decem nummi sunt quid melius et plus valent habenti, quam mille nummi alieni, ideoque merito plus diligit suos decem nummos quam mille nummos alienos. Sic ergo, quamvis charitas mea ad duo secundum se sit minor quam charitas alterius ad octo, attamen charitas mea, quæ me unit Deo, mihi melior est et perfectius bonum quam charitas major aliena quæ me non unit Deo; et ideo plus debeo æstimare charitatem meam minorem quam majorem alienam, consequenter me plus appretiative diligere quam proximum : esto, quia melior est, debeam illi velle majora bona quæ meruit, quam mihi qui minus merui.

Dices 4° : 1 Cor. 13, dicitur : *Charitas non quærit quæ sua sunt :* ergo [1].

Resp. sensum horum verborum esse, ut dicit S. Aug. in Regula, quod charitas communia propriis anteponat, quia bonum commune est magis amabile unicuique quam proprium bonum. Intellige de iis bonis quæ propter proximum sunt contemnenda, ut sunt sensibilia : quantum enim ad bonum virtutis necessariæ, plus debet quisque sibi illud velle quam communitati, quia, ut diximus, proprium charitatis est ut habentem primo per se uniat Deo.

Dices 5° : Saltem plus debemus amare Christum et B. Virginem quam nos ipsos : ergo.

Resp. Quantum ad Christum, cum sit in eo una persona et hæc divina, non debet seorsim amari ut Deus et seorsim ut homo, sed sicut una adoratione adoratur, ita uno amore amatur. Insuper, etsi amaretur ut homo, deberet plus amari, quia est auctor nostræ salutis et prima causa meritoria gratiæ : unde nomine proximi non venit intelligendus. Quantum ad B. Virginem, debemus illam amare plusquam nos objective, quia debemus velle illi majora bona propter dignitatem Matris Dei qua super omnes creaturas est exaltata, non debemus tamen illam magis appretiative amare quam nos.

Ex dictis colliges 1° nunquam licitum esse, etiamsi pro salute totius mundi [2], peccare sive mortaliter, sive venialiter : « Homo, inquit Auctor, non debet subire aliquod malum peccati quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato. » Peccatum autem, etsi veniale tantum, etiam aliquo modo contrariatur participationi beatitudinis, cum hæc nequeat esse cum illo. Insuper implicat aliquid esse licitum et esse peccatum, et damnantur Rom. 3 qui dicunt : *Faciamus mala ut eveniant bona.* Pariter illicitum est se exponere periculo proximo peccandi pro salute proximi, quia hoc ipsum est peccare; secus de periculo remoto, quod potest contemni et quod nemo vitare tenetur.

Colliges 2° opera supererogationis, imo quandoque præcepta Ecclesiæ posse et debere omitti pro salute non solum spirituali, sed etiam corporali proximi; sic quis potest et debet omittere auditionem sacri etiam in die festo, orationem, peregrinationem, etc. ut prolem periclitantem baptizet, ut succurrat extreme ægrotanti; sic filius potest et debet omittere consilia evangelica, si sit necessarius parentibus sustentandis ; neque in hoc agit contra ordinem charitatis ; quia, cum charitas inclinet principaliter ad Deum, facit id quod scit Deo magis placere. Et quamvis ex una parte patiatur detrimentum in augmentum charitatis, ex alia parte illud augmentum meretur faciendo opus magis Deo gratum. Aliunde non tenemur præcepto ad augmentum charitatis.

ARTICULUS III.

UTRUM HOMO MAGIS DEBEAT DILIGERE PROXIMUM QUAM PROPRIUM CORPUS?

Diligere proximum dicitur qui illum diligit quantum ad animam [1], quæ est potior pars ejus : unumquodque enim videtur esse id quod est præcipuum in eo, ut ait philosophus 9 Ethic.; quo sensu

Dico 1° : Homo magis debet diligere proximum [2] quam proprium corpus, quia illud magis est ex charitate diligendum quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate : atqui consociatio in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum quantum ad animam, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus : ergo.

Verum, quia præceptum diligendi proximum

[1] Ibidem ad 3. [2] Ibid. o.

[1] Hic q. 16, a. 5 ad 1. [2] Ibid. o.

exponendo proprium corpus pro ejus salute spirituali est affirmativum, licet semper obliget, non tamen obligat pro semper, sed in certis casibus necessitatis; triplex autem distinguitur necessitas, extrema, gravis et communis. Extrema dicitur quando proximus est in æternum periturus nisi adjuvetur, ut si infans est sine baptismo moriturus. Gravis quando sine adjutorio potest absolute salvari, sed valde difficile, ut si quis morti proximus et in peccato mortali existens petat confessionem, sine qua potest absolute salvari sola contritione, sed longe difficilius quam sacramento. Communis est in qua communiter versantur peccatores qui communes peccandi occasiones incurrunt. Juxta hanc triplicem necessitatem,

Dico 2° : In extrema necessitate quilibet tenetur exponere propriam vitam pro salute æterna proximi, si sit spes quod juvari possit. In gravi necessitate tenentur solum ii quibus incumbit ex officio cura animarum. In necessitate communi nemo tenetur.

Prob. prima pars : 1° Juxta S. Scripturam, 1 Joan. 3 : *Nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*, quod verum est saltem in extrema necessitate. Unde S. Aug.l. *de Mendacio*, c. 6, ait : « Temporalem plane vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit christianus amittere. »

2° Tenemur exponere bona fortunæ pro salvanda vita corporali proximi in extrema necessitate positi juxta illud 1 Joan. 3 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Ergo pro salvanda ejus vita spirituali debemus vitam corporalem exponere. Patet conseq. Quia sic se habet vita nostra corporalis ad vitam spiritualem proximi, sicut opes nostræ ad vitam ejus corporalem.

Adverte autem eos non censeri in extrema necessitate qui ex propria malitia se in periculum damnationis injiciunt, ut sunt qui bellum injustum ingrediuntur, duellum suscipiunt et similes qui possunt seipsis a periculo recedere.

Prob. secunda pars : Magis tenentur ii quibus incumbit ex officio cura animarum gregi suo providere, quam ii quibus hæc cura non incumbit : atqui hi tenentur in extrema necessitate, neutri tenentur in communi : ergo ii tenentur in gravi necessitate quibus incumbit ex officio cura animarum, et non alii.

Aliunde durum foret obligare privatum, qui nullam alterius curam suscepit quam eam generalem quam cuique Deus mandavit de proximo suo, pro ejus salute vitam profundere extra extremam necessitatem; secus esset si ageretur tantum de aliquo damno in bonis fortunæ, illud enim pati deberet privatus pro salute proximi. Item si periclitaretur salus totius populi, ut si hæreticus falsa doctrina perverteret totam communitatem, teneretur privatus cum periculo vitæ impedire, si posset; si enim quilibet tenetur cum periculo vitæ succurrere bono communi temporali, a fortiori bono spirituali. Adde quod in tali casu plures particulares sint in extrema necessitate.

Hinc inferes pastores teneri cum periculo vitæ, puta, tempore pestis, administrare sacramentum pœnitentiæ suis parochianis, quia, licet possint absolute salvari cum contritione, difficile tamen, longe autem facilius cum attritione et sacramento : unde sunt, si non in extrema, saltem in gravi necessitate. Quantum ad administrationem sacramentorum eucharistiæ et extremæ unctionis, vide quæ scripsimus in tract. de Eucharistia, dissert, 7, a. 4, pet. 5, et in tract. de Extrema Unctione, art. 7, pet. 2.

Tertia pars est manifesta, quia necessitas communis, a qua quilibet seipsum non ita difficile expedire potest, et melius quam quivis alius, non est tanta, ut pro illa vitam profundere teneamur.

Petes utrum homo possit exponere propriam vitam corporalem pro vita corporali proximi?

Ante responsionem suppono 1° licere, imo quandoque oportere, ut jam dixi, exponere bona temporalia pro salute corporali proximi, quia pretiosior est vita proximi nostris bonis temporalibus : unde Proverb. 12 dicitur : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est;* et Eccles. 29 : *Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuam;* item 1 Joan. 3 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi,* etc. ut in conclusione præcedenti.

Suppono 2°, ubi agitur de bono communi et vita alicujus personæ quæ sit reipublicæ prorsus necessaria, quemlibet posse et teneri exponere vitam propriam pro ejus vita servanda, quia bonum commune est præferendum privato.

Suppono 3°, ubi agitur de vita æqualis, si me credam in peccato mortali, aut si vita mea sit familiæ meæ vel aliis necessaria, non licere mihi vitam meam pro alterius vita exponere, quia vel salus mea æterna, vel necessitas plu-

rium est præferenda necessitati corporali unius. His suppositis, ad petitionem

Resp. Non licet vitam propriam exponere pro vita alterius æqualis secundum se præcise considerata, seu spectando præcise vitam et vitam, probabiliter autem licet ex motivo virtutis christianæ.

Prob. prima pars: Præponere vitam corporalem proximi vitæ nostræ spectando præcise vitam et vitam, est contra ordinem charitatis, est enim diligere proximum non sicut seipsum, sed plusquam seipsum : unde S. Aug., l. *de Mendac.* c. 6: « Si, inquit, pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit. » Ergo. Et Auctor, hic a. 5 ad 1, dicit proximum quantum ad animam, non quantum ad corpus, magis diligendum esse quam corpus proprium.

Secunda pars, quam tenent Victoria, Soto, Bannes, Valentia, Estius, Sylvius, Serra et alii contra alios, probatur 1° ex illis verbis Christi Joan. 15 : *Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* et quamvis id principaliter intelligatur de salute spirituali proximi, potest tamen generaliter intelligi etiam de salute corporali, ut intellexit S. Chrysostomus I. 2 *de Sacerdotio;* et interpretes dicunt hoc fuisse commune proloquium a Christo approbatum, in sensu quo homines intelligebant, scilicet laudabile esse vitam ponere pro amicorum salute etiam corporali.

2° Licitum est præferre bonum virtutis bono corporis, ubi necessitas ita exigit : ergo non est culpandus qui ex amore virtutis christianæ propriam vitam exponit pro vita proximi : unde S. Th. in 3, diss. 29, a. 5 ad 3 : « Tradere, inquit, seipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis : unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem: unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc, quod aliquis plus amicum quam seipsum diligat, sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis, quam bonum corporale. » Neque dicas S. Thomam loqui de expositione vitæ corporalis pro vita spirituali proximi; constat enim ex argumento cui respondet ipsum loqui de vita corporali pro vita corporali, siquidem argumentum erat de gentilibus qui pro amore amicorum se morti exposuerant.

3° Laudantur qui vitam suam exposuerunt pro vita aliorum; sic SS. Patres laudant S. Paulinum Nolanum episcopum, quod pro redimendo viduæ filio, quem Vandali captivum in Africam abduxerant, seipsum in servitutem dederit. Simile factum laudatur in S. Dominico qui mulieri fratris captivitatem inter Saracenos deflenti, se pro illius redemptione vendendum obtulit. S. Gregorius, l. 3 *Dialog.*, cap. 37, laudat B. Sanctulum qui certissimo vitæ periculo se exposuit pro diacono.

Dices : Supponimus quod est in quæstione; cum enim dicimus licitum esse vitam propriam exponere pro vita proximi ex amore virtutis, seu ut exerceamus actum virtutis, supponimus esse licitum et esse actum virtutis exponere vitam propriam pro aliena; hoc autem est quod quæritur, imo quod negare videmur in prima parte conclusionis : ergo.

Resp. neg. ant. Certum namque est esse licitum et esse actum virtutis conservare vitam proximi, et hoc supponimus; hoc autem supposito quærimus utrum ille actus virtutis non vitietur in hoc quod exerceatur cum dispendio propriæ vitæ; et respondemus negative si exerceatur ex ipsa intentione ponendi actum virtutis in propriam et proximi salutem, aliorumque ædificationem.

Ex hac probabili sententia inferunt laudati theologi quod, si duo sint in extrema necessitate, unus possit alteri dare unicum panem quem habet; in fuga hostium possit concedere equum, quamvis pedibus fugere non possit; grassante peste possit servire infectis; in naufragio possit cedere tabulam quam posset occupare, aut quam jam occupavit, si tamen nondum ea cœpit uti, quia, in hoc ultimo casu, inquit Sylvius, tabulam cedendo esset se præcipitare in mare, seu se submergere, quod videtur pertinere ad occisionem sui, quæ nunquam licet.

Cæterum hanc sententiam proponimus, ut probabilem, quia huic S. Th. videtur magis favere, quam oppositæ, quæ tamen est etiam probabilis.

ARTICULUS IV.

QUIS SIT ORDO SERVANDUS IN DILECTIONE PROXIMORUM ?

Certum est aliquem ordinem esse servandum in dilectione proximorum [1], et unum magis esse diligendum quam alium, quia in quibus invenitur aliquod principium, ordo

[1] Hic q. 26, a. 6, o.

attenditur secundum comparationem ad illud principium. Cum ergo principium dilectionis sit Deus et ipse diligens, necesse est quod, secundum propinquitatem majorem ad alterum istorum principiorum, major sit dilectionis affectus. Quæritur 1° de conjunctis comparative ad meliores, deinde de conjunctis inter se.

Dico 1° : Meliores sunt magis objective diligendi [1] quam nobis conjunctiores minus boni, quatenus secundum eorum præsentem justitiæ statum debemus illis velle majorem beatitudinis participationem quam nobis conjunctioribus minus bonis, secundum præsentem eorum statum ; quia ad charitatem pertinet, ut velit justitiam Dei servari, secundum quam qui sunt meliores plus beatitudinem participant.

Dico 2° : Nobis secundum carnem conjunctiores sunt [2] per se loquendo magis intensive diligendi quam meliores extranei :

1° Quia intensio motus pendet a proprio agente[3], quod natum est vehementius influere in propinquiora quam in remotiora : ergo.

2° Magis intensive nos ipsos diligimus quam alios meliores : ergo et nobis magis conjunctos.

3° S. Scriptura pluribus in locis nobis specialiter commendat dilectionem conjunctorum, quod est indicium eos esse præ cæteris diligendos. In primis est speciale præceptum de honorandis parentibus; honorantur autem parentes, non solum reverentia et obedientia, sed etiam beneficiorum collatione, consequenter et affectu interiori, cui respondet beneficiorum collatio. Isa. 58, post enumerata varia opera misericordiæ, subditur : *Et carnem tuam ne despexeris;* 1 Timoth. 5 : *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior :* Apostolus vocat *suos* qui quovis modo sunt conjuncti, *domesticos* autem qui sanguine sunt juncti.

Est et alius modus plus diligendi conjunctiores [4] quam extraneos, quia pluribus titulis diliguntur. Ad eos enim qui non sunt nobis conjuncti non habemus nisi amicitiam charitatis; ad eos vero qui sunt nobis conjuncti habemus aliquas alias amicitias, secundum modum conjunctionis eorum ad nos, v. g., amicitiam filiorum ad parentes et e contra, fratris ad fratrem, concivis ad concivem, etc. Et quamvis isti amores non sint eliciti a charitate, sed sint naturales aut morales, in hominibus tamen bene ordinatis imperantur a charitate, quia, cum bonum, super quod fundatur quælibet amicitia honesta, ordinetur tanquam ad finem ad bonum super quod fundatur charitas, consequens est ut charitas imperet actui cujuslibet alterius amicitiæ; sicut ars, quæ est circa finem, imperat arti, quæ est circa ea quæ sunt ad finem. Et sic hoc ipsum quod est diligere aliquem, quia consanguineus vel conjunctus est, vel quia concivis, vel propter quodcumque hujusmodi aliud licitum ordinabile in finem charitatis, potest a charitate imperari; et ita ex charitate eliciente cum imperante, pluribus modis diliginus magis nobis conjunctos.

Dixi : *per se loquendo*, quia per accidens, quando cætera non sunt paria, potest contingere quod meliores sint magis diligendi quam conjunctiores secundum carnem, ut si persona salvanda sit absolute necessaria bono communi ; si quis te a morte sive corporali, sive spirituali quam inferre volebant parentes, eripuit; si te a fratribus in gravi vel extrema necessitate derelictum suscepit et curavit; si inter spiritualiter conjunctos sit arctissima necessitudo, et vix ulla inter remotiores consanguineos, ut in tertio, quarto, vel quinto gradu. In his et similibus casibus magis diligendi sunt meliores quam carnaliter conjuncti.

Dices contra conclusionem: Christus, Matth. 12, prætulit cognationem spiritualem carnali, cum cuidam dicenti : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant*, respondit : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui est in cœlis, ipse meus frater, et soror, et mater est:* ergo.

Resp. inde probari sanctitatem esse præferendam cognationi carnali in dignitate et æstimatione, et cognationem carnalem non debere esse impedimento prædicationi Evangelii, nisi forte cognati sint in necessitate; non autem sanctiores magis esse affectu et effectu diligendos quam conjunctiores.

Inst. 1° : Deus ipse magis diligit meliores : ergo et nos debemus sic diligere, ut voluntatem nostram divinæ conformemus. Adde quod in patria meliores magis quam conjunctiores diligemus : ergo.

Resp. dist. ant. Deus magis objective diligit meliores, conc., sic nos diligimus ; magis intensive, neg., Deus enim uno et simplici actu omnes diligit. Aliunde non tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinæ in volito materiali, sed formali tantum, ut dicitur de actibus humanis.

Ad confir. neg. conseq. Disparitas est quod

[1] Ibid. a. 7, o. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Ibid.

in patria cessabit provisio[1] quæ est in præsenti vita, qua necesse est ut unusquisque sibi conjuncto provideat in spiritualibus et temporalibus magis quam alieno, ratione cujus in hac vita ex ipsa inclinatione charitatis homo plus diligit magis sibi conjunctum, cui magis debet impendere charitatis effectum. Unde in patria totus ordo dilectionis spectatur ex propinquitate ad Deum; in hac autem vita etiam spectatur ex conjunctione ad diligentem.

Inst. 2° : Deo conjunctiores sunt magis diligibiles, plus enim participant divinam bonitatem quæ est ratio diligendi ex charitate : ergo sunt magis diligendi.

Resp. 1° dist. conseq. Ergo sunt plus diligendi objective, et secundum speciem[2], conc.; plus intensive, neg. Itaque omnis actus proportionatur objecto et agenti : ex objecto habet speciem, ex virtute agentis habet modum suæ intensionis, sicut motus habet speciem ex termino ad quem est, sed intensionem velocitatis habet ex dispositione mobilis et virtute moventis. Sic ergo dilectio speciem habet ex objecto, sed intensionem habet ex parte ipsius diligentis: unde, quamvis Deo conjunctioribus majus bonum velimus, non tamen ideo magis intense volumus.

2° Posset absolute negari consequentia[3], quia, licet meliores magis participent divinam bonitatem, et ideo sint secundum præsentem statum magis diligibiles, ista tamen participatio in hac vita est mutabilis, et qui hodie plus participat, potest cras minus participare, et, e contra, qui hodie minus participat, potest cras magis participare. At conjunctio secundum carnem est immutabilis : unde possum diligere ut mihi conjuncti plus participent divinam bonitatem, sicque plus eos diligere quam qui nunc sunt meliores.

Inst. 3° : Qui plures amat propter unum, magis amat eos qui sunt isti uni propinquiores : atqui diligimus ex charitate proximum propter Deum : ergo.

Resp. dist. maj. Cæteris paribus, transeat; cæteris imparibus, neg. Hic autem cætera non sunt paria; quia 1° conjunctiores nobis pluribus titulis diliguntur quam propinquiores Deo ; 2° quia specialiter est nobis a Deo commendata dilectio et cura nobis conjunctorum. Utrumque patet ex probationibus conclusionis : sicut ergo, quamvis, v. g., gubernator civitatis omnes subditos regis diligat propter regem, non tamen magis diligit regi propinquiores quam suos cives, quia nempe pluribus titulis eos diligit, et eorum dilectio atque cura specialiter est sibi a rege commendata. Ita in nostro casu.

[1] Hic a. 13, o. [2] Hic a. 7, o. [3] Ibid.

Dices : S. Aug., lib. *de Vera Relig.*, cap. 26, dicit necessitudines propinquitatis carnalis esse ex peccato, et neminem esse aptum regno Dei qui non eas oderit : ergo. Resp. S. Augustinum id retractasse lib. 1 *Retract.*, cap. 13.

Recte observat doctissimus Sylvius quod, cum Auctor, hic et a. 6, loquitur de intensione dilectionis, non accipiat eam stricte prout consistit in gradibus intensionalibus, sed generaliter pro perfectione actus, sive illa sit secundum plures gradus intensionales, sive secundum appretiationem; quatenus amicitia unius magis æstimatur, ideoque bonum illius amici magis procuratur quam alterius.

Dico 3° : Inter varie conjunctos[1], carnaliter conjuncti per se loquendo sunt magis diligendi in his quæ pertinent ad naturam quam aliter conjuncti.

Supponit conclusio varios conjunctionis modos[2] : inprimis est conjunctio secundum carnem, ut inter parentes et consanguineos; altera est secundum societatem politicam, ut inter concives in eadem civitate, vel inter commilitones in eadem militia, tum inter se tum cum suis magistratibus aut ducibus; altera est secundum communem vivendi modum in eadem religione ; altera secundum rationem obsequii sive spiritualis, sive temporalis.

Dicit itaque conclusio[3] quod, per se loquendo, qui sunt carnaliter conjuncti magis diligendi sint in his quæ pertinent ad naturam quam aliter conjuncti, quia intensio dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem ; conjunctio autem carnalis originis est prior et immobilior, quia est secundum id quod pertinet ad substantiam : aliæ autem conjunctiones sunt supervenientes et removeri possunt.

Dixi : *In his quæ pertinent ad naturam*, quia[4] in his quæ pertinent ad alias conjunctiones, sunt magis diligendi qui secundum illas conjunguntur ; ita ut, inquit Auctor, «Unusquisque diligatur magis in eo quod pertinet ad illam conjunctionem secundum quam diligitur », intellige extra necessitatem, ut modo dicam: unde, v. g., in re bellica magis obeditur duci quam patri.

Attamen comparando dilectionem dilectioni, conjunctionem conjunctioni, carnalis est cuicumque præferenda, ita ut si non possint præstari ea quæ pertinent ad carnalem conjunctio-

[1] Ibid. a. 8, o. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Ibid.

nem et ea quæ sunt propria aliis conjunctionibus, ista sunt omittenda, imo et istæ conjunctiones sunt deserendæ, si necesse sit : unde miles, v. g., debet militiam deserere ut subveniat necessitati parentum, religiosus exire ex monasterio in eumdem finem : unde relinquitur quod simpliciter loquendo carnaliter conjuncti sint magis diligendi quam aliter conjuncti.

Consectaria.

Ex his colliges 1° in gravi vel extrema necessitate corporali, per se loquendo, magis esse succurrendum parentibus, filiis, uxori et probabilius etiam fratribus et sororibus quam cuivis benefactori quantumvis insigni. Quantum ad parentes patet, quia, inter beneficia, nullum est comparabile beneficio quod a parentibus accepimus. Quantum ad filios et uxorem, quamvis parentes nihil accipiant a filiis, nec maritus ab uxore, tamen filii sunt aliquid parentum et uxor aliquid viri, sunt enim vir et uxor una caro. Idem videtur dicendum de fratribus et sororibus, quia arctior est conjunctio inter illos quam inter quosvis alios.

Dixi tam in conclusione quam in consectario, *per se loquendo,* quia conclusio cum consectario intelligenda est sub iis exceptionibus quas secundæ conclusioni apposuimus. Vide.

Colliges 2° etiam in pari necessitate spirituali, probabilius parentes et filios carnales esse præferendos parentibus et filiis spiritualibus, quia simpliciter loquendo parentes et filii carnales sunt magis ex charitate diligendi quam quivis alii: atqui, si non præferantur aliis in necessitate spirituali, non magis diligentur ex charitate : ergo. Prob. min. Dilectio charitatis fundatur in participatione beatitudinis et in communicatione bonorum spiritualium in ordine ad illam: ergo, si non præferantur aliis in necessitate spirituali, non magis diligentur ex charitate quam alii.

Dices : Generatio spiritualis est majus beneficium quam carnalis : ergo plus debemus parentibus spiritualibus quam carnalibus.

Resp. neg. conseq., partim quia parentes spirituales non sunt æque causa nostræ regenerationis, sicut parentes carnales sunt causa nostræ generationis carnalis ; causa enim principalis nostræ regenerationis est Deus et Christus ; sacerdos autem est causa instrumentalis tantum : at parentes sunt causa principalis nostræ generationis carnalis, partim quia generatio carnalis est fundamentum vitæ spiritualis, in quantum illa supponitur ad istam.

Inst. : Unusquisque magis est diligendus in eo quod pertinet ad illam conjunctionem secundum quam diligitur, ut diximus paulo ante ex Auctore : atqui parentes et filii spirituales sunt nobis magis conjuncti quam carnales quantum ad ea quæ spectant conjunctionem spiritualem : ergo.

Resp. hoc dictum Auctoris esse intelligendum de iis quæ sunt propria cuilibet conjunctioni, non vero de bono quod est commune omnibus conjunctionibus, quale est vita æterna. Item intelligendum est extra necessitatem, quo casu fatemur parentes spirituales debere magis curare spiritualem profectum filiorum spiritualium aut spiritualiter conjunctorum quam parentum, filiorum, fratrum aut sororum carnalium, quo sensu dicebat S. Ambros. l. 1 *de Offic.*, c. 7 : « Non minus vos diligo quos in Evangelio genui, quam si in conjugio suscepissem », quam dilectionem Auctor, hic a. 8 ad 2, explicat quantum ad officia spiritualia impendenda, ut instructionis in fide et in bonis moribus. Neque dubium est quin pastor magis debeat invigilare saluti suorum parochianorum, quam parentum aut fratrum qui sunt alterius parochiæ et a suo pastore sufficienter curari possunt. Idem dic de officiis et obsequiis propriis cuilibet conjunctioni extra necessitatem parentum et cognatorum ; sic civis concivi, frater spiritualis fratri aut patri spirituali in religione, etc., plus debet in his quæ sunt propria societati politicæ vel religiosæ quam parentibus et cognatis carnalibus.

Colliges 3° patrem plus esse diligendum[2] objective quam filium, filium autem plus intensive quam patrem. Ratio prioris est, quia diligimus patrem sub ratione principii quod habet rationem eminentioris boni et similioris Deo. Ratio secundæ partis : Id intensius diligitur, quod est conjunctius; filius autem est magis aliquid patris, quam pater sit aliquid filii; ramus enim est aliquid arboris, non arbor aliquid rami : [2] absolute autem loquendo pater in necessitate est præferendus filio, quia pater diligitur ut causa, filius ut effectus ; major est autem obligatio effectus ad causam quam causæ ad effectum.

Colliges 4° patrem, per se loquendo[3], magis esse diligendum quam matrem, quia pater est nobilius principium quam mater. Potest tamen facile contingere quod propter virtutes et merita matris et e contra propter vitia et negli-

[1] Ibid. a. 9, o. [2] In 3. d. 29. a. 7. o. [3] Hic a. 10. o.

gentias patris, mater sit magis diligenda: unde dixi, *per se loquendo*.

Colliges 5° patrem plus esse diligendum [1] objective et appretiative quam uxorem, uxorem autem plus intensive quam patrem et filios. Ratio est quia, ut jam diximus, diligimus patrem sub ratione principii quod habet rationem eminentioris boni et Deo similioris atque ratione accepti beneficii; uxorem autem diligimus ut nostram carnem, sicque ut conjunctiorem quam patrem et filium : intensio autem dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem, ut jam non semel dictum est.

Cæterum observant theologi ordinem in tribus ultimis consectariis immutare non esse grave peccatum, quia non est notabilis excessus unius super alium.

ARTICULUS V.

AN ET QUO SENSU LICEAT DEUM DILIGERE ET ILLI SERVIRE PROPTER RETRIBUTIONEM?

Dico 1° : Fide certum est licere aliquo sensu Deo servire, sive illum diligendo, sive alia virtutum opera exercendo propter retributionem.

Ita definitum est in concilio Trid., sess. 6, cap. 11 et can. 31, his verbis : «Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. »

Constat ex S. Scriptura in pluribus locis : David Psal. 118 dicit : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem* ; Apost. Heb. 11 refert Abraham et Moysen bona egisse intuitu mercedis æternæ, de Abraham dicit quod ex obedientia in terra promissionis, *tanquam in aliena demoratus sit, quia expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus ;* de Moyse quod *magis elegerit affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem, quia aspiciebat in remunerationem;* Matth. 19, apostolis dicentibus : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te : quid ergo erit nobis?* respondit Christus promittens illis ampliorem quam aliis mercedem : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel ;* Coloss. 1 dicuntur habuisse fidem et dilectionem *propter spem quæ reposita erat eis in cœlis;* et Christus, Matth. 5, eos incitat ad tolerantiam passionum intuitu mercedis : *Gaudete*, inquit, *et exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.*

[1] Ibid a. 11.

Idem passim asserunt SS. Patres : Cyprianus epist. 16 ; Chrysostomus, hom. 63, in Matth. ; Ambrosius, l. 5 in cap. 6 Luc. ; Hieronymus, l. 1 *cont. Jovin.* c. 13 ; Aug., in Psal. 134, tract. 51 in Joan. et alibi. Item Ecclesia quæ in officio martyrum cantat : *Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini.*

Dico 2° : Non licet diligere Deum aut illi servire [1] propter retributionem tanquam propter finem rei amatæ seu Dei ; tum quia Deus non potest ordinari ad aliquid tanquam ad finem, cum ipse sit finis ultimus ad quem omnia ordinantur ; tum quia alioquin retributio amaretur plusquam Deus, finis enim plus amatur quam ea quæ sunt ad finem.

Dico 3° : Licet servire Deo sive ipsum diligendo [2], sive virtutum opera exercendo propter retributionem æternam, sic ut retributio sit finis dilectionis et bonorum operum, non ultimus sed ulterius ordinabilis ad Deum.

Prob. prima pars 1° : Nulla est inordinatio quod media ad finem suum proprium et legitimum, et merita ad præmium ordinentur : atqui finis proprius et legitimus bonorum operum, eorumque præmium est æterna beatitudo, juxta illud Matth. 19 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ;* et 1 Petri 1 : *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Idque probant ea quæ protulimus pro prima conclusione.

2° Amicorum est ut quærant invicem frui : atqui merces nostra nihil aliud est quam frui Deo : ergo.

Prob. secunda pars : Finis noster ultimus est Deus : atqui beatitudo æterna, licet objective sit Deus, formaliter tamen non est Deus, sed quid creatum, scilicet visio beatifica : ergo.

Hinc sequitur tertia pars : Si enim possumus servire Deo propter retributionem æternam tanquam propter finem bonorum operum, sed non ultimum : ergo tanquam propter finem ulterius ordinabilem ad Deum, ita quod intendamus videre Deum, ut cum securius et intensius diligamus, atque in æternum laudemus et glorificemus ; sic affecti ut, si nulla esset beatitudo speranda, nihilominus diligeremus illum atque illi serviremus.

Dico. 4° : Licet servire Deo intuitu mercedis temporalis, non tanquam finis proprie dicti bonorum operum ; inordinatum enim esset quod actus virtutum, qui sunt præstantiores bonis temporalibus, tanquam media ad illa ut

[1] In 3 d. 29, a. 4, o. [2] Ibid.

ad finem ordinarentur: sed tanquam boni alicujus vel finem comitantis, vel ad eum conducentis, ita ut se habeant tantum ut quædam motiva accessoria. Juvant enim nos bona temporalia ad finem supernaturalem consequendum : 1° in quantum per illa vita hæc corporalis, in qua sola datur copia beatitudinem merendi, sustentatur; 2° in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum.

Id confirmat praxis Ecclesiæ quæ petit a Deo serenitatem, pluviam, fruges, etc. imo ipse Christus qui jubet nos in Oratione Dominica petere panem nostrum quotidianum.

Potest adhuc alio sensu, licet improprio [1], Deus diligi propter beneficia; quatenus homo ex acceptis vel speratis beneficis a Deo disponitur et incitatur ad diligendum ipsum propter se; sed hoc non est diligere Deum intuitu mercedis.

Argumenta quæ opponi possunt contra tertiam conclusionem, attenta ejus explicatione, facile solvi possunt : Unde breviter

Dices : Qui diligit Deum propter mercedem, plus diligit mercedem quam Deum ; propter enim unumquodque tale et illud magis : ergo.

Resp. dist. ant. Qui diligit Deum propter mercedem tanquam finem rei amatæ, plus, etc. conc. ; tanquam finem dilectionis, subdistinguo. Tanquam finem ultimum, transeat ; tanquam finem ulterius ordinabilem ad Deum, neg. Solutio patet ex ipsa conclusione.

Inst. 1° : Amor Dei propter mercedem est amor mercenarius : atqui amor mercenarius, ut docet Auctor supra q. 19, a. 4 ad 3, est semper malus : ergo.

Resp. dist. maj. Amor Dei propter mercedem, ad sensum conclusionis, est amor mercenarius proprie dictus, qui nempe principaliter intendit mercedem, sive temporalem sive æternam, ita ut, si non esset merces, non diligeretur Deus, neg. ; est amor mercenarius improprie dictus, quo quis scilicet ita mercedem spectat, ut, si nulla esset, nihilominus diligeret Deum, conc. At iste amor mercenarius non est malus.

Inst. 2° : Diligere Deum propter mercedem pertinet ad amorem concupiscentiæ : ergo non est charitatis ; charitas enim est amor benevolentiæ.

Resp. dist. conseq. : Ergo non est charitatis primario, conc. ; secundario, neg. Non repugnat enim quod qui charitate Deum diligit propter seipsum, secundario aliquod commodum inde expectet, quia vera amicitia non excludit omnem respectum ad commodum ab amico consequendum, modo principaliter propter se ametur.

Quantum ad SS. Patres qui possunt opponi, intelligendi sunt de amore Dei propter mercedem temporalem, vel etiam æternam principaliter intentam et tanquam finem ultimum.

[1] Hinc q. 27 a. 3, o.

ARTICULUS VI.

UTRUM SIT MELIUS ET MAGIS MERITORIUM DILIGERE INIMICUM QUAM AMICUM.

Auctor docet quod istæ dilectiones possint comparari dupliciter [1], ex parte proximi qui diligitur et ex parte rationis propter quam diligitur : quod primo modo dilectio amici præemineat dilectioni inimici, quia amicus et melior est et magis conjunctus ; secundo modo dilectio inimici præemineat, quia est purior et ostenditur esse fortior, quippe quæ se ad remotiora extendit.

In his conveniunt theologi ; sed quæstio inter illos remanet, quæ istarum dilectionum secundum se et cæteris paribus sit absolute melior ? ut si uno actu non cogitando de inimico diligam amicum ad duo, et alio actu non cogitando de amico diligam inimicum pariter ad duo : quæ dilectio sit absolute melior et magis meritoria ? Constat namque quod si una sive amici sive inimici sit ad sex, sit melior altera quæ est tantum ad duo.

Dico : Secundum communiorem et probabiliorem sententiam, dilectio amici secundum se et cæteris paribus est absolute melior et magis meritoria quam dilectio inimici.

Videtur expressa sententia Auctoris qui præsentem articulum septimum sic concludit: « Dilectio amicorum secundum se considerata est ferventior et melior quam dilectio inimicorum. » Et q. disput. de Charitate, a. 8 ad 17 : « Si consideremus, inquit, istos duos actus, absolute melius est diligere amicum quam inimicum. »

Prob. ejus rationibus [2]: 1° Illa dilectio est absolute melior, cujus objectum est melius ; bonitas enim essentialis actus petitur ex bonitate objecti : atqui amicus est melior, Deo et nobis conjunctior quam inimicus : ergo. Si dicas amicum posse esse aliunde pejorem, resp. conclusionem non spectare nisi præcise rationem amicitiæ et inimicitiæ respective ad amantem.

[1] Hic q. 27. a. 7. o. [2] Ibid.

Confir. 1° : Illud est absolute melius cujus oppositum est pejus : atqui pejus est absolute odisse amicum quam inimicum, ut in terminis dicit Auctor, et apprehendit sensus communis : ergo.

Confir. 2° : Dilectio illius quod est vere diligibile est bona : ergo dilectio illius quod est magis diligibile est melior : atqui amicus est magis diligibilis quam inimicus : ergo.

Obj. 1° : S. Th., hic a. 7, dicit quod dilectio inimici præemineat secundum rationem diligendi ; atqui excessus secundum rationem diligendi absolute est melior, quia objectum dilectionis non specificat nisi ut subest rationi diligendi : ergo.

Resp. dist. maj. Dilectio inimici juxta D. Th. præeminet secundum rationem diligendi spectatam essentialiter, neg. ; spectatam secundum accidentia, conc. Ad cujus sensum distincta min. neg. conseq. Non intendit ergo S. Th. quod ratio diligendi, quæ est bonitas divina, sit major seu magis participata in inimico quam in amico ; quin potius contrarium docet in capite articuli, dum dicit amicum esse meliorem ; sed vult tantum quod ratio diligendi in inimico sit purior et ostendatur fortior quia difficilior : hæc autem sunt accidentia respectu rationis diligendi.

Inst. 1° : Secundum D. Th. ibid., dilectio inimici est reipsa fortior : ergo absolute melior. Prob. ant. S. Th. comparat dilectionem igni qui tanto est fortior quanto comburit remotiora, seu materiam minus combustibilem : ergo dilectio tanto est fortior, quanto diligit objectum minus diligibile, scilicet inimicum.

Resp.neg.ant. Ad probat. dist. ant. S.Th. comparat dilectionem igni quantum ad aliquid, conc.; quantum ad omnia, neg. In hoc ergo tantum stat comparatio D. Thomæ quod, sicut dum ignis extenditur ad remotiora et comburit materiam minus combustibilem, ostenditur esse fortior ; ita dilectio, dum se extendit ad inimicum, ostenditur esse fortior : at non quod reipsa sit fortior præcise ut attingit inimicum, cum et eadem possit attingere amicum. Insuper minima charitas se extendit ad omnia diligibilia et diligit Deum super omnia, sicque potest superare omnes difficultates, quod dici non potest de minimo igne respectu omnis materiæ combustibilis : unde charitate eadem et æque intensa possum diligere amicum et inimicum ; et in hoc sensu procedit conclusio.

Inst. 2° : Saltem, secundum D. Thomam, dilectio inimici est purior, quia non diligitur inimicus nisi propter Deum, cum amicus diligatur etiam propter aliud : ergo est melior.

Resp. dist. conseq. Ergo est melior secundum quid et accidentaliter, transeat ; simpliciter et absolute, neg. Bonitas enim quæ petitur ab objecto est simpliciter et absolute melior. Dixi : transeat, quia admixtio motivorum naturalium in dilectione amici non semper causat remissionem seu diminutionem illius ; natura enim non est gratiæ contraria, sed a gratia perficitur : unde, quando illa motiva per charitatem ordinantur ad ejus finem, nullum ex illis patitur detrimentum, sed e contra proficit.

Obj. 2° : Dilectio amicorum non meretur mercedem, juxta illud Christi Matth. 5: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ?* Dilectio autem inimicorum meretur mercedem : ergo.

Resp. sensum verborum Christi [1] esse quod dilectio amicorum apud Deum mercedem non habeat, quando propter hoc solum amantur quia sunt amici et non propter Deum ; quod videtur accidere quando sic amantur amici, quod inimici non diligantur.

Obj. 3° ex Patribus : S. Chrysostomus, hom. de Cruce et Latrone sub finem, dicit : « Melius est pro inimicis quam pro amicis orare, nec enim tantum nobis præstat pro amicis oratio, quantum pro inimicis deprecatio. » S. Aug. Enchir. c. 37 : « Minus magnum est erga eum esse benevolum, seu etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit ; illud multo grandius et magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas. » S. Bernardus, serm. feriæ quartæ hebdomadæ pœnosæ, ad hæc verba : *Majorem charitatem nemo habet,* etc., dicit: « Tu habuisti majorem, Domine, ponens etiam pro inimicis » : ergo.

Resp. hos et similes Patrum textus duplici sensu excipi : 1° Non comparant dilectionem amicorum seorsim cum dilectione inimicorum, sed eam dilectionem quæ est amicorum tantum, cum ea quæ supponit dilectionem amicorum, et insuper includit dilectionem inimicorum ; et hæc indubie est melior, et magis meritoria quam dilectio amicorum tantum. 2° Loquuntur SS. Patres in suppositione quod dilectio inimicorum fiat, ut sæpe contingit, intensior propter difficultatem, et quod eadem intensione non feratur in amicos; quo casu etiam est melior. Sed hoc non semper nec necessario sequitur, tum quia eodem gradu in-

[1] Ibid.

[1] Ibidem ad 1.

tenso quo diligo inimiços possum diligere amicos, tum quia, ut jam dixi, minima charitas se extendit ad omnia diligibilia, et diligit Deum super omnia, sicque potest omnes difficultates superare : unde possum diligere amicum et inimicum in eodem gradu, puta ad duo ; et hoc sensu, ut iterum repetam, procedit conclusio.

Obj. 4° : Dilectio inimici est difficilior quam amici : ergo et melior.

Resp. neg. conseq. Plus enim facit ad rationem meriti et virtutis [1] bonum quam difficile : unde non oportet quod omne difficilius sit magis meritorium, sed quod sic est difficilius, ut etiam sit melius, ut proinde difficultas operis sequatur rationem boni. Difficultas autem quæ reperitur in dilectione inimici non sequitur rationem boni, cum non proveniat ex objecto quatenus bonum est, sed e contra quatenus a bono deficit. Denique exemplum patens est in dilectione Dei, quæ melior est quam dilectio proximi, licet ista sit difficilior.

ARTICULUS VII.

DE PRÆCEPTIS CHARITATIS.

Charitatis nomine hic non intelligitur habitus charitatis, sed actus; non enim præcepta dantur de habitibus, sed de actibus. Cum itaque in præsenti dissertatione egerimus de præcipuo actu charitatis qui est dilectio, præsentem quæstionem hic propono, quam tractat Auctor infra q. 44.

§ I.

Utrum detur speciale præceptum diligendi Deum actu interno?

Non pauci docuerunt non dari præceptum speciale et a cæteris distinctum diligendi Deum actu interno explicito, sed dilectionem Dei præceptam nihil aliud esse quam observantiam cæterorum mandatorum, etiam sine ullo internæ dilectionis affectu ; quod sane non parum offendit pias aures. Contra quos itaque

Dico : Datur speciale et a cæteris distinctum præceptum diligendi [2] Deum affectu et actu interno explicito, et non solum effectu observando cætera mandata.

Prob. 1° ex his Christi verbis Matth. 22 : *Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua : hoc est maximum et primum mandatum. Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum : in his duobus mandatis universa lex pendet.* Idem legitur Deut. 6 et Luc. 10.

Ex his triplex formo argumentum : primum ; Juxta S. Augustinum et omnes interpretes, verba S. Scripturæ in sensu naturali et obvio accipienda sunt, nisi obstet grave inconveniens : atqui ista verba : diligere ex toto corde, in tota anima, in tota mente, naturaliter et obvie affectum et actum internum dilectionis significant, nec nisi per apertam violentiam in alium sensum detorqueri possunt, neque huic sensui ullum obstat inconveniens, quinimo in hunc sensum omnia conspirant : ergo.

Secundum : Inter ea quæ distincta non sunt, non potest numerari primum, secundum et tertium, neque unum potest dici maximum ; hoc per se patet : atqui, juxta Scripturam citatam, præceptum dilectionis Dei inter cætera numeratur primum, præceptum dilectionis proximi secundum ; cætera quæ in his duobus pendent tertium. Item præceptum dilectionis Dei dicitur maximum inter alia : ergo præceptum dilectionis Dei est speciale et distinctum a cæteris præceptis.

Tertium : Nihil pendet a seipso ; atqui lex seu præcepta totius legis pendent ab his duobus præceptis : ergo hæc duo præcepta sunt a cæteris distincta.

Confir. : S. Scriptura distinguit dilectionem Dei et observantiam mandatorum, ut causam et effectum, ut signum et significatum : Joan. 14 : *Si diligitis me, mandata mea servate,* ubi dilectio assignatur ut causa observantiæ mandatorum, et observantia mandatorum ut signum dilectionis.

Prob. 2 : Virtus charitatis non est tantum imperativa actuum observantiæ mandatorum, sed etiam est elicitiva affectuum et actuum propriorum, ut per se constat : ergo etiam præceptum charitatis non obligat tantum ad actus imperatos, seu ad observantiam mandatorum, sed etiam ad actum proprium elicitum charitatis, qui est formalis et explicitus amor Dei. Idque aperte innuit S. Scriptura, non solum locis jam citatis, sed etiam 1 Cor. 16 : *Si quis non amat Jesum Christum, anathema sit;* et 1 Joan. 4 : *Nos ergo diligamus Deum quoniam prior dilexit nos.*

Huc faciunt sequentes propositiones damnatæ. Prima : « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas

[1] Ibid. a. 8, ad 3. [2] Hic. q. 44. a. 1. ad 1.

virtutes pertinentium » : est prima inter damnatas ab Alexandro VII, anno 1665; secunda : « An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus » ; tertia : « Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum »; quarta : « Tunc solum obligat, quando tenemur justificari et non habemus aliam viam qua justificari possumus » ; sunt quinta, sexta et septima inter damnatas ab Innocent. XI, anno 1679; quinta : « Finem ultimum homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis » : est damnata ab Alexand. VIII, anno 1690.

Dices 1° : Joan. 14, dicitur : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui me diligit,* ubi videtur dilectionem præceptam reponi in observantia mandatorum ; ergo.

Resp. his verbis nihil aliud significari quam quod observantia mandatorum sit signum dilectionis Dei, quia fieri non potest quod quis sincere Deum diligat ex toto corde, et mandata ejus non servet.

Dices 2° : S. Bernardus, serm. 50 in Cantic. dicit : « Est charitas in actu et in affectu; et de illa quidem quæ operis est, puto datam esse legem, mandatumque firmatum : nam in affectu quis ita habeat ut mandetur? illa mandatur ad præmium, ista in præmium datur »: ergo.

Resp. S. Bernardum non excludere obligationem omnis affectionis internæ, sed affectionis tantum perfectæ et consummatæ; distinguit enim ibi triplicem affectionem « quam caro gignit, quam ratio regit et quam condit sapientia.... Prima quidem dulcis, sed turpis, secunda sicca, sed fortis, ultima pinguis et suavis. » Non ergo excludit obligationem secundæ affectionis in qua sita est essentialiter charitas per quam opera fiunt, sed obligationem tertiæ quæ est cum dulcedine et devotione consummata, quæque non præcipitur in hac vita, sed datur in præmium in patria.

Dices 3° : Istud præceptum non ponitur in Decalogo : ergo.

Resp. 1° neg. conseq., quia omnia præcepta Decalogi ordinantur [1] ad dilectionem Dei et proximi : præcepta primæ tabulæ ad dilectionem Dei, secundæ tabulæ ad dilectionem proximi; et ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi. 2° Dist. ant. Istud præceptum non ponitur explicite in Decalogo, conc.; implicite, neg. Hoc ipso enim quod in capite Decalogi ponitur : *Ego sum Dominus Deus tuus,* recta ratio statim infert esse diligendum.

[1] Ibidem ad 3.

Quod diximus de præcepto diligendi interne Deum, dicendum est de præcepto diligendi interne proximum propter easdem rationes quibus adde : jubemur diligere proximum sicut nos ipsos; nos autem diligimus nos affectu interno. Item Joan. 15, dicit Christus : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos;* Christus autem dilexit nos non solum per opera externa, sed affectu interno.

Neque dicas proximum sublevari duntaxat opere externo, nec curare affectum internum; falsum namque est utrumque assumptum; sublevatur enim proximus etiam orationibus internis, et dedignaretur opus externum, si sine affectu illi exhiberetur.

Hinc sequentes propositiones damnatæ ab Innocent. XI : « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali » : est decima. « Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos » : est undecima.

Petes quid intelligatur in præcepto charitatis per istas particulas: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, et ex tota mente?*

Resp. Supposito quod inter has particulas assignandum sit discrimen [1], *ex toto corde,* significat ex tota intensione seu voluntate ; *ex tota mente* significat quod intellectus noster subdatur Deo; *ex tota anima,* quod appetitus noster sensitivus reguletur secundum Deum; *ex tota fortitudine,* quod actus exteriores sint conformes divinis legibus.

Dixi : Supposito quod inter has particulas assignandum sit discrimen, quia multi volunt his unum et idem significari, scilicet amorem Dei super omnia, easque apponi tantum ad majorem explicationem et energiam, perinde ac si diceretur : Diliges Deum ex toto animi affectu et super omnia, sic ut in amore Dei nihil illi anteponas aut adæques, idque colligunt ex eo quod S. Scriptura interdum tres particulas ponat, ut Deuteron. 6 et Matth. 22, aliquando duas, ut Deuteron. 10 et 30, aliquando quatuor, ut Marci 12 et Luc. 10; quodque non semper eædem, nec eodem ordine ponantur : nam, Deuteron. 6, exprimitur *cor, anima et fortitudo;* apud Matth., *cor, anima et mens;* apud Marcum, *cor, anima, mens et virtus;* apud Lucam, *cor, anima, vires et mens:* quæ varietas signum est non esse magnum mysterium in distinctione harum particula

[1] Ibid. a 4 et 5, o.

rum, sed perinde esse, sive istæ, sive illæ ponantur. Ita doctissimus Sylvius qui addit quod, quamvis SS. Augustinus et Bernardus discrimen ponant inter has clausulas, cæteri tamen Patres, SS. Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus et Ambrosius nullam agnoscant, intelligentes sub τo *ex toto corde* cæteris contineri.

§ II.

Quandonam obliget præceptum charitatis?

Suppono hoc præceptum sicut cætera obligare dupliciter, per se, et per accidens ratione alterius præcepti quod sine actu charitatis impleri non potest, ut diximus de præcepto fidei.

Dico 1° : Præceptum dilectionis Dei per se obligat, primo initio usus rationis ad hoc sufficientis, de quo sat superque dixi in tract. de Peccatis, dissert. 8, art. 8. Vide.

2° Obligat per se in fine vitæ, quia, cum tunc spiritus revertatur ad Deum qui creavit illum, et diabolus maxime illi insidietur, gravissimæ negligentiæ et contemptus accusaretur homo si non se converteret per amorem ad Deum, cui sperat amore æterno conjungi in beatitudine.

3° Obligat per se sæpius in vita, cum charitas sit virtus præcipua qua tendimus in finem propter quem creati sumus. At quoties et quando? incertum est.

Habemus ex propositionibus damnatis quod non sufficiat semel in vita, nec semel in quinquennio. Non arbitramur etiam obligare quotidie, ut quidam putant colligere ex Oratione Dominica; quatenus, inquiunt, Christus nos docuit quotidie illam recitare, dum per eam jussit sic petere : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Dicendo enim *hodie* significat illud singulis diebus esse petendum; recitando autem cum intellectu Orationem Dominicam, exercemus actum formalem dilectionis, dicendo, *sanctificetur nomen tuum*, quod non est aliud quam velle quod nomen Dei ubique et ab omnibus habeatur sanctum. Ita quidam recentiores, quorum alii hanc sententiam tuentur ut verisimiliorem, alii ut non improbabilem.

Verum esto Christus docuerit recitare quotidie Orationem Dominicam, ideone stricte præcepit? Hoc erat ante omnia probandum. Fortene condemnabitur peccati mortalis qui uno vel altero die non recitaret Orationem Dominicam, si interim alias orationes recitet, aut si quotidie recitaret, sed interdum *sine intellectu?* Item ex eodem principio pari jure inferam nos teneri quotidie ad actum dilectionis proximi; id quidem admittunt adversarii consequenter ad suum principium. Sed fallor, si hæc sententia non reputetur ab omnibus aliis singularis, durior et rigidior.

Denique dato esse præceptum rigorosum recitandi quotidie Orationem Dominicam, potest huic præcepto satisfieri absque actu dilectionis. Si namque peccator timore inferni attritus, volens sincere reverti ad Deum, recitet attente, et, in quantum potest, devote Orationem Dominicam ut impetret a Deo dilectionem necessariam ad suam perfectam conversionem, nemo dicet eum peccare et non satisfacere obligationi recitandi Orationem Dominicam, et tamen non elicit actum dilectionis Dei super omnia : potest ergo recitari Oratio Dominica, sic ut satisfaciat ejus præcepto, si detur absque eo quod eliciatur actus dilectionis.

Longe ergo probabilius et moderatius sentiunt qui vel assignant dies dominicos et festos, in quibus, cum fideles colunt Deum ut omnium rerum principium, inde incitantur etiam ad eum amandum, vel qui semel aut bis in septimana actum dilectionis requirunt. Sed cum, ut dixi, hæc incerta sint, hortandi sunt fideles ut sæpe et sæpissime, in quantum possunt, in his actibus charitatis se exerceant: quod facile præstabunt, si cum attentione et affectu recitent Orationem Dominicam; quamvis enim, ut dictum est, non importet necessario actum dilectionis, sæpe tamen adjunctum habet, quando cum attentione et speciali affectu recitatur.

Certo autem in hoc præceptum impingunt qui diu versantur in occasione proxima peccandi vel prava consuetudine; neque tamen tenentur hujus præcepti omissionem in confessione exprimere, quia satis intelligitur ex confessione occasionis proximæ aut pravæ consuetudinis, de eo tamen monendi sunt pœnitentes, ut peccatum suum agnoscant et doleant.

Dico 2° : Per accidens obligat præceptum dilectionis Dei quoties urget aliud præceptum quod non potest impleri sine dilectione, quia qui tenetur ad finem tenetur ad media. Hinc obligat 1° quando tentatio odii Dei aut alterius peccati superari non potest absque expresso actu dilectionis Dei; 2° quando homo tenetur aut vult justificari non solum sine sacramento sed etiam, secundum nos, cum sacramento,

intelligendo de dilectione Dei super omnia, etsi nondum sit charitatis; 3° in casu martyrii. Plures alii casus a quibusdam assignantur, sed incerti. Confer quæ dixi de præcepto fidei, dissert. 2, a. 4, § 2.

Quantum ad præceptum dilectionis proximi, obligat, inquit Sylvius, quando offensa est inimico condonanda, et quando ipsi est bene faciendum; addit, quando hoc esset necessarium ad superandam tentationem odii, vel alicujus alterius peccati contra proximum; sed hæc obligatio est per accidens; subdit : de aliis casibus nihil est certi, nisi quod hæc dilectio non sit diu differenda : hanc diu differre non præsumuntur qui sæpe attente ac devote recitant Orationem Dominicam, ut dictum est.

ARTICULUS VIII.

AN ET QUOMODO HOMO DELIBERATE AGENS TENEATUR OMNIA ET SINGULA SUA OPERA REFERRE IN DEUM?

Huc revocandæ sunt variæ intentiones seu relationes operum in finem, quas, art. 5, dissert. 1, de ultimo fine recensuimus, scilicet actualis, virtualis, interpretativa et habitualis; sed maxime attendendum ad duplicem virtualem, quarum unam diximus explicitam ratione prioris intentionis actualis virtualiter perseverantis; alteram implicitam ratione objecti ex se tendentis in finem, cujus objecti honestate movetur agens ad agendum. Confer prænotamen dicti articuli.

Lovanienses docent hominem, quotiescumque agit deliberate, teneri sub peccato veniali actum referre in Deum ex amore, non quidem charitatis, sed benevolentiæ, relatione virtuali explicita, relicta scilicet ex actuali relatione præcedente, quæ adhuc perseveret et in opus influat, sic tamen ut defectus hujus relationis ipsum quidem operantem inficiat, at non ipsum opus.

Pro explicatione et assertione sententiæ contrariæ, quæ est communis aliarum scholarum catholicarum,

Dico 1° : Homo tenetur aliquoties omnia opera sua referre relatione virtuali explicita in Deum ut ultimum finem, sive naturalem, sive supernaturalem, eo scilicet modo quo illum cognoscit aut cognoscere potest.

Prob. Quia omnis homo, sive fidelis sive infidelis, tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei, ut ultimi finis seu super omnia : id omnes admittunt, etiam de infidelibus; quia, licet Deum ut auctorem naturæ non cognoscant, possunt tamen illum cognoscere, cum de eo non detur ignorantia invincibilis, ut diximus in prima parte : atqui in actu hujusmodi amoris Dei super omnia et ut ultimi finis involvitur virtualiter relatio omnium operum in Deum ut ultimum finem, finis enim ultimus est id quod propter se appetitur et cætera propter ipsum : unde Auctor in 2, d. 40, q. unica, a. 5 ad 6 : « Quando aliquis, inquit, cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. » Et infra : « Quandocumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi. »

Dico 2° : Ut tam operans quam opus eximantur a peccato, non est necesse ut homo deliberante agens toties quoties referat opus suum in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, sed sufficit relatio virtualis implicita. Seu, ut distinctius loquar, non est necesse ut præcesserit actualis relatio in Deum propter se dilectum, cujus vi et influxu eliciatur opus, sed sufficit, ubi non urget præceptum dilectionis Dei super omnia, ut opus sit ex objecto honestum, et nullo pravo fine, nullave alia prava circumstantia vitiatum, sic ut operans ex libera electione conformiter dictamini rationis et legis naturalis, sponte se subjiciat auctori hujus legis, diligensque honestatem particularem hujus operis, censeatur diligere virtualiter implicite primigeniam et fontalem honestatem quæ est ipse Deus, cujus hæc particularis honestas est participatio, consequenter intendat implicite ipsum Deum.

Hanc conclusionem impugnarunt quidam theologi non infimæ notæ, quorum responsiones et objectiones præcipue ex SS. Aug. et Thoma petitas referam et solvam. Igitur

Prob. 1° conclusio : Nulla lex, nullum præceptum assignari potest, quo homo deliberate agens teneatur referre opus suum in Deum aliter quam sit dictum in conclusione, nisi præceptum dilectionis Dei, quod, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, sed certis temporibus et circumstantiis : ergo, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum aliter quam sit dictum in conclusione. Antecedens, ultra quod patebit ex sol. obj., est expresse D. Th. in 2 cit. ad 6, ubi ait : « Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quærere quando oporteat habitum cha-

ritatis exire in actum. » Et 1 2, q. 100, a. 10, sibi objiciens aliud Apostoli : *Omnia in gloriam Dei facite*, respondet ad 1 sic : « Sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum ; et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum : sic qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est : *Honora parentes*, sed ex vi hujus præcepti : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare et ita potest contingere ut aliquis, implens præceptum de honoratione parentum, tunc non transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis. » Si dicas cum adversariis S. Th. hic agere de charitate stricte dicta, esto ; sed quod dicit de charitate est etiam intelligendum de amore Dei benevolo, cum utrobique sit eadem ratio præcepti affirmativi.

Contra hanc probationem quidam opponit 1° præceptum dilectionis Dei, cum sit affirmativum, non obligare ad semper ad actus continuos, obligare tamen ad semper virtute.

Resp. ut in vindiciis operi posthumo professoris Lovaniensis oppositis, hanc objectionem esse directe contra S. Thomam ; eodem enim modo loquitur S. Doct. de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes : istud autem non obligat virtute ad semper ; ergo nec illud. Insuper inauditum puto in scholis præcepta affirmativa obligare virtute pro semper ; hoc enim esset ipsa simpliciter obligare pro semper.

Inst. 1° : S. Th. q. 1 de charitate, a. 11 et alibi, in terminis docet præceptum charitatis obligare virtute ad semper. Quomodo ergo solutio præcedens esset directe contra S. Th. et inaudita in scholis, præsertim in schola thomistica ?

Resp. S. Th. neque q. 1 de charitate, neque alibi id docere ut patebit ex sol. obj. 4, sicque remanet quod ista solutio sit directe contra S. Th., et inaudita in scholis.

Inst. 2° : S. Th. eo modo loquitur de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes, dum agitur de tempore quo elici debet actus charitatis theologicæ, aut quo honorandi sunt parentes, non autem dum agitur de præcepto referendi opera in Deum ; nullibi enim dicit S. Th. quod non teneamur virtualiter et explicite opera nostra referre in Deum, nisi quando urget præceptum eliciendi actum charitatis.

Sed contra : Dicit in terminis S. Th. in 2, d. 40, q. unica, a. 5 ad 6 : « Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum. »

Reponit : S. Th. loquitur de habitu charitatis ; adversarii autem non dicunt ad relationem virtualem explicitam operum in Deum requiri habitum charitatis, alias qui carens habitu charitatis amaret Deum super omnia amore benevolo, per quod adimpletur præceptum charitatis, non referret virtualiter explicite omnia sua opera in Deum ; quod non admittunt.

Resp. quod id quod S. Th. hic dicit de habitu charitatis, intelligat etiam de amore benevolo ; quamvis enim non sit in omnibus eadem ratio habitus charitatis et amoris benevoli, eadem tamen est secundum S. Th. et rei veritatem, quoad relationem virtualem explicitam operum in Deum. Ideo enim, secundum S. Th. et rei veritatem, qui elicit actum charitatis habitualis, omnia opera sua virtualiter explicite refert in Deum, « quia quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad se ordinat in Deum ordinatum erit » : sunt verba S. Doct. loco cit. : atqui qui elicit actum amoris benevoli Dei super omnia, per quem adimplet charitatis præceptum, se totum ad Dei dilectionem dirigit ; ergo eadem est ratio habitus charitatis et amoris benevoli quoad relationem virtualem explicitam operum in Deum.

Neque verum est, ut prætenditur, S. Thomam ibi agere duntaxat de eo quod requiritur ad meritum de condigno, quasi sensus ejus verborum esset : « Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, ut operans relatione sua mereatur de condigno, hoc nihil aliud est quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum » ; hoc, inquam, nullatenus verum est ; siquidem homo justus sæpe mereatur de condigno absque eo quod habitus charitatis exeat in actum formalem, ut docet S. Th. ibid. ad 2.

Oppon. 2° contra eamdem probationem retorsionem argumenti sic : Præceptum affirmativum non obligat ad semper : ergo non tenetur homo ad semper opus suum referre relatione virtuali implicita in Deum.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod præceptum affirmativum referendi virtualiter implicite omnia opera in Deum, non solum involvat, sed coincidat cum præcepto negativo nunquam agendi malum, seu in eo fundatur

tanquam in ratione sui, non sic præceptum charitatis. Quærenti enim cur tenear referre virtualiter implicite actum meum in Deum, recte respondeo, quia prohibeor aliquem actûm malum facere ; hoc ipso enim quod bonum absolute ago, virtualiter implicite refertur in Deum ; nec aliquid ulterius responderi potest. Quærenti vero cur tenear referre omnia opera virtualiter explicite in Deum, responderi non potest, quia prohibeor non referre, aut aliquem actum malum facere, sed quia Deus est ultimus finis. Si dicas : « Quia non licet hærere in creatura, » ulterius quæram cur non liceat hærere in creatura, et nihil aliud responderi potest quam quia Deus et non creatura est ultimus finis. Insuper falsum est quod qui actum absolute bonum virtualiter implicite ad Deum relatum facit, hæreat in creatura.

Oppon. 3° contra eamdem probationem S. Thomas in his verbis 1 2, q. 100, a. 10 : « Et cum ista duo præcepta, nimirum diligendi Deum et honorandi parentes, non obligantia ad semper, possunt diversis temporibus obligare, et ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis. » In his, inquit, verbis, ex concessis a nobis, D. Th. agit de charitate stricta et sub gravi obligante, sed non ad semper, quia præceptum charitatis statis duntaxat temporibus obligat. Quod quis autem possit implere præceptum de honoratione parentum et non peccare mortaliter, quamvis non eliciat actum charitatis, non sequitur quod possit illud implere et nequidem peccare venialiter, quamvis omittat relationem in Deum.

Resp. 1° me non concedere S. Th. agere ibi de charitate stricta, id tantum permitto. Esto, inquio, quod vocabulum, ut omnes norunt, non est concedentis, sed transire permittentis. 2° Quamvis præceptum charitatis secundum se obliget sub gravi peccato, non tamen concessi quod non posset per accidens et ex circumstantiis obligare sub levi peccato, ut in aliis præceptis credendi, sperandi, honorandi parentes, solvendi debita, etc. 3° Non concedimus quod præceptum charitatis etiam late sumptæ referendi omnes et singulos actus nostros virtualiter explicite in Deum, si detur, secundum se obliget tantum sub veniali de quo infra. 4° Denique S. Th. loquatur de charitate stricte vel late sumpta pro amore benevolo, perinde est quoad præsentem quæstionem, cum utriusque præceptum sit affirmativum. Quæstio est inter nos et adversarios utrum secundum S. Doctorem teneamur, ex præcepto charitatis sive stricte sive late sumptæ pro amore benevolo, referre virtualiter explicite omnes et singulos actus nostros in Deum? Si teneamur, ut volunt adversarii, ergo obligat illud præceptum in omni actu, quod tamen diserte negat S. Thomas, quia est affirmativum. Vide nunc quæ sit vis argumenti.

Ad id quod dixerat laudatus professor phrasi S. Thomæ præceptum non obligare nisi dum et in quantum adstringit sub mortali, respondi in vindiciis sensum S.Thomæ esse quod peccatum veniale non sit contra legem, hoc sensu quod non evertat finem legis, esse tamen contra legem hoc sensu quod prohibeatur a lege. Et hoc concedit alter adversarius ; sed quia in hanc rem quosdam textus D. Thomæ citaveram, contendit me perperam eos citasse, et videtur me quasi oscitantiæ aut malæ fidei arguere. Quamvis non difficile foret nostrum sensum in his textibus comprobare ; quia tamen concedit quod principaliter intendo, et ipse dicat se istis non indigere, sufficit ad amovendam oscitantiæ aut malæ fidei suspicionem, si dicam me hos textus citasse eodem modo et eodem sensu quo illos citavit celeberrimus Sylvius 1 2, q. 71, a. 6, quem nemo, ut puto, oscitantiæ et malæ fidei arguet.

Prob. 2° conclusio. Infidelis seu peccator, qui nulla præcedente actuali relatione in Deum propter se dilectum facit eleemosynam ex motivo misericordiæ, honorat parentes ex motivo pietatis, solvit debita ex motivo justitiæ, ex nullo capite peccat : non ex parte objecti, quod bonum et honestum est ; non ex parte circumstantiarum, quia suppono nullam pravam adesse ; non ex defectu finis, quia habet pro fine proxime et explicite honestatem particularis hujus operis ; et cum honestas ex se tendat et referatur ad fontem, auctorem et consummatorem totius honestatis, qui est Deus, Deum habet virtualiter implicite pro fine ultimo.

Confirm. 1° : Qui vult aliquod bonum, v. g., eleemosynam, formaliter explicite propter particulare illius honestatem, vult virtualiter explicite propter honestatem secundum se ; non enim movetur formaliter explicite ab honestate particulari, quin moveatur virtualiter explicite ab honestate secundum se ; et cum hæc honestas secundum se in re sit Deus, vult virtualiter implicite propter Deum.

Confir. 2° et magis explicatur hæc funda-

mentalis ratio. Peccator seu infidelis, in quo amor honestatis et æquitatis naturalis non est penitus abolitus, qui ex eo amore quædam justa et honesta facit absque ulla admixtione pravæ circumstantiæ, sed conformiter dictamini rectæ rationis et legis naturalis, v. g. reddit proximo quod suum est, servat fidem amico datam, miseretur innocentis afflicti, etc., præcise quia hæc justa videt, et ad ea se teneri lumine naturali sentit : 1° hic et nunc obedit Deo, licet eum non satis explicite cognoscat, quia facit quod Deus omnis æquitatis auctor facere præcipit; 2° operatur implicite propter Deum, quia operatur propter æquitatem et honestatem naturalem, cujus Deus est auctor et consummator; 3° implicite et secundum quid amat Deum ut primam actionum honestarum regulam, quia amat honestatem quam Deus amare præcipit. Unde S. Aug. in Psal. 100 : « Quidquid bene fit, Deo fit, quia ex ejus præcepto fit. »

Et hæc est expressissima S. Th. sententia, qui, in cap. 14 Rom. lect. 3, decretoriis verbis dicit : « In homine infideli cum infidelitate est bonum naturæ; et ideo, cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat. » Nihil sane expressius, et est ipsa conclusio nostra, nec video quid respondeant adversarii. Neque enim dicere possunt quod non peccet peccato operis, sed operantis, cum dicat S. D. absolute, indefinite et sine ulla restrictione ; non peccat; ergo neque peccato operis neque peccato operantis, alias peccaret.

At forte S. Th. intelligit de peccato mortali, scilicet quod non peccet mortaliter, bene tamen venialiter : ita quidem interpretatur adversarius, sed toto cœlo aberrat; subdit enim immediate S.D. post verba laudata: « Non tamen opus ejus est meritorium, quia non est gratia informatum. » Ut quid, amabo, S. Th. hanc observationem addidisset, si censuisset hunc infidelem peccare venialiter in bono suo opere? num forte aliquis unquam somniavit hominem peccando venialiter mereri, aut peccatum veniale esse meritorium ?

Sed, inquit adversarius, S. Thomas satis explicat se intelligere de peccato mortali, immediate subjiciens : « Cum vero homo infidelis aliquid agit, ex eo quod infidelis est, manifestum quod peccat », utique mortaliter.

Sed contra : Inprimis fallitur adversarius; non enim immediate, sed post plures lineas S. Doctor hæc verba prioribus sufficit. At id parum. S. Thomam his posterioribus verbis priora explicare ad sensum adversarii, ne vel Argus centum oculis videret. S. Thomas in posterioribus verbis agit de peccato mortali; esto, ideone in prioribus verbis? Infidelis agens ex infidelitate peccat mortaliter : ergo infidelis agens ex dictamine rationis aliquod bonum, non referendo ad malum finem, peccat venialiter, licet non mortaliter. Qualis consequentia? sit exemplum familiare : adversarius pœnitenti consulenti de diffamatione proximi, respondet : Si reveles gravia peccata proximi propter bonum et necessarium finem, non peccas; si reveles ex odio et intentione diffamandi absque necessario fine, peccas. In secundo membro agitur de peccato mortali; ideone etiam in primo? ideone revelans peccatum proximi ob bonum et necessarium finem, peccat venialiter, etsi non mortaliter? E quibus glossis et interpretamentis obscurantur verba clarissima S. Doctoris, ut vel invitus habeatur patronus singularis opinionis contra communem scholarum catholicarum sententiam. Redeat ergo argumentum prius factum. S. Thomas dicit absolute, indefinite et sine ulla restrictione, hunc infidelem non peccare : ergo non peccat, neque mortaliter, neque venialiter, alioquin peccaret, quod negat S. Thomas. Eodem modo et sensu loquitur S. D. 2 2, q. 10, a 4, o, ubi dicit : « Non oportet quod in omni opere suo peccent infideles, sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. »

Insuper contra hanc probationem oppon. 1° advers. retorsionem argumenti de actu conjugali ex D. Th. in 4, d. 31, q. 2, a. 2, sed de hoc in sol. obj., obj. 3.

Oppon. 2° : Iste infidelis seu peccator non peccat quidem peccato actionis, peccat tamen peccato omissionis in quantum opus suum actu vel virtute non refertur ulterius in Deum, et ita stat in creatura, quod sine peccato esse non potest.

Resp. hunc infidelem seu peccatorem neque peccare peccato omissionis, quia opus ejus sufficienter refertur in Deum, nec datur præceptum ulterius referendi, vel assignet; sicque non inhæret in creatura.

Insuper S. Th. formalissime, indefinite, absolute et absque ulla restrictione, dicit hunc non peccare; quid ergo nobis occentat distinctionem inter peccatum actionis et omissionis : forte ista distinctio subterfugit sagacitatem Angelici Doctoris?

Oppon. 3° contra eamdem probationem; Nostra virtualis relatio non excusat ab omni pec-

cato ut patet ex S. Th. de actu conjugali. Sed ut ante de hoc arg. in sol. obj., obj. 3. Interim audiat S. Th. cit : « Non peccat » : ergo excusatur ab omni peccato.

Oppon. 4° contra eamdem probationem: Nostra relatio non est veri nominis relatio, alias qui legit aut studet, quia amat aliquam particularem veritatem, censebitur Deum implicite diligere, qui est prima veritas.

Resp. veritatem esse objectum intellectus, non voluntatis, nisi ut bonam; si quis ergo diligat veritatem ut sibi bonam, statui suo convenientem secundum dictamen rationis et prudentiæ, censebitur diligere Deum virtualiter implicite, sicut in aliis bonis operibus.

Prob. 3° conclusio. Si homo deliberate agens tenetur referre omnes actiones suas in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita ad sensum adversariorum, defectus hujus relationis vitiaret non solum operantem sed etiam opus : atqui falsum consequens, fatentibus ipsis adversariis : ergo. Prob. sequela majoris : Actus non ordinatus ad debitum finem est actus inordinatus et malus : unde S. Th. 1 2, q. 18, a. 1, o, dicit : « Actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali. » Ex quo principio infert non dari actum indifferentem in individuo : atqui juxta adversarios actus non relatus ad Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita est actus non ordinatus ad debitum finem : ergo.

Reponunt adversarii defectum relationis operantem afficere, sed nullo modo opus; consequenter, etsi peccet operans per relationis explicitæ defectum, opus tamen manet intactum. Idque probare contendunt variis exemplis; sic, inquiunt, qui voto tenetur recitare septem psalmos pœnitentiales flexis genibus, si eos attente et devote recitet stando, peccat, sed ejus actio non est mala. Sic qui ex præcepto confessarii tenetur referre virtualiter explicite in Deum eleemosynam sibi injunctam, et, dando eleemosynam, hanc relationem omittat, peccat, sed eleemosyna non est mala. Sic qui ex præcepto Ecclesiæ tenetur jejunare ad avertendum bellum et famem, et jejunat tantum propter unum finem, peccat, sed ejus jejunium non est malum. Sic, inquit Daelman, qui debet solvere centum florenos intra mensem, solvit tantum quinquaginta, peccat et tamen solutio quinquaginta florenorum non inficitur nec mala est. Sic servus in arte pingendi peritus, qui tenetur omnia domino suo afferre, si imaginem quam eleganter pinxit, subtrahat domino, peccat, at non ideo vitiatur imago, etc.

Resp. disparitatem esse quod in his et similibus exemplis obligatio afficiat agentem et non actum; in nostro autem casu, secundum principia adversariorum, afficit utrumque ; quia, juxta illos, ista obligatio oritur ex dominio quod Deus, ut primum principium et ultimus finis, habet non solum in agentem, sed etiam in ejus actionem ; consequenter hæc obligatio afficit agentem et actum; nec minus iste finis debetur actioni in individuo quam qui dicitur aliunde intrinsecus, estque diversæ rationis ab aliis circumstantiis : unde sicut, secundum nos, actus foret malus, si ratione alicujus circumstantiæ non referretur virtualiter implicite in Deum, sic, secundum adversarios, debet censeri malus, si non referatur explicite in Deum, præsertim cum juxta illos hæreat in creatura.

Contendit advers. solum defectum finis debiti nunquam formaliter vitiare actionem. Quid ergo vult S. Th. quando dicit quod « actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali ? » Respondet : « Non dicit S. Th.... quod actus ad nullum debitum finem ordinatus formaliter vitietur a solo defectu finis. » Dicat, velim, num actum repugnare rationi, et fieri malum ex defectu debiti finis, non sit actum vitiari formaliter ex defectu debiti finis ? Ista sunt synonyma.

Non negamus tamen agentem absque debito fine habere malum finem, non secundum se sed hoc sensu malum, quia non est debitus; ex hoc ipso enim, inquit S. Th., actus repugnat rationi et habet rationem mali, eodemque sensu dixit S. Th. in 2, d. 40, a. 5 ad 5, quod finis actus deliberati non possit esse indifferens. Insuper, dato requiri finem positive et secundum se malum in agente absque debito fine, ut ejus actus sit malus, habetur in sententia adversariorum, scilicet hæsio in creatura.

Ad primum exemplum oppositum resp. omissionem solutionis quinquaginta florenorum non esse circumstantiam afficientem moraliter solutionem quinquaginta florenorum, sicut omissio finis debiti afficit opus, sed esse concomitantem tantum, sicut esset omissio sacri aut jejunii præcepti; cujus indicium est quod, transacta solutione quinquaginta florenorum, remaneat adhuc obligatio solvendi

alios quinquaginta sic ipsum operantem seu debitorem afficiens, ut adhuc peccet donec solverit; at transacto opere, v. g., eleemosynæ, non remanet amplius obligatio relationis ad Deum, neque ex hac parte deinceps peccat operans.

Ad secundum exemplum: Disparitas est quod imago sit quid physicum et non morale, ideoque defectu finis debiti non vitietur, secus autem actus humanus in individuo.

Cæterum repeto quod dixi in prima editione hujus quæst. et deinde in vindiciis, me non insistere principaliter huic argumento. Imo permisi, et etiam nunc permitto adversariis quod intendunt: dato, inquiebam, *opus defectu relationis non infici.* Quapropter supervacaneum puto hic diutius immorari.

Prob. 4° conclusio. Si homo defectu relationis virtualis explicitæ in Deum propter se dilectum peccat, cum opus ex objecto bonum facit, sequitur 1° quod necesse sit infidelem, quamdiu manet infidelis, peccare in omni opere, quod est damnatum ab Alexandro VIII, in hac propositione: « Necesse est infidelem in omni opere peccare »: est 8; quod obvio sensu intelligitur, quamdiu est infidelis.

Oppon. 1° contra hanc probationem adversarius se agnoscere in infidelibus gratias sufficientes, cum quibus possunt vitare peccatum.

Resp. Vel illæ gratiæ sufficientes inferunt cognitionem veri Dei, vel non: si primum, desinunt ex hac parte esse infideles; propositio autem damnata intelligitur de infidelibus quamdiu manent infideles; si secundum, non poterunt referre actus suos virtualiter explicite in Deum, quem ignorant, et sic defectu hujus relationis necessario peccabunt in omni opere suo.

Opp. 2° infideles in sua sententia non peccare in opere, sed in omissione; sensus autem obvius hujus propositionis: Peccare in opere, est quod opus sit vitiosum.

Resp. quod sensus obvius hujus propositionis: « Infidelis peccat in omni opere », sit: « Infidelis peccat quoties operatur, » sive peccet peccato operis, sive operantis. Sicut cum dicimus gallice: « Il pèche dans toutes ses actions », sensus est: « Il pèche toutes les fois qu'il agit. » Admittunt autem adversarii infidelem peccare quoties operatur, defectu scilicet relationis explicitæ. Insuper hunc esse sensum damnatæ propositionis eruimus ex circumstantiis; quia, si summus Pontifex damnasset tantum hanc propositionem quatenus dicit opus esse vitiosum, nihil aliud damnasset quam quod jam erat damnatum a tribus summis pontificibus in Baio, scilicet omnia opera infidelium esse peccata. Neque dicas hanc secundam propositionem adjicere primæ novam falsitatem, dum dicit: « Necesse est » omnia opera infidelium esse peccata; id enim etiam importatur in prima; si namque omnia infidelium opera sunt peccata, procul dubio necesse est sic esse, alioquin aliter aliquando contingeret. 2° Quia, juxta Baium, hujus propositionis auctorem, ideo omnia infidelium opera sunt peccata, quia non referuntur explicite in Deum: atqui impossibile est opera in Deum explicite referri ab iis qui illum ignorant, ut sunt infideles: ergo necesse est, in sensu propositionis damnatæ, omnia infidelium opera esse peccata.

Item Baius dicebat opera infidelium ad Deum non relata esse peccata, quia adscribebat defectum relationis ipsi operi: et cum quidam theologi, post ejus damnationem, ut eam declinarent, dicerent opus non esse peccatum, sed tamen operantem peccare defectu relationis, adscribentes nimirum defectum relationis operanti et non operi, iterum fuerunt damnati in superiori propositione. Non ergo fuerunt damnati, quia dicebant opera infidelium esse peccata, sed quia dicebant infidelem peccare in opere seu operando sine relatione.

Instat advers. Qui dicit de aliquo auctore: « Peccat in stylo » sensus est quod stylus sit vitiosus: ergo cum dicitur: « Infidelis peccat in omni opere », sensus est quod omnia ejus opera sunt vitiosa.

Resp. Dato antecedente, neg. conseq. Disparitas est 1° quod in propositione adversarii explicite determinetur objectum et materia in qua peccatum est, non sic cum dicitur generaliter: « Peccat in omni opere », quod secundum communem intelligentiam significat, quoties operatur, ut dictum est. 2° Disparitas est quod sensum, quem tribuimus propositioni damnatæ, eruamus ex circumstantiis, quales non habet propositio singularis adversarii; sensus autem naturalis et obvius alicujus propositionis attendi debet ex circumstantiis.

Sequitur 2° quod qui dolet de peccato mere ob ejus turpitudinem, sine ullo ad Deum offensum respectu, peccet; quod iterum videtur ab eodem pontifice damnatum in hac propositione: « Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. » Scio adversarios vim facere in hac particula: « offensum », quasi pec

cator qui dolet de suo peccato propter ejus turpitudinem, si referat hunc dolorem ad Deum, possit referre ad Deum non offensum.

Sequitur 3° quod qui elicit actus fidei, spei, aut etiam operatur bonum solius æternæ mercedis intuitu, absque ulteriori relatione ad Deum propter se dilectum, peccet; quod quam sit absurdum, S. Scripturæ, Patribus et sanæ doctrinæ repugnans, persensit ipse Daelman, dum respondet id esse speciale actibus fidei et spei, quod habeant Deum pro objecto formali et in actu fidei includatur pia affectio erga primam veritatem, et in actu spei amor concupiscentiæ quo Deum appetimus, ut ultimum finem nostrum, dicitque id sufficere ut operans non peccet defectu relationis. Verum sic respondere non est argumentum solvere, sed meo saltem judicio est illi succumbere; hinc enim habemus, fatente adversario, ut operans non peccet, non requiri relationem virtualem explicitam in Deum propter se dilectum; neque pia ista affectio erga primam veritatem ut objectum formale, neque iste amor concupiscentiæ ultimi finis nostri ut objecti formalis, respiciunt Deum propter se dilectum, sicque quidquid agat homo ex amore spei, seu propter obtinendum ultimum finem, sive orando, sive studendo, sive laborando, sive carnem macerando, sive indigenti succurrendo, sive parentes colendo, sive debita solvendo, aut quidvis aliud ex genere bonorum, sine ullo respectu ad Deum propter se dilectum, non peccat: ergo magna illa principia et generalia præcepta, quæ tantopere extollunt adversarii, scilicet Deum esse ex toto corde diligendum, omnia in gloriam Dei, in nomine Christi, in charitate esse facienda, non continent universalitatem actionum nostrarum immediate in seipsis, nec obligant pro semper: ergo penitus ruunt fundamenta hujus sententiæ; hæc sunt enim fere unica.

Tandem sequitur 4° peccatorem qui timet Deum et ejus justitiam, si hunc timorem non referat ad Deum propter se dilectum, non disponi ad Dei amorem et sui justificationem contra Trid., sess. 6, cap. 6. Non enim concipitur quomodo homo peccando, etiamsi venialiter tantum, disponitur ad Dei amorem et sui justificationem. Si dicas eum non peccare quia timet, sed quia timorem non refert ad Deum propter se dilectum, capio. Sed interim peccat et quantum per bonum timorem disponitur ad Dei amorem et sui justificationem, tantum retrahitur, et, ut ita dicam, indisponitur per peccatum, ita ut melius esset non timere, quam timendo non referre timorem ad Deum propter se dilectum. Dices: Referat ad Deum propter se dilectum: bene; sed ad hoc deberet prius amare quam timere, et tamen concilium definit timorem, secundum legem Dei ordinariam, præcedere amorem et ad eum disponere.

Cæterum hæc dicta sint disputationis ergo. Absit enim ut ullam notam inuramus theologis non minus religione quam doctrina commendatissimis, præsertim cum isti testentur hanc suam sententiam fuisse, anno 1677, S. Sedi propositam, nec improbatam.

Prob. 5° conclusio. Si esset obligatio referendi virtualiter explicite omnia opera ad Deum propter se dilectum, hæc obligatio foret ex genere suo sub peccato mortali: atqui falsum consequens fatentibus adversariis: ergo et antecedens. Prob. sequela maj. 1° quia istam obligationem fundant in præcepto diligendi Deum ex toto corde: atqui hoc præceptum obligat ex genere suo sub mortali, ita ut illius transgressor in re gravi peccet mortaliter, ut omnes fatentur; potest autem hic esse materia gravis, ut si, v. g., longa series actionum in statu eligendo subtraheretur Deo et ad ipsum propter se dilectum non referretur: ergo; 2° quia fundant iterum hanc obligationem in præcepto naturali agnoscendi et constituendi Deum sicut primum principium, ita et ultimum finem omnium actionum nostrarum: atqui objectum hujus præcepti naturalis est secundum se grave: ergo et obligatio gravis; quia obligatio præcepti naturalis sequitur naturam sui objecti. 3° Quæro ab adversariis, quo fundamento, Deo præcipiente omnia ad se propter se dilectum referri, dicunt istud præceptum obligare tantum sub veniali, dum alia præcepta, sive naturalia sive divina positiva, ubi objectum secundum se est grave, obligant secundum se et ex genere suo sub mortali?

Oppon. adversarius contra hanc probationem sic: Qui solvit gravia debita, vitam pro patria fundit, non subtrahit Deo rem notabilem, quia ponitur, sed subtrahit tantum Deo relationem rei notabilis, quæ est quid leve.

Resp. Qui hæc facit absque relatione explicita in Deum, in principiis adversariorum, subtrahit Deo rem notabilem, 1° quia quod fit, et non fit propter Deum, illi subtrahitur, 2° quia in his gravibus non habet Deum pro ultimo fine, et hæret in creatura, quod est quid grave; 3° quia in re gravi transgreditur præceptum dilectionis Dei super omnia.

Instat : Qui vovisset referre Deo explicite omnia sua opera deliberata in Deum, non peccaret mortaliter omittendo relationem rei notabilis : ergo similiter.

Resp. 1° neg. conseq. Quia votum non obligat nisi secundum intentionem voventis; non censetur autem vovens intendisse se obligare sub mortali ad relationem unius aut alterius rei etiam notabilis : at non sic de præcepto naturali et divino referendi explicite omnia ad Deum, si detur. 2° Abstrahendo ab intentione contraria voventis, existimo verum quod qui, tali voto adstrictus, pluries et diu in gravibus negotiis omitteret hanc relationem, peccaret mortaliter.

Inst. iterum: Tenemur juxta nos omnia opera nostra referre in Deum relatione virtuali implicita ex præcepto naturali et divino, quod in materia gravi obligat graviter : ergo peccat mortaliter qui eleemosynam mille florenorum erogat pauperibus ex vana gloria ; quod est falsum.

Resp. neg. conseq. Quia præceptum referendi virtualiter implicite omnia opera nostra in Deum, non distinguitur a præcepto non faciendi malum, ut jam alibi dixi. Unde obligat uxta quantitatem mali, ita ut, si malum sit grave, obliget sub mortali ; si leve, ut est vana gloria, obliget sub levi. Id autem dici non potest de præcepto referendi omnia in Deum relatione virtuali explicita, si detur, ut jam antea ponderavimus.

Quæ ulterius opponunt adversarii contra hanc prob. redibunt in sol. obj.

Et hæc plusquam sufficiunt ad stabiliendam et firmandam sententiam quæ est communis scholarum catholicarum, ut testantur 14 ejus approbatores in prima editione. Quamobrem, et ne diutius detineam lectorem pro iis qui sunt minoris momenti, quasdam alias probationes ab inconvenienti hic omitto.

Id unum duntaxat observari velim, quod juxta adversarios teneamur omnes actus referre relatione explicita in Deum ex amore benevolentiæ, idque ratione præcepti diligendi Deum super omnia, et quia est noster ultimus finis, alias esset hærere in creatura ; quando autem inde inferimus quod qui observat mandata Dei ex obedientia tantum, qui elicit actum fidei aut spei seu agit intuitu æternæ mercedis sine ulteriori relatione ad Deum propter se dilectum, peccat; quia illa non refert ad Deum ut in se bonum, adeoque non ex amore benevolentiæ, nec ut est ultimus finis. Respondent ad 1, quod non omnis actus benevolentiæ feratur in Deum ut in se bonum, quia secundum D. Th. amare Deum amore benevolentiæ est velle illi bonum quod in præfatis actibus reperitur ; ad 2, quod hi actus referantur in Deum ut ultimum finem, hoc sensu quod sint propter ipsum et non propter aliud.

Contra primum : Amare Deum amore benevolentiæ est quidem velle illi bonum, sed absque præjudicio objecti formalis hujus amoris, quod est Deus in se bonus. Etenim objectum amoris est bonum ; vel ergo homo amat Deum ut sibi bonum, et est amor concupiscentiæ, vel ut in se bonum, et est amor benevolentiæ. Unde S. Th. 2 2, q. 27, a. 2 ad 1, dicit quod, cum philosophus definit amare, quod est velle alicui bonum, *Definiat amare non ponens totam rationem ipsius, sed aliquid ad ejus rationem pertinens, in quo maxime manifestatur dilectionis actus.*

Contra secundum : Finis ultimus est supremum bonum quod propter se appetitur et omnia propter ipsum, ratione cujus ideo debemus, secundum adversarios, omnes actus nostros ad illum referre : ergo ad inducendam hanc obligationem non sufficit finis ultimus secundum quid, ut exponunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Matth. 22, dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua :* atqui non sic diligimus Deum, si vel unus affectus cordis ad ipsum non referatur, sed tunc in creatura hæremus : ergo.

Resp. etiam juxta nos omnem affectum cordis debere referri in Deum, vel virtualiter explicite in actu charitatis, vel virtualiter implicite appetendo secundum rectam rationem bonum honestum, in cujus appetitu Deus implicite appetitur, ut dictum est. Neque tunc hæremus in creatura, quia illud bonum honestum non appetimus, in eo ultimate sistendo, sed ut bonum inchoatum tendens ad perfectum, et ut rem in suo gradu constitutam, ordinat amultimate ad Deum, ut explicuimus.

Cæterum multum a vero aberrant adversarii, si intelligant istud dilectionis Dei præceptum quasi nihil præter Deum sit amandum, aut nihil amandum quod ad ipsum propter se dilectum explicite non referatur, nempe extra tempus quo urget præceptum charitatis. Longe verius Doctor Angelicus 2 2, q. 184, a. 3 ad 2, illud intelligit sic : « Ut nihil supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter ei, diligatur »,

quod est, ut communiter dicitur, vere et sincere diligere Deum super omnia appretiative.

Obj. 2° : Apostolus, 1 Cor. 10, dicit : *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite;* cap. 16 : *Omnia vestra in charitate fiant ;* et ad Coloss. 3: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum :* atqui, juxta S. Th. in cap. 3 ad Coloss., lect. 3 et alibi, hæc sunt præcepta et non mere consilia : ergo.

Neque dicas esse præcepta affirmativa quæ non obligant pro semper, quia præcepta affirmativa, quæ præcipiunt universalitatem actionum nostrarum, qualia sunt assignata, obligant pro semper.

Resp. nos fateri cum Auctore hæc esse præcepta, sed omnia verificari in nostra sententia, dicimus namque hominem teneri aliquoties referre omnia sua opera in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, quia tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei super omnia, sive ut auctoris naturalis tantum, si sit infidelis, potest enim illum sic cognoscere; sive ut auctoris supernaturalis, si sit fidelis, in quo actu amoris involvitur virtualiter ordinatio omnium suorum operum in Deum propter se dilectum, sicque facit omnia in gloriam Dei, in charitate et in nomine Christi.

Cum autem opponitur præcepta affirmativa, quæ præcipiunt universalitatem actionum nostrarum, obligare pro semper, id quidem verum est de præceptis affirmativis præcipientibus universalitatem actionum immediate in seipsis, non vero de præcipientibus universalitatem actionum mediate tantum et in causa; præceptum autem referendi explicite omnes actiones in Deum propter se dilectum, non est de universalitate actionum immediate in seipsis, sed in causa, scilicet in ipso formali actu charitatis, ut diximus ex S. Th. in utraque conclusione : quod præceptum charitatis, cum sit affirmativum, non obligat pro semper. Cum autem ista ordinatio et consecratio omnium actuum, vi charitatis facta, per peccatum mortale intercipitur, manet quidem obligatio iterum illos ordinandi per alium actum charitatis, non tamen statim, nec toties quoties, sed quando urgebit præceptum charitatis, quod, ut dictum est, non obligat pro semper, nec toties quoties.

Insuper agnoscimus hominem, toties quoties deliberate agit, teneri referre suum actum in Deum relatione virtuali implicita, quatenus tenetur semper agere quod de se bonum et honestum est, non ultimate in eo sistendo, neque in aliquem pravum finem detorquendo, sed conformiter dictamini rectæ rationis et legis naturalis, et ut in suo gradu constitutum, sicque intendere implicite Deum qui est hujus legis auctor et hujus boni plenitudo et ultimus finis propter quem est creatum. Et dicimus hac virtuali relatione satisfieri præcepto Apostoli extra casus in quibus obligat præceptum charitatis, ut plenius adhuc explicabitur in responsione ad sequentem obj.

Addo secundum textum Apost. esse explicandum ab ipsis opponentibus ; non enim volunt opera nostra esse ad Deum referenda ex charitate stricte dicta, sed tantum ex amore benevolo. Nos ergo dicimus cum Auctore in c. 16 1 Cor., lect. 2, sensum esse « quod omnia debeant referri ad finem charitatis, scilicet ut fiant propter Deum et proximum », eo modo quo ferunt conclusiones nostræ. Quantum ad tertium, etiam addo istud præceptum non spectare nisi fideles, sicque in eo fundari non posse sententiam adversariorum, qui etiam infideles astringunt præcepto referendi omnia opera relatione virtuali explicita in Deum propter se dilectum.

Obj. 3° : S. Th. in 2, d. 4, q. 1, a. ultimo ad 7, explicans illud Apostoli : *Omnia in gloriam Dei facite,* dicit : « Hoc posse intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative; si negative, sic est sensus : Nihil contra Deum facite, et hoc modo præceptum est; et sic hoc præceptum præteritur, vel per peccatum mortale, quod contra Deum sit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum et præter Deum sit : si autem intelligatur affirmative, hoc potest esse dupliciter : aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ intentionis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut et virtus ultimi finis manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis, et sic adhuc præceptum est, et contingit omissionem ejus esse venialem vel mortalem. » Atqui hæc ipsissima est sententia adversariorum : ergo.

Resp. neg. min. Nam adversarii volunt omissionem præcepti de relatione virtuali explicita in Deum propter se dilectum, in quovis casu esse tantum venialem; S. Th. vero dicit omissionem præcepti de relatione, de qua agit, esse venialem vel mortalem : ergo sententia S. Th. non est ipsissima sententia adversariorum. Dicendum itaque quod, dum S. Doct. dicit « se-

cundum quod virtus primæ intentionis manet in omnibus sequentibus actionibus », in quibus verbis sita est vis argumenti, per virtutem primæ intentionis nihil aliud intelligat quam actum charitatis seu amoris Dei super omnia, per quam homo virtualiter omnia sua ordinavit et donavit Deo, quæ ordinatio et donatio perseverat donec per peccatum mortale revocetur, qua revocatione posita, obligatur iterum omnia sua ordinare et consecrare Deo per alium actum charitatis, non tamen statim nec pro semper, sed certo tempore et certis circumstantiis, in quibus, si non eliciat actum amoris Dei super omnia, peccabit venialiter aut mortaliter, secundum quod obligabit præceptum charitatis, attenta qualitate materiæ et circumstantiarum; per id autem temporis intervallum, quo actiones non sunt amplius ordinatæ vi actus charitatis, nec urget ejus præceptum, non peccat homo dum agit actus ex objecto bonos sine aliqua prava circumstantia, quia sunt adhuc virtualiter implicite ordinatæ ad Deum, ad sensum secundæ conclusionis.

Hanc esse mentem S. Th. constat ex ejus responsione immediate præcedente, ubi dicit : « Non oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum, sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quæratur (attende) quando oporteat actum referre in ultimum finem, hoc nihil aliud est quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum, quia, quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur, ut bona sibi. » Et in 2, d. 41, q. 1, a. 2 ad 4 : « Præcepta affirmativa non obligant ad semper, et ideo non oportet ut actus infidelium, qui in finem illum (scilicet ultimum) non est ordinatus (scilicet explicite), semper sit peccatum, sed solum pro tempore illo in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre. » Idem dicit ibid. ad 2; et lect. 7 in cap. 10 epist. 1 Cor. dicit : « Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur, vel in actu, vel in aptitudine referendi », scilicet explicite : unde, juxta S. Th., sensus præcepti Apostolici affirmative sumpti, quando non urget præceptum charitatis, est quod omnia nostra opera sint talia, ut de se tendant in gloriam Dei, sicque implicite ad ipsum referantur, et ex his Deus et Christus possint glorificari et proximus ædificari, juxta illud Matth. 5 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Huic intelligentiæ aperte favet S. Aug., serm. 2 in Psal. 34, in fine, ubi sic ait : « Suggero remedium unde tota die laudes Deum, si vis : quidquid egeris bene age et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum. ... Et quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris, noli inebriari, et laudasti Deum. Agrum colis, noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die. » Ex his et dictis in conclusionibus facile respondetur ad quædam alia quæ ex S. Doct. objici possunt.

Obj. 4° : S. Th. in 1, d. 1, q. 3, a. unico, quærens utrum utendum sit de omnibus aliis a Deo, dicit 1° : « Pœna utendum est et ordinanda ad finem secundum quod promovet meritum hominis, ducens eum in considerationem suæ infirmitatis, et secundum quod purgat peccata. » Atqui tolerantia pœnæ propter finem naturalem et honestum non promovet meritum hominis, nec purgat peccata : ergo.

2° Ibid., secundo loco sibi objicit sic : « Illo utimur, quo tendentes ad beatitudinem juvamur : sed creaturis impedimur frequenter, etc. » Ergo non omnibus possumus uti. Cui argumento sic respondet : « Ad secundum dicendum quod creaturæ, quantum est ex se, non impediunt nos a consequenda beatitudine, sed ex parte nostra, in quantum eis abutimur in eis sistendo ut in fine. » Ergo agit D. Th. de tali creaturæ usu, qui tendentes ad beatitudinem juvet; admittit enim ut veram majorem argumenti propositi : atqui creaturæ usus ad beatitudinem juvans explicitam relationem importat; implicita enim, cum sit naturalis, ad eam non juvat : ergo.

3° Ibid. ad 3, dicit : « Secundum theologum nullus actus procedens a voluntate deliberante est indifferens, quia, si fertur in Deum, supposita gratia, est meritorius; si autem non est referibilis, peccatum est; si vero referibilis est, et non refertur, vanus est. » Atqui actus referibilis in Deum non est actus malus; neque actus secundum speciem indifferens, quia, cum relatio sit circumstantia, præsupponit actum in specie mali constitutum : ergo est actus moraliter honestus ; ergo præter ejus relationem implicitam indiget explicita, alioquin secundum D. Th. est vanus et otiosus.

Resp. 1° generaliter S. Th. in hoc articulo nihil aliud intendere quam quod possit et debeat homo uti creaturis et non frui, sicut dixerat de Deo q. præced. Inter autem varios modos utendi creaturis, dicimus quod qui facit opus bonum, v. g., qui solvit debita ex amore justitiæ, parentes honorat ex pietate, sine ulteriori relatione, utatur, et non fruatur creatura, quod nusquam negat S. Th.

Resp. 2° etiam generaliter S. Thomam in hoc articulo, ut homo non peccet in usu creaturæ, seu in operibus suis, requirere duntaxat relationem habitualem : « Similiter, inquit in fine corporis, opera nostra, quæ mala non sunt, ab ipso sunt, et propter ipsum facienda, non quod quamlibet operationem oporteat semper actualiter referre in Deum, sed sufficit ut habitualiter in Deo constituat finem suæ voluntatis. »

Reponit adversarius τo *habitualiter* sumi a D. Th. pro *virtualiter*. Sed contra : Quamvis non negem ita aliquando sumi a S. Doct., non ita tamen sumit in hoc articulo. Patet ex resp. ad 4, ubi dicit peccantem venialiter habere Deum *habitualiter* pro fine : ubi τo *habitualiter* sumi non potest pro virtualiter, cum certum sit hominem non peccare propter Deum virtualiter. Non est autem verisimile S. Th. eumdem terminum diverso sensu accepisse in eodem articulo.

Inst. adversarius : S. Th. ad 3 dicit : « Si actus refertur in Deum, supposita gratia, meritorius est » : atqui, si S. Th. terminum *habitualiter* non sumat pro termino *virtualiter*, ejus responsio habebit hunc sensum : « Si actus refertur in Deum vel actualiter vel habitualiter, supposita gratia, meritorius est »; quod est falsum, cum relatio habitualis non sufficiat ad meritum.

Resp. neg. min. Quia S. Th. intelligit de gratia influente, est enim necessarius influxus gratiæ ad meritum : ubi autem est influxus gratiæ, est plusquam relatio habitualis.

Et hæ duæ responsiones generales sufficerent ad omnia, quæ opponit ex D. Th. loco cit. Ex abundanti tamen resp. ad singula.

Ad 1, 1° dist. min. Tolerantia pœnæ propter finem naturalem non promovet meritum hominis nec purgat peccata actualiter formaliter, conc.; præsuppositive, neg. Non dicit autem S. Th. quod utendum sit pœna actualiter merendo et purgando peccata, ad id enim non sufficeret relatio explicita, sed quod sit utendum pœna secundum quod promovet ad meritum, ducens hominem in considerationem suæ infirmitatis et secundum quod peccata purgat; qui autem patienter patitur, v. g., morbum causatum ex intemperantia, aut mortem ad quam est damnatus propter homicidium, agnoscens pœnam suo crimini esse debitam, is pœna utitur secundum quod promovet ad meritum, ducens ipsum in considerationem suæ infirmitatis et secundum quod purgat peccata, hoc sensu quod hujusmodi tolerantia præsupponatur et prærequiratur ad meritum actuale, ita ut, concurrentibus aliis ad meritum requisitis, de facto mereretur.

2° Dato quod S. Th. intelligat de usu actualiter meritorio, in hoc docuit modum optimum utendi pœna, sed non necessarium ; nisi velis omnem usum pœnæ, qui non esset meritorius, esse malum, quod falsum est.

Ad 2 : Nihil est in responso D. Th. quod militet contra sententiam nostram, nisi supponendo quod admittat majorem argumenti propositi non solum ut veram, sed etiam ut exclusivam omnis alterius modi utendi creaturis, quod non probat nec probabit adversarius, nisi intelligendo ut supra de usu creaturæ, qui juvet præsuppositive tendentes ad beatitudinem.

Ad 3, neg. min. pro 2 parte et illius probationem, quia in actibus secundum speciem indifferentibus, circumstantia finis confert illis primam speciem moralem in individuo, ut docetur in tractatu *de Act. Hum.* Insuper non dicit S. Th. quod qui actum referibilem non refert, simpliciter peccet, sed quod ejus actus sit vanus, otiosus et peccaminosus, quod jugulat sententiam adversariorum, si intelligatur de relatione explicita; negant enim actum defectu relationis explicitæ esse malum et peccaminosum.

Obj. 5° : S. Th., in 4,d. 31, q. 2, a. 2, habetur q. 49 suppl. a. 4, in resp. ad 1 dicit « quod proles, prout est bonum sacramenti, addit supra prolem prout est intentum a natura; natura enim intendit prolem prout in ipsa salvatur bonum speciei; sed in prole, secundum quod est bonum sacramenti matrimonii, ultra hoc intelligitur ut proles suscepta ulterius ordinetur in Deum : et ideo oportet quod intentio naturæ, qua prolem intendit, referatur actu vel habitu ad intentionem prolis, prout est bonum sacramenti, alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest. Et ideo, quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi in quantum motus naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem, secundum quod

est bonum sacramenti. » Non potest autem intelligi per habitualem relationem relatio implicita, quæ jam supponitur in ipso actu conjugali rite peracto, causa prolis et fidei, siquidem, ultra illam, aliam requirat S. Th.: ergo explicitam requirit.

Pro hujus argumenti solutione exponenda est doctrina laudati articuli. In primis S. Th. in corp. articuli dicit « Quod, sicut bona matrimonii, secundum quod sunt in habitu, faciunt matrimonium honestum et sanctum; ita etiam, secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum quantum ad illa duo bona quæ ipsius actum respiciunt. » Duo autem bona, quæ actum matrimonii respiciunt, sunt proles et fides. Et ideo addit S. Th. : « Unde, quando conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quæ ad fidem pertinent, totaliter excusantur a peccato. »

Nihil ergo aliud requiritur ut actus conjugii excusetur totaliter a peccato, quam intentio prolis vel fidei sine aliqua prava circumstantia. Et rationem subjicit S. Doctor quia nempe tertium bonum, quod est bonum sacramenti, non pertinet ad actum, sed ad essentiam matrimonii. « Sed tertium bonum, inquit, non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut dictum est : unde facit ipsum matrimonium honestum, non autem actum ejus. »

Concilianda est hæc doctrina cum resp. ad 1, quæ nobis objicitur. Si S. Th. requirat necessario relationem explicitam in bonum sacramenti, ut conjuges excusentur totaliter ab omni peccato : ergo non solum bonum prolis et fidei, sed etiam bonum sacramenti pertinet ad actum conjugii : neque solum ipsum matrimonium, sed etiam ejus actum honestum reddit; quod diserte negat S. Th. Item neque conjuges convenientes tantum causa prolis vel fidei, totaliter excusantur a peccato, quod diserte affirmat D. Th.

Dicendum itaque quod, in resp. ad 1, per relationem habitualem ad bonum sacramenti non intelligat istam relationem explicitam adversariorum, sed implicitam in ipso actu conjugali rite peracto causa prolis vel fidei absque ulla circumstantia vitiante.

At, inquit advers., jam supponitur relatio habitualis in actu conjugali causa prolis vel fidei : ergo aliquid aliud requirit S. Th. Resp. dist. ant. Jam supponitur relatio habitualis in actu conjugali causa prolis vel fidei, si nulla circumstantia vitietur, conc.; si vitietur aliqua circumstantia, prout facile vitiari potest, in hac præsertim materia, neg.; cum enim tunc non referatur ad Deum, nec ad bonum sacramenti refertur.

Adde quod, si S. Th. per relationem habitualem intelligeret explicitam, sequeretur quod sine ista non solum conjuges peccarent simpliciter, sed quod eorum actus esset malus; dicit enim S. Doct. : « quod actus non excusatur omnino, nisi in quantum motus naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem secundum quod bonum est sacramenti »; quod sane evertit systema adversariorum.

Neque dicas S.Th. prævidisse hanc instantiam, eo quod in fine responsionis dicat : « Nec tamen sequitur quod motus naturæ sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur. » Nam aliud est motus ad actum, aliud ipse actus : motus naturæ ad actum potest non esse malus, sed imperfectus tantum, et tamen ipse actus vitiari aliqua circumstantia, qua impediat relationem habitualem quam requirit, ideoque esse malus. Et sane quis ista duo conciliare potest? Actus non excusatur a peccato omnino, et actus non est malus.

Obj. 6° : S. Th. q. de Charitate, a. 11, quærens utrum omnes teneantur ad perfectam charitatem, ad 2, dicit : « Quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur. » Illa autem virtualis relatio non potest intelligi de relatione implicita, quia non pertinet ad perfectionem charitatis, et quia S. Th. dicit ibid. quod per eam homo potest in omnibus mereri, si charitatem habeat; per relationem autem implicitam non poterit mereri : ergo intelligit de relatione explicita.

Resp. S. Th. per relationem virtualem hic intelligere relationem equidem explicitam, sed importatam in actu charitatis strictæ, aut in æquivalenti, scilicet in amore Dei benevolo super omnia, per quem, ut docet in 2, d. 28, q. 1, a. 3, impletur præceptum charitatis : « Quandocumque enim, inquit in 2, d. 40, q. unica, a. 5 ad 6, aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad seipsum spectat in Deum ordinatum erit. » Constat autem quod, per amorem Dei super omnia, homo, si charitatem habeat, mereri possit, et quod iste amor possit elici a peccatore nondum justificato, seu charitatem non habente, ut probamus de attritione in tract. de Pœnit.

Obj. 7° : S. Th. q. 22 de Charitate, a. 2, di-

cit : « Sicut in demonstrativis scientiis non recte sumitur conclusio nisi per resolutionem ad prima principia, ita appetitus creaturæ rationalis non est rectus nisi per appetitum explicitum ipsius Dei actu vel habitu. »

Resp. 1° S. Th. in hoc art. resolvere quod omnia entia appetant inanimata et non cognoscentia implicite, creatura rationalis explicite. Unde hic sumit appetitum explicitum, non prout importat distinctam Dei cognitionem, sed prout opponitur appetitui innato inanimatorum, et ideo addit, « per appetitum explicitum Dei actu vel habitu. »

Resp. 2°: Dato per appetitum explicitum S. Th. intelligere distinctam Dei cognitionem, dicit appetitum non explicitum non esse rectum, non quod sit malus, sed quia non est perfectus. Id evidens est ex ipso textu; si quis enim eliciat legitimam conclusionem ex immediatis principiis, licet non resolvat in prima principia, ista conclusio erit bona, sed non perfecta : ergo similiter qui appetit aliquod bonum particulare propter ejus honestatem, licet non propter Deum explicite, appetitus non erit malus, sed tamen imperfectus; alioquin dicendum foret non solum quod agens peccaret, sed etiam quod actus ejus esset malus, quod non admittunt adversarii.

Inst.: S. Th. 1 2, q. 19, a. 10, dicit : « Ad hoc quod aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet quod istud particulare bonum sit volitum materialiter, bonum autem commune divinum sit volitum formaliter. »

Resp. etiam in nostra sententia bonum commune divinum esse volitum formaliter; qui enim vult aliquod particulare bonum, illud vult formaliter propter bonitatem et honestatem ut sic, quæ est Deus.

Obj. 8° : 1 2, q. 21, a. ad 3, dicit : « Totum quod homo est et quod potest et habet, ordinandum est ad Deum; et ideo omnis actus hominis bonus vel malus habet rationem meriti vel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus » : atqui non potest intelligi de relatione implicita, alias ratio meriti apud Deum fundaretur in solis naturæ viribus : ergo de explicita.

Resp. neg. min. Ad prob. dist. Ratio meriti improprie dicti et ad mercedem temporalem fundaretur in solis naturæ viribus, conc.; meriti proprie dicti et ad mercedem æternam, neg. min. Non est autem in istis articulis, inquit Sylvius, sermo præcise de merito vitæ æternæ, vel de merito respectu vitæ sempiternæ, sed generaliter intelligitur meritum, prout meritum dicitur omne id quod facit aliquam mercedem aliquo modo debitam, sive temporalem, sive æternam, sive debitam ex justitia proprie dicta, sive ex alia. Ita celeberrimus doctor Lovan.

Inst. : S. Th. 1 2, q. 102, a. 6 ad 7, dicit : « Cœlestis intentio omnibus operibus nostris debet adjungi » : atqui relatio implicita non est cœlestis : ergo.

Resp. 1° dist. min. Relatio implicita non est cœlestis explicite, conc. min.; implicite, neg. min. 2° Dato intelligendam esse cœlestem explicite, nihil aliud his verbis intendit S. Th. quam quod dicit alibi, scilicet omnia debere referri in Deum explicite, non immediate in se, sed mediate in sua causa, nempe in actu charitatis, quando ejus præceptum obligat; non autem obligat ad semper. Vide primam conclusionem, item primam et secundam prob. 2 concl. 3° Si contendas intelligendam esse intentionem cœlestem quoad singulos actus immediate in se, dist. maj. Debet adjungi omnibus operibus nostris in ordine ad vitam æternam, conc. ; in ordine ad bonitatem moralem, neg. : « Cum enim, inquit S. Doctor cit. in 2 prob. 2 concl., aliquis ex dictamine rationis facit aliquod bonum, non referendo ad malum finem, non peccat. » Addo S. Th. illic agere duntaxat de fidelibus verum Deum colentibus; sicque in hoc ejus dicto fundari non posse sententiam adversariorum, qui etiam infideles astringunt præcepto omnia opera referendi explicite in Deum propter se dilectum.

Obj. 9° : S. Th. 2 2 ,q. 83, a. 14, o, dicit : « De oratione dupliciter loqui possumus : uno modo secundum seipsam, alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem debet esse in nobis continuum vel actu vel virtute; manet enim virtus hujus desiderii in omnibus quæ ex charitate facimus; omnia autem debemus in Dei gloriam facere, ut dicitur 1 Cor. 10. Et secundum hoc, id est, quia et in quantum omnia debemus in Dei gloriam facere, oratio debet esse continua : unde S. Aug. dicit ad Probam : In ipsa fide et charitate continuato desiderio semper oramus. » Ex quibus sic arguitur. S. Th. fundat debitum orationis continuæ in præcepto Apostoli, « *Omnia in Dei gloriam facite* » : ergo in relatione explicita, quia non nisi per hanc potest esse oratio continua. Prob. ant. Dicit S. Th. : « et secundum hoc »,

nimirum quia et in quantum debemus omni in Dei gloriam facere, oratio debet esse continua : ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. expositionem textus, et dico « τὸ secundum hoc » referri ad desiderium salutis, et non ad præceptum Apostoli. Si attendatur causa salutis, inquit Sylvius in expositione hujus articuli, quæ est desiderium salutis rerumque salutarium, ex quo procedere debet oratio, oportet orationem esse diuturnam, imo continuam; quia tale desiderium debet homini christiano esse perpetuum pro se et pro aliis, saltem virtute. Ita eximius S. Thomæ interpres. Idque patet ex ipso textu S. Aug. quem citat S. Th. Non enim dicit S. Aug. « in actibus fidei et charitatis », sed « in ipsa fide et charitate continuato desiderio semper oramus. » Et alioquin sequeretur quod homo, etiam charitate instructus, cum nihil ageret, aut mente distractus ageret, nihil actu faciens in gloriam Dei, deficeret ab oratione, sicque non oraret continuo, quod est alienum a sensu S. Th. Insuper S. Th. 1 2, q. 100, a. 10 et alibi, intelligit textum Apost. de charitate stricta : nolunt autem adversarii suam relationem esse ex charitate stricta : ergo non favet ipsis S. Th.

Obj. 10° ex S. Aug., lib. 1 *de Trin.* c. 13, dicente : « Illa visio Dei, qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam..... sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa præcipitur agere quidquid recte agimus ». Ergo S. Augustino non sufficit implicita relatio. Prob. conseq. Recte factum et nulla prava circumstantia vitiatum est in Deum implicite relatum : atqui tamen, juxta S. Aug. hoc ipsum recte factum summi boni adipiscendi causa præcipimur agere : ergo ulterius debet referri.

Resp. S. Aug. sumere præceptum lato sensu pro consilio illius quod est bonum et optimum, alioquin sequeretur quod qui ex alio motivo etiam supernaturali quam adipiscendæ beatitudinis recte operaretur, peccaret.

Neque dicas cum adversario sensum S. Augustini non esse quod in omni actione debeamus formaliter intendere beatitudinem æternam et ad illam omnia opera nostra referre, sed quod præcipiatur nobis quod in omni actu ad illam tendamus referendo illum ad Deum. Contra est enim quod S. Aug. formalissime dicat quod causa adipiscendæ beatitudinis præcipimur agere quidquid recte agimus. Quid est autem agere causa beatitudinis adipiscendæ omne quod agimus, nisi intendere formaliter beatitudinem et ad illam omnia opera nostra referre?

Vel dicendum S. Aug. hac phrasi nihil aliud velle quam quod debeamus in omni opere habere Deum pro ultimo fine; ille autem habet Deum pro ultimo fine, qui dum agit opus ex objecto bonum, illud nulla prava circumstantia, nullo pravo fine inficit.

Et nisi alterutro sensu S. Aug. intelligas, ipsum conciliare non poteris. Docet enim S. Doct. lib. de spiritu et littera, c. 27, et alibi, quædam infidelium opera, etiam attento fine, esse laudanda, licet non sint facta causa æternæ beatitudinis adipiscendæ, nec relata explicite in Deum : ergo.

Obj. 11° : S. Aug. lib. 19 *de Civit.* c. 25, de virtutibus hominis infidelis dicit : « Virtutes quas sibi habere videtur... nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potius quam virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc superbæ et inflatæ sunt, et ideo non virtutes sed vitia judicanda sunt. » Atqui dum virtutes propter se appetuntur, est secundum nos virtualis relatio implicita in Deum : ergo.

Resp. 1° hanc objectionem ab adversariis esse solvendam; non enim volunt opera infidelium sine sua relatione virtuali explicita esse peccata et vitia, ut hic dicit S. Aug., sed infidelem duntaxat peccare non referendo in Deum.

Reponit advers. has infidelium virtutes secundum S. Aug. esse vitia, non sumendo vitium pro actione secundum se, sed pro complexo ex actione et omissione, juxta communem modum loquendi : sic, v. g. dicimus de famulo qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit, quod male fecerit : nemo tamen infert quod peccaverit laborando.

Sed contra : S. Augustinus non dixit infideles in his virtutibus peccare, sed eas esse vitia et peccata. Sicut ergo si dicerem de famulo qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit quod ejus labor est malus, juxta communem modum loquendi intelligeretur de labore secundum se, et non de complexo; ita similiter in nostro casu. Idque eo evidentius patet quod S. Aug. vocet istas infidelium virtutes *inflatas et superbas*. Neque dicas cum adversario ideo sic vocari a S. August. quia cum non expeterentur propter Deum, debito honore illum privabant; qui enim furatur aut fornicatur, longe magis Deum debito honore defraudat quam qui ad eum actionem bo-

nam non refert explicite, et tamen iste fur aut fornicator non dicitur inflatus et superbus.

Resp. 2° dist. min. Dum virtutes propter se appetuntur, est virtualis relatio implicita in Deum, si in eis non ultimate sistatur, conc. min.; si in eis ultimate sistatur tanquam in vera beatitudine, neg. min. Et hoc sensu loquitur S. Aug. ut patet ex verbis immediate sequentibus : « Sicut enim, inquit, non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere, sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beate vivere » : S. Aug. ergo hic alludit ad stoicos qui in virtutibus moralibus suam beatitudinem constituebant, et de quibus, sermone de Verbis Apostolic. 7, sic loquitur : « Extiterunt autem alii superbi, quasi a carne se removentes et totam spem suæ beatitudinis in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua... Tales fuerunt philosophi qui stoici nuncupati sunt..... Dicebat Epicureus : Mihi frui carne bonum est. Dicebat stoicus : Mihi frui mente mea bonum est. Dicebat Apostolus : Mihi adhærere Deo bonum est. » Fatemur autem virtutes, sic propter se ultimate appetitas, non esse veras virtutes, sed vitia, quippe quod hac prava intentione intercipiatur virtualis relatio ad Deum, et hæreatur in creatura illa fruendo. Sed, si voluntas feratur in opus ex objecto bonum, non hærendo ultimate in ipso, neque in seipsum aut in alium pravum finem retorquendo, sed ut est bonum inchoatum et in suo gradu constitutum secundum rectam rationem, dicimus quod sit moraliter bonum, et agens non peccet, quia virtualiter implicite intendit Deum, ut hujus boni inchoati perfectionem et consummationem.

Inst. advers.: S. Augustinus, loco cit. *de Civit.*, non magis agit de stoicis quam de Turcis, sed generaliter agit de omnibus illis apud quos non est vera religio.

Resp. advers. hic loqui contradictoria. Si namque agat S. Aug. generaliter de omnibus apud quos non est vera religio, ergo etiam agit de stoicis apud quos non erat vera religio, et magis quam de Turcis qui tunc nondum extabant : sicut si nunc agerem generaliter de omnibus apud quos non est vera religio, indubie agerem de Turcis, apud quos non est vera religio. Et sicut non implicat quod qui ageret generaliter de omnibus infidelibus, interdum sermonem deflecteret ad Turcas; ita nihil impedit quominus S. Aug., agens generaliter de infidelibus, de stoicis in particulari, occasione data, locutus fuerit. Et ita esse patet ex eo quod in utroque loco eumdem modum loquendi teneat. In lib. *de Civit.* vocat virtutes infidelium « inflatas et superbas. » In serm. de Verbis Apost., vocat stoicos « superbos. » In lib. *de Civit.*, dicit : « Sicut enim non est a carne, sed super carnem, quod facit vivere, sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beate vivere. » Quæ verba exprimunt aperte dogma stoicorum conformiter ad ea quæ de ipsis dicit in serm. de Verbis Apost.: « Extiterunt autem, inquit ibi, alii superbi, quasi a carne se removentes, et totam spem suæ beatitudinis in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua.... Tales fuerunt philosophi qui stoici nuncupati sunt. »

Neque dicas cum advers. sensum horum verborum in lib. *de Civit.* : « Sicut enim non est a carne, etc. », non esse quod infideles existimarent quod in virtutibus ad se et non ad Deum relatis consisteret beatitudo, sed quod conducerent ad beatitudinem.

Contra enim 1°, sistendo in paritate S. Aug. sicut de materia ad vitam disposita, licet conducat ad vitam, non dicitur secundum S. Aug. quod faciat vivere, sed solus Deus; ita nec de virtute conducente ad vitam beatam dicitur, secundum eumdem S. Aug. quod faciat vivere beate, sed solus Deus. 2° S. Aug. expresse docet in serm. de Verbis Apost. stoicos constituisse suam beatitudinem in sua virtute : quidni haberet eumdem sensum in lib. *de Civit.*, ubi tenet eumdem modum loquendi ? 3° Denique juxta aliquos responderi potest S. Aug. in lib. *de Civit.* condemnare eos qui expetebant virtutes propter se quidem, non tamen secundum se præcise et ut abstractas a subjecto, sed in concreto et ut in subjecto, scilicet ut virtuosi apparerent. Si inferas : ergo non solum propter se sed propter aliud expetebantur, resp. quod solum propter se in concreto et ut in subjecto expetebantur, et hoc sensu non propter aliud.

Cæterum, nisi alterutro sensu S. Aug. intelligas, non video quomodo salvari possit a damnatione hujus propositionis : « Omnia infidelium opera sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia. » Neque dicas cum advers. S. Aug. alibi admittere opera infidelium posse esse bona; nam etiam ipsi auctores propositionis damnatæ non negabant opera infidelium posse aliquo sensu dici bona et nihilominus fuerunt damnati.

Obj. 12° : S. Aug. l. 1 *de Doct. Christ.* c. 22,

dicit : « Hæc... regula dilectionis divinitus constituta est : Diliges, inquit, proximum tuum sicut te ipsum, Deum vero ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait toto corde, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat et quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. » Ergo juxta S. Aug. omnia sunt referenda in Deum, ita ut nulla pars vitæ nostræ relinquatur quæ vacare debeat et quasi locum dare ut alia re frui velit. Quid autem sit re aliqua frui, expressit ibid. S. Aug. c. 4 : « Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam; uti autem, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre. »

Resp. hæc omnia verificari secundum sententiam nostram : 1° in actu charitatis, dum urget præceptum ; 2° etiam extra casum quo urget præceptum, in omni actu bono nulla ex parte vitiato; cum enim appetatur formaliter explicite propter honestatem particularem hujus actus, appetitur virtualiter explicite propter honestatem ut sic, quæ, cum in re sit Deus, appetitur virtualiter implicite propter Deum, sicque non est ea re frui, sed uti.

Contra hanc secundam resp. insurgit advers. ex S. Aug. ibid. cap. 21, qui, cum dixisset: « Res illæ tantum sunt quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus, » subdit : « Cæteris autem utendum est, ut ad illarum fruitionem pervenire possimus. » Atqui relatio virtualis implicita, cum sit naturalis, non conducit ad Dei fruitionem : ergo. Præterea S. Aug. ibid. cap. 22, sic loquitur: « Quæritur utrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud ? Si enim propter se, fruimur eo; si propter aliud, utimur eo ; videtur autem mihi propter aliud diligendus. » Ergo juxta S. Aug. diligere proximum propter se, seu propter ejus particularem bonitatem, non est sufficienter referre actum suum in Deum, cum sic diligere non sit uti proximo, sed frui.

Resp. ad 1. Inprimis non dixit S. Aug. quod cæteris utendum sit, quatenus iste usus « conducit » ad beatitudinem, sed quod sit cæteris utendum, « ut pervenire possimus » ad beatitudinem; qui autem facit actum bonum nulla ex parte vitiatum, sic utitur creaturis, ut, aliis adhibitis, possit pervenire ad beatitudinem; necesse est enim ad illam adipiscendam ut actus bonos et non malos faciat, licet soli non sufficiant. Sed, etsi S. Aug. dixisset quod iste usus debeat «conducere» ad beatitudinem, nihil obesset, quia revera conducit, non quidem positive, sed præsuppositive et negative. Præsuppositive, quia, ut jam dixi, prærequiritur ad adeptionem beatitudinis ut actus sit moraliter bonus et nulla ex parte vitiatus. Negative, quia faciendo actus moraliter bonos, non peccat, et sic removet impedimentum beatitudinis, quod voco conducere negative.

Ad 2, dist. propositionem S. Aug. et simul conseq. Si hominem propter se diligimus constituendo in eo nostrum finem, eo fruimur, conc.; non constituendo in eo nostrum finem, neg. Hæc solutio seu explicatio non est mea, sed ipsius S. Aug. qui, in eodem lib. cap. 33, dicit : « Si vero inhæseris atque permanseris in delectatione creaturæ, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere et proprie frui dicendus es. » Requiritur ergo juxta S. Aug. ut dicamur frui creatura, ut in ea finem nostrum ponamus. Porro qui facit actum moraliter bonum nulla ex parte vitiatum, v. g., qui absque ullius pravæ circumstantiæ admixtione diligit parentes, amicos, viros probos, motus honestate particulari hujus legitimi amoris, nullatenus constituit finem suum in istis objectis, sed in ipsa honestate ut sic, quæ in re Deus est. Et hæc semel dicta ex S. Aug. sufficiant sæpe iteratis instantiis advers. petitis ex usu et fruitione creaturarum.

Obj. 13° : S. Aug. lib. 9 *de Trinit.* cap. 7 et 8, dicit : « Nemo..... volens aliquid facit quod non in corde suo prius dixerit; quod verbum amore concipitur sive creaturæ sive creatoris : ergo aut cupiditate aut charitate. Non quod non sit amanda creatura, sed si ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura: tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. »

Resp. S. Aug. ibi sumere charitatem lato sensu pro amore boni honesti, ut ipsi familiare est. Sic lib. *de Grat. Christi* cap. 21 : « Quasi vero, inquit, aliud sit bona voluntas quam charitas »; in Psal. 136 : « Ipsa est charitas quæ dicitur bona voluntas »; et lib. 8 *de Trinit.* : « Quid est dilectio vel charitas, nisi amor Dei ? » Sic ergo juxta S. Aug. amor creaturæ, v. g., parentum, uxoris, filiorum, secundum dictamen rectæ rationis, est charitas dicto sensu, et refertur ad Deum. Amor autem creaturæ constituendo in ea finem, vel illum

prava circumstantia aut pravo fine inficiendo, est cupiditas; quia non refertur ad Deum, nec etiam virtualiter. Neque enim dici potest amorem parentum juxta dictamen rationis, nulla circumstantia vitiatum, esse cupiditatem, quia tunc non solum peccaret amans, sed ejus amor, utpote cupiditas, foret malus; quod neque juxta S. Aug. neque juxta adversarios dici potest.

Inst.: S. Aug. lib. 3 *de Doct. Christ.* cap. 10, definiens charitatem, dicit : « Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum.» Ergo.

Resp.: Non negamus S. Aug. sæpe sumere charitatem stricto sensu; sed negari non potest quin etiam sæpe sumat lato sensu pro amore boni, ut vidimus. Aliunde non volunt advers. quod teneamur referre opera nostra in Deum ex charitate stricta : ut quid ergo urgent ex S. Aug. charitatem strictam ?

Denique, si primus textus S. Aug. et quæ illi subjicit advers. dicens : « Quidquid fit amore fieri vel creaturæ vel creatoris, et consequenter cupiditate vel charitate; » si hæc, inquam, intelligantur de charitate stricta et supernaturali, ita ut omne quod non est ex charitate stricta sit ex cupiditate vitiosa, statim occurrunt sequentes propositiones damnatæ. Prima: « Non sunt nisi duo amores unde volitiones et actiones nostræ omnes nascuntur : amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus»: est 44 inter quesnellianas. Affines sunt sequentes usque ad 59. Secunda : « Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur»: est 38 inter baianas. Tertia : « Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi : si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est »: est 7 inter damnatas ab Alexandro VII.

Obj. 14° : S. Aug. lib. 4 *contra Julian.* cap. 3, alloquens Julianum, dicit : « Noveris non officio, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes; officium est autem quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur.» Et infra : « Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia præcipit, ipso non recto fine peccatum est.» Item infra quærenti Juliano, si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est? respondet : « Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per seipsum factum quod est nudum operire peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.» Ex quibus evidens est non sufficere S. Aug. ut agens non peccet, quod ejus opus sit ex objecto bonum, sed insuper requiratur ut alia ulteriori relatione referatur in Deum, quæ alia esse non potest nisi virtualis explicita.

Antequam respondeam, observo S. Aug. ex his principiis inferre contra Julianum, opera infidelium esse peccata, et eorum virtutes vitia. Si ergo S. Aug. ista sic intellexit, ut necessaria sit relatio explicita, sine qua homo opus ex objecto bonum agens peccat, ut intelligunt et volunt adversarii, debent admittere hanc illationem, scilicet : « Omnia opera infidelium sunt peccata », esse de mente S. Aug., aut fateri S. Aug. male ratiocinatum fuisse. Neutrum admittunt : ergo fateantur necesse est, se non intelligere legitimum sensum S. Aug. Quis sit autem S. Doctoris sensus legitimus in bona luce posuimus dissert. 3 de Gratia, a. 3, § 2. Itaque nunc

Resp. 1° S. Augustinum hæc verba : « Non recto fine, non in Domino gloriari », et similia, non sumere contradictorie seu negative, sed contrarie, quasi diceret : In alio quam in Domino gloriari, et perverso fine agere, peccatum est, ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur ; quo sensu in S. Scriptura, 1 Reg. 18, Saul dicitur non rectis oculis aspexisse Davidem. Ita S. Augustinum interpretantur S. Thomas et Estius, ut ostendimus loco cit. de Grat. Idque manifestum est ex ipso S. Aug. eodem cap. 3, cit. « Quia, inquit, non fideli, sed infideli, hoc est *stulta et noxia* faciunt voluntate. » Ibid. : « Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt ; bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti ; sed ille qui hoc facit, *si amando gloriam hominum* magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit ; absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ *in aliis vel seipsa*, non in Domino gloriatur.

Ad observationem præmissam responsioni obmutescit advers., cum tamen sit gravissimi ponderis ; contra vero responsionem sic arguit: Nunquam admisit Julianus quod opera ad

malum finem relata essent bona : ergo desuper non fuit controversia inter S. Aug. et Julianum. Prob. ant. Dicit S. Aug. Juliano: «Jam cernis, ut arbitror, consequens esse ut vera sit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum.» Ex quibus patet quod, virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes, sit consequens quod S. Aug. deducit ex principio Juliani, non doctrina Juliani : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. Virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes, est consequens quod S. Augus. deducit ex principio Juliani, et quod negabat Julianus, neg.; et quod non negabat Julianus, quodque eum admittere supponebat S. Aug. conc. et neg. conseq. Patet tum ex textu S. Aug. in resp. nostra laudato, ubi, impugnando Julianum, ostendit opera facta ex malo fine non esse bona : ut quid enim in hoc desudasset S. Aug. si non admisisset Julianus esse bona? tum ex ipsis verbis objectis et sequentibus; dicit enim S. Aug. : « Jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse ut vera sit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum... ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes et ideo nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen videntur et pulchræ, ut (verba sunt Juliani) nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium..... Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam etiam cum *dominam* reperis *avaritiam.*» Sic autem S. Aug. non potuisset alloqui Julianum, nisi supponendo eum admittere consequens quod ex illius principio deducebat. Sit exemplum : v. g. molinista arguens contra thomistam aut augustinianum, ex positione gratiæ per se efficacis destrui liberum arbitrium, non posset dicere thomistæ vel augustiniano: « Jam cernis, ut arbitror, consequens esse ut gratia per se efficax destruat liberum arbitrium : ergo destructio liberi arbitrii per gratiam ex se efficacem tibi videtur dogma verum; ex quo te tanta absurditas sequitur, ut cogaris appellare dogma verum quod est hæreticum; » non posset, inquam, sic loqui molinista nisi supponendo thomistam aut augustinianum admittere consequens, scilicet ex positione gratiæ per se efficacis destrui liberum arbitrium. Ita in nostro casu.

Insuper S. Th., ut jam dixi, intelligit sicuti nos S. Augustinum. En ejus verba 2 2, q. 23, a. 7 ad 1 : « Augustinus dicit in 4 *contra Julianum*, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat vel aliquid hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. »

Ast, inquit advers. S. Thomas non dicit concertationem inter S. Aug. et Julianum fuisse de operibus bonis ad malum finem relatis. Resp. S. Th. dicere Augustinum scribentem contra Julianum loqui de operibus bonis ad malum finem relatis, quod est dicere S. Aug. disputasse contra Julianum de operibus relatis ad malum finem, præsertim si attendatur ad ea quæ dixi in responsione. Sed neque hoc solum dixit S. Thomas : in eadem responsione ad 1, loquens de actu infidelis procedente ex bono naturæ, non relato ad malum finem, non dicit quod sit malus, sed «bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem »; quæ est secunda responsio nostra, ut mox videbimus. Sicque S. Th. duplici membro suæ responsionis concludit totam concertationem inter S. Aug. et Julianum, quæ fuit et de actibus ex objecto bonis infidelium ad malum finem relatis, qui ideo sunt mali; et de istis actibus ad malum finem non relatis, qui non sunt perfecte boni.

Denique nostram interpretationem esse legitimam ulterius constat ex hoc quod S. Aug. dicat in objectione, quod « solus impius » neget esse peccatum « non gloriari in Domino » de eleemosyna. Si enim non sumat S. D. « non gloriari in Domino» contrarie, pro eo quod est in alio quam in Domino gloriari et ex pravo fine agere, sed contradictorie, pro eo quod non est referre explicite in Deum, ut volunt advers., sequitur quod omnes nobiscum sentientes, hoc est ferme omnes doctores catholici, qui negant esse peccatum non referre virtualiter explicite opus bonum in Deum, dicendi sint impii, quod non admittunt adversarii.

Singularis nobis videtur responsio advers. ad hanc inst. Dicit quod, tempore S. Aug., nullus catholicus negabat obligationem relationis explicitæ, sed omnes catholici in eam sententiam conspirabant, et ideo non dicit S. Aug. quod esset impietas illam negare, sed quod solus impius illam neget; unde non sequitur quod nunc dicendi sumus impii. Fallor, si hæc responsio non videatur omnibus, exceptis forte lovaniensibus, paradoxum. Incredibile namque est omnes scholas catholicas, excepta, quod sciam, lovaniensi, recessisse a tot annis in materia præcepti divini a sententia in quam tempore S. Augustini omnes catholici conspirabant, et in errorem oppositum lapsos esse, absque eo quod vel Ecclesia vel summi ponti-

fices, vel episcopi reclamaverint. Jucundum foret scire quando, ubi, quo auctore iste error primum irrepsit in scholas catholicas.

Resp. 2° ad principale argumentum, opera quæ sunt sine fide per dilectionem operante, ex recto tamen fine naturali, vocari a S. Aug. peccata lato sensu, sumendo peccatum pro omni eo quod a fine deficit, et cui deest plenitudo suæ perfectionis, seu, ut dicit S. Th. prius cit. pro non perfecte bono, qualia sunt hujusmodi opera, quæ, cum non fiant ex charitate, sunt sterilia ad regnum cœlorum. Eodem sensu dicit virtutes philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia, quia, licet possint esse, etsi raro, sine malo fine, ut admittit S. Aug. lib. *de Spiritu et litt.* non tamen conducunt ad vitam æternam. Loquitur enim S. Aug. de virtutibus et bonis operibus, non moraliter et secundum philosophos, sed prout sunt meritoria regni cœlestis, seu, ut dicit in eodem cap. 3, « per quæ solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. »

Contrà hanc responsionem sic arguit advers. Julianus concedebat sua bona opera non esse meritoria vitæ æternæ: ergo S. Aug. non agit de illis ut meritoriis.

Resp. dist. conseq. Non agit de illis ut meritoriis, id est, ut probet non esse meritoria, conc., id enim concedebat Julianus; ut probet non debere dici absolute bona, neg.

Inst.: Si S. Aug. fuisset nostræ sententiæ, Julianus potuisset illi respondere ipsa opera posse aliquo sensu dici bona; id enim nos dicimus. Resp. id etiam concedi Juliano a S. Aug. in fine capitis, ut mox videbimus. Et numquid ipsi adversarii concedunt hujusmodi opera esse aliquo sensu bona ?

Reponit : S. Aug. ibid. dicit : « Fieri non potest ut steriliter boni simus : » ergo, si ista opera sint bona, sunt meritoria.

Resp. dist. conseq. Si ista opera sint bona bonitate supernaturali, ad sensum S. Augustini, sunt meritoria, conc; si sint bona bonitate morali tantum, subdistinguo : sunt meritoria mercedis temporalis, conc.; æternæ, neg.

Verum rem peremptorie dirimit S. Aug. ipse in fine hujus cap. 3, concludens totam suam dissertationem cum Juliano verbis sequentibus, quæ vix attigit adversarius : « Breviter, inquit S. D., accipe, ne forte cum in rebus ipsis tantum erres, quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis... Quoniam saltem concedis opera infidelium quæ tibi eorum videntur bona, non eos ad salutem sempiternam regnumque perducere ; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi veræ virtutes, videantur opera bona, et sine ullo peccato facta... Dicantur secundum te hujusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quod apud Deum steriles sint, ac per hoc non bonæ. » Quibus verbis luce clarius patet S. Aug. hoc unum contendere contra Julianum, opera et virtutes infidelium quæ non referuntur ad malum finem, hoc sensu non esse bona, quia ab ordine vitæ æternæ deficiunt, eoque sensu dici peccata et vitia, quia eis deest suæ perfectionis plenitudo ; hoc vero concesso, permittere ut secundum alium sensum dicantur bona et virtutes. Quædam leviora, quæ ex sæpe citato cap. 3 opponuntur, omitto, quia ex dictis facile solvuntur.

Tandem hoc præceptum referendi explicite omnes actiones suas in Deum concludit et infert adversarius non esse intolerabile, ut objeceram, ex eo quod consilium de eadem relatione, me concedente, non sit intolerabile. At fallitur vir eruditus. Potest enim consilium de re difficili esse tolerabile, et præceptum de eadem re intolerabile, quia adstringit præceptum, non consilium ; sic consilium de castitate perpetua, de paupertate et obedientia religiosa est tolerabile, præceptum autem foret intolerabile.

Obj. ultimo a ratione : Homo, ut rationalis, tenetur omnes suas actiones referre in finem rationi conformem : ergo homo, ut elevatus ad finem supernaturalem, tenetur omnes actiones suas referre in finem supernaturalem. Subsumo : Atqui ista virtualis relatio ad finem supernaturalem non potest esse implicita, cum opus bonum morale non tendat de se ad summum bonum supernaturale : ergo requiritur virtualis explicita, vi nempe prioris relationis actualis virtualiter permanentis.

Resp. 1° hoc argumentum non spectare infideles negativos, quia licet sint etiam creati et elevati ad finem supernaturalem, cum tamen ignorent invincibiliter Deum ut auctorem supernaturalem, non adstringuntur præceptis ordinis supernaturalis, et sic deficit argumentum pro majori parte.

Quantum ad christianos, resp. 2° juxta primam conclus. nostram, eos teneri referre vir-

tualiter explicite omnes actiones suas in Deum ut auctorem supernaturalem in actu charitatis strictæ, ad quem sæpe tenentur et per quem se et omnia sua referunt et consecrant Deo, ut ultimo fini supernaturali, quæ relatio et totalis consecratio virtualiter perseverat in omnibus actibus sequentibus, donec revocetur per peccatum mortale; qua revocatione posita, iterum tenetur ad eamdem relationem per alium actum charitatis, non tamen statim; quia præceptum charitatis, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, ut jam toties dixi. Insuper christianus sæpe tenetur operari propter finem supernaturalem, nempe ubi agitur de actibus fidei, spei, de oratione, pœnitentia, susceptione sacramentorum et de pluribus aliis spectantibus religionem. Et puto raros esse inter christianos qui etiam in suis actibus moralibus non agant ex motivo supernaturali; paucos enim reperies, etsi aliunde peccatores, qui interrogati, cur faciant eleemosynam, cur colant parentes, cur debita solvant et similia, non respondeant, quia sic Christus docuit, quia id decet christianum, quia sic docemur in religione, aut quid simile sapiens motivum supernaturale : sed quidquid sit, si rigorose urgeatur comparatio argumenti quoad singulos actus et toties quoties,

Resp. 3° neg. conseq. Disparitas est 1° quod ratio sit homini intrinseca et inseparabilis regula omnium suarum actionum, elevatio autem ad finem supernaturalem sit quid extrinsecum et accidentale, non destruens, sed conservans naturam. 2° Quia, dum homo non refert actiones suas ad Deum ut finem supernaturalem, refert tamen, ut suppono, ad Deum ut finem naturalem, sicque habet semper Deum pro fine et illi adhuc deservit, et ideo non peccat. At si neque ad finem rationi conformem actiones suas referat, tunc nullatenus habet Deum pro fine, et in nullo illi deservit, ideoque peccat. Pone casum : Vir christianus, sed peccator, occurrentis pauperis miseria commotus, et præcise cogitans eum sibi in eadem natura esse fratrem, secumque habere eumdem creatorem et Patrem, ex hoc sincero, sed solo amore communis Patris et creatoris, huic misero erogat stipem : peccatne? Dic velim : et tamen non agit ex motivo supernaturali : quam verius ergo compendio dixit Doctor noster 2 2, q. 10, a. 4 ad 2 : « Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis : sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis ! »

Alia argumenta, quæ opponunt adversarii a ratione, levia sunt et nihil aliud probant quam quod, cum Deus sit primum principium, ita debeat esse finis ultimus. Id autem ultro concedimus, cum hoc discrimine quod adversarii velint relationem virtualem explicitam in Deum ut ultimum finem toties quoties : nos vero dicimus sufficere virtualem explicitam quando urget præceptum charitatis, et virtualem implicitam toties quoties. (1)

DISSERTATIO V.

De eleemosyna.

D. Th. q. 32.

Postquam Auctor egit de ipsa charitate et præcipuo ejus actu qui est dilectio, agit de ejus effectibus tam internis quam externis. Internos tres assignat, scilicet gaudium, pacem et misericordiam.

Gaudium spirituale de quo loquitur, est quædam delectatio de Deo [1] : est effectus charitatis; charitas enim est amor; gaudium autem oritur ex amore, vel propter præsentiam rei amatæ,

[1] Hic q. 28, a. 1, c.

(1) APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Perlegi manuscriptum, cui titulus, *Articulus : An et quomode homo deliberate agens*, etc, in quo nihil non fidei et bonis moribus consonum, eaque moderatione conscriptum reperi, quæ theologum catholicum decet in quæstionibus Ecclesiæ nedum judicio firmatis. Datum Ipris hac II. Septembris 1753.

J. J. PLUMYOEN,
Librorum Censor.

vel quia bene est amico dilecto. Quando ergo est de bonis Dei, provenit ex eo quod Deum diligamus.

Pax non solum dicit unionem voluntatum in diversis, sed etiam concordiam omnium appetituum qui sunt in eodem.[1] Hæc pax causatur a charitate; quia charitas facit quod omnes appetitus nostri, tam inferior quam superior, inter se consentiant, quatenus feruntur in unum, scilicet Deum, et ipsi subjiciuntur; facit etiam quod consentiant cum voluntate proximi, amando illum et ipsi bonum volendo sicuti nobis.

Misericordia definitur ab Augustino 19 *de Civit.*[2], cap. 5. « Alienæ miseriæ in nostro corde compassio seu tristitia qua utique, si possemus, subvenire compellimur. » Dicitur enim misericordia ex eo quod aliquis habet miserum cor super miseria alterius; miseria autem felicitati opponitur: unde motivum, seu objectum misericordiæ est malum alterius sublevandum quod sit illi aliquo modo involuntarium. Hæc definitio tradita misericordiæ actualis per compassionem seu tristitiam convenit tantum misericordiæ prout est in nobis. Generaliter autem sumpta: Est voluntas seu affectus alienam miseriam sublevandi: et sic reperitur in Deo.

Misericordia, prout pertinet ad appetitum intellectualem, est virtus specialis[3]; tum quia habet speciale objectum, scilicet miseriam alienam ope nostra sublevandam; tum quia habet specialem difficultatem superandam ut voluntas sistat in medio; aliquando enim in appetitu inferiori surgit nimius affectus sublevandi miseriam proximi, aliquando tardior; possunt etiam esse difficultates ex aliis circumstantiis, ad quas superandas, et ut passiones reducantur ad medium, opus est virtute, quam dicimus misericordiam, potestque definiri: Virtus inclinans voluntatem ad alienæ miseriæ compassionem et sublevationem.

Reduci potest ad justitiam, quatenus est ad alterum. De illa autem hic agit S. Th. propter magnam affinitatem quam habet cum charitate, ex cujus quasi visceribus nascitur; ex amore enim proximi nascitur voluntas sublevandi ejus miseriam quam velut nostram reputamus.

Deinde Auctor assignat tres actus seu effectus exteriores charitatis, scilicet beneficentiam, eleemosynam et correptionem fraternam.

[1] Hic q. 29, a. 1 et 3, o. [2] Ibid. q. 30, a. 1, o. [3] Ibid a. 3, o.

Beneficentia est actus charitatis[1], quia benefacere amico secundum rationem boni in communi, non attendendo vel rationem debiti erga proximum, vel ejus miseriam, vel aliam specialem rationem, sequitur ex charitate; in charitate enim includitur benevolentia, qua quis vult bonum amico; voluntas autem est effectiva eorum quæ vult, si facultas adsit: ergo benefacere amico ex charitate consequitur tanquam ejus effectus.

Sicut dilectio charitatis se extendit ad omnes[2], sic omnibus est benefaciendum pro loco tamen et tempore, quia actus virtutum sunt secundum debitas circumstantias limitandi.

Inter eos quibus est benefaciendum observandus est ordo[3], sicut supra dictum est de ordine charitatis servando.

De eleemosyna vero et correptione fraterna sunt speciales difficultates expendendæ: unde sit.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT ELEEMOSYNA?

Eleemosyna græce idem est ac latine misericordia[4]; in communi tamen usu misericordia sumitur pro virtute seu habitu, et eleemosyna pro actu. Definiri potest: Opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum: in qua definitione eleemosyna non sumitur, ut sæpe solet, pro re data, pro actione dandi. Dicitur *propter Deum*, quia hic agitur de eleemosyna christiana prout distinguitur a philosophica, quæ fit ab ethnico, vel quovis alio, sine ordine ad Deum.

Dico 1° : Eleemosyna est actus charitatis mediante misericordia[5], quia exterior actus ad illam virtutem pertinet, ad quam pertinet motivum ad agendum hujusmodi actum: atqui motivum ad dandam eleemosynam est ut subveniatur necessitatem patienti, quod pertinet ad misericordiam, ut dictum est: ergo dare eleemosynam est actus misericordiæ; et quia misericordia est effectus charitatis, ut etiam diximus, ex consequenti dare eleemosynam est actus charitatis mediante misericordia, ideoque est actus elicitus a misericordia et imperatus a charitate. Quod si fiat eleemosyna ex alio motivo, puta ad satisfaciendum pro peccatis, erit actus imperatus a virtute pœnitentiæ; si in cultum Dei, erit actus imperatus a religione.

[1] Ibid. q. 31, a. 1, o. [2] Ibid. a. 2, o. [3] Ibid. a. 3, o. [4] Hic q. 32, a. 1, o. [5] Ibid.

Dico. 2° : Eleemosynæ sunt duplicis generis, [3] corporales et spirituales, juxta duplicem miseriam seu defectum hominis, corporis scilicet et animæ.

Septem sunt eleemosynæ corporales, scilicet pascere esurientem [4], potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum et sepelire mortuum, quæ in hoc versu continentur :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Sunt etiam septem eleemosynæ spirituales [1], scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos et graves, et pro omnibus orare, quæ etiam hoc versu continentur :

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Ita tamen quod sub τo *consule* intelligantur consilium et doctrina.

Dices : Christus, Matth. 25, recensens opera misericordiæ, non meminit sepulturæ, nec videtur quid sepultura juvet mortuum : ergo.

Resp. ad primum, Christum non neminisse sepulturæ [2], 1° quia voluit enumerare ea quæ sunt evidentioris necessitatis ; 2° quia homines solent esse potius nimii et superflui quam parci in sepulturis mortuorum; 3° quia sepultura est minimum inter opera misericordiæ, nec impenditur homini, sicut alia opera misericordiæ, sed tantum ejus corpori mortuo.

Ad secundum : Sepultura juvat mortuum [3], 1° ad hoc ut vivat in memoria hominum, cujus honor dehonestatur si insepultus remaneat : unde quandoque in punitionem delicti decernitur carentia sepulturæ aut abjectio corporis, quod est signum carentiam sepulturæ pertinere ad quoddam malum et miseriam hominis; 2° quia homines solent esse solliciti ut corpora sua honeste post mortem tractentur, cui sollicitudini piorum affectus conformari debet post ejus mortem; 3° quia honor sepulturæ redundat in parentes et propinquos defuncti; 4° quia occasione sepulturæ, saltem in piis locis, defuncti participes efficiuntur suffragiorum quæ ibi solent fieri pro mortuis.

Cæterum sepulturam mortuorum jure annumerari inter opera misericordiæ constat ex lib. Tobiæ, c. 1, 2 et 12; ex 2 Reg. c. 2; ex 3 Reg. 13; ex cap 22 Jerem.; et ex 2 Machab. c. 5.

Dico 3° : Eleemosynæ spirituales simpliciter loquendo sunt potiores corporalibus [4] 1° ratione rei exhibitæ, scilicet doni spiritualis, quod est nobilius corporali ; 2° ratione ejus cui subvenitur, scilicet spiritus, qui est nobilior corpore ; 3° quantum ad ipsos actus quibus subvenitur proximo, quia spirituales sunt præstantiores corporalibus. Per accidens tamen et in particulari casu, præferenda est eleemosyna corporalis spirituali : sic potius pascendus est fame moriens quam docendus qui potest alio tempore doceri.

[1] Ibid. a 2, e. [2] Ibid. in arg. 1. [3] Ibid. [4] Ibidem ad 1. [5] Ibid.

ARTICULUS II.

UTRUM DARE ELEEMOSYNAM SIT IN PRÆCEPTO, ET QUANDO ?

§ I.

Notanda et supponenda.

Notandum 1° præceptum eleemosynæ esse affirmativum, et ideo, licet semper obliget, non obligat tamen pro semper ; obligatio autem ejus a duobus pendet et metienda est a necessitate aliena et facultate propria, nimirum ex parte dantis, ut habeat bona superflua, ex parte recipientis, ut patiatur aliquam necessitatem : unde

Notandum 2° ex parte accipientis triplicem distingui necessitatem, extremam, gravem et communem. Extrema est cum vita proximi evidenter periclitatur nisi ei succurratur ; nec expectandus est articulus mortis, in quo non amplius prodesset eleemosyna. Necessitas gravis est quando mors non equidem evidenter imminet sed probabiliter timetur ; aut evidenter imminet aliquod notabile damnum minus morte, ut gravis morbus, abscissio membri, durus et diuturnus carcer, amentia, gravis diffamatio, amissio status, sic ut quis cogatur miseram vitam agere hominibus suæ conditionis indignam. Communis necessitas est quam patiuntur pauperes communes ostiatim mendicantes, qui, quamvis indigeant et non nisi necessaria vitæ petant, quia tamen a multis petunt et accipiunt, eorum necessitas non censetur gravis sed communis.

Notandum 3° ex parte dantis [2] bona quæ habet posse esse illi dupliciter necessaria et superflua, scilicet quantum ad vitam et quantum ad statum. Necessaria vitæ sunt quæ requiruntur necessario ad conservandam vitam suam et suorum, quorum cura ipsi incumbit, ut pa-

[1] Ibidem ad 3. [2] Ibid. a. 6, o.

rentum, uxoris et liberorum : ad vitam autem conservandam necessario requiritur victus, amictus et domicilium. Reliqua bona præter ipsa sunt superflua vitæ. Necessaria statui sunt sine quibus quis non potest convenienter vivere, secundum statum et conditionem suam. Unde bona superflua statui sunt sine quibus potest decenter suum et familiæ statum conservare.

Notandum 4° hanc decentiam status non consistere in aliquo indivisibili [1] ; quia multis additis homo non excedit status sui conditionem ; multis etiam subtractis conditio sui status decenter servatur, et posset tantum addi quod esset ultra conditionem sui status, et tantum diminui quod non servaretur honestas vel sui status decentia ; et hoc quidem sermone determinari non potest, quia de singularibus non est judicium, sed statur in hoc prudentiæ arbitrio et discretionis, quæ docet de omnibus. Cæterum caveant nobiles et potentes ne, secundum abusum hodierni temporis, summum quemque luxum reputent esse de ratione et decentia status sui.

Item in judicando necessario status [2] non est tantum habenda ratio præsentis temporis, sed etiam futuri ; quod enim nunc non est necessarium, potest prudenter judicari fore postea necessarium, ut pro tempore morbi, senectutis, belli imminentis, pro educandis et dotandis liberis, pro augendo decenter statu, cujus tamen spes sit probabilis. Sed cavendum ne ex ambitione aut ex avaritia fingantur necessitates futuræ, ubi nulla est illarum probabilitas, ut si cœcus fieres, si domus combureretur, etc. Notanda sunt singulariter verba Auctoris : « Non oportet, inquit, quod consideret omnes casus qui possunt contingere in futurum : hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6, sed debet dijudicari superfluum et necessarium, secundum ea quæ probabiliter et ut in pluribus occurrunt. » Alioquin omnia semper forent necessaria, et nulla unquam in divitibus essent superflua, quod damnatum est ab Innocentio XI, in hac propositione : « Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. » Unde in his tam pro præsenti quam pro futuro tempore vir timoratus consulat directorem prudentem et doctum, et ejus stet judicio ; nulla enim alia regula certior hac in re statui potest : His notatis,

[1] Ibid. et in 4. d. 15, q. 2, a. 2, q. 1. [2] Hic a. 5, ad 3.

Suppono 1° eleemosynam esse maxime in consilio [1], quia, licet secundum substantiam considerata, habeat tantum effectum corporalem, attamen habet effectum spiritualem, tam ex parte motivi, quam ex parte recipientis, qui inde inducitur ad orandum pro suo benefactore. Ex parte autem motivi est, non secus ac alia opera bona, meritoria, impetratoria et satisfactoria, sicque specialiter commendatur in S. Scripturis, Matth. 25 : *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim et dedistis mihi manducare ;* Eccli. 29 : *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo,* id est, ut libereris ab omni malo ; Dan. 4 : *Peccata tua eleemosynis redime;* Et Christus ipse, Luc. 11 : *Quod superest date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Hæc tamen ultima verba non sic intellige quasi sola eleemosyna sine pœnitentia et charitate sufficiat ad remissionem peccatorum ; sed Christus ibi volebat monere pharisæos ut darent eleemosynam secundum ordinem charitatis, incipiendo a semetipsis, quod fit per fidem, dilectionem, pœnitentiam, restitutionem ablatorum et superflui erogationem, quo modo eleemosynas facere non curabant. Similiter intellige illud Tobiæ 12 : *Ipsa purgat a peccato et facit invenire misericordiam,* quatenus scilicet procedit ex charitate et Deum specialiter movet ut misereatur et det auxilia actualia ad conversionem ei qui sui proximi miseretur, ad idque excitatur precibus eorum quibus fit eleemosyna.

Suppono 2° neminem teneri dare eleemosynam etiam in extrema necessitate de iis quæ sunt suæ et familiæ vitæ necessaria [2], nisi persona extremam patiens necessitatem sit absolute necessaria bono communi. Ratio primi est, quia plus homo tenetur diligere se et suos quam extraneos. Ratio secundi est quia bonum commune est præferendum privato.

Neque tamen inde inferas hominem non posse de necessariis ad suam vitam facere eleemosynam patienti extremam necessitatem; quamvis enim id quod diximus ex Auctore sit verum per se et spectando præcise vitam et vitam, secus tamen, si fiat ex amore virtutis, ut probavimus dissert. præced. art. 3. Neque hoc est magis subtrahere sibi vitam quam si ageretur de persona bono communi necessaria.

Nec refert quod S. Th. unum tantum casum referat in quo id sit licitum, scilicet cum periclitatur persona necessaria Ecclesiæ vel

[1] Ibid. a. 6, o. [2] Ibid. a. 4, o.

reipublicæ; tum quia voluit excipere casum certum, de nostro autem disputatur; tum quia voluit excipere casum in quo non tantum liceret, sed etiam oporteret dare eleemosynam de necessario vitæ, et hic unus est quem proposuit; in nostro enim casu, quamvis id sit licitum, non tamen est necessarium, imo nec licitum, si ageretur de necessariis ad vitam suorum.

§ II.

Resolvitur quæstio.

Dico 1° : Dare eleemosynam est in præcepto naturali et divino positivo [1].

De præcepto naturali constat ex hoc principio generali legis naturæ : Quæcumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis : atqui nullus est in vera necessitate positus, qui non velit ut sibi subveniatur ab habente facultatem : ergo. Ex quo inferes nec ipsos infideles eximi ab obligatione dandi eleemosynam.

Quantum ad præceptum divinum positivum, constat ex S. Scripturis : Proverb. 21 dicitur: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur ;* Eccli. 4 : *Eleemosynam pauperis ne defraudes et oculos tuos ne avertas a paupere ;* et cap. 29 : *Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum ;* [2] sed præcipue Christus Matth. 25 : *Ite maledicti in ignem æternum, esurivi enim et non dedistis mihi manducare :* nullus autem damnatur nisi propter omissionem actus qui erat ei præceptus.

Prob. ratione : Cum dilectio proximi sit in præcepto [3], necesse est omnia illa cadere sub præcepto sine quibus dilectio proximi non conservatur : atqui ad dilectionem proximi pertinet ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur secundum illud 1 Joan. 3 : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate :* ad hoc autem quod velimus et operemur bonum alicujus, requiritur quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynam : ergo eleemosynarum largitio est in præcepto.

Dices 1° : Juxta S. Scripturam videtur quod dare eleemosynam sit tantum in consilio. Sic Dan. 4 : *Consilium meum regi placeat : peccata tua eleemosynis redime ;* et Apost. 2 Cor. 8, cum hortatur Corinthios ad dandam eleemosynam, ait : *Non quasi imperans dico ;* et postea : *Consilium in hoc do :* ergo.

Resp 1° quod, cum præceptum eleemosynæ sit affirmativum [1], non obliget pro semper, et ideo quandoque est tantum in consilio. 2° Prudenter aliquando consulitur ab homine id quod est a Deo præceptum, quia hortando et consulendo sæpe plus obtinetur quam imperando. Et ita Daniel Nabuchodonosor, et Apostolus Corinthiis consilium dabant de eleemosyna; ita ut esset consilium hominis et præceptum Dei.

Quantum ad id quod Auctor in hac responsione dicit quod *Daniel loquebatur regi, qui non erat legi Dei subjectus,* non loquitur de lege dandi eleemosynam, sed de lege colendi unum verum Deum : cui legi naturali quamvis omnes subjiciantur hoc sensu quod illam debeant acceptare, non tamen hoc sensu quod illam acceptaverint; et hoc ultimo sensu dicit Auctor quod Nabuchodonosor *non erat legi Dei subjectus.* Quapropter Daniel id quod ad hanc legem pertinebat prudenter proponebat per modum consilii.

Dices 2° : Omnia præcepta naturalia ad præcepta Decalogi reducuntur : atqui inter illa nihil continetur de erogatione eleemosynæ : ergo.

Resp. neg. min. Reducitur namque omnis subventio proximi ad præceptum de honoratione parentum [2], quia nomine honoris intelligitur in Scripturis etiam subministratio necessariorum, ut 1 Timoth. 5 : *Viduas honora,* scilicet ministrando eis eleemosynas ex bonis communibus Ecclesiæ, ita ut quæ illis fraudarentur dicerentur despici, Act. 6, v. 1. Nec obstat quod parentes tantum nominentur, cum enim inter proximos primum locum obtineant, nomine parentum potest intelligi omnis proximus.

Dices 3° : Quilibet cum sit suorum bonorum dominus, potest illa retinere et ad quem voluerit usum expendere : ergo non tenetur ea erogare in eleemosynas.

Resp. dist. ant. Potest illa retinere, salva justitia [3], conc. ; salva charitate, neg. Ad hunc sensum, dist. conseq. Ergo non tenetur ex justitia ea erogare in eleemosynas, conc. ; ex charitate, neg. Sic enim habet suorum bonorum proprietatem, ut in certis casibus teneatur ex charitate aliquorum usum concedere proximo : unde S. Basilius in serm. 1 ad divites avaros dicit : « Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in arca conservas,

[1] Ibid. a. 5, o. [2] Ibid. in a, s. c. [3] Ibid. 1.

[1] Ib. ad. 1. [2] Ib. ad. 4. [3] Ib. ad. 3.

discalceati calceus qui apud te marcescit, indigentis argentum quod tu possides inhumatum. »

Ex hac conclusione sequitur quod sub mortali teneamur facere eleemosynam patienti extremam necessitatem ex bonis tam naturæ quam statui superfluis, quia, cum istud præceptum in aliquo casu obliget, nullus est certior quam ubi est necessitas extrema ex parte recipientis, et sunt superflua naturæ et statui ex parte dantis. An autem in aliis casibus obliget?

Dico 2° : De superfluis naturæ, etsi necessariis statui, tenemur sub mortali facere eleemosynam patienti extremam necessitatem. Est communis.

Prob. 1° ex cap. 3 Luc., ubi Christus dicebat turbis : *Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur ; et interrogabant eum turbæ : Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas det non habenti, et qui habet escas similiter.* Ex prioribus verbis hujus textus patet hic agi de præcepto rigoroso et non solum de consilio : patet ex posterioribus nos teneri succurrere extreme indigenti, etiam de necessariis ad statum, prout debet censeri secunda tunica : unde S. Hier. epist. 150, ad hæc verba: « Quidquid, inquit, corpori nostro sufficere potest et humanæ succurrere imbecillitati, hoc una appellanda est tunica, et quidquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc unius diei victus appellatur..... si plus habes quam tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, et in illo debitricem esse te noveris. »

S. Gregorius, hom. 20 in Evang. : « Minus proximum amare convincitur qui non cum eo, in necessitate illius, etiam ea quæ sibi sunt necessaria partitur. » Huc etiam pertinet illud solemne Ambrosii : « Pasce fame morientem : si non pavisti, occidisti. »

Prob. ex S. Th. de cujus mente quidam dubitant: S. Doctor in 4, d. 15, q. 2, a. 1, q. 4, o, cum distinxisset duplicem necessitatem, primam quam vocat absolutam, et secundam quam vocat conditionatam, « quæ est, inquit, cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conservationem », subdit : « Præceptum legis obligat quod etiam necessitati extraneorum absolutæ primo subveniatur, quam necessitati propriæ vel propinquorum conditionatæ ; et ideo dicitur communiter, quod dare eleemosynam de superfluo cadit in præcepto, et sic dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate ; dare autem de eo quod est necessarium necessitate secunda, non autem de eo quod est necessarium necessitate prima, quia hoc esset contra ordinem charitatis. » Quibus verbis aperte docet S. Doctor nos teneri extreme indigenti subvenire, non de necessariis ad vitam, sed de necessariis ad statum. Addit ad 2 : « Quando alius est in statu extremæ necessitatis, efficiuntur sibi omnia communia : unde, etsi per violentiam vel furtum acciperet, nec peccaret. »

Dices : S. Th. hic a. 6, scribit quod, « quando occurreret extrema necessitas alicujus personæ privatæ, vel etiam aliqua magna necessitas reipublicæ ; in his casibus *laudabiliter* prætermitteret aliquis id quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret. » Quibus verbis videtur docere S. Th. esse tantum consilii et non præcepti dare eleemosynam de necessariis status pauperi extreme indigenti : ergo.

Resp. neg. min., quia etiam laudabiliter fit id quo præceptum adimpletur. Ideo autem hac forma loquendi usus est S. Th. quia prius dixerat quod « *inordinatum* esset si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum et negotia occurrentia. » Ab hac autem inordinatione excipit tres casus : primum, mutationem status, ut si quis fiat religiosus ; secundum, quando facile resarciri potest detrimentum status ; tertium, quando occurrit extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel magna necessitas reipublicæ : et dicit elargitionem necessarii statui in his tribus casibus non fieri « inordinate », ut ante dixerat, sed « laudabiliter ». Sic ergo loquitur, non quia vult negare eam esse in præcepto pro ultimo casu, sed ut ostendat non esse inordinatam et illicitiam, sic que servet antithesim. Neque etiam poterat dicere simpliciter « in his casibus » esse præceptum ; quia non omnes quos excipit cadunt sub præcepto. Insuper idem censet de extrema necessitate privatæ personæ ac de magna necessitate reipublicæ ; constat autem in ejus principiis necessarium status esse exponendum pro magna necessitate reipublicæ. Denique ex textu dubio et obscuro nihil evinci potest contra textum positivum et apertum, qualem protulimus in probatione conclusionis.

Prob. 3° conclusio ratione : 1° Secundum ordinem charitatis, debemus plus diligere vitam proximi quam status nostri decentiam : ergo. 2° Qui est in extrema necessitate potest ab altero surripere quæ sunt ipsi superflua

quoad vitam, etsi necessaria quoad statum, nec quisquam potest jure illum impedire; quia, ut superius dicebamus ex Auctore, in extrema necessitate omnia sunt communia : ergo tenebatur alter illi dare.

Neque tamen ex hac conclusione inferas divitem aut nobilem teneri se a suo statu dejicere, vel ingentem pecuniæ summam, puta millia aureorum, etsi suo statui non omnino necessaria, expendere pro salvanda vita unius privati in extrema necessitate positi : 1° quia, licet vita hominis secundum se sit pretiosior alterius statu et toto censu, in ordine tamen ad bonum publicum magis valet magna bonorum, seu pecuniarum quantitas, quam vita unius privati; 2° quia nemo tenetur arctius vitam proximi quam suam conservare; nullus autem tenetur ad vitam suam conservandam sic opes effundere, ut, sanus vel liber factus, miser evadat; id enim moraliter morti comparatur; neque etiam tenetur ingentem pecuniæ summam expendere pro comparandis sibi exquisitissimis medicamentis ; ergo a fortiori ad hæc non tenetur pro altero. Itaque ordinariis mediis præcipit charitas succurrere, non extraordinariis: unde in his casibus opus est consilio viri prudentis, qui, attentis circumstantiis, dicat quantum quis de suo statu minuere et de superfluo dare debeat.

Dico 3°: In gravi necessitate proximi tenemur sub mortali illi subvenire de « aliquo modo » necessariis statui. Sic exprimo conclusionem ; quia minor est obligatio in necessitate gravi quam in extrema, et ideo minus tribuendum de necessariis statui. Est communior.

Prob. 1° ex illo 1 Joan. 3 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo ?* Non est verisimile Apostolum loqui de sola extrema necessitate, quæ rarissima est : et qui habet sufficientia vitæ et statui, vere dicitur habere substantiam hujus mundi: ergo.

2° Charitas exigit ut proximo gravem necessitatem patienti, ut si, v. g., gravi morbo laboret, frigore acriter affligatur, famæ vel honoris grave periculum patiatur, subveniamus, dum possumus absque gravi nostro incommodo : ergo tenemur illi subvenire de aliquo modo necessariis statui : id enim non est grave incommodum, quippe quod facile resarciri potest.

Dices : S. Th. hic a. 5, agnoscit tantum duos casus in quibus urget præceptum eleemosynæ, scilicet, cum est superfluum ex parte dantis et extrema necessitas ex parte recipientis : ergo.

Resp. per necessitatem extremam S. Thomam ibi intelligere etiam gravem, ut patet ex resp. ad 3, ubi dicit præceptum eleemosynæ urgere, cum quis habet superflua, et *cum apparet evidens et urgens necessitas* : evidens autem et urgens necessitas est, non solum extrema, sed etiam gravis.

Inferes: Ergo, quando S. Th. a. 7 ad 3, dicit licitum esse in exterma necessitate surripere alienum, intelligendus erit etiam de gravi; sicque licitum erit in gravi necessitate surripere alienum, quod est damnatum ab Innocentio XI.

Resp. neg. illationem : Quamvis enim S. Th. per necessitatem extermam aliquando intelligat gravem, etiam aliquando intelligit stricte extremam, quod est æstimandum ex adjunctis et subjecta materia.

Ex hac conclusione inferes quemlibet teneri a fortiori sub peccato mortali, in gravi necessitate proximi, illi facere eleemosynam ex superfluo status, quod non puto a quoquam posse negari, et quod confirmabitur ex sequenti conclusione.

Observandum autem, tam in gravi quam in extrema necessitate, omnes divites qui illam norunt teneri in solidum ad eleemosynam faciendam; ita ut si nullus subveniat, omnes peccent mortaliter: uno tamen subveniente, cæteri eximuntur. Non tenentur vero inquirere de necessitate, nisi sit pastor vel episcopus, aut alter pauperum curam habens, aut nisi sit justa ratio suspicandi esse gravem necessitatem in familia, quæ, propter verecundiam et honestatem, non audet suas miserias explicare. Neque etiam ut plurimum est gravis obligatio dandi eleemosynam pauperibus publice expositis, qui vel ex nuditate, vel morbo, vel defectu membrorum, vel aliter, gravem aut extremam necessitatem ostentant, quia illa signa ordinarie exaggerantur, si non omnino fingantur.

Dico 4°: In necessitate communi quilibet tenetur aliquando pro loco et tempore facere eleemosynam de superfluo status.

Attende ad terminos conclusionis : dicitur : « Aliquando pro loco et tempore », quia dives habens superflua non tenetur semper et omnibus pauperibus occurrentibus dare, neque huic determinate, sed aliquando, modo uni, modo alteri, prout prudens judicaverit. Dicitur : « De superfluo », et non superflua status, quia non tenetur statim omnia superflua status

dare in communi necessitate, sed potest reservare, vel in alios pios usus, vel ad augendum rationabiliter statum, aliasve possessiones acquirendas, vel etiam pro majori necessitate pauperum aut reipublicæ.

Conclusio sic intellecta videtur nunc communis, præsertim post damnatam hanc propositionem ab Innocentio XI : « Vix in sæcularibus », etc, ut supra notamine 4, ita ut qui nunquam faceret eleemosynam aut proponeret nunquam facere de superfluo status in communibus necessitatibus, non videatur excusandus a peccato mortali.

Hancque arbitror esse expressam sententiam Auctoris in pluribus locis, quidquid opponant aliqui. Inprimis quodlib. 8, a. 12 : « Si, inquit, signa extrema necessitatis non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti (huic scilicet determinato), quia, quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, neque huic dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum. » Quod est fere in terminis ipsa nostra conclusio. Infra q. 66, a. 7, o : « Res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. » In 4, d. 15, q. 2, a. 1, q. 4, ad 4, dicit præceptum eleemosynæ obligare « ex parte dantis, quando habet homo multa quibus non indiget, neque ad sustentationem vitæ sui et suorum, neque ad decentem status sui conservationem, etsi pauperes extremæ necessitatis (intellige etiam gravis) non compareant »; et a. 4, quæstiunc. 1, in fine corporis : « Illud quod necessarium reputatur ad aliquid, quod est ultra decentiam status, debet in eleemosynam dispensari, et hoc cadit sub præcepto. » Quid expressius ? Quæ opponuntur diluemus infra.

Prob. itaque conclusio 1° ex locis S. Scripturæ jam citatis et aliis : 1 Joan. 3 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, etc.*, ut supra concl. præced.; Luc. 3 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Dicit simpliciter : *non habenti*, ut significet non esse expectandum extreme aut graviter indigentem, sed dandum esse simpliciter egenti, atque ibi contineri præceptum, et non tantum consilium ostendimus concl. secunda. Matth. 6 : *Nemo potest duobus dominis servire..... non potestis Deo servire et mammonæ :* servire autem mammonæ, juxta SS. Hieronymum et Chrysostomum in hunc locum, est servare opes superfluas, et illas, honesta occasione data, nolle se divelli; et hic est casus præsens. Deut. 6 : *Præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi;* in communi autem necessitate sunt egeni. 1 Timoth. 6 : *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere et communicare;* non autem facile tribuerent qui expectarent gravem aut extremam necessitatem proximi. Confer alia loca in prima concl. citata.

Prob. 2 ex Patribus : Chrysost. hom. 34 ad populum : « Tuarum, inquit, es, o homo, distributor pecuniarum..... non ad hoc accepisti, ut in deliciis absumeres, sed ut in eleemosynas erogares..... res pauperum tibi sunt creditæ, sive ex laboribus justis sive ex hæreditate paterna possideas. » S. Basil. serm. 1 contra divites avaros, ad hæc verba Luc. 3 : *Destruam horrea mea :* « An injustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens, ut tu abundes, ille vero mendicet; nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille vero patientiæ braviis condecoretur..... Est panis famelici quem tu tenes, nudi est vestis quam in arca custodis, etc. » S. Aug., in Psal. 147 : « Superflua divitum necessaria sunt pauperum; res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. » Et serm. 219, de Temp. : « Quidquid Deus plusquam opus est dederit, non nobis specialiter dedit; sed per nos aliis erogandum transmisit. » Plures alios omitto brevitatis causa.

Prob. 3° ratione : 1° Quisque tenetur ex charitate diligere proximum sicut seipsum : atqui non diligit proximum sicut seipsum qui magis diligit sibi superflua quam fratri necessaria ad sublevandam ejus necessitatem : ergo. 2° Quamvis singulæ necessitates communes non sint ita quid grave, ut hanc vel illam præterire sit peccatum, attamen multæ occurrentes in aliqua civitate efficiunt notabile gravamen et gravem miseriam, quam divites debent singuli pro aliqua parte sublevare : ergo, quamvis non sit præceptum dare singulis, huic vel illi eleemosynam, est tamen præceptum aliquando dare pro loco et tempore. 3° Si nullus dives habens absolute superflua teneatur dare eleemosynam in necessitate communi, brevi communis necessitas evadet gravis et gravis extrema : ergo.

Dices 1° : S. Th., hic a. 5, duo requirit ut eleemosyna sit in præcepto, unum ex parte dantis, quod habeat superfluum, alterum ex parte recipientis, quod sit in extrema necessitate : ergo.

Resp. cum Sylvio hanc S. Thomæ doctrinam intelligendam esse divisim, non copulatim; ponit ergo S. Th. duos casus in quibus urget præceptum eleemosynæ ; primum, quando ex

parte dantis est absolute superfluum, quo casu tenetur dare eleemosynam quamcumque necessitatem patienti; alterum ex parte recipientis, quando est in extrema necessitate, vel etiam gravi, ut explicuimus, quo casu urget obligatio faciendi eleemosynam, etiamsi non sint superflua status sed vitæ tantum. Hunc sensum indicat S. Doctor in fine articuli dicendo : « Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, et dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate », est scilicet etiam in præcepto : « alias autem dare eleemosynas », id est extra hos duos casus, « est in consilio.» Et adhuc clarius infra q. 118, a. 4 ad 2, ubi dicit quod « Aliquis tenetur ex debito legali sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel propter superfluitatem habitorum.»

Inst.: S. Th. ibid. dicit quod « non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa, sine qua is qui necessitatem patitur sustentari non potest » : ergo censet divites non obligari ad eleemosynam in necessitate communi.

Resp. cum eodem Sylvio sensum esse, quod non omnis necessitas obliget ad faciendam eleemosynam hic et nunc huic particulari determinate, licet obliget ad faciendam aliquando illi vel alteri. Vel sensus est quod, si ex duobus prædictis casibus consideretur tantum posterior, scilicet necessitatis, non obligat præceptum eleemosynæ in quacumque necessitate, sed tantum in extrema vel gravi, licet possit obligare ex alio capite, si nempe sit superfluum : cæterum non videtur locus dubitandi de mente S. Doctoris post expressos ejus textus, quos inter probationes retulimus.

Dices 2° : Ex sententia nostra sequitur 1° quod divites qui superflua retinent continuo peccent ; 2° quod non possint ditiores fieri et ascendere ad statum altiorem, quod nemo admittit.

Resp. ad primum, neg. sequelam. Quia non dicimus divites debere statim omnia superflua dare in necessitatibus communibus, sed aliqua tantum ex superfluis hinc et inde pro loco et tempore. Ad secundum, neg. pariter sequelam. Quia modicæ eleemosynæ ex superfluis non impediunt ascensum ad altiorem statum, et pertinent ad decentiam præsentis status.

ARTICULUS III.

VARIÆ QUÆSTIONES CIRCA ELEEMOSYNAM BREVITER RESOLVUNTUR.

Petes 1° utrum quis satisfaciat præcepto eleemosynæ, pauperi mutuando, commodando, aut vendendo credito ?

Ante responsionem nota aliquem posse esse dupliciter pauperem, simpliciter et secundum quid. Voco pauperem simpliciter qui neque actu hic aut alibi habet bona, neque est in potentia propinqua ut habeat ; pauperem secundum quid qui, licet non habeat hic bona, quibus juvari nunc possit, habet tamen alibi, aut est in potentia propinqua ut habeat, sive per artem et industriam, sive expectatam hæreditatem.

Resp. 1° : Non satisfit præcepto eleemosynæ subveniendo illi qui simpliciter est pauper, mutuando, commodando, aut vendendo credito.

Prob. 1° quia certum est eleemosynam esse in præcepto : atqui mutuare, commodare, vendere credito, non est facere eleemosynam ; eleemosyna enim gratis datur, neque qui petunt mutuum, commodatum, aut emunt credito, dicuntur petere eleemosynam : ergo. 2° Inhumanum et ridiculum foret dare pauperi qui nihil, neque in re, neque in spe habet, sub conditione restituendi in posterum : ergo.

Intellige de rebus in quantum sunt necessariæ ad subveniendum necessitati simpliciter pauperum. Unde, si sint res usu consumptibiles, ut sunt panis, vinum, cerevisia, pecunia, etc., non sint restituendæ transacta necessitate : secus, si non sint usu consumptibiles, ut si concedatur equus ad fugam, transacta necessitate, debet restitui equus, nisi forte in fuga pereat ; si tamen ipsa rei substantia usu non consumptibilis esset necessaria pauperi simpliciter, ut si extreme vel graviter indigenti, non habeas quo illi succurras, nisi vestem tibi et tuis non necessariam, qua vendita posset sibi subvenire, non tenetur reddere.

Resp. 2° : Satisfit præcepto eleemosynæ subveniendo pauperi secundum quid, mutuando, commodando, aut vendendo credito. Quia pauper secundum quid non est vere pauper, et præsens necessitas tollitur ipsi mutuando, commodando aut vendendo credito. Intellige de majoribus eleemosynis, nam de minutis insolitum est et inhumanum foret obligare mendicantes ad refusionem.

Dices contra primam responsionem : Dives solum tenetur subvenire necessitati pauperum : atqui per mutuum, commodatum, aut venditionem credito, subvenitur pauperum necessitati : ergo.

Resp. divitem teneri subvenire necessitati pauperum, juxta naturam præcepti eleemo-

synæ; præceptum autem eleemosynæ est ut subveniatur pauperi gratis et sine ejus gravamine. Nec refert quod per mutuum, etc., obtineatur finis præcepti eleemosynæ; ut enim satisfiat præcepto, non sufficit quod ejus finis obtineatur, sed debent adhiberi media, quæ in ipso continentur. Si quis sine sacramento pœnitentiæ obtineret remissionem peccatorum, teneretur tamen illud suscipere, si sine jejunio carne mortificaretur, non ideo eximeretur a præcepto jejunii.

Petes 2° utrum possit fieri eleemosyna de illicite acquisitis.

Resp. aliquid posse esse illicite acquisitum tripliciter [1] : uno modo, quando id quod acquiritur deberetur ei a quo accipitur, sicut in furto et rapina, et de talibus, cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest [2], nisi forte pauper esset in extrema necessitate et aliter ipsi succurri non posset nisi per hæc illicite acquisita; tunc enim omnia sunt communia.

Neque responsioni obstat quod Christus Luc. 15 dicat [3] : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;* non enim omnes divitiæ dicuntur iniquitatis, quia sunt injuste acquisitæ, sed quia sunt iniquæ secundum usum iniquis qui in eis spem constituunt; vel secundum S. Ambros. l. 7 in Lucam cap. ultimo, dicitur mammona iniquum, quia variis divitiarum illecebris nostros tentat affectus, vel quia in pluribus prædecessoribus, quibus patrimonio succedis, aliquis reperitur, qui injuste usurpavit aliena, quamvis tu nescias; vel omnes divitiæ dicuntur iniquitatis, quia non æqualiter sunt omnibus distributæ, uno egente et alio superabundante.

Secundo modo aliquid est illicite acquisitum [4] ; quia ille qui acquisivit retinere non potest, nec tamen debetur ei a quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam seu legem accepit, et alter similiter contra justitiam et legem dedit, sicut contingit in simonia, in qua dans et accipiens contra justitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Ita quidem Auctor hic.

Sed intellige eleemosynas lato sensu acceptas pro erogatione in usus pios; quia infra q. 100, a. 6 ad 4, docet pretium simoniace acceptum esse restituendum ecclesiæ, in cujus injuriam datum fuit, nisi prælatus et totum collegium sit in culpa; quia tunc cum auctoritate superioris vel pauperibus vel alteri ecclesiæ debet erogari. Vide quæ dixi de Simonia, diss. 11, a. 7, § 1 et 2.

[1] Hic a. 7, o. [2] In 4. d. 15 q. 2, a. 4. q. 2, ad 2. [3] Hic et 16 ad 1. [4] a. 7, c.

Tertio modo est aliquid illicite acquisitum [1], non quidem quia ipsa acquisitio est illicita; sed quia id ex quo acquiritur est illicitum, sicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium; et hoc proprie vocatur turpe lucrum; quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit contra legem Dei, sed in eo quod accipit non injuste agit, nec contra legem : unde quod sic illicite acquisitum est retineri potest et de eo eleemosyna fieri. Hanc materiam fuse disputatam require diss. 1 de Contractibus, a. 8, ubi probavimus contractum sub conditione futuri operis turpis, perfecta conditione, valere et obligare.

Petes 3° quis possit facere eleemosynam ?

Resp.: Per se loquendo, is et solus potest facere eleemosynam [2] qui habet liberam administrationem suorum bonorum. Pro quo vide dissert. 2 de Contractibus, a. 2, § 3, ubi expendimus quis donare possit, et plura resolvimus circa minorennes, filiosfamilias, uxores et religiosos, quæ ad præsentem quæstionem pertinent. Confer etiam disser. 11 de Justitia, a. 5.

Addo tantum hic religiosum, qui pastoratum aut aliud beneficium habet, posse de fructibus sui beneficii facere eleemosynas, aut illos expendere in alios usus pios et honestos; quia, licet non habeat dominium, habet tamen liberam administrationem ; titulus enim beneficii tribuit facultatem disponendi de ejus redditibus in pios et honestos usus, ita ut administrator beneficii sit etiam administrator fructuum : idem dicendum de religioso habente pastoratum in suo monasterio quoad fructus accidentales, qui sibi obveniunt ex exequiis et administratione sacramentorum; quantum enim ad fructus essentiales, supponuntur incorporati monasterio.

Petes 4° utrum clerici strictius quam laici teneantur ad eleemosynas.

Resp. affirmative præsertim ex bonis ecclesiasticis congruæ sustentationi superfluis. Pro quo vide plura dissert. 3 de Justitia, a. 5, conclus. 4.

Petes 5° utrum fictus pauper peccet petendo et accipiendo eleemosynas, teneaturque illas restituere ?

Resp. affirmative : quia dantes non censentur dare nisi pauperi, et sub ea conditione tacita quod sit pauper : unde hæc donatio est

[1] Ibid. a. 8, o. [2] Ibid.

nulla et receptio furtum, juxta catechismum Tridentini, 3 p. in 7 præceptum Decalogi, n. 7: « Furtum, inquit, præterea facere videntur qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant. » Debent ergo restituere veris pauperibus, quia donantes censentur abdicasse harum eleemosynarum dominium in favorem pauperum. Quidam excipiunt minutas et ordinarias eleemosynas, quia, inquiunt, præsumitur has fieri absolute, sed ista præsumptio non videtur nobis satis fundata; si tamen quis esset vere pauper, sed fingeret se pauperiorem, ut facilius aut largiorem obtineret eleemosynam, non videtur adstrictus restitutioni, quia est communis opinio quod pauperes exaggerent ordinarie suam paupertatem, et id supponunt donantes.

Petes 6° utrum qui præficitur distributioni eleemosynarum possit sibi retinere partem, si vere sit pauper?

Resp. affirmative, cum non sit pejoris conditionis quam alii pauperes. [1] Excipe tamen, nisi designati sint pauperes quibus faciendæ sunt eleemosynæ.

Petes 7° utrum magistratus possint impedire ne in suis locis pauperes extranei mendicent.

Resp. non posse omnes omnino impedire; quia plures sunt pauperes qui e suis locis natalibus exulare coguntur, sive sententia judicis, sive quia ibi habent inimicos, aut dedecus passi sunt, sive quia urbes et pagi, vel incursione hostium, vel incendio sunt devastati, et hi tamen debent vivere: unde autem vivent, si ab omnibus expellantur?

Petes 8° utrum facienda sit eleemosyna voluntarie pauperibus, qui si vellent non egerent?

Resp. faciendam esse iis qui sunt voluntarie pauperes propter Christum et ex amore virtutis, sive in religione, sive extra; quia ob justam causam se ad hunc statum demittunt, et reperitur in illis objectum misericordiæ. Vide Auctorem infra q. 187, a. 3, 4 et 5, et Opusc. contra impugnantes religionem. Iis vero qui sunt voluntarie pauperes ex ignavia, amore otii et cupiditate lucri, non est facienda eleemosyna; tum quia illis non licet mendicare; tum quia esset eorum ignaviam et cupiditatem fovere. Non est tamen curiosius inquirendum in conditiones pauperum, ne forte veri pauperes prætereantur; plures sunt enim qui ex verecundia se pauperes declarare non audent; minus autem est incommodi dare non indigenti, quam denegare indigenti.

DISSERTATIO VI.

De correptione fraterna.

D. Th. q. 33.

Quamvis, si verborum vis attendatur, differant correptio et correctio; correptio enim est reprehensio ad emendationem fratris; correctio est ipsa emendatio; usu tamen recepto inter theologos confunduntur et pro uno et eodem sumuntur.

Duplex est correptio delinquentis: una quæ adhibet remedium peccato [2] in quantum est quoddam malum ipsius peccantis et ordinatur ad ejus emendationem, dicitur fraterna; altera est quæ adhibet remedium peccato secundum quod est in malum aliorum et præcipue in nocumentum boni communis, et dicitur judicialis. Hæc est actus justitiæ, cujus est conservare rectitudinem justitiæ unius ad alium; fraterna autem, cum sit eleemosyna spiritualis, est actus elicitus a misericordia et imperatus a charitate.

Neque refert quod objectum misericordiæ

[1] Hic a. 9. ad 3. [2] Hic q. 33, a. 1, o.

sit miseria seu malum involuntarium,[1] peccatum autem sit voluntarium ; quia sufficit ad objectum misericordiæ quod sit aliquo modo involuntarium ; quamvis autem peccatum sit simpliciter voluntarium, et hac ratione sit potius objectum indignationis quam misericordiæ, pluribus tamen modis est involuntarium: 1° ratione causæ, ut si sit ex ignorantia, qua fit ut non apprehendatur malitia peccati ; 2° ratione effectus, quia reddit hominem obnoxium damnationi, quod est contra ejus voluntatem ; 3° quia est contra inclinationem rationalem voluntatis. Et hæc sufficiunt ut sit objectum misericordiæ.

De correptione judiciali hic non agitur, sed tantum de fraterna quæ definiri potest : Actus charitatis et misericordiæ, quo per convenientem sermonem, vel aliquid æquivalens, proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur. Dicitur : Actus charitatis et misericordiæ, quia elicitur a misericordia et imperatur a charitate, ut dictum est. Dicitur : Per convenientem sermonem, quia magna prudentia opus est ad faciendam correptionem fraternam. Unde Auctor hac q. 33, a. 1 ad 2, dicit esse actum prudentiæ exequentis et dirigentis. Dicitur : Vel aliquid æquivalens, quia potest etiam fieri signis, vel quocumque modo utili ad removendum proximum a peccato. Dicitur : A malo peccati; quamvis autem juxta verba Christi : *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. infra referenda, correptio proprie respiciat peccatum commissum, conveniunt tamen omnes parem obligationem esse impediendi peccatum futurum imminens, quia est pariter eleemosyna spiritualis, et sive dicatur correptio, sive monitio, sive instructio, sive consilium, perinde est. De utroque peccato itaque tam commisso quam committendo procedit quæstio.

ARTICULUS I.

UTRUM CORREPTIO FRATERNA SIT IN PRÆCEPTO ?

Dico : Correptio fraterna est in præcepto naturali et divino positivo [2], ita ut omni tempore, etiam ante legem, obligaverit.

Prob. 1° ex S. Scriptura : Galat. 6, dicitur : *Etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi :* ergo

[1] Hic q. 30, a. 1, ad 1. [2] Hic q. 33, a. 2, o.

præceptum legis Christi est corripere peccantem ; 2 Thessal. 3 : *Nolite quasi inimicum existimare* (scilicet peccatorem), *sed corripite ut fratrem ;* sed præsertim Christus, Matth. 18 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

In hoc textu, qui præcipuus est, duo pariunt difficultatem : primum, quod videatur pertinere ad christianos tantum, quia dicit : *Frater*, et postea : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* quæ intelligi non possunt de non christianis ; secundum, quod videatur spectare tantum peccata contra nos commissa, quia dicit : *Si peccaverit in te frater tuus.*

Ad primum : Equidem Christus expresse tantum loquitur de christianis, non ut excludat alios, ut patet ex ratione quam subjungit de lucrando fratre, et ex præcepto naturali quo tenemur omnes peccatores corripere, ubi est spes emendæ, ut mox dicemus, sed quia volebat assignare ordinem correptionis fraternæ, qui non potest ita bene servari inter ethnicos, et quia rarus est casus obligationis circa illos, cum sit rarior spes emendæ antequam fidem susceperint.

Ad secundum : Quidam interpretantur *in te,* id est, *te sciente,* quia qui peccat coram nobis aut nobis scientibus, nos quasi testes et approbatores sui peccati facit, et quantum est ex conditione actus scandalum nobis præbet. Ita Auctor quodlib. 11, a. 12, interpretatur cum S. Augustino. Alii sensu magis litterali et proprio interpretantur *in te,* id est ,*contra te* ; et patet ex eo quod subjungit S. Petrus : *Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei?* Idque importat proprietas locutionis, peccare enim in aliquem est contra ipsum peccare. Ita etiam interpretatur S. Th. q. disp. *de Correpl. Fraterna,* a. 2, ad 1, et hujus q. a. 7, post SS. Chrysostomum, Hieron., Ambros. et Aug. Neque inde sequitur quod sola peccata contra nos commissa cadant sub præceptum correptionis fraternæ, 1° propter paritatem rationis quam affert Christus ; non enim jubet nos corripere fratrem quia peccavit contra nos, sed quia peccando se perdidit : unde dicit : *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum ;* per quodcumque vero peccatum, sive sit contra nos, sive non, peccator se perdit. 2° A minori ad majus ; si enim debeam hoc correptionis beneficium impendere peccanti contra me, a fortiori illi qui me non offendit.

Prob. 2° ex SS. Patribus [1] : Aug. serm. 16

[1] Ibid. in a, s. c.

de Verbis Domini : « Si, inquit, neglexeris corripere, pejor eo factus es qui peccavit ; » sed hoc non esset si per hujusmodi omissionem seu negligentiam aliquod præceptum non transgrederetur. Idem SS. Ambros. l. 8 in Luc., Chrysost. et Hieron. in Matth., Basilius in Regulis brevioribus ad interrogationem 47, et alii.

Prob. 3° ratione. 1° Præcepto naturali tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti ; ergo a fortiori spiritualiter indigenti. 2° Lege naturæ tenemur reducere bovem proximi errantem : ergo a fortiori ipsum proximum errantem. 3° Denique tenemur diligere proximum ; dilectio autem proximi necessario importat, non solum velle et præstare ei bonum, sed etiam ab eo avertere malum, cum possumus : ergo.

Dices 1° : Non tenemur subvenire voluntarie pauperi qui habet unde sibi subveniat : atqui miseria peccantis est ipsi voluntaria, et potest ipse sibi subvenire : ergo.

Resp. neg. conseq. 1° Quia qui habet unde sibi corporaliter subveniat, non indiget tuis bonis, ut a miseria corporali liberetur ; at peccator, quamvis absolute possit sibi subvenire, non tamen nisi admodum difficile, sive ob illecebras peccati, sive ob inveteratam consuetudinem, sive ob ignorantiam ; et ideo indiget tuo subsidio ut a miseria spirituali, licet voluntaria, sublevetur. 2° Quia Christus non præcepit facere eleemosynam voluntarie pauperibus, sicut præcepit facere correptionem fraternam voluntarie peccantibus. Adde majorem non esse universaliter veram ; potest enim contingere, ut voluntarie pauperi teneamur ex nostris bonis succurrere, ut si, v. g., alicujus vita evidenter periclitaretur, et ipse, licet monitus, non adverteret periculum, nec vellet sibi de medicamine providere, tenemur, in hoc casu, etiam de nostris illi subvenire.

Dices 2° : Multi sunt notorii peccatores, ut meretrices, usurarii, ebriosi, etc. quos nemo corripit : ergo.

Resp. hos et a pastoribus et concionatoribus et a piis ac prudentibus viris aliquando corripi, non solum publice, sed etiam privatim. Alii autem non corripiunt, tum quia illis deest sufficiens auctoritas, tum quia in illis nullam apprehendunt spem emendationis.

Dices 3° : Nemo potest converti sine gratia Dei : atqui correptio non confert gratiam : ergo est inutilis.

Resp. retorquendo argumentum : Nemo potest converti sine gratia Dei[1] : atqui prædicatio verbi divini non confert gratiam : ergo est inutilis. Dicendum igitur quod in omnibus bonis agendis operatio hominis non est efficax, nisi adsit auxilium divinum ; et tamen homo debet facere quod in se est, et quod Deus præcepit ut faceret, in mediante quo confert gratiam secundum suum beneplacitum. Unde S. Aug. lib. *de Correpl. et Grat.* c. 15 dicit : « Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, et quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. » Et ideo debemus omnibus fraternæ correptionis beneficium impendere sub spe divini auxilii.

Quædam objiciuntur ex veteri Testamento quibus videtur improbari correptio peccatorum ; sed intelliguntur de peccatoribus in quibus non erat spes emendæ.

ARTICULUS II.

QUÆ CONDITIONES REQUIRUNTUR UT PRÆCEPTUM CORREPTIONIS FRATERNÆ OBLIGET?

Cum præceptum correptionis fraternæ sit affirmativum, non obligat pro semper, sed in certis circumstantiis et positis quibusquam conditionibus. Quæ autem sint illæ conditiones et circumstantiæ ?

Dico : Ut præceptum correptionis fraternæ obliget, requiritur 1° materia sufficiens, nimirum quod peccatum commissum vel committendum sit, per se loquendo, mortale ; 2° requiritur certa ejus notitia ; 3° spes emendationis ; 4° necessitas correptionis. Probantur et explicantur istæ conditiones.

Materia sufficiens.

Solum peccatum mortale et non veniale esse per se materiam sufficientem et propriam correptionis fraternæ, constat 1° ex verbis ipsis Christi Matth. 18, ubi in explicatione hujus præcepti dicit : *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum :* ergo perierat. Unde S. Aug. serm. 16, c. 3, de Verbis Domini : « Si, inquit, te ille in quem peccasti corripuerit, et audieris illum, lucratus est te : quid est lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te ? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est ? » Nemo autem perit quoad vitam spiritualem nisi per peccatum mortale. Addit Christus quod si corripientem non audiat, adhibendi sunt testes, deinde denuntiandus sit Ecclesiæ

[1] Ib. a. 1.

et habendus ut ethnicus et publicanus; certum autem videtur hæc non præcipi de peccatis venialibus quæ quotidiana sunt et in ipsis justis reperiuntur. 2° Cum omnis correptio sit onerosa corripienti et odiosa correpto, et peccata venialia sint frequentissima, si urgeret obligatio ea corripiendi, onus foret importabile tam corripientibus quam corripiendis, et neque pax, neque tranquillitas inter homines servari posset.

Dices : Peccatum veniale est gravius malum quam quævis miseria temporalis : atqui tenemur subvenire proximo miseriam temporalem patienti : ergo et peccanti venialiter.

Resp. neg. conseq. 1° Quia obligatio correptionis non est æstimanda ex sola gravitate mali, sed etiam ex ipsius correptionis necessitate; non videtur autem necessaria ad emendationem peccati venialis, quod est voluntarium et a quo quilibet facile liberari potest, secus de miseria corporali. 2° Nullum est inconveniens, quod succurram cuilibet miseriæ corporali proximi, id enim est semper illi gratum, secus de correptione fraterna quæ est corripiendo odiosa.

Dixi : « Per se loquendo »; quia per accidens peccata venialia possunt esse materia necessaria correptionis fraternæ, ut si ex his sequeretur scandalum, perturbatio tranquillitatis in communitate, periculum proximum peccandi mortaliter, aut detrimentum disciplinæ regularis : unde tenentur superiores in religione sub mortali corripere venialia, imo et transgressiones regularum obligantium tantum sub pœna, quando vident, quod ex impunitate et licentia peccandi venialiter, aut transgrediendi regulas, disciplina regularis notabile detrimentum patiatur. Idem proportione servata dicendum est de aliis superioribus respectu suorum subditorum; non quod existimemus peccare mortaliter, si aliquoties, secluso scandalo, dissimulent defectum venialem in subditis, sed si sint in iis corripiendis graviter negligentes.

Circa peccata ignorantiæ,

De quibus est specialis difficultas, sequentes resolutiones accipe.

1° Peccata commissa ex ignorantia vincibili cujuscumque juris aut facti cadunt sub præceptum correptionis fraternæ, quia sunt vere peccata.

2° Peccata commissa ex ignorantia invincibili cujuscumque juris aut facti non cadunt sub præceptum correptionis fraternæ, quia non sunt peccata saltem formaliter : excipe nisi ex eis sequatur grave scandalum aut detrimentum proximi, quod correptione possit impediri.

3° Peccata autem committenda ex ignorantia invincibili juris naturæ et divini positivi, aut facti contra ista jura, cadunt sub præceptum correptionis aut monitionis, si sit spes emendæ, et non sit periculum majoris mali; quia talis ignorantia, quamvis inculpata, est grande malum et turpis error, quem quisque vellet a se depelli. Insuper quæ committuntur, saltem ex ignorantia invincibili juris naturæ, sunt secundum se mala et peccata materialiter, quamvis committentes propter ignorantiam invincibilem excusentur.

Dixi : 1° « Si sit spes emendæ, aut non sit periculum majoris mali; » quia, si non sit spes emendæ, tunc non solum cessat finis correptionis, sed insuper sequitur gravissimum inconveniens, nempe quod is quem corripis aut mones peccabit formaliter, cum antea peccaret tantum materialiter, et quod monitus damnetur, qui non monitus potuisset salvari. Quod si sit spes emendæ, sed jure timeantur graviora inconvenientia quam sit peccatum mortale impediendum, debet etiam omitti correptio seu instructio, quia e duobus malis minus est eligendum.

Hinc inferes quod, dum quis invincibiliter ignorat se esse invalide matrimonio junctum, si non sit spes quod monitus recedat ab uxore putativa; aut si discedat, sequentur gravia inconvenientia et scandala, puta odia capitalia, rixæ diuturnæ, incontinentia, honestæ familiæ et prolium diffamatio, relinquendus sit in bona fide. Quod si agatur de matrimonio contrahendo, attendendum est ad irreverentiam sacramenti et ad mala quæ nata sunt sequi ex matrimonio invalido, si proximus non moneatur; et hæc conferenda sunt cum inconvenientibus quæ prævidentur secutura, si moneatur, et quod minus videbitur est eligendum monendo vel tacendo. Regulariter dum agitur de actu futuro, re adhuc integra manente, minora mala sequuntur, si moneatur quam si non moneatur : unde regulariter in hoc casu monendus est proximus. Confer quæ fusius dixi circa hanc materiam in tract. de Actibus humanis, dissert. 5, a. 4.

Dixi 2° : « Ex ignorantia invincibili juris naturalis aut divini positivi, seu facti contra illa jura »; quia, quoad ignorantiam invincibilem legis humanæ aut facti contra illam, nemo

privatus tenetur, saltem sub mortali, hanc ignorantiam tollere, seclusis scandalo, irreverentia Dei et religionis et damno tertii ; quia quæ sunt contra legem humanam non sunt per se mala, sicut ea quæ sunt contra legem naturalem, nec tanti momenti, sicut ea quæ sunt contra legem divinam positivam. Hinc non teneris, saltem sub mortali, monere omittentem inculpate horas aut missam in die festo, et similia. Secus, si quis cum scandalo manducaret carnes in die jejunii, aut laboraret serviliter die festo. Item, si sacerdos ex inadvertentia accederet ad altare sine alba aut casula, propter reverentiam debitam sacro ministerio. In dubio autem an hujusmodi ignorantia sit culpabilis vel inculpabilis, videtur quod liceat dubium in meliorem partem interpretari.

Notitia peccati.

Ad hoc ut quis teneatur corripere proximum, debet habere notitiam moraliter certam peccati commissi vel committendi : unde non sufficit dubium, suspicio, timor, scrupulus, aut rumor ; quia, cum correptio pudorem ingerat et sit correpto odiosa, juste conquereretur, si argueretur de peccato quod non constat ; et sæpe imprudentes correptiones ex dubiis et incertis indiciis causant graves tricas et dissensiones. Adde quod in dubio præsumendum sit in favorem proximi. Hac ratione plerumque eximuntur a correptione facienda scrupulosi qui in omnibus timent et suspicantur peccatum. Neque debet privatus inquirere in vitam aliorum ad finem correptionis ; id enim redundaret in injuriam proximi, et esset contra illud Proverb. 24 : *Ne quæras impietatem in domo justi ;* hoc solum competit superioribus quibus ex officio incumbit vigilare super gregem sibi commissum, adeoque dubiis malis occurrere.

Dices : Ad eleemosynam corporalem sufficit probabilis aut conjecturalis notitia miseriæ proximi : ergo similiter ad spiritualem.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod eleemosyna corporalis absque ullo offensioins periculo admittatur etiam ab eis qui non indigent, secus correptio fraterna, si temere aut leviter fiat.

Spes emendationis.

Requiri spem emendationis manifestum est [1], quia, cessante fine, cessat ratio operandi propter finem ; finis autem correptionis fraternæ est emendatio proximi, in quo differt a correptione judiciali, cujus finis est bonum commune. Adde quod hoc ipso quo non prodest correptio, obsit, quia correptus non resipiscens gravius peccat ; et hac ratione sæpe excusantur a correptione fraterna qui sunt inferioris conditionis corripiendo.

Non tamen requiritur spes certa, sed sufficit probabilis, modo etiam sit probabile correptionem non obfuturam. Si dubitetur an sit profutura, et certum quod non sit obfutura, adhibenda est, sicut medici adhibent medicinam quam certo sciunt non nocituram, quamvis dubitent an sit profutura, dum non est alius modus juvandi ægrotum. Si vero dubium sit an proderit et pariter dubium an nocebit, ut sæpe contingit in extraneis et ignotis, cujus ingenium non novimus, conferenda est utilitas sperata cum damno quod timetur, et majus est minori præferendum. Hinc, si corrigendus credatur tantum pudore afficiendus, aut futurus in posterum minus amicus, aut ad tempus exacerbandus, sed postea corrigendus, nec melior occasio expectari possit, omnino est corripiendus ; quia bonum speratum præponderat malo timendo. Item in articulo mortis, stante dubio an proderit vel oberit, correptio est facienda ; quia, si prosit, proximus ab æterna damnatione liberabitur ; si obsit, eatenus tantum oberit quod qui damnandus erat propter alia peccata gravius damnetur propter istud novum. Huic autem malo præponderat bonum quod speratur. In æqualitate vero boni sperandi et mali timendi, omittenda est correptio, quia præceptum negativum non nocendi proximo magis obligat quam præceptum affirmativum ipsi bene faciendi.

Hæc intellige de correptione præcise fraterna et quæ nihil aliud intendit quam emendationem delinquentis ; quia, si agatur de correptione quæ assumeretur ad alium aliquem finem, ut ad impediendum damnum tertii, vel reipublicæ, aut dehonorationem Dei per blasphemias, vel seductionem populi per hæreticos, etiamsi nulla esset spes emendæ in peccante, si sit spes impediendi malum aut damnum ex ejus peccato consequens, potest et debet adhiberi correptio et redargutio.

Necessitas correptionis

Scilicet ad emendationem fratris [1] : Quia (ut discurrit Auctor) correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, et ideo hoc modo

[1] Hic a. 6. o.

[1] Hic a. 2. o.

cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem; non autem quod quolibet loco vel tempore delinquens corrigatur.

Hinc sequitur 1° quod, si nullus sit qui corripiat delinquentem, et ipse non possit aut non nisi difficile liberari a peccato, nisi per tuam correptionem, tenearis ex hoc capite illam adhibere.

Sequitur 2° e contra quod, si frater sit emendatus, aut probabile sit quod ipse se emendabit, ut jure præsumitur in iis qui suæ salutis non sunt incurii, et solent frequentare sacramenta, nec interim sit periculum relapsus, non tenearis corripere. Similiter, si per alios sit corripiendus: at vero si adsint quidam qui possent forte melius et utilius corripere, et tamen non faciunt, teneris; quia, ut dictum est de eleemosyna corporali, omnes scientes tenentur in solidum.

Dubium est inter auctores, an peccatum præteritum, nullo relicto complacentiæ vestigio, nec damni aut relapsus periculo, sit corripiendum? Aliis affirmantibus, aliis negantibus, resp. ex dictis quod, si sit probabile quod ipse reus sese emendabit tempore debito, non sit corripiendus; secus est corripiendus.

His ergo omnibus conditionibus positis [1] tenetur quilibet ad correptionem fraternam statim moraliter; ita quod, si ex timore vel cupiditate absolute renuat eam facere, vel ita differat, ut sinat elabi opportunitatem faciendi, præponens in animo timorem vel cupiditatem fraternæ charitati, peccet mortaliter; venialiter autem tantum peccabit si ex timore vel cupiditate tardior efficitur ad correptionem, modo sit ita affectus ut, si ei constaret quod posset per suam correptionem fratrem retrahere a peccato, non omitteret propter timorem aut cupiditatem, quibus in animo suo præponit charitatem fraternam; et hac ratione quandoque viri sancti negligunt corripere delinquentes. Nullo autem modo peccabit si differat correptionem spe majoris opportunitatis.

An vero liceat differre spe majoris utilitatis, sic nimirum, ut proximus sæpius et gravius peccans efficacius corrigatur et emendetur? Quidam affirmant; quia, quamvis nunquam liceat facere mala ut eveniant bona, aliquando tamen licet permittere mala ex intentione majoris boni; et hoc est probabile. Attamen, si supponatur spes fundata præsentis emendationis, id nec satis tutum in praxi, nec satis probabile arbitror; quia, in hac hypothesi, major utilitas quæ expectatur non est tantum bonum, ut præponderet honori Dei, qui iteratis et forte gravissimis offensis læditur, et securitati salutis proximi, qui interim potest mori, aut qui ex iteratis actibus obstinatior factus frustrabit spem efficaciorem emendationem expectantis.

[1] Ib ad 3.

Cæterum, pro colophone totius hujus articuli, observandum est quod, cum istæ conditiones raro omnes simul reperiantur, raro etiam homines privati teneantur, saltem sub gravi peccato, ad correptionem fraternam.

ARTICULUS III.

ALIÆ DIFFICULTATES CIRCA PRÆCEPTUM CORREPTIONIS FRATERNÆ DISCUTIUNTUR.

Petes 1° utrum præceptum correptionis fraternæ obliget cum damno corripientis?

Ante responsionem distingue duplicem necessitatem spiritualem proximi: unam gravem, a qua licet possit absolute proximus se liberare, nonnisi tamen difficile, sive ob vehementiam passionis, sive ob inveteratam consuetudinem et obstinationem in malo, sive ob ignorantiam, sive ob aliam causam; alteram extremam a qua absolute liberari non potest, nisi per correptionem, et hic casus est rarissimus et forte unicus, ut si quis ex ignorantia vincibili peccet et quærat doctorem, ego autem solus possum docere, monere, corripere illum, alioquin moriturum in peccato.

Dico: Quando peccator est in extrema necessitate spirituali, quilibet tenetur cum periculo vitæ adhibere correptionem, quia plus tenemur diligere animam proximi quam corpus nostrum, ut probavimus dissert. 4, a. 3. In gravi necessitate, quilibet tenetur cum aliquo damno suorum temporalium; quia plus diligere debemus salutem æternam proximi, quam quædam bona temporalia: ii autem, quibus cura animarum incumbit ex officio, tenentur etiam cum periculo vitæ in gravi necessitate, quia ii magis tenentur quam alii, et debent esse parati ponere animam suam pro ovibus suis. Confer quæ superius dixi dissert. 4 citata de ordine Charitatis, præsertim art. 3.

Petes 2° quinam tenentur ex præcepto facere correptionem fraternam?

Resp. 1° Positis præfatis conditionibus,[1] non solum prælati, sed omnes generaliter tenen-

[1] Ibid. a. 3, o.

tur ad correptionem fraternam : patet ex præcepto tam divino quam naturali, quod est generale, ut vidimus art. 1 præsentis dissert.

Resp. 2° Prælati strictius tenentur quam cæteri ad corripiendos suos subditos ; [1] quia 1° præter communem obligationem, id illis ex officio incumbit ; 2° quia pater plus tenetur quam extraneus benefacere filiis suis ; prælatus autem est pater spiritualis suorum subditorum.

Item tenentur prælati inquirere in vitam subditorum ad finem correptionis fraternæ ; 1° quia quilibet tenetur mala spiritualia a proximo depellere eo modo quo absque inconvenientibus potest, possunt autem prælati absque inconvenientibus, quæ paterentur privati, inquirere in vitam subditorum, quia id propter auctoritatem et officium non parit scandalum aut offensionem ; 2° quia ut pater spiritualis debet eleemosynam spiritualem his particularibus personis sibi subditis ; quod autem debetur sic determinatæ personæ, [2] inquit Auctor, oportet quod ei impendamus, non expectantes quod nobis occurrat, sed debitam sollicitudinem habentes, ut eum inquiramus.

Cæterum cavendum est prælato, inquit Cajetanus, ne ex una parte nimia suspicione fiat præceps et odiosus, et ex altera ne sua incuria invalescant delicta occulta. Neque debet nimis particulariter in unum aliquem absque sufficientibus indiciis inquirere, ne eum apud alios reddat suspectum et infamem.

Non videtur tamen quod teneantur ex stricta justitia, sed ex misericordia vel fidelitate qua tenentur adimplere suum munus ; quia officium prælationis constituit prælatum judicem et patrem ; quamvis autem obligatio quæ oritur ex illo, ut constituit judicem, pertineat ad justitiam, non tamen obligatio quæ oritur ex illo, ut constituit patrem ; specialis autem obligatio in prælato corrigendi fraterne subditum oritur ex ejus officio, ut constituit patrem, non judicem. Quæ hucusque diximus de prælatis, juxta cap. *Duo ista*, causa 23, q. 4, extendendum est ad parentes, judices, reges, secundum cujusque disciplinam.

Resp. 3° Subditi possunt, et aliquando tenentur corripere fraterne suos superiores ; [3] quia eos pro loco et tempore possumus et debemus fraterne corripere, quos tenemur ex charitate diligere : atqui subditi tenentur ex charitate diligere superiores : ergo.

Debet tamen ad hanc correptionem adhiberi congruens modus, [1] ut scilicet non fiat cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine, humilitate et reverentia, juxta illud Apost. 1 Timoth. 5 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

Ad correptionem superiorum, ut plurimum, sunt minus idonei homines de vulgo conditione et moribus viles ; est enim periculum ne id superiores ducant contemptui, et inde magis exasperentur : unde convenit quod correptores digniores instruant et adhibeant.

Resp. 4° Etiam ipsi peccatores non eximuntur a præcepto correptionis fraternæ faciendæ [2]. Sermo est de peccatoribus qui noscuntur tales ab iis qui corripiuntur; si enim sint occulti, nihil obstat correptioni faciendæ.

Ratio responsionis est 1° quia correptio delinquentis pertinet ad aliquem, [3] in quantum viget in eo rectum judicium rationis, peccatum autem, etsi notum, non tollit rectum judicium rationis : ergo. 2° Nemo propter peccatum eximitur ab obligatione legis : ergo.

Quod si quandoque SS. Patres dicant officium correptionis fraternæ non competere peccatoribus, loquuntur de peccatoribus qui alios non corripiunt nisi ex superbia, minora in aliis dure reprehendentes, dum ipsi majora perpetrant ; [4] non vero de peccatoribus qui præcise ut satisfaciant suæ obligationi, cum mansuetudine, humilitate et propriæ infirmitatis confessione, alios corripiunt, modeste monendo et rogando juxta hoc præscriptum Auctoris ex S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte, c. 19, alias 3 : « Si inveniamus nos in eodem vitio esse... non objurgemus, sed congemiscamus et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitemus. »

Petes 3° utrum peccator teneatur se emendare ut alium corripiat ?

Resp. 1° Tenetur 1° si sit superior, quia tenetur procurare ea quæ sunt necessaria ad suum officium rite obeundum, inter quæ est ipsius emendatio. 2° Tenetur qui aliis scandalo est, quia tenetur abstinere a scandalo. 3° Tenetur, si proximus sit in peccato mortali moriturus, nisi ipse emendatus corripiat, quia videtur tunc gravis necessitas cui cum aliquo incommodo subvenire debet.

Resp. 2° Extra hos casus probabilius est quod peccator non teneatur ex præcepto se emendare ut alium corripiat. Ita Dominicus Soto, lib. de tegendo secreto, membro 2, q. 3, concl. 6, Bannes, Wiggers, Sylvius et Serra in hunc articulum.

[1] Ib. ad 1. [2] Ibid. a. a, ad 4. [3] Ibid. a. 4, o.

[1] Ibid. [2] Ibid. a. 5, o. [3] Ibid. [4] Ibid.

Favet Auctor in 4, d. 19, q. 2, a. 2, q. 2, ad 2. dicens : « Peccator non est perplexus nec absolvitur a præcepto corripiendi; potest enim peccatum dimittere, aut etiam humiliter peccatum suum recognoscens alium admonere rogando et tunc non peccat »: ergo non tenetur absolute dimittere peccatum, sed vel illud dimittere, vel illud humiliter agnoscere, et alium rogando admonere.

Ratio est 1° quia, quando peccator corripit alium peccatorem cum humilitate, agnoscendo suam etiam infirmitatem, congemiscendo et invitando ad æqualiter cavendum, ut diximus ex SS. Aug et Th., si correptus non emendetur, ipsius pertinacia et culpa est, non corripientis. Ut quid enim quærit meum exemplum ut a peccato liberetur, cum ego meo exemplo non induxerim in peccatum, et verbis meis sufficienter inducam ad emendationem ? 2° Mea emendatio neque ex præcepto, neque ex natura rei est medium necessarium ad correptionem fraternam : ergo.

Dices 1° : Christus Matth. 7 dicit : *Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui :* ergo.

Resp. Christum ibi non præcipere ut quisque se emendet antequam alium corripiat, sed arguit pharisæos qui levia in aliis reprehendebant et dure condemnabant, dum ipsi, circa proprios defectus cæcutientes, longe graviora perpetrabant.

Dices 2° : Si quis acquirere posset unde sublevet gravem necessitatem corporalem proximi, ad id obligaretur : ergo obligatur hac via proximo succurrere in gravi necessitate spirituali constituto.

Respondet Serra post Soto, negando ant., dicitque « Quod, sicut non tenetur quis recuperare perditam pecuniam ad subveniendum pauperibus, quamvis posset, nisi forte in extrema necessitate, ita nec tenetur resipiscere a peccato, ut ea ratione adimpleat præceptum correptionis, sicut nec tenetur procurare scientiam quæ requiritur ad corripiendum, nisi forte proximus esset in extrema necessitate spirituali. » Hæc ille.

Resp. 2° dato ant. neg. conseq. Disparitas est quod qui potest acquirere unde sublevet necessitatem corporalem proximi et non acquirit, nihil ipsi confert, quo possit ejus necessitas sublevari ; sed qui non emendatus corripit fraterne et humiliter peccatorem, ut dictum est, ipsi confert quo possit sublevari ejus necessitas spiritualis; quod si non sublevetur, ejus pertinacia et culpa est, debetque sibi imputare et non corripienti. Et quid, si nolit emendari, nisi dem ipsi centum florenos, teneborne forte dare ?

Inst. 1° : Peccator obligatur vitam emendare etiam statim, si urgeat aliud præceptum sub gravi obligans, quod adimpleri nequit sine sui emendatione ; ergo præsens casus non est a communi resolutione eximendus.

Resp. neg. suppositum argumenti : supponit argumentum quod præceptum correptionis fraternæ non possit impleri sine sui emendatione, quod negamus; qui enim non emendatus facit correptionem eo modo quo diximus, adimplet, quantum in se est et debet, præceptum.

Inst. 2° : Emendatio est medium conveniens ad correptionem : atqui qui tenetur ad finem, tenetur ad media : ergo.

Resp. dist. maj. Emendatio est medium conveniens ex consilio, conc.; ex præcepto seu ex natura rei, neg.; nullibi enim præcipitur, neque id necessario requiritur ex natura ipsius correptionis, quæ definitur etiam ab adversariis : actus quo per convenientem sermonem proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur. Ad hunc sensum dist. min. : Qui tenetur ad finem tenetur ad media convenientia quæ vel ex præcepto, vel ex natura rei conveniunt, conc.; ad media convenientia ex consilio tantum, neg.

Inst. 3° : Tenemur ex præcepto ad correptionem fructuosam : atqui in casu supponitur emendatio absolute necessaria ad hoc ut correptio sit fructuosa : ergo.

Resp. dist. maj. Tenemur ex præcepto ad correptionem fructuosam, id est quæ, quantum est ex se, possit producere fructum, conc., et talis est correptio facta a peccatore non emendato; quæ de facto fructum producat, neg.; fructus enim seu emendatio correpti est finis præcepti; finis autem præcepti non cadit sub præcepto.

Insuper adverte quod, si hæc omnia argumenta aliquid probarent, non probarent necessitatem emendationis absolutæ in corripiente, sed duntaxat emendationis quantum ad signa exteriora.

ARTICULUS IV.

DE ORDINE CORREPTIONIS FRATERNÆ.

Hunc ordinem tradidit Christus Matth. 18 his verbis : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te*

audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Sunt ergo tres gradus in ordine correptionis fraternæ : primus corripere secreto; secundus corripere coram uno vel duobus ; tertius dicere Ecclesiæ seu prælato. Quæstio est utrum iste ordo sit in præcepto quoad omnes suos gradus.

§ I.

Utrum in correptione fraterna admonitio secreta debeat præcedere denuntiationem?

Dico 1° : Si peccatum sit publicum [1], id est majori parti communitatis notum, admonitio secreta non debet necessario præcedere denuntiationem, sed est publice arguendum, juxta illud 1 Timoth. 5 : *Peccantes coram omnibus argue ut et cæteri timorem habeant;* quod de peccatis publicis intelligit S. Aug., serm. 16 de Verbis Domini, concludens : « Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus quæ peccantur coram omnibus; ipsa vero corripienda sunt secretius quæ peccantur secretius. »

Ratio est 1° quia, quando peccatum est publicum [2], non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur; 2° quia finis, propter quem præmittenda est admonitio secreta, qui est conservatio famæ, cessat, cum, per publicitatem peccati, fama peccantis sit perdita.

Dico 2° : Si peccatum sit occultum [3], sed vergens in nocumentum aliorum sive corporale sive spirituale, puta si aliquis occulte tractet de proditione patriæ, si hæreticus privatim homines a fide avertat, si magus aut sortiarius occulte agat in perniciem aliorum, si pharmacopola vendat pharmaca perniciosa, etc., oportet statim procedere ad denuntiationem, non præmissa admonitione secreta, ut hujusmodi nocumentum impediatur : partim, quia tunc non habent locum verba Domini, frater enim peccans non peccat in te tantum; partim, quia debemus magis curare ne proximus innocens in corpore vel anima lædatur, quam ne fama peccatoris perdatur.

Excipe nisi forte aliquis firmiter existimet [4], quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire. Sed hoc vix locum habet in hæreticis, qui nec ipsam Ecclesiam audire volunt, et in magis ac sortiariis propter obstinatam voluntatem in malo.

Dico 3° : Si peccatum sit occultum et soli peccanti, [1] ac ei in quem peccatur, noxium, per se loquendo, necessario est præmittenda secreta monitio denuntiationi.

Prob. 1° ex verbis Christi [2] ; *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe inter te et ipsum solum.* 2° Lege naturali tenemur curare proximum cum minori, quantum fieri potest, damno ejus famæ; est enim fama utilis et in temporalibus et in spiritualibus : sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicujus membri abscissione; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, ut vita totius conservetur : ergo fama fratris peccantis non est minuenda apud superiorem quando per privatam correptionem speratur emendatio. 3° Quia immediata denuntiatio sine secreta admonitione sæpe movet proximum ad indignationem contra denuntiantem et ad ulteriorem lapsum, juxta illud S. Hieronymi in verba citata Matth.: « Corripiendus est seorsim frater, ne, si semel pudorem vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato. » Multi enim præ timore infamiæ a peccato retrahuntur, qui, quando se infamatos vident, irrefrenate peccant.

Dixi : « Per se loquendo»; quia per accidens non est præmittenda secreta correptio denuntiationi in certis casibus : 1° Non est præmittenda, si fundate præsumatur non profutura [3]; 2° si correpturus sit minus idoneus ad corripiendum, et videtur quod melius fiet per prælatum, quatenus prælatus est pius, discretus, spiritualis, non habens rancorem aut odium adversus subditum, potestque pluribus modis impedire peccatum, licet statim illi fieri delatio : (idem dic de aliquo alio viro pio et prudenti). Neque hoc est dicere Ecclesiæ, quia non dicitur prælato ut judici et superiori, sed ut personæ proficienti ad correptionem et emendationem proximi et quasi alteri fratri.

Neque etiam in hoc violatur præceptum Domini de monitione secreta præmittenda denuntiationi, quia, cum sit affirmativum et in bonum corripiendi, debet observari in quantum circumstantiæ locorum, temporum et personarum indicant observandum. Neque conqueri potest corripiendus de sui diffamatione apud superiorem; levis enim est hæc diffamatio, attentis prudentia, probitate et

[1] Hic a. 7, o. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Ibid.

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Quod l. 11, a. 13, o.

benevolentia quæ supponuntur in prælato, debetque illum sufferre pro consequenda meliori modo sua salute.

Verum, propter conditiones diversas prælatorum et subditorum [1], non potest dari in hoc regula generalis, quia aliquando prælatus est imprudens et iracundus, aut movetur odio in subditum; vel subditus non bene fert verba prælati. Ideo tenendum est hoc pro regula generali, quod in omnibus istis servanda est charitas, et quod qui intendit id quod melius et magis expediens apparet, servans, in quantum potest, bonum proximi, non peccat.

Dices 1° contra tertiam conclusionem ex S. Scriptura : 1° Levit. 5 dicitur : *Si audierit vocem jurantis, nisi indicaverit, portabit iniquitatem;* 2° cap. 19 : *Non oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum;* 3° Genes. 37, Joseph accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo, ubi nulla fit mentio præmissæ admonitionis secretæ; 4° Petrus, Act. 5, peccatum occultum Ananiæ et Saphiræ fraudantium de pretio agri non solum manifestavit, sed morte punivit; 5° Deus interdum publice punit hominem pro peccato, nulla admonitione secreta præcedente; 6° ipse Christus non legitur secreto admonuisse Judam, antequam eum denuntiaret : ergo.

Resp. ad primum, sensum esse quod, si quis audiverit vocem judicis interrogantis et adjurantis de veritate, et nolit eam dicere, punietur; vel, si quis audierit vocem jurantis seu juramento aliquid confirmantis, et, postea juridice interrogatus de eo quod vidit aut audivit, veritatem dicere recusaverit, portabit iniquitatem suam.

Ad secundum : Sensus est quod nemo debeat fovere odium in corde contra proximum, sed quod debeat publice, id est, aperte, eum arguere et declarare quod velit ab eo satisfactionem pro injuria.

Ad tertium : Quamvis non sit scriptum quod Joseph non monuerit secreto fratres [2], non sequitur quod non ita sit, non enim omnia scripta sunt. Sed esto non privatim admonuerit, ideo id prætermisit, quia, cum fratres illum odio haberent et istud peccatum esset publicum et commune apud illos, non erat spes quod per ejus correptionem privatam emendarentur.

Ad quartum: Petrus publicavit peccatum occultum Ananiæ et Saphiræ tanquam executor Dei [3], cujus revelatione illud cognovit; Deus autem non tenetur lege ordinis correptionis fraternæ, ut jam dicam.

Ad quintum : Cum peccata occulta sint Deo nota [1], et ipse sit dominus famæ nostræ, sicut et vitæ, non adstringitur præcepto ordinis servandi in correptione fraterna. Et tamen plerumque Deus peccatores quasi secreta monitione arguit per inspirationes, per conscientiæ remorsus, exteriorem prædicationem, et aliis modis.

Ad sextum : Poterat Christus absque secreta monitione indicare peccatum Judæ, tum quia, ut Deus, non erat subditus ordini correptionis fraternæ, tum quia noverat Judam non emendandum, sed deteriorem futurum. Neque tamen ejus peccatum aperte publicavit, sed obscure indicavit, ut diximus dissert. 6 de Eucharistia, a. 5, concl. 2.

Dices 2° : Consuetum est in religionibus, quod in capitulis aliqui proclamentur de culpis, nulla secreta admonitione præmissa. Item prælati præcipiunt, vel generaliter omnibus, ut in visitationibus, vel alicui specialiter, ut, si quid sit corrigendum, eis dicatur; tenentur autem religiosi obedire suis prælatis : ergo.

Resp. ad primum quod hujusmodi proclamationes [2], quæ in capitulis religiosorum fiunt, sunt de aliquibus levibus quæ famæ non derogant. Si tamen essent talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Dei ageret, qui per hunc modum peccatum fratris publicaret.

Ad secundum : Prælato non est obediendum contra præceptum divinum [3], secundum illud Act. 5 : *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Et ideo, quando prælatus præcipit ut sibi dicatur quod quis sciverit corrigendum, intelligendum est præceptum, salvo ordine fraternæ correctionis, sive præceptum sit generaliter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si prælatus expresse præciperet contra hunc ordinem a Domino institutum, et ipse peccaret præcipiens, et ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens. Et ideo non esset ei obediendum; quia prælatus non est judex occultorum, sed solus Deus. Unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones. In quibus casibus potest prælatus præcipere, sicut judex sæcularis vel ecclesiasticus potest exigere juramentum de veritate dicenda.

Inst. 1° : Fertur statutum esse in Societate

[1] Ibid. [2] Hic a. 7, ad 2. [3] Ibid.

[1] Ibid. [2] Ibidem ad 4. [3] Ibidem ad 5.

Jesu, ut omnes defectus etiam graves deferantur ad superiorem, non præmissa admonitione secreta : ergo.

Resp. id non militare contra conclusionem; quia hujus religionis socii renuntiant juri famæ suæ cujus sunt domini; idque licitum est, cum fit ex honesta causa maxime in ordine ad bonum spirituale : unde qui illos denuntiant superiori non violant præceptum de ordine correptionis fraternæ, quippe quod, hac posita conditione, non obligat. Existimat tamen Sylvius quod si moraliter certum sit, aut valde probabile, quod æque bene, aut melius, privata correptione quam denuntiatione frater emendabitur, denuntians posset peccare contra charitatem, licet non contra justitiam : sicut potest peccare contra charitatem, licet non contra justitiam, qui publice diffamatum sententia judicis in uno loco diffamat in alio, quo verisimiliter notitia ejus criminis non esset perventura.

Cæterum dicere, ut quidam dixerunt, quod correptio fraterna semper melius fiat per prælatum quam per socium, videtur erroneum et injuriosum doctrinæ Christi, atque aperte contra S. Thomam superius citatum. Item dicere quod nulla communitas possit alio modo bene gubernari, videtur pariter injuriosum Christo et contra jus naturale.

Inst. 2° : Inquisitores suis edictis præcipiunt, ut peccata, quæ in eis continentur, statim ipsis denuntientur ante communicationem cum aliquo; consequenter sine admonitione secreta : ergo.

Resp. perpetrantes crimina in edictis inquisitorum contenta esse perditissimos homines, de quibus vix haberi potest spes emendæ per privatam correptionem.

§ II.

Utrum inductio testium debeat præcedere denuntiationem?

Quidam dixerunt quod, post privatam correptionem infructuosam [1], si peccatum fratris non sit ita occultum, quin innotescat aliis quam corripienti, hi possint induci in testes; sed, si sit omnino occultum, non esse ulterius procedendum. Contra quos

Dico : Si, post pluries adhibitam infructuose admonitionem secretam [2], sit spes quod ulterius procedendo frater emendabitur, debemus ulterius procedere, adhibendo testes, deinde denuntiando prælato, ut patri, quantumvis peccatum sit occultum. Si vero non sit spes quod ulterius procedendo frater emendabitur, non est ultra privatam monitionem procedendum.

Prob. prima pars : 1° Quia Christus statuens ordinem correptionis fraternæ loquitur de peccato occulto, et soli corripienti noto [1] : ergo. Prob. ant. Pro primo gradu statuit, ut frater fratrem solus corriperet : atqui, si peccatum esset alteri notum, non esset cur prohiberetur ne illi duo primum fraterne corriperent delinquentem ; unde S. Aug., serm. 16 de Verbis Domini : « Peccavit in te frater tuus, si tu solus nosti » : ergo.

2° Ex charitate tenemur consulere famæ et saluti proximi, magis tamen saluti quam famæ, si utraque haberi non possit. Si ergo inductio testium aut denuntiatio sit necessaria saluti proximi, negligi debet leve famæ detrimentum ex adhibitione testium, aut ex denuntiatione facta prælato tanquam patri, ut salus obtineatur, sicut prudens medicus pro conservatione vitæ totius abscindit membrum necessarium, ut jam diximus ex Auctore.

Prob. secunda pars : Correptio fraterna et totius ejus processus ordinantur ad bonum et emendationem fratris delinquentis tanquam ad finem; cessante autem fine, cessant media ad illum : ergo, si non sit spes emendationis fratris procedendo ad inductionem testium et ad denuntiationem, abstinendum est ab illis.

Dixi in conclusione [2] 1° : « Post admonitionem secretam pluries iteratam », quia, quandiu spes est proficiendi per correptionem privatam, non oportet procedere ad inductionem testium, sed iterari debet correptio privata. Similiter inductio testium debet non semel tantum, sed pluries fieri, quandiu est spes eam profuturam, nisi ex dilatione inductionis testium aut denuntiationis esset periculum, ne delinquens iterum peccaret.

Dixi 2° : « Deinde denuntiando prælato, ut patri », quia, si peccatum occultum fratris non sit nisi ipsi noxium, nec tale quod bonum commune exigat deferri ad judicium, non licet denuntiare denuntiatione juridica prælato ut judici, sed tantum ut patri; nec potest prælatus, cui istud peccatum per viam correptionis fraternæ innotescit, contra illum fratrem judicialiter procedere, neque excommunicatione publica aut alia pœna diffamante punire; quia et ipsa correptio fraterna, et totus ejus ordo atque processus ad solum bonum et emen-

[1] Ib. a. 8, ad 1. [2] Ib. o et ad 1.

[1] Ib. in a, s. c. [2] Ibidem ad 1.

dationem fratris ordinatur; processus autem judicialis ad bonum duntaxat commune et publicum. Adde quod frater, per suum peccatum occultum, non amisit jus ad famam, neque ejus aut reipublicæ bonum exigit ut diffametur : ergo.

Nec obstat quod id quod denuntiatur in fraterna correptione prælato, juxta Auctorem hic ad 4 : « Dicatur ei tanquam Ecclesiæ, id est sicut in loco judicis residenti » : prælatus enim, ut bene observat Serra, residens in loco judicis, habet rationem judicis et patris : judicis, patet cum resideat in loco judicis; patris autem, colligitur ex S. Augustino dicente in Regula : « Præposito tanquam patri obediatur » : est autem ipsi obediendum, non ut particulari personæ, sed ut sedenti in loco superiori, nempe judicis. Sub utraque ratione est superior, et habet auctoritatem corrigendi et puniendi, sed diverso modo, ut judex respiciendo bonum publicum, ut pater respiciendo bonum filiorum et subditorum. Prælato ergo ut patri subditus delinquens fraterne est denuntiandus, sic ut prælatus non possit ipsum excommunicatione publica, aut aliis pœnis juris infamantibus plectere, sed coram denuntiatore et testibus, seu paucis viris gravibus, ipsum corripere et moderatis pœnis privatis, ut flagellatione, jejunio et similibus castigare, ipsique prohibere sub pœna excommunicationis, ne in tale peccatum relabatur; quod si non obtemperet, erit excommunicatus, atque ita sicut ethnicus et publicanus, ut fert sententia Christi, non tamen publice, sed privatim; neque poterit denuntiari ut talis, quandiu peccatum manebit occultum.

Dices 1° contra conclus. : Nemo habet jus alterum diffamandi, etsi pro ejus bono spirituali; sicut nemo habet jus surripiendi alienum, etsi pro ejus bono spirituali : ergo.

Resp. 1° neg. suppositum ant. Revelatio enim criminis alterius ex justa causa non est diffamatio formalis; pro quo vide dissert. 15 de Justitia, a. 2, § 3. Ad probationem : Disparitas est quod bonum alienum ex natura sua ipsi non noceat; at ejus fama seu crimen occultum in casu ipsi nocet. Adde quod ista probatio universaliter sumpta non sit vera; si namque dives decumbens non vellet, ex avaritia, emere medicinam communem, sine qua est moriturus, possem illi surripere pecuniam ad comparandam hanc medicinam.

Dices 2° : Non videtur quo fine et fructu adhibentur testes qui non sunt criminis conscii : ergo.

Resp. [1] testes induci ad plura 1° ut, si reus dubitet, aut neget esse peccatum de quo corripitur, a testibus possit convinci; 2° ut, si factum neget, testes eum observent, et postea convincant si relabatur. Neque ideo dicendi sunt exploratores vitæ alienæ; is enim non dicitur explorator vitæ alterius, prout prohibetur Proverb. 14, qui, cum ejus peccati sit jam conscius, observat eum ut emendetur; 3° ut, cum facienda erit denuntiatio apud prælatum, denuntians possit probare se servasse ordinem correptionis fraternæ; 4° tandem ut testes simul cum corripiente hortentur efficacius fratrem ad emendationem.

Ex dictis hucusque colliges ordinem correptionis fraternæ esse non solum juris divini positivi, sed etiam naturalis : quia lex naturalis dictat ut subveniamus proximis in necessitate, sicut vellemus nobis subveniri, id est modo suaviori, et cum minori detrimento; sic autem fit secundum ordinem correptionis fraternæ. Primo corripitur frater privatim et amice, non semel, sed pluries, quandiu spes est hac via proficiendi. Si ista correptio nihil prosit, adhibentur unus vel duo qui prodesse possunt, non obesse. Si nec sic habetur emendatio, quid restat, nisi dicatur Ecclesiæ, id est, prælato ut patri, qui non judicialiter sed paterne corripiat delinquentem et pœnis moderatis coerceat. Reducitur autem hoc præceptum ad præceptum de honoratione parentum, ut dictum est supra de Eleemosyna.

[1] Ib. ad 3 et in 4, d. 19 q. 2, a. ult., q. 2. ad. 1 et 3.

DISSERTATIO VII.

De vitiis charitati oppositis.

D. Th. a q. 34 ad 43.

Vitia charitati opposita sunt, juxta Auctorem quæstionibus citatis, odium Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni. Acedia quæ opponitur gaudio de bono divino. Invidia quæ opponitur gaudio de bono proximi. Discordia quæ opponitur effectui charitatis qui est pax. Contentio quæ opponitur paci quantum ad locutionem. Schisma, bellum, rixa et seditio, quæ opponuntur paci quantum ad opus, et scandalum quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam. De his omnibus plus aut minus, secundum majorem vel minorem materiæ necessitatem, dicemus in hac dissertatione.

ARTICULUS I.

DE ODIO DEI ET PROXIMI PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1° quid sit odium in communi et quotuplex?

Resp. Odium in communi est actus seu motus voluntatis quo quis malevole fertur in aliquid. Est duplex : odium abominationis et odium inimicitiæ. Odium abominationis est quo aversamur aliquid ut nobis malum et disconveniens. Odium inimicitiæ est quo volumus alicui malum ut illi male sit : unde istud odium non tam est aversio quam prosecutio alicujus quod apprehendimus ut nobis bonum et alteri malum.

Odium abominationis opponitur amori concupiscentiæ; quia, sicut amore concupiscentiæ volumus nobis bonum, sic odio abominationis aversamur nobis malum. Odium inimicitiæ opponitur amori amicitiæ, quia, sicut amore amicitiæ volumus alteri bonum ut illi bene sit, sic odio inimicitiæ volumus alteri malum ut illi male sit. Hoc ultimum sæpe nascitur ex primo. Ex hoc enim quod aliquem ut nobis displicentem et molestum aversamur, sæpe contingit quod illi male velimus.

Odium abominationis proximi est duplex, scilicet odium abominationis ipsius personæ quo ipsam secundum se, quantum ad naturam vel gratiam, velut malum displicens aversamur; et est semper malum. Aliud est odium abominationis qualitatis proximi, et istud est aliquando malum, aliquando bonum : si sit de bonis qualitatibus est malum, si de malis est bonum.

Petes 2° utrum Deus possit odio haberi?

Resp. 1° Deus non potest odio haberi a beato qui videt illum clare per essentiam [1]; quia Deus per essentiam suam est ipsa bonitas : ergo qui videt illum clare per essentiam, nullam potest apprehendere in eo rationem mali quam odio habeat.

Resp. 2° Deus potest odio haberi a viatore qui videt eum clare per essentiam [2], sed obscure tantum per effectus; quia viator potest Deum apprehendere ratione quorumdam effectuum ut sibi malum et disconvenientem, puta, quatenus prohibet ea ad quæ natura corrupta inclinat, aut punit transgressiones legum, sicque ab eo ut malo et disconvenienti aversari, et velle, affectu scilicet simplici et inefficaci, illi malum; ut quod careat esse, seu suis perfectionibus, quod non sit omnipotens, omniscius, justus. etc. Hinc S. Scriptura, Num. 10 : *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua;* Deuteron. 32 : *His qui oderunt me retri-*

[1] Hic q. 34. a. 1. o. [2] Ibid.

tuam; Psal. 73 : *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper;* Joan. 15 : *Oderunt me et Patrem meum.*

Si dicas inde probari effectus peccatori disconvenientes equidem ab ipso haberi odio, at non Deum secundum se, resp. neg. assumptum; quamvis enim effectus peccatori disconvenientes sint ratio motiva odii, Deus tamen secundum se ut auctor horum effectuum potest esse objectum terminativum odii, ut patet ex locis citatis S. Scripturæ; sicut, cum homo hominem odit propter ejus defectus, quamvis substantia hominis non sit ratio motiva odii, sed isti defectus, attamen ille homo odio habetur. Est autem hæc differentia quod illi effectus nobis disconvenientes non sint in Deo, et defectus proximi sint in ipso.

Cæterum non quicumque odit pœnas [1], odit Deum pœnarum auctorem; nam multi odiunt pœnas, qui tamen eas patienter ferunt ex reverentia divinæ justitiæ. Unde et S. Aug., l. 18 *Confess.* c. 28, dicit quod mala pœnalia Deus tolerari jubet, non amari; sed prorumpere in odium Dei punientis, hoc est habere odio ipsam Dei justitiam, est gravissimum peccatum.

Petes 3° utrum odium Dei sit omnium peccatorum maximum?

Resp. Odium Dei est ex genere suo omnium peccatorum maximum [2] : 1° quia optimo opponitur pessimum : atqui odium Dei opponitur charitati seu dilectioni Dei, in qua consistit optimum hominis : ergo; 2° quia ratio culpæ consistit in voluntaria aversione a Deo : atqui ista aversio a Deo est potior et major in odio quam in aliis peccatis : ergo. Prob. min. Id quod est per se et directe intentum, est potius eo quod est secundum aliud et indirecte intentum : atqui aversio a Deo per se et directe importatur in odio Dei, cum per illud voluntas per se ex intentione expressa et formali ab eo avertatur; in aliis autem peccatis ista aversio importatur quasi participatione tantum, indirecte et secundum aliud, quatenus voluntas, aliquid inordinate amans, illud præfert Deo, et sic ab illo avertitur, v. g, cum aliquis fornicatur, non avertitur a Deo per se directe et ex intentione, sed indirecte et secundum aliud, in quantum appetit inordinatam delectationem, cui annexa est aversio a Deo.

Hinc inferes odium Dei formale et expressum de quo loquimur, sive sit abominationis, sive inimicitiæ, esse peccatum speciale exprimendum in confessione; secus odium quod participative tantum et indirecte importatur in aliis peccatis, quia non est proprie odium, sed secundum aliud, et est circumstantia generalis omnis peccati mortalis.

[1] Ibid. a. 3. ad 3. [2] Ibid. o.

Dices : Gravissimum peccatum est peccatum in Spiritum Sanctum, quod est irremissibile, ut dicitur Matth. 12, 1 : atqui odium Dei non computatur inter peccata in Spiritum Sanctum : ergo.

Resp. odium Dei esse speciale peccatum [1] in Spiritum Sanctum; quia dicitur speciale peccatum in Spiritum Sanctum quod quis sciens et volens ex contemptu committit, atque abjicit ea per quæ peccatum potest impediri vel tolli; hæc autem reperiuntur in odio Dei, ut patet : non tamen numeratur inter peccata in Spiritum Sanctum; quia ejus malitia participatur et reperitur in omnibus aliis peccatis in Spiritum Sanctum, ut etiam patet.

Petes 4° utrum odium proximi sit peccatum et quantum?

Resp. Odium proximi sive abominationis [2], sive inimicitiæ, est ex genere suo peccatum mortale; quia directe contrariatur charitati quæ est vita animæ, charitate autem tenemur diligere proximum secundum id quod habet a Deo, id est, secundum naturam et gratiam : ergo aversari proximum secundum naturam et gratiam et ipsi malum velle, est ex suo genere peccatum mortale. Plura vide in dictis de dilectione inimicorum.

Potest tamen utrumque fieri veniale non solum ex indeliberatione actus, sed etiam ex levitate materiæ : odium inimicitiæ, si leve malum optetur proximo; odium abominationis raro est mortale, quia simplex displicentia personæ creatæ multis defectibus subjectæ et propter illos, sine mali imprecatione, non videtur tanta inordinatio, nisi talis sit ut quis recuset veniam petenti, vel communia charitatis officia, aut nisi sit causa gravis scandali, vel duret, dum urget præceptum diligendi proximum.

Dices : Christus Luc. 14 dicit : *Si quis venit ad me et non odit patrem et matrem non potest meus esse discipulus :* ergo.

Resp. vel sermonem esse de parentibus quatenus impedimentum [3] nobis præstant accedendi ad Deum, qua ratione sunt peccatores et inimici, ideoque sub hac ratione odio habendi, juxta illud Davidis : *Iniquos odio habui :* vel *odisse* ibi sumitur pro postponere seu relin-

[1] Ib. ad 1. [2] Ibidem a. 3, o. [3] Ibidem ad 1.

quere, ita ut sensus sit: Et non reliquerit patrem et matrem ut me sequatur.

Ex his colliges 1° nunquam esse licitum optare proximo malum sub ratione mali, secus sub ratione boni, si bonum speratum præponderet malo optato, ut optare mortem sicariis, prædonibus, hæreticis, ne amplius noceant bono communi vel religioni; optare infirmitatem, paupertatem, etc., peccatori, ut convertatur. Cavendum tamen ne, sub pallio melioris boni, virus odii aut vindictæ lateat. Et quia vita hominis innocentis præponderat bonis fortunæ alicujus particularis, jure damnatæ sunt ab Innocentio XI sequentes propositiones: prima: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali tristari de vita alicujus, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob temporale aliquod emolumentum »: est 13; secunda: « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas »: est 14; tertia: « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas» : est 15. De his latius vide dissert. 15 de Justitia, a. 4 de Maledictione.

Colliges 2° aliquem posse sibi optare mortem, ut fruatur Deo, ut ipsum amplius non offendat. Sed quid de illo qui sibi optaret mortem ut liberaretur a miseriis hujus vitæ? Resp. id per se esse illicitum; quia mors est omnium malorum hujus vitæ terribilius. Attamen, si quis divinæ voluntati omnino conformis et absque ullo impatientiæ motu optaret finem suis urgentibus miseriis imponi per mortem a Deo, si ita illi placeret, non videretur graviter saltem culpandus, quia istud desiderium, ultra quod sit conditionatum, involvit implicite desiderium melioris vitæ, scilicet æternæ: sic communiter non culpatur qui damnatus ad mortem petit citius occidi, nec qui amico morienti optat breviorem agonem.

Petes 5° utrum odium proximi sit gravissimum peccatorum quæ in proximum committuntur?

Resp. odium proximi, si consideretur ex parte deordinationis peccantis [1] esse gravissimum peccatorum quæ committuntur contra proximum; secus, si consideretur ex parte nocumenti proximo illati. Ratio prioris est, quia per odium deordinatur per se primo voluntas quæ est potissimum in homine, et a qua actus exteriores habent quod sint peccata; ratio posterioris est quod actus exteriores, ut furtum, homicidium, etc., majus nocumentum causent proximo quam simplex et internum odium.

Petes 6° utrum omnia odia sint ejusdem speciei?

Resp. 1° Odium Dei et odium proximi specie differunt, quia peccata contra Deum et peccata contra proximum commissa, ratione diversorum objectorum, specie differunt. Nec obstat quod hæc duo odia opponantur eidem virtuti, scilicet charitati, quia eidem virtuti possunt opponi diversa specie peccata, ut fidei variæ species infidelitatis, spei desperatio et præsumptio; et ratio est quia pluribus modis contingit a bono deficere.

Resp. 2°: Non omnia odia proximi sunt ejusdem speciei, quia, licet, si considerentur præcise ratione objecti communis quod est malum proximi ut malum proximi est, possint dici ejusdem speciei propter unam rationem formalem talis objecti, si tamen considerentur tum ex parte motivi, tum ex parte diversorum malorum in quæ feruntur, sunt diversæ speciei; sic odisse proximum, quia est creatura Dei, et odisse proximum quia damnum intulit, sunt duo odia specie distincta, propter distinctum motivum seu distinctum objectum formale quo. Similiter optare proximo mortem, et optare bonorum spoliationem, sunt odia specie distincta propter distinctas specie difformitates quas includunt et imperant; sicut enim reipsa occidere et furari sunt distincta specie peccata, ita velle ex odio occidere et furari; adeoque in confessione explicanda.

ARTICULUS II.

DE ACEDIA, INVIDIA, DISCORDIA, CONTENTIONE ET SCHISMATE.

Acedia.

Acedia, secundum Damascenum, est quædam tristitia aggravans [1], quæ scilicet ita deprimit animum ut nihil agere libeat, sicut ea quæ sunt acida etiam frigida sunt; et ideo acedia importat quoddam tædium operandi. A quibusdam dicitur torpor mentis bona negligentis inchoare. Sumitur autem a theologis pro tædio seu tristitia de bono spirituali: unde patet quod sit peccatum, tam secundum se, cum de bono spirituali sit gaudendum, quam

[1] Ibidem a. 4.

[1] Hic q. 35, a. 1, o.

secundum effectum, quatenus retrahit hominem a bonis operibus.

Acedia, prout est tristitia de bono spirituali communiter sumpto[1], non est speciale vitium, sed circumstantia omnis vitii, quia omne vitium refugit spirituale bonum virtutis oppositæ. Similiter non est speciale vitium quatenus refugit spirituale bonum, prout est laboriosum vel molestum corpori, aut delectationis ejus impeditivum; quia hoc etiam commune est vitiis carnalibus, quibus aliquis quietem et delectationem corporis quærit. Sed est speciale peccatum, quatenus est tædium de bono divino ad nos pertinente, apprehenso ut malo proprio; ut si quis tristetur de amicitia Dei, de beatitudine sibi proposita, aut de mediis ad Dei amicitiam et beatitudinem necessariis, ut de sacramentis, de divinis præceptis, de bonis operibus, quatenus sunt ad Dei amicitiam et beatitudinem necessaria.

Hac ratione acedia est peccatum mortale[2] ex suo genere, quia contrariatur charitati, per quam habetur vita spiritualis; proprius enim effectus charitatis est gaudium de Deo; acedia est tristitia de bono divino ad nos pertinente, ut dictum est.

Est vitium capitale, quia ex acedia profluunt plura vitia[3]: inducitur enim homo ad plura peccata, vel ut tristitiam fugiat, vel ut illi satisfaciat. Sex ejus filias assignat S. Greg. 31 *Moral.*, scilicet malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, evagationem mentis circa illicita, de quibus vide Auctorem hic a. 4, ad 1.

Acedia vincenda est resistendo et impugnando[4]. E contra peccata carnis sunt vincenda fugiendo, quia in peccatis carnis continua cogitatio auget peccati incentivum; in acedia vero continua cogitatio de bonis divinis reddit ea magis placentia, ex quo cessat acedia.

Invidia.

Invidia est tristitia de bono alieno æstimato ut malo proprio[5], quatenus est diminutivum propriæ gloriæ et excellentiæ.

Est peccatum, quia dolet de eo de quo est gaudendum[6], scilicet de bono proximi. Est peccatum ex genere suo mortale, quia contrariatur charitati. Potest tamen esse veniale, tum ex indeliberatione actus, tum ex levitate materiæ, ut si sit de exiguo bono proximi. Est vitium capitale, quia ex ea oriuntur plura peccata, scilicet odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, et afflictio in prosperis. Vide Auctorem a. 4, ad 3.

[1] Ibid. a. 2, o. [2] Ibid. a. 3, o. [3] Ibid. a. 4, o. et ad 2. [4] Ibid. a. 1, ad 4. [5] Hic q. 36. a. 1, o. [6] Ibid. a. 2, 3 et 4.

Discordia.

Discordia generaliter sumpta est dissensio voluntatum aut judiciorum[1]. Discordia, de qua hic agimus et prout opponitur charitati, est dissensio voluntatum circa bonum divinum vel proximi, in quod tenemur ex charitate consentire, quia, si non teneamur consentire, ut in opera supererogationis, non est peccatum; et si non teneamur consentire ex charitate, sed ex alia virtute, non erit contra charitatem, sed contra illam aliam virtutem; sic dissentire a voluntate superioris præcipientis est contra obedientiam; dissentire a voluntate creditoris exigentis debitum, est contra justitiam.

Dupliciter contingit discordia[2], per se et per accidens. Per se, quando quis scienter et ex intentione dissentit a bono divino et proximi, in quod debet consentire ex charitate. Et sic est peccatum mortale ex genere propter contrarietatem ad charitatem. Per accidens, quando intentio aliquorum est ad bonum quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, sed unus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem; et talis discordia, quæ potius est judiciorum quam voluntatum, non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi sit cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebite adhibeatur.

Contentio.

Contentio generaliter sumpta est pugna verborum[3]; sicut enim discordia importat contrarietatem voluntatum, sic contentio importat contrarietatem verborum. Specialiter autem, prout hic sumitur, definitur a S. Ambrosio: « Impugnatio veritatis cum confidentia clamoris »; intellige veritatem quam quis novit, aut potest ac debet noscere, ut in hæreticis; intellige etiam inpugnationem veritatis ex animo, non exercitii aut examinis causa.

Est ex genere peccatum mortale[4]; tum quia Apost. 2 Timoth. 2, dicit: *Noli verbis contendere*, et Galat. 5 contentionem numerat inter opera carnis, quæ qui agunt regnum Dei non possidebunt; tum quia contrariatur charitati, quatenus contrariatur paci, quæ est effectus

[1] Hic q. 37, a. 1, o. [2] Ibid. [3] Hic q. 38, a. 1, o. [4] Ib.

charitatis. Ex duplici autem capite est peccatum : 1° ex parte objecti, scilicet veritatis quæ impugnatur; 2° ex parte modi, quatenus non servatur in verbis moderatio secundum convenientiam personarum et negotiorum.

Si ergo contentio dicatur impugnatio falsitatis[1] cum debito modo acrimoniæ, non est peccatum, sed opus laudabile. Si sit cum inordinato modo, erit peccatum veniale, nisi sit tanta inordinatio in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum, ut si contendentes erumpant in verba injuriosa.

Schisma.

Schisma[2] græce, latine scissio, ex usu recepto apud scriptores ecclesiasticos, sumitur pro speciali peccato quod definitur : «Voluntaria separatio sui ipsius ab unitate Ecclesiæ»; unitas autem Ecclesiæ in duobus potissimum attenditur, scilicet in connexione seu communicatione membrorum Ecclesiæ ad invicem, et in ordine omnium membrorum ad unum caput, quod est ipse Christus, cujus vicem gerit in Ecclesia summus pontifex.

Unde triplici modo potest quis fieri schismaticus : 1° se separando a capite; 2° a membris; 3° a capite et membris simul.

1° Sunt schismatici qui renuunt subesse Romano pontifici, ut tali, se ab illius obedientia separando. Dico : « Pontifici, ut tali », quia non esset schismaticus qui renueret subesse pontifici, ut est homo privatus, ex odio, v. g., vel propter aliquam ipsius personæ qualitatem, aut nollet illi obedire in aliquo præcepto, puta jejunii, vel restitutionis, ob ejus difficultatem; his enim non obstantibus potest illum agnoscere ut Christi vicarium, et illi subesse quantum ad definitiones fidei et morum : sic qui sunt inobedientes suis superioribus, non ideo non agnoscunt eos pro superioribus.

2° Sunt schismatici qui recusant communicare cum catholicis in rebus fidei et religionis; cum enim membra et caput sint inter se connexa, qui se expresse separat a membris, implicite se separat etiam a capite et e contra.

3° Sunt schismatici qui se expresse separant a Romano pontifice ut tali, et ab his qui illi adhærent.

Ex quibus sequitur schisma esse peccatum speciale et mortale ex genere[3], quia contrariatur Ecclesiæ unitati quam facit charitas, quæ non solum unam personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate Spiritus. Quamvis ergo peccatores nec Deum, nec proximum ex charitate diligant, quamdiu tamen retinent amorem societatis ecclesiasticæ, eumdemque spiritum concordiæ, ita ut nec communem Ecclesiæ pacem turbare, nec unitatem scindere velint, non sunt schismatici.

Si dicas Ecclesiam non posse non esse unam, cum unitas sit ejus nota : ergo schismaticus non rumpit unitatem Ecclesiæ, resp. non equidem rumpere unitatem Ecclesiæ hoc sensu quod Ecclesia desinat esse una, sed rumpit quantum est ex se et affectu, nec affectu solum, sed etiam aliquo modo effectu, quatenus partes sibi adhærentes, et prius Ecclesiæ unitas, ipse ab ea separat.

Petes in quo differant schisma et hæresis ?

Resp. differre secundum ea quibus utrumque[1] per se et directe opponitur. Hæresis per se opponitur fidei et habet falsum dogma; schisma opponitur unitati ecclesiasticæ charitatis, etiam sine falso dogmate : unde, sicut fides et charitas sunt distinctæ virtutes, ita hæresis et schisma sunt distincta vitia. Equidem schisma non est absque sententiarum diversitate, sed non est necesse quod ista sententiarum diversitas sit in rebus fidei ; et ideo potest quis credere Ecclesiam esse unam et tamen velle se ab ejus unitate separare. Similiter potest credere Romanum pontificem esse caput Ecclesiæ et tamen nolle illi subesse. Fatendum tamen schisma esse viam ad hæresim, et quamvis in principio possit intelligi diversum ab hæresi, nullum tamen est schisma, quod tandem non sibi aliquam hæresim confingat, ut rite ab Ecclesia recessisse videatur.

Schismatici non secus ac hæretici excommunicantur excommunicatione majori reservata papæ in bulla *Cœnæ* et alibi. Utrum schismatici retineant potestatem jurisdictionis ? Resp. schismaticos occultos retinere, non manifestos, quia hoc ipso quo se manifeste ab Ecclesia separant, censentur renuntiare jurisdictioni quam ab illa acceperant. Pro quo vide plura quæ dixi dissert. 4 de Fide, art. 3, § 3.

ARTICULUS III.

DE BELLO.

Bellum, secundum aliquos, dicitur per antiphrasim, quia est minime bellum. Secundum alios, dicitur bellum a belluis, quia bellantes sæpe belluarum feritatem imitantur. Definiri

[1] Ibid. [2] Hic q. 39, a. 1, o. [3] Ibid.

[1] Ibidem. ad 2.

potest : Congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios. Per quod distinguitur a duello, quod est congressio unius contra unum.

Duplex est, defensivum quod est ad propulsandam injuriam inferendam, et offensivum quod est ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata.

§ I.

Utrum bellare sit semper peccatum?

Esse semper peccatum dogmatizarunt olim manichæi, ex S. Augustino l. 22 contra Faustum, cap. 74; deinde wiclefistæ, teste Waldensi. Lutherus autem existimavit pugnare contra Turcas esse contradicere Deo volenti per illos peccata nostra punire. Erasmus contendit omne bellum esse christianis interdictum. Contra quos

Dico : Bellare non est per se malum [1], sed, positis tribus conditionibus, scilicet legitima auctoritate indicendi bellum, justa causa et recta intentione, est licitum.

Prob. 1° ex S. Scriptura : in lege naturæ Abraham, Genes. 14, cum trecentis octodecim vernaculis suis bellum gessit adversus quatuor reges qui Loth nepotem suum tulerant cum omni ejus substantia, et illi revertenti a cæde quatuor regum benedixit Melchisedech, sacerdos Dei summi.

In lege scripta sæpe Deus jussit aut probavit bellum : Exod. 17, Num. 21 et 25, Deuter. 7, 1 Reg. 15, 2 Reg. 8, Josue 1, 6, 8, 10, et alibi sæpe.

In lege nova [2], Luc. 3, militibus quærentibus quid facerent ut fugerent venturam iram quam Joannes Baptista peccatoribus intentabat, non jussit S. Præcussor militiam deserere, sed ea bene uti : *Neminem*, inquit, *concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris* ; quibus verbis tacite approbat bellum. Unde S. Aug., epist. 5 ad Marcellinum, super hæc verba scribit : « Si christiana disciplina omnino bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent; dictum est autem eis : Neminem concutiatis, estote contenti stipendiis vestris ; quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare non prohibuit. »

Christus, Math. 8, laudavit fidem centurionis, qui habebat sub se milites, militiam autem deserere non jussit; Act. 10, Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica, laudatur ut vir religiosus, et timens Deum.

Apost. Hebr. 11, laudat Gedeonem, Barac, Samsonem et alios qui *per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.*

Idem docent SS. Patres : Ambros. lib. 1. *de Officiis*, c. 40; Aug., loco citato et epist. 50 ad Bonifacium comitem; Greg., lib. 1. epist. 72; Bernardus, sermone ad milites Templi, cap. 3.

Confir. ex usu Ecclesiæ quæ in pluribus conciliis decrevit bellum pro recuperatione Terræ Sanctæ, et ex victoriis quas singulari Dei providentia fideles reportarunt de infidelibus; inter plures nota est insignis victoria quam de Turcis reportavit Joannes Austriacus, anno 1571, sub pontificatu S. Pii V, cui fuit revelata.

Prob. ratione : Lege naturæ licet vim vi repellere : ergo bellum defensivum est licitum. Quantum ad offensivum : privatus injuriam aut damnum passus, potest petere satisfactionem aut restitutionem : ergo similiter potest respublica. Subsumo : Atqui aliquando satisfactio seu restitutio haberi aliter non potest quam armis, puta si injuriantes aut damnificantes requisiti nolint satisfacere seu restituere, nec habeant superiorem qui illos velit aut possit compellere ad satisfaciendum seu restituendum ; ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° ex S. Scriptura : Isaiæ 2, prædicitur quod in adventu Christi omnia bella cessabunt ; Matth. 26 dicitur : *Qui acceperint gladium, gladio peribunt;* Matth. 5 : *Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram ;* Apost. Rom. 12 : *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ ; scriptum est enim : Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus ;* 2 Cor. 10 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo :* ergo.

Resp. ad primum, sensum esse tempore nativitatis Christi pacem ubique fore, quod revera adimpletum est, non autem quod ista pax foret perpetua.

Ad secundum : Ille dicitur accipere gladium [1], qui nulla auctoritate legitima, vel jubente, vel concedente, armatur in alicujus

[1] Hic q. 40, a. 1, o. [2] Ib. in a, s. c.

[1] Ibidem ad 1.

sanguinem. Qui vero auctoritate reipublicæ, vel supremi principis, si sit persona privata, vel auctoritate Dei, si sit ipse supremus princeps, gladio utitur, non accipit gladium, sed ab alio sibi commisso utitur. Neque tamen etiam illi qui cum peccato gladio utuntur, semper gladio materiali occiduntur, sed ipsi suo gladio pereunt, quatenus pro peccato gladii æternaliter puniuntur, si non pœniteant.

Ad tertium: Secundum S. Augustinum[1], lib. 1 de serm. Dom. in monte, c. 34, 35 et 36, Christi præceptum est servandum in præparatione animi, ut scilicet semper homo sit paratus non resistere malo, sed ulteriorem injuriam sufferre, si opus sit pro Dei honore et salute proximi: unde Christus, Joan. 18, percussus a servo summi pontificis, alteram maxillam non præbuit, sed ratione se defendit, et tamen præceptum perfecte adimplevit. Alii dicunt his verbis nihil aliud præcipi quam ut patienter feramus injurias, nec privata auctoritate ulciscamur. Secundum alios hæc verba important tantum consilium, quod tamen consilium intelligendum est, nisi injurians ex nostra patientia fiat pejor.

Ad quartum: Apostolus loquitur de injuriarum ultione privata auctoritate. Ad quintum: Loquitur de armis, quibus utebatur ad conversionem infidelium et peccatorum, quæ non erant carnalia, sed spiritualia, quibus Deus conferebat virtutem.

Obj. 2° ex Patribus: Can. II concilii Nicæni, indicitur pœnitentia decem annorum iis qui ad militiam redeunt; Basilius, epist. ad Amphiloch., can. 13, dicit eis qui in bello aliquem occiderunt, abstinendum esse a communione per triennium. S. Martinus dixit Juliano: « Christi ego miles sum, mihi pugnare non licet », ut refert Sulpitius in ejus vita, c. 3: ergo.

Resp. ad primum, de quo jam alibi diximus, hunc canonem, si non sit interpolatus, intelligendum esse de iis qui redibant ad militiam idololatriæ conjunctam; vel de iis qui cum, deposito militiæ cingulo, stadium pœnitentiæ decurrebant, victi laboriosis operibus pœnitentiæ, illam deserebant, et reassumpto militiæ cingulo, ad priora crimina revertebantur. Dixi: Si iste canon non sit interpolatus, quia acta Nicænæ synodi, partim injuria temporis, partim fraude arianorum, in aliquibus sunt adulterata: unde iste canon 11, de quo agitur, ex arabico sic legitur: « Si hoc tempore pœnitentiæ ad vomitum redeant, et rursus agnoscant peccatum suum, debent agere pœnitentiam decem annis » · ubi nihil de militia.

Ad secundum: S. Basilius id non præcipit, sed consulit tantum subdubitando: « Recte, inquit, forte habet consulere », quia nempe, propter sanguinis effusionem, minus apti rebus divinis videbantur. Iste autem Basilii canon non fuit usu receptus, quia alioquin milites nunquam essent sacramentorum participes.

Ad tertium: S. Martinus sic locutus est, quia erat miles Christi, non solum per baptisma, sed etiam per professionem religiosam; ut enim colligitur ex Sulpitio, jam tunc erat monachus, vel ad monachatum voto adstrictus, hoeque votum licite emiserat S. Martinus, quia non tenebatur amplius militare; meruerat enim viginti quatuor stipendia; iis autem qui viginti quatuor stipendia meruerant, jure Romano concedebatur honesta dimissio. Respondent alii S. Martinum detrectasse militiam, quia indignum christiano ducebat militare sub imperatore impio et apostata, qualis erat Julianus. Cæterum certum est S. Martinum non existimasse militiam esse illicitam christiano, siquidem ipse, ferme biennio post susceptum baptisma, militaverit, ut refert Sulpitius, c. 2.

Plures aliæ Patrum auctoritates opponuntur quæ sunt intelligendæ vel de iis quibus militia erat occasio peccandi, vel de iis qui pœnitentiam publicam susceperant, quibus prohibitum erat per canones redire ad militiam, non quod esset per se mala, sed propter periculum relabendi et efficaciorem scandalorum reparationem; vel intelligendæ sunt, non ut damnantes militiam, sed ut quod perfectius est consulentes.

Obj. 3°: Bellum contrariatur paci, quæ est effectus charitatis; et ideo Auctor recenset bellum inter vitia opposita charitati: ergo.

Resp. dist. ant. Bellum contrariatur paci secundum quid [1], conc., quamdiu enim bellum geritur non est pax; simpliciter et absolute, neg.; bellum enim justum est via ad pacem: unde commune adagium: Si vis pacem, para bellum; et S. Aug. epist. ad Bonifacium: « Bellum geritur ut pax acquiratur »; addit: « Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas. » Itaque, sicut medicina non dicitur contraria sanitati, licet ad tempus illam lædat, quia assumitur ut medium ad sanitatem, ita bellum respectu pacis; bellum autem

[1] Ibid. a. 2.

[1] Ibid. ad 3.

quod numeratur inter vitia opposita charitati, est bellum injustum.

Inst.: Ex bello multa peccata et mala sequuntur, ex innocentibus : ergo.

Resp. dist. ant. Ex bello multa peccata sequuntur per se et ex natura belli, neg.; per accidens et ex malitia militantium, conc. Atque hinc sequitur quod bellum non sit suscipiendum nisi urgente necessitate, at non quod sit secundum se illicitum.

Petes utrum exercitia bellica, quæ fiunt in torneamentis et agitationibus taurorum aut aliarum bestiarum ferocium contra homines, sint licita? Torneamentum dicitur pugna hominis contra hominem etiam armis offensivis ad experimentum dexteritatis et virium.

Resp. negative; quia sæpe contingit in eis aliquem occidi [1], vel graviter lædi : unde ea jam prohibita in concilio Lateranensi S. Pius V severius prohibuit sub gravibus censuris. Quidam tamen existimant probabiliter ea licere, si talis adhibeatur cautela, ut certum sit moraliter nullius mortem aut gravem læsionem secuturam. Quantum ad censuras a Pio V latas, Clemens VIII eas sustulit quoad sæculares, positis duabus conditionibus : prima ut non fierent diebus festis; secunda ut provideretur quod nullius mors sequeretur.

§ II.

Expenduntur tres assignatæ conditiones ad bellum justum.

Legitima auctoritas.

Dico : Auctoritas requisita ad indicendum bellum offensivum [2], debet esse suprema, quæ nullam aliam in temporalibus superiorem agnoscat, qualem habent imperatores, reges, quidam duces, reipublicæ independentes, ut Veneta, Helvetica, etc.; 1° quia quicumque habet superiorem potest apud ipsum prosequi jus suum ; bellum autem moveri non potest, nisi quando non est alia via jus suum prosequendi. 2° Bellum offensivum est actus supremus justitiæ vindicativæ : ergo ad supremum principem pertinet.

Dices : Quamvis sit supremus in sua ditione, non est tamen supremus respectu alterius principis contra quem movet bellum : ergo non potest in illum exercere actum justitiæ vindicativæ quæ non exercetur nisi in subditum.

Resp. dist. ant. Non est supremus simpliciter et absolute respectu principis, etc. conc.; secundum quid et quoad hunc casum, neg.; quia hoc ipso quo inter principes qui non habent superiorem, unus offendit alterum, offendens fit offenso subditus, hoc sensu quod offensus possit offendentem punire juxta mensuram injuriæ.

Inferes : Ergo idem erit actor et judex; quod videtur contra jus naturæ.

Resp. esse quidem contra jus naturæ quod privatus sit actor et judex; quia illi competit alia via expeditior et certior componendi controversiam et jus suum prosequendi, scilicet recurrendo ad superiorem. At non est contra jus naturæ quod persona publica, quæ non habet superiorem, sit actor et judex, quia non suppetit illi alia via jus suum prosequendi.

Dixi 1° : Ad indicendum bellum offensivum; quia ad bellum defensivum, instante periculo, non requiritur auctoritas suprema ; sed principes, duces, comites, magistratus dependentes possunt jure naturæ illud indicere, cum cuique etiam privato liceat vim vi repellere. Intellige, durante periculo et necessitate ; his enim cessantibus, debent vindicandæ injuriæ judicium, potestatem et executionem a supremo principe vel republica independente petere et expectare.

Dixi 2° : Quæ nullum alium in temporalibus superiorem agnoscat; quia, licet principes christiani agnoscant auctoritatem summi pontificis sibi superiorem in spiritualibus, cum tamen non sit directe superior quoad temporalia, independenter ab illo possunt indicere bellum.

Petes utrum, si princeps supremus sit negligens in vindicanda injuria, possit princeps inferior aut respublica dependens bellum aggressivum indicere ad illam vindicandam?

Resp. negative per se loquendo ; quia princeps inferior aut respublica imperfecta se habet ad principem supremum, sicut privatus ad superiorem : atqui privatus non potest propria auctoritate jus sibi dicere et aperta vi alterum invadere, etiamsi superior negligat ei facere jus: ergo. Adde quod, ut jam dictum est, bellum offensivum indicere sit supremus actus justitiæ vindicativæ, qui non nisi supremo principi competit.

Dixi : Per se loquendo ; quia per accidens, si, ex impunitate, hostis audacior fieret et inde immineret novum damnum, videtur quod princeps inferior aut respublica dependens posset eum aggredi, quia tunc censeretur aliquo modo bellum defensivum.

[1] Ibidem ad 4. [2] Ibid. o.

Causa justa.

Dico : Generaliter loquendo, justa causa indicendi bellum offensivum est unica, nempe injuria gravis illata, et non reparata, aut alio modo non reparanda. 1° Quia bellum offensivum est ad vindictam et satisfactionem obtinendam, non est autem locus vindictæ, ubi non præcessit injuria, aut est reparata. 2° Princeps non est alteri principi subjectus, nisi fiat illi subjectus inferendo injuriam, pro qua non est satisfactum, nec satisfieri potest aliter quam per bellum ; ergo. 3° Princeps non habet tantam auctoritatem in extraneos quantam in subditos : atqui non potest animadvertere gladio in subditos, nisi propter injuriam : ergo.

Dixi 1°: Generaliter loquendo ; quia sub hac unica causa generali plures particulares continentur : communiter numerantur sequentes : prima, gravis injuria illata principi aut ejus legatis, 2 Reg. 10; secunda, recuperatio provinciæ aut civitatis, alteriusve gravis debiti ; tertia, auxilium delatum hosti injusto, 2 Reg. 8 ; quarta, si qui impediant ne nocentes juste puniantur, Judic. 10 ; quinta, violatio pacti gravis momenti; sexta, denegatio justi tributi; septima, auxilium præstandum confœderatis justum bellum gerentibus, aut innocentibus injuste vexatis; octava, hæresis aut idololatria propriorum subditorum ; nona, si infideles etiam non subditi impediant fidei prædicationem; decima, denegatio transitus innoxii, Num. 21, in quem locum S. Augustinus : «Notandum est, inquit, quemadmodum justa bella gerebantur ; innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat. » Audis transitum innoxium ; quia, si gravia damna ex armatis militibus transeuntibus fundate timeantur, ut sæpe contingit, potest denegari transitus, neque ista denegatio erit justa causa bellum indicendi.

Hinc inferes perniciosissime et damnabiliter errasse et errare, qui existimarunt aut existimant amplificationem imperii, gloriam et celebritatem nominis, et, ut vulgo dicitur, jus convenientiæ, esse justas causas indicendi bellum : « Hoc, inquit S. Aug., lib. 4 *de Civit.* c. 6, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est ? »

Dixi 2°: Injuria gravis; quia foret aperte contra rationem quærere reparationem levis injuriæ vel levis damni per tale medium, ex quo tot et tam ingentia mala utrique parti obveniunt : debet autem esse ita gravis ut præponderet malis ex bello secuturis ; debet enim princeps seu respublica postponere damnum suum minus majori damno totius reipublicæ ; sicut bonum privatum est postponendum bono communi. Observandum tamen est injuriam, quæ secundum se est levis, posse attentis circumstantiis esse gravem, ut si prævideatur quod non repressa sensim augenda sit in gravem, graviorem et gravissimam.

Dixi 3° : Non reparata aut alio modo non reparanda ; quia, si sit reparata, cessat ratio vindictæ, et si alio modo quam bello possit reparari, abstinendum est a bello ; quia, cum princeps offendens non sit subditus offenso, nisi ratione injuriæ vindicandæ, offensus non potest illam vindicare, quando potest aliter habere satisfactionem. Antequam ergo bellum declaretur, tentandæ sunt aliæ viæ satisfactionis, et si offendens offerat plenam satisfactionem, offensus tenetur ex justitia illam acceptare ; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit esse licitum.

Utrum vero id etiam sit verum post bellum inchoatum et quando aliqui jam ceciderunt ex parte ejus qui justum bellum gerit ?

Resp. affirmative in hypothesi quod satisfactio condigna offeratur, non solum pro injuria illata, sed etiam pro expensis belli, quia eadem est ratio. Equidem plures existimant hypothesim esse moraliter impossibilem, quia, inquiunt, ad condignam satisfactionem, omnes qui bellum justum gerenti se opposuerunt, consequenter totus exercitus, deberent tradi in mortem, in quod nunquam consentirent. At id verum est duntaxat de iis qui injuste se opposuerunt ; potest autem per accidens dari bellum justum ex utraque parte, ut dicemus modo ; et esto primores exercitus et etiam alii plures essent conscii injustitiæ belli, sunt etiam ordinarie plures qui penitus ignorant injustitiam belli et bona fide militant, qui ideo non deberent tradi in mortem. Cæterum non diffiteor satisfactionem condignam esse in hoc casu difficilem, et ubi non offerretur, non teneri offensum ex justitia acceptare oblatam ; plerumque tamen teneretur ex charitate, quia æquitas naturalis et lex charitatis postulat, ut supremus princeps aliquid de summo jure remittat.

Petes 1° utrum, si dubia sit justitia belli, bellum sit licitum?

Resp. 1° Si agatur de reparatione injuriæ, princeps, dubius de justitia belli, non potest bellum indicere, quia in dubio, præsertim tanti momenti, oportet eligere tutiorem par-

tem. Si agatur de possessione recuperanda, in dubio melior est conditio possidentis, et ideo contra illum non potest moveri bellum; si neuter possideat, licet bellum inferre contra illum qui non vult rem dividere pro rata dubii.

Resp. 2° Qui sunt subditi principi bellum gerenti, jussi possunt et debent inscribi militiæ, et inscripti bellare, etiamsi dubitent de justitia belli, formando tamen sibi judicium practicum quod sibi liceat obedire et bellare; quia 1° superior habet jus certum præcipiendi, neque ob dubium subditi exuitur suo jure: ergo subditus tenetur obedire; sunt enim correlativa jus præcipiendi et obligatio obediendi. 2° Ex denegatione obedientiæ, dum ejus causa manifesta assignari non potest, enervatur auctoritas in superioribus, deperit obedientia in inferioribus, totumque regimen subvertitur: ex his itaque principiis subditus potest formare judicium practicum, quod jussus possit licite bellare. Confer quæ scripsi dissert. 5 de Actibus Humanis, art. 2, sub finem.

Resp. 3° Qui non sunt subditi principi bellum gerenti, in dubio de justitia belli, non possunt militare; quia non militando nemini faciunt injuriam, cum non habeant necessitatem obediendi, sicut subditi de quibus in resp. præced.; militando autem exponuntur facere gravem injuriam alteri principi. Eadem omnino videtur ratio de subditis principi belligeranti, si non jussi, sed sua voluntate militent pro stipendio.

Attamen, quia causæ belli sæpe non sunt manifestæ et justitia belli etiam sæpe est obscura, etiam ipsis theologis et jurisperitis, ex hac responsione, aliunde secundum se vera, sequeretur quod omnes ferme milites essent culpandi; quis enim ex illis, sive sint subditi sive non, inquirit de causis et justitia belli? Plures graves auctores existimant, quod, si dubium eorum sit tantum negativum, quatenus non habent rationes pro aut contra, et propter principis et ejus consiliariorum probitatem et prudentiam, possint sibi persuadere quod bellum non moverent, nisi esset justum, licite militent.

Qui vero sunt parati bellare, sive bellum sit justum, sive injustum, sunt certo in statu damnationis, propter voluntatem bellandi etiam injuste.

Petes 2° utrum bellum possit esse justum ex utraque parte?

Resp. Bellum per se et ex natura rei non potest esse justum ex utraque parte; potest autem per accidens et ex ignorantia: seu, ut alii dicunt, non potest esse justum ex utraque parte materialiter, bene tamen formaliter; quia fieri non potest, secundum rei veritatem, quod in uno sit jus petendi satisfactionem aut restitutionem, quin sit obligatio in alio satisfaciendi vel restituendi; sunt enim correlativa jus et obligatio: ergo si resistat, injuste resistit, et e contra si juste resistit, alter injuste petit. At vero si unus ignoret jus alterius, non peccat resistendo, et sic per accidens, ratione ignorantiæ, bellum est justum ex utraque parte.

Recta intentio.

Dico: Non debet bellum geri nisi ex intentione justitiæ et boni communis: unde S. Aug., epist. 205: « Bellum geritur, inquit, ut pax acquiratur »; et lib. 22 contra Faustum, cap. 74: « Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus et implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia: hæc sunt quæ in bellis jure culpantur. »

Hæc est autem differentia inter hanc conditionem et duas præcedentes, quod, si desint præcedentes, scilicet vel auctoritas, vel justa causa, sit obligatio restituendi; secus, si adsint, et hæc tertia desit. Sicut si judex legitimus sententiam justam, sed ex odio ferat in aliquem, peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem.

Observandum est tamen quod qui pugnant sine legitima auctoritate, non teneantur ad restitutionem, quatenus res suas injuste ablatas recuperant, sed quatenus damna inferunt. Unde privati milites peccant et ad restitutionem tenentur, si sine consensu expresso, vel saltem præsumpto ducis, occidant, incendant, prædas agant, etc., tunc enim bellum gerunt sine legitima auctoritate.

§ III.

Quid et quantum liceat in bello justo? Quæ sint obligationes et peccata bellantium?

Dico 1°: In bello justo nunquam licet per se et ex intentione occidere innocentes, nisi facta sit a Deo specialis auctoritas; licet tamen per accidens et præter intentionem.

Prob. prima pars: 1° ex illo generali Dei mandato, Exod. 23: *Insontem et justum non occides.* 2° Innocens non potest occidi in bello

justo nisi propter culpam reipublicæ : atqui id non licet : ergo. Prob. min. Respublica non potest puniri ab hoste nisi in bonis quorum habet dominium : atqui respublica non habet dominium in vitam innocentium, sed solus Deus, qui reipublicæ non concessit jus gladii nisi adversus eos qui male agunt : ergo.

Innocentium autem nomine veniunt infantes, impuberes bello inepti, fœminæ, rustici, plebeii, mercatores nihil ad bellum conferentes, peregrini, extranei : item expresse ex jure positivo clerici et religiosi, cap. *Innovamus* de pace : hi omnes, inquam, juris præsumptione censentur innocentes, donec contrarium de illis probetur.

Prob. secunda pars : 1° Si neque per accidens et præter intentionem liceret in bello justo occidere innocentes, impossibile foret bellum perficere; non posset, v. g., expugnari civitas aut turris everti, in qua includerentur innocentes, non possent impeti hostes, qui innocentes in fronte prælii constituerent, quod nunquam omitterent, sicque justitia bellantium frustraretur. 2° Quando unius actus sunt duo effectus æque immediati [1], unus bonus, alter malus, potest, subsistente justa ratione, intendi bonus effectus et malus permitti : atqui eversio turris aut explosio tormentorum bellicorum in hostes, est immediate defensiva patriæ et occisiva innocentium : ergo primus effectus potest intendi propter bonum commune et alter permitti. Hoc principium Auctoris latius deductum et explicatum habes diss. 10 de Justitia, a. 5, § 1.

Dico 2° : Innocentes qui sunt pars reipublicæ hostilis possunt bonis spoliari, in quantum requirit necessitas, vel victoriæ, vel pacis, vel satisfactionis; quia respublica hostilis potest puniri in iis omnibus quæ subsunt ejus dominio generali; habet autem respublica dominium generale in bona civium, in quantum exigit bonum commune : ergo. Et hæc est consuetudo jure gentium introducta.

Dixi : 1° Innocentes qui sunt pars reipublicæ hostilis : unde 1° hospites et extranei non possunt suis bonis spoliari, cum respublica hostilis non habeat in ea dominium. Excipe nisi sint in culpa, aut hostibus faveant; sic possunt spoliari annonis, armis, etc., quæ deferunt ad hostes. 2° Spoliari non possunt ecclesiastici, ecclesiæ et monasteria; quia non sunt vere pars populi hostilis, nisi forte hostes eis utantur ut propugnaculis.

Dixi 2° : In quantum necessitas, vel victoriæ, vel pacis, vel justæ satifactionis exigit; quia hi sunt fines belli justi, quibus cessantibus, cessare debet bellum, nisi jure gentium aliter sit dispositum, ut mox dicam.

Dico 3° : Mobilia, in bello justo capta, jure gentium sunt occupantis, etiamsi excedant justam compensationem. Ita colligitur ex jure, lib. 2 *Instit.* tit. 1, § 17, ubi dicitur : « Ea quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt, adeo quidem ut et liberi homines in servitutem nostram deducantur. » Et ff. lib. 49, tit. 15, de captivis, leg. 28 : « Si quid bello captum est, in præda est, non postliminio redit. » Quæ leges, cum sint sine ulla restrictione, intelliguntur a juris interpretibus etiam de bonis excedentibus justam compensationem : alioquin, attento solo jure naturæ, id illicitum foret, ut dictum est conclusione præced.

Quidam arbitrantur quod etiam bona injuste ablata quæ reperiuntur apud hostes, post pacificam possessionem unius noctis vel viginti quatuor horarum circiter, sint capientis, attento nimirum non jure naturæ, sed gentium consuetudine ex illo jure introducta. Idque existimant potuisse concedi a republica, ut milites sint ardentiores in bello, et obvietur innumeris litibus inter priores dominos et capientes.

Quantum ad servitutem de qua lex citata, observandum est esse usu receptum inter eos qui Christi nomen profitentur, etiamsi sint hæretici, quod bello capti non fiant servi.

Dico 4° : Bona immobilia in bello justo capta sunt principis supremi, in quantum necessarium est ad justam compensationem et pacem atque securitatem stabiliendam : idque tam jure naturæ quam jure gentium et usu recepto.

Dico 5° : Obtenta victoria, stricto jure possunt occidi omnes nocentes in pœnam peccati. Dicuntur autem nocentes, non quia fortiter restiterunt, in hoc enim sunt potius laudabiles, sed quia restiterunt conscii de injustitia belli, vel propter aliquod aliud crimen quod in bellantes aut eorum principem admiserunt. Attamen attentis circumstantiis, interdum ex charitate multitudini est parcendum, ut jam diximus.

Quantum ad obsides, non licet eos occidere, si sint innocentes, quia juri naturæ repugnat occidere innocentes, ut dictum est. Neque obstat quod in mortem suam consenserint, si pactum initum frangeretur, cum enim non sint propriæ vitæ domini, nullus fuit eorum

[1] Hic q. 61, a. 7, o.

consensus ; neque tamen ideo dicendi sunt nocentes, quia censentur consensisse quantum poterant.

Dico 6° : Principes supremi et duces exercitus 1° tenentur ex officio curare, in quantum possunt, disciplinam militarem observari, et coercere milites a rapinis, furtis, incensionibus, stupris, etc., alioquin peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem horum damnorum. 2° Peccant mortaliter si non provideant justa stipendia militibus, et tenentur restituere damna quæ milites defectu stipendii inferunt.

Dico 7° : Duces subordinati peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem, 1° si, nulla cogente necessitate, milites exponant temere certæ internecioni ; 2° si partem stipendii vel pecuniarum pro militibus concessarum retineant ; 3° si minorem numerum militum habeant et pro majori stipendia recipiunt, quales sunt qui, dum lustrantur copiæ, non milites sub habitu militari præsentant, vulgo *passevolants*, vel eumdem bis aut ter præsentant ; quo etiam peccato implicantur ipsi lustratores seu commissarii, qui id scienter admittunt. Neque tantum de furto stipendii tenentur, sed de damno quod provenire potest reipublicæ ob insufficientem militum numerum. Excipe tamen, nisi id fiat ex consensu expresso vel tacito principis ; audio enim id quandoque permitti in sublevamen et indemnitatem centurionum. Quod an ita sit, quando et quomodo, ipsi viderint. 4° Peccant et tenentur ad restitutionem, qui, dum ducunt copias per provinciam, ob accepta munera a certis pagis vel civibus, alios sive pagos, sive cives numero militum aggravant ; non enim possunt duces in itinere accipere nisi victualia prout fert consuetudo, et in hoc vel illo loco pro ratione itineris præscripti, aut si non sit præscriptum, ex æquo et bono a se dispositi : uno verbo, non licet ipsis, solo munerum oblatorum intuitu, unum sive locum, sive civem præ alio gravare.

Dico 8° : Milites gregarii 1° debent esse contenti suis stipendiis, juxta præceptum S. Præcursoris, Luc. 3. Unde peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem, si in terris non hostilibus præter tectum, lectum, paleas, etc., ut fert consuetudo, pecunias extorqueant, spolient, rapiant, aliterve damnificent. Neque eos excusat ducum auctoritas aut dissimulatio, nisi, forte deficiente aut diminuto stipendio, sumerent præcise necessaria urgenti necessitati. 2° Tenentur, etiam cum certo vitæ periculo, non deserere stationem, aut arcem, nisi plane desperata victoria.

§ IV.

Utrum clericis sit licitum bellare?

Dico : Omnibus clericis jure ecclesiastico prohibitum est [1] propria manu bellare extra casum urgentis necessitatis.

Prob. ex jure : Cap. *Quicumque*, causa 23, q. 8, dicitur : « Quicumque ex clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus et religioso habitu præbeant. » Idem ib. cap. *Quicumque clericus*, et cap. *Clerici* et alibi.

Huic prohibitioni fundamentum præbet ratio [2] : bellica enim exercitia repugnant officiis clericorum propter duo : 1° generali ratione, quia maximam inquietudinem habent : unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum, laudibus divinis, et oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum ; et ideo, sicut negotiationes, eo quod nimis implicent animum, interdicuntur clericis, ita et bellica exercitia. 2° Ratione speciali, quia omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur passio Christi, et ideo non competit eis occidere vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem, ut imitentur opere quod gerunt mysterio : ergo.

Dixi 1° : Omnibus clericis : intellige clericos sacris ordinibus initiatos, aut etiam tonsura vel minoribus, si beneficium habeant, non vero si sint simpliciter tonsurati aut minoristæ ; quia vel jura de illis non loquuntur, vel sunt contraria consuetudine abrogata.

Dixi 2° : Jure ecclesiastico, quia neque jure divino positivo, neque naturali id ipsis prohibitum est. Non jure divino positivo, quia nullibi extat. Imo legimus l. 1 Machab. cap. 10, 11, 12, Jonathan et Simonem fratres Judæ sacerdotes bellum gessisse. Neque obstat quod Christus, Matth. 26, dixerit Petro : *Converte gladium tuum in vaginam ;* hoc enim dixit Petro, non ut clerico aut sacerdoti, sed ut privatæ personæ, volens ostendere non esse licitum privata auctoritate ulcisci injurias. Quia tamen id magis indecens est in clericis quam in aliis, S. Th. hic in a. s. c. et quidam alii Patres hæc verba Christi specialiter aptant clericis.

Non jure naturæ ; tum quia, ut dictum est, sacerdotes in antiqua lege bellarunt ; tum

[1] Hic q. 40, a. 2, o. [2] Ibid.

quia, licet militia sit disconveniens clerico propter inquietudinem annexam, ista tamen disconvenientia non est tanta ut ipsum reddat suo officio ineptum et sit cum illo incompossibilis : unde militia habet fundamentum in natura ut prohibeatur, at, seclusa Ecclesiæ prohibitione, non foret absolute prohibita. Paritas est in negotiatione, venatione et matrimonio, quæ, licet indecentiam et incongruitatem afferant statui clericali, et inde præbeant Ecclesiæ motiva ut prohibeantur, non forent tamen absolute prohibita, nisi accederet prohibitio Ecclesiæ.

Quod vero Apost. 2 Timoth. 2, ipsi dicat : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit :* sensus est, non quod militia prohibeatur clericis jure naturali vel divino, sed quod, sicut bonus miles non est sollicitus de comparando sibi victu per negotiationem, aut laborem manuum, sed totus est ut placeat duci : ita facere debet quicumque militat Deo in ministerio spirituali.

Si quidam SS. Patres videantur dicere militiam ex se esse clericis prohibitam, intelligendi sunt naturam magnum præbere fundamentum ut prohibeatur ab Ecclesia, ut explicuimus; et hoc sensu intelligendus est Auctor, dum, propter rationes conclusionis, dicit bellica exercitia maxime repugnare officiis clericorum, siquidem ad tertium dicat in terminis : « Non interdicitur clericis bellare, quia peccatum sit, sed quia tale exercitium eorum personæ non congruit. » Hinc inferes clericos posse bellare cum licentia papæ.

Dixi 3° : Manu propria bellare ; quia inprimis clerici qui habent jurisdictionem temporalem sufficientem, possunt bellum indicere, exercitum conscribere, duces belli præficere, etc., cap. *Episcopus*, tit. Ne clerici et monachi, in 6. Item [1] clerici quicumque possunt bello interesse, ut pugnantibus adsint spirituali auxilio et consilio, imo possunt hortari milites ad fortiter pugnandum pro patria, justitia, religione, non tamen dicere : Occide, macta.

Dixi 4° : Extra casum urgentis necessitatis; quia, in casu necessitatis, ipsum jus naturale permittit clericis sicut aliis propria manu pugnare, ut si necessarium sit ad propriam vel proximi innocentis, præsertim patriæ, civitatis, aut religionis defensionem contra injustos invasores. Item si, aliis militibus deficientibus, necessarium esset clericos pugnare ad consequendam insignem victoriam, ex qua salus Ecclesiæ vel reipublicæ multum dependet.

[1] Ibid ad 2.

Quantum ad irregularitatem quam incurrunt bellantes, require dissert. 10 de Justitia, a. 10, § 1, tit. *Circa Advocatos et alios*, etc.

§ V.

Cæteræ difficultates spectantes bellum succincte discutiuntur.

Petes 1° utrum liceat uti insidiis in bello?

Resp. affirmative, modo id fiat absque mendacio et violatione promissi [1]. Patet ex cap. 8 Josue, ubi Israelitæ instruuntur uti insidiis adversus civitatem Haï : unde S. Aug. q. 10 super Josue scribit : Cum justum bellum quis susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, ad justitiæ causam non facit. » Ratio est quia non semper tenemur veritatem aut consilia nostra aliis, præsertim hostibus, aperire : atqui uti insidiis nihil est aliud quam occultare veritatem aut consilium, nullatenus mentiri : ergo.

Unde licitum est uti vestibus et vexillis hostium, simulare fugam, aggredi unam partem, dum fingitur aggressio alterius, etc., non ex intentione significandi exterius quod revera non est (hoc enim foret mendacium, licet officiosum tantum, supposita justitia belli), sed ex intentione occultandi quod in mente et consilio habetur.

Petes 2° utrum sit licitum bellare diebus festis?

Resp. esse licitum, quando id est necessarium ad reipublicæ salutem [2]. Constat 1° exemplo Machabæorum de quibus 1 Machab. 2 dicitur : *Cogitaverunt laudabiliter Judæi dicentes : Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello in die sabbatorum, pugnemus adversus eum.*

Ratio est quia observatio festorum non impedit ea quæ ordinantur ad hominis salutem etiam corporalem [3] : unde Dominus arguit Judæos dicens, Joan. 7 : *Mihi indignamini quia totum hominem feci in sabbato :* ergo a fortiori non impedit ea quæ sunt necessaria ad salutem reipublicæ.

Porro non solum debet censeri necessitas in bello defensivo, seu quando irruit hostis, sed etiam in bello offensivo, quando occurrit occasio transiens cædendi hostem et reportandi victoriam, qua respublica et ab hoste et ab onere belli liberetur.

Extra vero casum necessitatis pugnare diebus festis, quamvis id, saltem nunc, non re-

[1] Ib. a. 3. [2] Ib. a. 4. [3] Ibidem.

putetur opus servile, fiunt enim communiter exercitia bellica diebus dominicis et festis, idque æque convenit dominis ac servis [1], resolvit tamen Auctor quod hoc non sit licitum, quia bellum maximam habet inquietudinem, quæ contrariatur intentioni Ecclesiæ et fini præcepti : unde communius auctores reputant peccatum veniale.

Petes 3° utrum princeps catholicus possit vocare in auxilium infideles aut hæreticos, vel eos juvare?

Resp. Quamvis id non possit absolute damnari, siquidem Machabæi inierunt fœdus cum Romanis ut eos adjuvarent, aut ab eis juvarentur, 1 Machab. 8, et Jonathas, cap. 11, misit regi Demetrio in auxilium tria millia Israelitarum. Item legimus in Martyrologio, 22 Septembris, legionem Thebæorum militasse pro imperatore infideli; attamen, nisi urgens necessitas excuset, id est illicitum propter gravissima inconvenientia et mala quæ inde sequuntur in republica christiana; infideles namque et hæretici fidem ac religionem contemptui et ludibrio habent, sacris sive rebus sive locis sive personis nullum honorem deferunt, quin potius contumeliam et profanationem inferunt, erroribus suis simul cohabitantes imbuunt, eosque verbis et exemplis pervertunt, etc.

Petes 4° utrum pacta pacis inita metu belli injusti sint servanda?

Resp. affirmative, quia alioquin nunquam esset finis bellorum; cum enim regulariter bellantes, sicut litigantes, existiment jus pro se stare, nullus est qui, resumptis viribus, bellum non instauret, et sic semper usque ad extinctionem gentis; et tamen necesse est dari medium pacis. Neque tamen propter hujusmodi pacta excusantur a restitutione coram Deo, qui in bello injusto damna intulerunt; ad hoc enim tantum hæc pacta servanda sunt, ut bonum commune via pacis salvetur, non ut injuste ablata non restituantur.

De pactis initis ex errore, fraude aut dolo, vide dissert. 1 de Contractibus, art 3 et 4. Item observandum quod, si ipse hostis pactum frangat, nulla sit obligatio pacti servandi, quia non ineuntur pacta, nisi sub hac tacita conditione quod utrinque servetur promissum : unde commune proverbium : Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Petes 5° utrum repræsaliæ sint licitæ?

Repræsaliæ dicuntur quando princeps vel respublica subditis aut militibus suis, damnum injustum passis, facit potestatem invadendi terram eorum qui damnum intulerunt, et occupandi bona incolarum etiam innocentium, donec damnum sit juste compensatum. Nunc ad petitionem

Resp. quod, cum repræsaliæ sint quædam species belli, de eis eodem modo loquendum est ac de bello, esse scilicet secundum se licitas, si satisfactio aliter haberi non possit, non tamen facile concedendas, cum sint periculosæ et occasionem præbeant rapinis et multis aliis malis. Jure autem canonico, cap. unico de Injuriis in 6, prohibetur sub pœna excommunicationis concedere aut agere repræsalias contra personas ecclesiasticas vel eorum bona.

[1] Ibid.

ARTICULUS IV.

DE RIXA ET SEDITIONE.

Sicut contentio importat contradictionem in verbis [1], ita rixa importat contradictionem in factis, estque bellum quoddam privatum in quo rixantes ex ira se percutere nituntur.

In eo qui alterum injuste invadit est ex genere peccatum mortale [2]; inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali est ex se peccatum mortale. In eo autem qui se defendit potest esse sine peccato, quandoque cum peccato veniali et quandoque cum peccato mortali, secundum diversum motum animi ejus et diversum modum se defendendi. Nam, si solo animo repellendi injuriam illatam et cum debita moderatione se defendat, non est peccatum nec proprie dicitur rixa ex parte ejus. Si vero cum animo vindictæ aut odii, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper peccatum; sed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii vel vindictæ se immiscet, vel cum non multum excedit moderatam defensionem; mortale autem quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum vel eum graviter lædendum.

Seditio est tumultus partium ejusdem multitudinis ad pugnam se parantium [3]. Est speciale peccatum, quia habet speciale bonum cui opponitur, scilicet unitatem et pacem civilem multitudinis. Distinguitur etiam a bello et rixa in duobus : 1° quia bellum et rixa important mutuam impugnationem in actu, seditio autem dicitur, sive impugnatio sit actu, sive tantum sit præparatio ad illam; 2° quia bellum proprie est contra hostes extraneos, rixa est

[1] Hic q. 41, a. 1, o. [2] Ibid. [3] Hic q. 42, a. 1, o.

unius contra unum, vel paucorum contra paucos; seditio autem est inter unius multitudinis, unius civitatis vel provinciæ incolas inter se dissentientes.

Est ex genere peccatum mortale [1], quia opponitur bono communi, scilicet paci et unitati multitudinis. Primo et principaliter pertinet ad eos qui seditionem procurant, et hi gravissime peccant; secundo ad eos qui illos sequuntur, perturbantes bonum commune : illi vero qui bonum commune defendunt eis resistentes, non sunt dicendi seditiosi, sicut nec illi qui se defendunt dicuntur rixosi, ut dictum est.

ARTICULUS V.

DE DUELLO.

§ I.

Quid sit duellum?

Duellum, græce μονομαχια, est pugna unius contra unum, et sic late sumptum est rixa duorum inter se; prout autem accipitur in jure et in ordine ad censuras ecclesiasticas, definitur communiter : Periculosa duorum pugna ex composito seu condicto inita, cum designatione temporis et loci. Et quia materia censurarum est odiosa, et ideo restringenda, omnes hujus definitionis partes sunt stricte accipiendæ. Itaque

Dicitur 1° : Pugna duorum; quia, si plures promiscue contra plures pugnent, erit simpliciter rixa, non duellum, nisi singuli determinati contra singulos determinatos pugnent, ut fit in duello solemni. Duplex namque distinguitur duellum: unum solemne seu publicum, quando adhibentur quædam cæremoniæ, ut electio patrinorum, seu, ut vocant, secundantium, assumptio testium, litteræ provocatoriæ, seu libelli citatorii vulgo *cartel*, etc. Aliud simplex, quando non adhibentur istæ cæremoniæ.

Dicitur 2° : Periculosa pugna; quia pugnæ quæ fiunt sine periculo occisionis, aut gravis læsionis, ut pugnis, levi baculo, avulsione crinium, etc., quamvis quandoque sint gravia peccata, non tamen sunt proprie duella.

Dicitur 3° : Ex composito seu condicto: ita exprimunt Gregorius XIII, constit. *Ad tollendum*, data anno 1582, et Clemens VIII, in constit. *Illius vices*, data anno 1592, id est, ex conventione prius facta pugnandi determinato loco et tempore : unde qui sibi ex improviso occurrentes pugnant, aut si unus alterum quæsierit, vel minatus fuerit, non est duellum defectu condicti; similiter si, e duobus rixantibus, unus vel uterque currunt ad domum et cum armis redeunt et pugnant; item si in impetu iræ dicant : Hic pugnemus, et pugnent, non est proprie duellum, defectu condicti.

Dicitur 4° : Cum designatione temporis et loci : ita requirunt Gregorius XIII et Clemens VIII in laudatis constitutionibus; ita ut, si designatio, vel loci determinati, vel temporis determinati desit, non sit proprie duellum censuris obnoxium.

Hinc si qui, rixantes in loco non apto ad pugnam, dicant : Exeamus hinc, vel : Exi, vel : Veni foras, et statim eodem impetu iræ pugnent, non est duellum, quia non est determinatio loci; equidem excluditur unus locus, sed non determinatur in quo sit pugnandum. Aliud videtur si convenerint pugnare statim ac fuerint extra locum, vel domum, vel ecclesiam, vel civitatem, vel cum pervenerint ad talem locum, quia tunc videtur determinatio loci et temporis. Similiter si unus diceret : Mane hic, quæro arma; vel : Quære arma, te hic expectabo; videtur enim ibi adesse condictum et designatio loci et temporis, scilicet cum redierit. Non est autem duellum, si quis dicat : Tecum pugnabo hoc anno, vel quando bellum erit absolutum, vel quando tibi occurram sine teste, vel ubicumque te reperero extra civitatem, quia ista designatio temporis et loci est vaga, et non satis determinata; secus si diceret : Post prandium, quando sacrum erit absolutum, et determinaretur locus.

Cæterum circa casus in quibus est vel non est duellum ratione condicti et designationis temporis aut loci, non parum variant auctores. Quod nobis probabilius visum est cum pluribus, proposuimus; ex quibus alii casus resolvi possunt. Id unum observandum est, ut jam monui, quod, cum sit materia odiosa propter censuras annexas, sit stricte intelligenda, et potius restringenda quam extendenda. Quantum enim ad rationem peccati, sive sit ex condicto, et cum designatione temporis et loci, sive non, semper est grave peccatum pugnare illicite cum armis.

§ II.

Utrum duellum sit licitum?

Dico 1° : Duellum privata auctoritate non est licitum : 1° quia omnis vindicta pri-

[1] Ibid. a. 2, o.

vata est illicita; 2° quia præcepto *Non occides* non solum prohibetur occisio, sed etiam periculum proximum occidendi, ut in aliis præceptis; 3° quia tam Ecclesia quam principes christiani duellum sub gravissimis pœnis prohibent : « Detestabilis duellorum usus, inquit Trid., sess. 25 de Reformat. cap. 19, fabricante diabolo introductus, ut, cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur. » Deinde gravissimas pœnas decernit contra duellantes, et quovis modo duello cooperantes, quas Gregorius XIII et Clemens VIII bullis citatis confirmarunt, innovarunt et extenderunt ad duella privata, quia quibusdam videbatur, quod concilium Trid., quia meminit patrinorum, locutum fuerat tantum de duellis solemnibus.

Dices 1° : Si vir nobilis vel militaris non acceptet duellum, aut non offerat in certis casibus, erit absque honore, habebitur ignavus et infamis, erit aliis contemptui et ludibrio, tenebiturque officio cedere cum suo et familiæ dedecore, et forte necessitate : ergo ipsi licitum erit duellum.

Resp. 1° dato ant. neg. conseq. Quia ad defensionem honoris aut bonorum fortunæ non est licitum occidere injustum invasorem, ut probavimus dissert. 10 de Justitia, a. 6, § 1 et 3. Unde, sicut si non posset salvare honorem aut fortunam nisi pejerando, non ideo id ipsi liceret, ita nec duellum, quod in casu est intrinsece malum, sicut perjurium.

2° Neg. ant. 1° quia verus honor consistit in virtute et in æstimatione proborum et sapientum, non mundanorum : nemo autem probus et sapiens est, qui non multum laudet recusantem duellum, ne Deum offendat, quod ita verum est, ut ii ipsi qui maxime vituperant recusantes duellum, si duellans coram ipsis in judicio militari sisteret, condemnarent eum tanquam infamem. Obmutescant ergo injusti contemptores, aut videant quomodo possunt secum conciliari in tam aperta contradictione; sufficit itaque si provocatus provocanti respondeat : Nolo duellum acceptare, quia nolo Deum et principem offendere, sed ubicumque me aggressus fueris, probabis me non ignavum; et sic maneat honor in tuto. 2° Duellum non est medium aptum ad conservandum vel recuperandum honorem; si enim qui injuriam passus est vincat, ideone probabitur innocens et injuste offensus? et si succumbat, probabiturne nocens et juste offensus? Minime, cum sæpe innocentes occumbant, et nocentes vincant; ita ut in duello quasi jaciatur alea, an nocens vel innocens debeat occidi; quo nihil iniquius excogitari potest. Unde merito Alexander VII damnavit hanc propositionem : « Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. » Est secunda inter damnatas.

Dices 2° : Potest contingere quod provocans minetur mortem hic et nunc inferendam provocato, si non acceptet duellum : ergo potest tunc acceptare ut salvet vitam; est enim justa defensio.

Resp. neg. conseq. Quia est alia via vitam defendendi, nimirum si provocans recusantem aggrediatur, et exerat gladium, provocatus similiter exerat et se defendat, etiamsi cum internecione aggredientis.

At quid, si provocans proponat duellum, non hic et nunc, sed postea exequendum sub minitatione mortis hic et nunc inferendæ provocato, si non acceptet, nec habeat provocatus arma quo se hic et nunc defendat?

Resp., salvo meliori judicio, quod in hoc casu provocatus possit acceptare, in quantum potest, duellum, quia est unica via ad salvandam vitam, et hæc acceptatio habet rationem justæ et necessariæ defensionis. Sed, transacto periculo, nec potest, nec debet huic acceptationi metu injuste incusso extortæ, ideoque invalidæ, stare, sed alia via minis provocantis occurrere.

Multi excipiunt a conclusione casum quo quis, falso accusatus, certo prævidet se injuste occidendum, nisi duello se defendat : quia, inquiunt, hoc est subire minus mortis periculum, ut certam mortem evadat, ideoque est magis justa defensio contra invadentem quam duellum, non differt enim si injustus accusator me velit occidere gladio proprio vel alieno.

Verum, quamvis speculative loquendo id sit probabile, in praxi tamen vix patet locus huic casui : 1° enim necesse est, ut nulla alia via supersit evadendi mortem a judice inferendam, quod est rarissimum. 2° Evadendo mortem ex hac parte, non debet ex altera incurrere æquale periculum mortis, quod tamen contingit, siquidem duellans secundum leges sit morte puniendus. 3° Acceptando aut offerendo duellum purgabitne se apud judicem in iis in quibus est accusatus? E contra magis gravabitur propter duellum, ut jam dicebam.

Dico 2° : Duellum auctoritate publica est raro licitum.

Prob. Imprimis certum est non esse licitum

spectaculi aut ostentationis virium causa; quia princeps non habet jus in vitam subditorum, nisi malefactorum. Imo nec ipsi liceret duos malefactores morti adjudicatos cogere ad duellum, ut qui vincit patibulum evadat, propter periculum animæ ex affectu vindictæ qui posset irrepere; videtur tamen quod isti damnati possint pugnare, ut executores justæ sententiæ.

2° Certum est duellum esse illicitum ad detegendum crimen vel innocentiam, ut olim frequentabatur, quia in duello æque potest cadere innocens ac nocens : unde veritatis manifestatio expectaretur vel a diabolo, et esset superstitio, vel a Deo, et esset tentatio Dei.

3° Non est licitum duellum ad finiendam litem vel controversiam inter privatos; quia vel instituitur duellum, ut per ejus eventum dignoscatur qua parte esset justitia; et sic redit argumentum præcedens ; vel instituitur tantum ad hoc, ut, facto duello, partes a lite cessent, et tunc insanum et diabolicum est velle incurrere periculum vitæ, ut desistant a lite, a qua possunt propria voluntate et tuta vita desistere, aut quæ potest auctoritate supremi principis vel sorte non periculosa terminari.

4° Per se loquendo non est licitum duellum ad finiendam controversiam, seu ad evitandum aut terminandum bellum inter supremos principes, quia duellum, neque a Deo, neque a natura est medium ordinatum et proportionatum ad propulsandam injuriam, vel ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata, quæ sunt duæ bellorum et controversiarum causæ inter supremos principes : ergo. Prob. ant. Is, cujus respublica habet jus, potest æque vinci ac alter; vel enim est par utriusque pugnandi facultas, vel si unus sit exercitatior, plurima solent in hoc singulari certamine accidere, ob quæ sæpe fortior et exercitatior succumbit; adeoque justitia et bonum commune reipublicæ, sive in propulsanda injuria, sive in obtinenda satisfactione, quod communibus totius communitatis viribus propugnari debet, exponitur aleæ duelli : ergo.

Neque dicas pariter bonum commune exponi aleæ belli; non enim potest princeps supremus inire bellum sive defensivum, sive offensivum, nisi major spes affulgeat vincendi, sive vi, sive insidiis, sive ope confœderatorum, aut si vincatur, restaurandi et augendi vires; hostis enim in hostem se habet ut agens in passum; agens autem non agit nisi sit fortius passo.

Cum ergo opponitur melius esse terminare bellum morte unius quam multorum, respondetur id verum esse quando occisio unius est medium ordinatum et proportionatum ad utiliter pro republica terminandum bellum, quod negamus de duello, nisi per accidens in casibus infra referendis; et ideo dixi : Per se loquendo id esse illicitum.

Quantum ad David qui duello pugnavit contra Goliath, communiter respondetur id fecisse ex instinctu divino, quod probavit eventus, siquidem, occiso uno Goliath, hostis fugam arripuit. Aliunde in casu Davidis licitum esse duellum probabile est, ut patebit in tertio casu sequenti.

Dixi in conclusione raro duellum esse licitum auctoritate publica; quia a pluribus assignantur quidam casus in quibus esse videtur licitum auctoritate publica. Primus est si is qui juste bellum gerit se viribus inferiorem hosti sentiat, et esse aut confligendum et succumbendum aut duellandum, potest et acceptare et offerre duellum, quia bonum commune eo meliori modo quo potest defendit et minus periculum eligit. Idem propter eamdem rationem videtur dicendum, si sit dubius de victoria, nec sit spes restaurandi exercitum casu quo profligetur.

Secundus casus : Si duces, attentis belli incommodis, bonorum detrimentis, multorum necibus, etc. utilius reputent reipublicæ controversiam duello quam bello dirimere; tunc enim reputatur a pluribus duellum licitum ex parte ejus qui bellum justum gerit, modo tamen inde non fiat victoria magis dubia quam in bello.

Tertius casus est si ex hoc quod duellum ab hoste oblatum non acceptetur, fiat hostis audacior et potentior, alter dejectus et timidior, tunc etiam posse acceptari multorum est opinio. Et videtur in pari casu David pugnasse contra Goliath.

§ III.

Quæ sint pœnæ duellantium?

Pœnæ duellantium sunt excommunicatio latæ sententiæ summo pontifici reservata extra mortis articulum, suspensio, interdictum in iis locis in quibus scientibus et permittentibus locorum dominis duella fiunt, inhabilitas ad beneficia ecclesiastica, privatio sepulturæ ecclesiasticæ, etiamsi duellans moriatur extra locum conflictus ex vulnere ibi-

dem accepto. Ita novissima constitutio Benedicti XIV, data anno 1752, perpetua infamia et aliæ pœnæ corporales quæ non sunt nostri fori. Ita concilium Trid., sess. 25, de Reformat., cap. 19, Gregorius XIII et Clemens VIII, constitutionibus citatis. Itaque

Excommunicationem, quæ est præcipua pœna, incurrunt : 1° principes, magistratus, duces militiæ, etc. præcipientes, aut permittentes, aut tolerantes duellum, vel duellantibus locum concedentes; 2° pugnantes in duello; 3° quovis modo cooperantes ad duellum, scilicet « qui aliis ad singulare certamen publice vel occulte ineundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quæ manifesta, quæque cartulæ provocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam vel favorem præstiterint, sive id suaserint aut mandaverint, quive in præmissis vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint ; etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus aut actus ad pugnam proximus, neque expressa et aperta provocatio subsecuta fuerit: » ita in terminis Clemens VIII, bulla citata, § 6; 4° spectatores ex industria, ut dicit idem Clemens VIII, ita ut sua præsentia incitent ad pugnam, etiamsi, juxta Gregorium XIII, non secuta sit pugna, modo pugnaturi ad locum destinatum accesserint : unde non incurrunt excommunicationem qui transeundo spectant, aut qui ex industria quidem spectant, sed e loco in quo videri non possunt, neque si comitentur ad impediendum duellum.

Petes 1° utrum provocantes principales et pro se, pugna non secuta, incurrant excommunicationem ?

Resp. rem videri dubiam. Inprimis Gregorius XIII, postquam excommunicavit eos qui « monomachiam commiserint », dominos permittentes, cooperantes, spectatores et socios, addit in fine § : « Etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint. » Sed dubium est utrum hæc ultima clausula afficiat provocantes principales, et videtur pluribus quod non, quia pontifex de illis mentionem non facit, nisi quatenus «monomachiam commiserint» ; provocare autem non est monomachiam committere. Insuper, juxta bullam, requiritur quod saltem duellaturi ad locum certaminis accessissent. Clemens VIII, sub finem § 6, ubi excommunicat instigantes et cooperantes duello, apponit quidem hanc clausulam « etiam pugna non secuta », sed § 7, loquens de iis qui « duellum ex composito ineunt», consequenter de provocantibus principalibus, hanc clausulam non repetit. Quando autem pœna infligitur propter delictum, delicto non consummato, non infligitur, nisi exprimatur in lege; sic qui imperat homicidium irregularis est, si sequatur homicidium, secus si non sequatur. Et hæc est opinio plurium non omnino improbabilis.

Alii volunt quod in bulla Clementina sufficienter exprimantur provocantes principales, etiam non secuta pugna, quia § 5 excommunicat eum qui « ex condicto ad singulare certamen descendit aut alium provocat », ubi distinguit descendentem ad certamen seu certantem a provocante. Neque dici potest, ut alii volunt, pontificem loqui de provocante in actuali pugna; quid enim necesse erat excommunicare specialiter provocantem in actuali pugna, cum hoc ipso quo pugnat, etiam non provocando, sit excommunicatus? Addunt hanc clusulam § 6 : « etiam pugna non secuta » subintelligendam esse in § sequenti, ubi agitur de iis qui ex composito duellum ineunt, consequenter de provocantibus principalibus et acceptantibus, quia mirum et absurdum foret mere instigantes aut consulentes duellum esse excommunicatos non secuta pugna, et provocantes principales aut acceptantes, etiam non secuta pugna, non esse excommunicatos. Ad rationem argumenti oppositi respondent in tantum esse veram, in quantum ex ea non sequitur absurdum, ut hic sequeretur, præterquam quod provocantes principales sufficienter exprimantur, ut dictum est; et hæc sententia videtur communior.

Petes 2° utrum, si unus vel ambo ad servandum honorem se provocent ad duellum non animo pugnandi, certo scientes impediendum ab amicis, aut aliter non futurum, vel etiam animo pugnandi et aliquos ictus inferendi, sed certi moraliter quod nullum inde damnum sit secuturum, verum potius pax concilianda, incurrant excommunicationem?

Resp. probabiliter negative, quia non provocant vere, sed apparenter tantum ad duellum; est enim duellum pugna periculosa; in foro tamen externo, ubi non judicatur de internis, reputabitur duellum; et ideo non est excusandum a culpa.

Petes 3° utrum, si parato et armato ad duellum, a quo deterrere non possum, commodem arma mea, quia meliora sunt quam ipsius arma, incurram excommunicationem ?

Respondet negative noster Loth post quos-

dam alios, quia non pecco, sed præsto obsequium licitum amico; non enim sum causa quod pugnet, sed quod pugnet cum periculo minori; sicut si volenti absolute frangere jejunium cibo noxio, ipsi offeram innoxium, non pecco. Jura autem excommunicant subministrantes illicite arma pugnaturis in duello, et quæ sint aliquo modo via veniendi ad duellum. Hæc sententia videtur probabilis.

Petes 4° utrum qui ratam habet pugnam, vel provocationem aut aliam actionem in bullis pontificum expressam, suo nomini factam, incurrat excommunicationem?

Resp. probabilius negative, quia pœnæ non sunt extendendæ ultra terminos legis, et quando legislator eas ad ratihabitionem vult extendere, id solet exprimere : unde in pœnis ratihabitio mandato non comparatur, nisi exprimatur; in præsenti autem casu non exprimitur.

Petes 5° utrum omnes istæ pœnæ incurrantur ipso facto ante sententiam judicis?

Resp. excommunicationem, suspensionem, interdictum incurri ante sententiam judicis; idem dicendum de privatione sepulturæ ecclesiasticæ, si in conflictu obierit; si autem dubitet pastor, an fuerit verum duellum, non potest privare ante sententiam judicis aut inconsulto episcopo. Cæteræ pœnæ non incurruntur nisi post sententiam judicis; et quamvis posset esse difficultas de inhabilitate ad beneficia obtinenda, sic tamen videtur usu receptum.

Petes 6° quis possit absolvere a casu duelli?

Resp. Clementem VIII, bulla citata, soli papæ hunc casum reservasse, derogando facultatibus et indultis concessis quibusvis personis cujuscumque ordinis, status, gradus aut conditionis.

Nihilominus graves auctores censent quod, quando casus est occultus, episcopi possint ab illo absolvere, propter privilegium illis concessum a concilio Trid. sess. 24, cap. 6, cui non est derogatum per hanc constitutionem Clementis VIII, cum de illa nulla sit mentio, prout debebat fieri, ut censeretur derogatum. Ita Lezana, post Bonacinam et Sanchez; et talem puto esse praxim communem.

Etiam regulares privilegiati extra Italiam possunt ab illo absolvere, ut constat ex decreto S. Congreg. sub Urbano VIII, quod est posterius de constitutione Clementis VIII; de quo vide dissert. 6 de Pœnitentia, art. 7, petit. 5.

ARTICULUS VI.

DE SCANDALO.

§ I.

Quid et quotuplex sit scandalum?

Scandalum græce, significat latine offendiculum seu impactionem pedis[1]; contingit enim quod quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam, et talis obex dicitur scandalum; similiter in processu vitæ spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius, in quantum ejus inductione vel exemplo ad peccandum trahitur, et hoc proprie dicitur scandalum : unde

Dico 1°: Scandalum recte definitur[2]: Dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.

Dicitur 1° : Dictum vel factum, non concupitum, ut in definitione peccati[3], quia peccatum internum, quod non apparet, non potest præbere alteri occasionem peccandi. Sub nomine dicti vel facti intellige etiam omissionem dicti vel facti quod debet dici aut fieri, ut omissio horarum, vel sacri die festo; ad affirmationem enim reducitur negatio, ut dictum est in definitione peccati.

Dicitur 2° : Minus rectum[4], non hoc sensu quod sit rectum et ab aliquo alio superetur in rectitudine, sed quod habeat aliquem defectum rectitudinis, id est, non rectum, sive quia est secundum se malum et peccatum, sive quia, licet ex genere bonorum, habet speciem mali ex circumstantiis, aut ex eo quod soleat male fieri, et facile præsumatur sic fieri, etiam quando bene fit, sicut cum aliquis recumbit in idolo; quamvis enim hoc secundum se non sit peccatum, si aliquis non corrupta intentione faciat, tamen quia habet quamdam speciem mali, vel similitudinem venerationis idoli, potest alteri præbere occasionem ruinæ : et ideo Apostolus monet 1 Thess. 5 : *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Dicitur 3°: Præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, ut cum quis suasione, consilio, exemplo, etc., inducit alium ad peccandum. Neque est necesse quod expresse intendat peccatum alterius, sed sufficit quod dicat vel faciat id ex quo attentis circumstantiis natum est sequi peccatum alterius : non ergo omne

[1] Hic q. 43, a. 1, o. [2] Ibid. [3] Ibid. ad 1. [4] Ib. ad 2.

peccatum coram aliis commissum semper habet malitiam scandali, sed quando prævidetur aut prævideri potest ac debet periculum ne alii, coram quibus committitur, per illud inducantur ad peccandum; sæpe enim contingit quod peccantes coram aliis tam pravis moribus et mala fama laborent, vel præsentes tam prudentes et in virtute constantes sint, ut nemo pravo peccantis exemplo moveatur (id tamen vix admittendum est in materia luxuriæ); vel etiam fieri potest quod præsentes sint ita animo parati ad peccandum, ut exemplum aliorum nihil conferat ad eorum peccatum.

Hinc vides corrigendam esse opinionem plurium de vulgo, qui dum, videntes aut rescientes aliorum peccata, juste commoventur, pudore suffunduntur, indignantur, dicunt se esse scandalizatos; scandalizari enim est peccando pati ruinam spiritualem; isti autem non peccant, nisi forte inde erumperent in maledictiones aut judicia temeraria.

Dico 2° : Duplex est scandalum [1] : unum activum quod definivimus, aliud passivum quod est ruina spiritualis proximi occasione dicti vel facti alterius.

Activum duplex [2] : unum per se, aliud per accidens. Activum per se est quando quis expresse intendit suo facto vel dicto inducere alterum ad peccatum, vel si non intendat expresse, tale est factum aut dictum, ut ex se sit inductivum ad peccatum. Activum per accidens est dictum vel factum ex quo, præter intentionem peccantis et conditionem operis, aliquis male dispositus inducitur ad peccandum, puta cum aliquis invidet bonis alterius; et hoc scandalum, si nullo modo nec etiam implicite sit intentum, est improprie scandalum.

Scandalum passivum est etiam duplex, datum et acceptum : datum est quod vere oritur ex alterius dicto vel facto, quod revera malum est aut speciem mali habet; acceptum est quo quis ex dicto vel facto alterius, præter omnem ejus intentionem et conditionem operis, ex sola sua sinistra interpretatione sumit occasionem peccandi; idque vel ex infirmitate aut ex ignorantia et dicitur scandalum pusillorum, vel ex sola malitia et dicitur scandalum pharisaicum, quia pharisæi ex malitia scandalizabantur ex sanctissimis dictis et factis Christi, Matth. 15.

Quandoque ergo est scandalum passivum [3] sine activo, ut pharisaicum; quandoque est activum sine passivo, ut cum aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, et ille non consentit; quandoque est activum cum passivo, ut cum, ad inductionem unius, alius peccat.

[1] Ibidem ad 4. [2] Ibid. [3] Ibid.

§ II.

Utrum scandalum sit peccatum?

De scandalo passivo non est dubium [1], quia nemo scandalizatur, nisi quantum aliqualiter ruit spirituali ruina quæ est peccatum. De activo autem

Dico 1° : Omne scandalum activum proprie dictum est peccatum ex genere suo mortale [2], quia vel opus scandalizans est secundum se malum, vel habet speciem mali, et ideo omittendum propter proximi charitatem, qua tenemur saluti proximi providere : unde scandalum opponitur charitati et misericordiæ, quatenus hæc inclinat ad correptionem fraternam, consequenter peccatum mortale ex genere.

Potest tamen fieri veniale [3], non solum ex indeliberatione, sed etiam ex levitate materiæ, ut si quis ex levi et veniali indiscretione dicit aut facit id quod habet aliquam speciem mali, unde alter præter intentionem agentis inducitur ad peccandum mortaliter, vel si quis per peccatum veniale intendat alium inducere in peccatum veniale tantum.

Dices 1° : Peccata non eveniunt ex necessitate : atqui *necesse est ut veniant scandala*, inquit Christus, Matth. 18 : ergo.

Resp. necesse esse ut veniant scandala non necessitate absoluta [4], sed ex hypothesi perversitatis et infirmitatis hominum, qui sibi a peccatis non cavent; sicut si aliquis medicus, videns aliquos indebita dieta utentes, diceret : Necesse est tales infirmari, quod intelligendum est, sub hac conditione, si dietam non mutent; similiter necesse est evenire scandala, si homines conversationem malam non mutent.

Dices 2° : Christus, Matth. 19, dixit Petro : *Scandalum mihi es* : atqui non est verisimile Petrum in hoc peccasse, cum, juxta S. Hieronymum in hunc locum, Petrus ageret ex affectu pietatis : ergo.

Resp. hæc Christi verba dupliciter exponi posse : 1° sic [5], ut Petrus excusetur ab omni

[1] Ibid. a. 2, 0. [2] Ibidem et a. 4, o. [3] Ibid. a. 4, o, [4] Ibid. a. 2, ad 1. [5] Ibid. ad 2 et in 4, a. 38, q. 2, a. 3, q. 1, ad 1.

culpa, sumaturque scandalum large pro quolibet impedimento : volebat enim Petrus Christi passionem impedire quodam pietatis affectu ad Christum : hunc sensum indicat hic Auctor. 2° sic ut scandalum proprie sumatur, et Petrus dicatur venialiter peccasse peccato scandali ; quatenus, in quantum ex se erat, scandalizabat Christum, in quem tamen cadere non poterat scandalum passivum, volendo ipsum retrahere a passione, de qua mandatum habebat a Patre : nec refert quod ita ageret Petrus ex affectu pietatis; possunt enim quandoque mala committi ex affectu pietatis et bona intentione ab eo qui habet zelum Dei, sed non secundum scientiam. Hunc sensum indicat Auctor in 4 citatus in margine, et in Catena aurea.

§ III.

Utrum scandalum sit speciale peccatum?

Non est quæstio de scandalo passivo [1], quia certum est non esse speciale peccatum, siquidem ex dicto vel facto alterius aliquem ruere contingit secundum quodcumque genus peccati. Nec hoc ipsum quod est occasionem peccandi sumere ex dicto vel facto alterius, specialem rationem peccati constituit, quia non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam : quæstio est igitur de scandalo activo.

Auctor distinguit hic duplex scandalum [2]: unum per se, aliud per accidens, non tamen intelligit hanc distinctionem eodem modo ac in art. 1 : vocat hic scandalum per se quando quis suo inordinato dicto vel facto intendit expresse trahere alterum ad peccandum; vocat scandalum per accidens, quando quis facit aut dicit id ex quo prævidet, aut prævidere potest ac debet quod alter scandalizabitur, absque expressa intentione ipsum inducendi ad peccatum.

Constat 1° [3] inter auctores scandalum per se et ex intentione expressa esse speciale peccatum, quia specialem repugnantiam habet ad charitatem, qua tenemur velle bonum spirituale proximi : unde in hoc scandalo reperiri potest triplex peccatum, ut si quis agit impudica coram puella, ut ipsam inducat ad fornicandum, est duplex peccatum contra castitatem, et peccatum scandali contra charitatem et correptionem fraternam.

Constat 2° scandalum per accidens sine intentione expressa, si detur per opus secundum se bonum aut indifferens, sed habens speciem mali, esse etiam speciale peccatum, quia est peccatum, et non habet aliam rationem peccati quam scandali.

Verum controversia est utrum scandalum per accidens, quod datur per opus jam ex se malum, sit speciale peccatum, ut si quis coram aliis fornicetur, non intendens expresse inducere in luxuriam.

Multi ergo tenent hoc scandalum esse speciale peccatum : 1° quia in aliis peccatis sufficit virtualis et implicita intentio, ut qui sagittam incaute projiciendo hominem occidit, est homicida, qui ex garrulitate lædit famam proximi, est verus detractor, qui fornicatur cum moniali, est sacrilegus, licet primus non intendat expresse, sed tantum virtualiter et implicite occidere, secundus detrahere, tertius rem sacram profanare ; 2° quia, ut modo dicebamus, conveniunt omnes scandalum per opus de se bonum aut indifferens habens speciem mali, esse speciale peccatum : ergo et scandalum per opus de se malum ; non enim istud est melioris conditionis quam primum : et quamvis sit jam secundum se malum, nihil impedit quominus ex diverso capite referatur ad duplicem speciem peccati.

Negant autem hoc scandalum esse speciale peccatum Paludanus, Cajetanus, Bannes, Vasques, Azorius, Sanchez, Becanus, etc., et videtur expressa sententia S. Thomæ; quærit enim ex professo S. Doctor, in hoc art. 3, utrum scandalum sit speciale peccatum ? et sic resolvit: «Scandalum activum potest accipi dupliciter, per se scilicet et per accidens. Per accidens quidem, quando est præter intentionem agentis, ut puta cum aliquis facto suo, vel verbo inordinato, non intendit alteri dare occasionem ruinæ, sed solum suæ satisfacere voluntati; et sic scandalum activum non est speciale peccatum, quia quod est per accidens non constituit speciem. Per se autem est activum scandalum, quando aliquis suo inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccandum; et sic, ex intentione specialis finis, sortitur rationem specialis peccati ; finis enim dat speciem in moralibus.» Nihil sane videtur expressius.

Respondent Wiggers et Sylvius quod, quando S. Th. dicit scandalum per accidens, prout explicat, non esse speciale peccatum, intelligendus sit de eo quod est prorsus per accidens, id est, quod neque directe, neque indirecte et interpretative est volitum, sed omnino præter

[1] Ibid. a. 8, o. [2] Ibid. [3] Ibid.

intentionem agentis, non solum expressam, sed etiam interpretativam; qui autem facit opus malum, ex quo natum est sequi ruinam proximi, istud scandalum non est omnino per accidens; quia, etsi non sit expresse et directe volitum, est tamen indirecte et interpretative volitum.

Sed contra: Quod est omnino per accidens, id est, neque directe, neque indirecte, neque expresse, neque interpretative volitum, non est peccatum; et si non sit peccatum, non est verum scandalum, quia, ut ait S. Th., art. præced. in corp., « scandalum activum semper est peccatum in eo qui scandalizat » : atqui dum dicit hic quod scandalum per accidens non sit speciale peccatum, loquitur de scandalo, quod sit peccatum et verum scandalum: ergo non intelligit de scandalo, quod est omnino per accidens, id est, nullo modo volitum, sed de scandalo, quod est indirecte et interpretative volitum.

Videtur, meo saltem judicio, noster Serra verius attigisse mentem D. Thomæ, et aperuisse viam ad conciliationem utriusque sententiæ; unde cum ipso

Dico : Scandalum per accidens de quo in casu, non est quidem speciale peccatum, est tamen specialis circumstantia actus mutans speciem.

Prob. cum laudato Serra, ex differentia quæ est inter speciem peccati et ejus circumstantiam : species peccati, seu prima essentialis et specifica ejus malitia, desumitur ex objecto primario et directe volito ; circumstantia autem, quæ est quoddam accidens actus moraliter sumpti, sumitur ab objecto secundario, et indirecte volito, ut latius exposuimus ex Auctore, dissert. 4 de Actibus Humanis, art. 3, § 1 et 2: ergo, quando quis dicto vel facto præbet alteri occasionem ruinæ, hoc directe et per se non intendens, tale scandalum non habet rationem specialis peccati, sed solum circumstantiæ; habebit autem rationem specialis peccati, quando per se primo et directe intendit alterum inducere ad peccatum.

Hoc autem sensu S. Thomam intellexisse scandalum per accidens non esse speciale peccatum, patet ex eo quod, in corpore articuli et in resp. ad 1 et 3, nullam aliam rationem afferat, cur non sit speciale peccatum, quam quia ratio specialis peccati habetur ex intentione specialis finis, et id quod est per accidens non constituit speciem: esse autem circumstantiam mutantem speciem probat prima ratio primæ sententiæ.

Quantum ad secundam rationem: Disparitas est quod opus ex se bonum seu indifferens, cum non habeat ex objecto primam et specificam malitiam, necesse est quod illam habeat ex circumstantia quæ in genere mali primo intenditur; at opus ex se malum eam habet ex objecto : unde ea quam habet ex circumstantia non est essentialis et specifica. Cum ergo objicitur, quod sit speciale peccatum inferre nocumentum proximo, licet non sit directe volitum, sed indirecte tantum in causa, distinguendum est : si causa sit ex se bona vel indifferens, conc.; si sit jam ex se mala, neg.; tunc enim est tantum circumstantia. Consule locum citatum de Actibus Humanis.

Dices: S. Th. in finem hujus art. 3, dicit: « Sicut furtum est speciale peccatum, aut homicidium, propter speciale nocumentum proximi quod intenditur, ita etiam scandalum. » Atqui intentio, quæ requiritur ad speciale peccatum furti vel homicidii, non est expressa et formalis inferendi proximo nocumentum, sed virtualis et indirecta : ergo similiter in scandalo.

Resp. cum eodem Serra, neg. min. Ut enim dicit S. Doctor 1 2, q. 73, a. 8, « in furto et homicidio nocumentum est per se objectum peccati », et homicida vel fur « operatur animo nocendi alteri » ; implicat enim contradictionem velle expresse alteri auferre vitam aut aliam rem, et non velle expresse illi nocere.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Ex dictis duobus præcedentibus §§ colliges scandalizantem teneri explicare in confessione 1° non solum peccatum quo alterum scandalizavit, sed etiam speciem peccati ad quod illum pertraxit, puta fornicationem, adulterium, ebrietatem, etc., quia peccatum scandali non solum est contra charitatem proximi, sed etiam contra illam virtutem ad cujus violationem ipsum pertrahit: lex enim quæ ipsum directe obligat ad servandam castitatem, v. g., illum obligat indirecte ne sciens et volens proximum ad violationem castitatis inducat.

2° Tenetur scandalizans explicare numerum personarum quas sive directe sive indirecte scandalizavit, quia tot sunt distincta nocumenta quot sunt personæ.

3° Tenetur explicare conditionem personarum scandalizatarum, quando ista conditio affert deformitatem specialem, ut si induxisti ad turpia monialem, uxoratam, consanguineam, etc.

4° Tenetur explicare an invitum, aut non cogitantem, an facile consentientem et paratum induxerit, quia in primo causat voluntatem et actum peccandi, in secundo actum tantum et exercitium peccati.

Ad hæc ut plurimum non satis attendunt tam pœnitentes quam confessarii, præsertim ubi agitur de scandalo per accidens et indirecte intento tantum.

5° Est etiam aliquando explicanda conditio scandalizantis, ut si superior, paterfamilias, parochus, etc. scandalizaverit subditos, quia hi tenentur non solum ex charitate, sed etiam ex officio præcavere ruinam suorum subditorum.

6° Qui induxit alterum ad peccatum injustitiæ, jussione, consilio, auxilio, etc., tenetur cum illo ad restitutionem, eo modo quo diximus dum de restitutione facienda a cooperantibus ad injustam damnificationem, dissert. 8 de Justitia, a. 13, quia non solum peccat contra charitatem respectu illius quem scandalizat, sed etiam contra justitiam respectu illius ad cujus damnum concurrit. Multi id negant, si exemplo tantum alium induxerit ad peccatum injustitiæ; sed contrarium probabilius docuimus loco citato, § 3, in fine, quia, si suo exemplo efficaciter movet ad damnificationem, æque peccat contra justitiam respectu damnificati ac si moveret consilio aut suasione.

§ IV.

Utrum bona tam spiritualia quam temporalia sint dimittenda propter scandalum passivum vitandum?

Dico 1° : Bona spiritualia quæ sunt de necessitate salutis [1], id est quæ prætermitti non possunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum passivum vitandum, 1° quia homo secundum ordinem charitatis plus debet diligere salutem suam spiritualem quam alterius; [2] 2° quia implicat aliquod peccatum etsi tantum veniale esse licitum, hoc ipso enim desineret esse malum et peccatum : unde Apost., Rom.3, dicit : *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

Dico 2° : Bona spiritualia [3], quæ non sunt de necessitate salutis, seu quæ prætermitti possunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum pharisaicum, si subsit aliqua causa ea non differendi, quia, cum hujusmodi scandalizati peccent ex malitia, non sunt in necessitate a qua non possint se facile liberare sine ope alterius; et alioquin daretur locus iniquis impediendi bona opera, cum vellent : unde hoc scandalum non esse curandum docuit Christus, Matth. 15, quando discipulis referentibus quod Pharisæi scandalizabantur ex ejus dictis et factis, respondit : *Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.*

Dixi tamen : Si subsit aliqua causa non differendi, quia charitas dictat ne absque ulla causa offeramus etiam peccaturo ex malitia occasionem peccandi; abhorret enim charitas ab omni eo quod Deum offendit.

Dico 3° : Bona spiritualia [1] quæ non sunt de necessitate salutis, ut in præcedenti conclusione, si non immineat periculum, sunt propter scandalum pusillorum occultanda aut differenda, donec reddita ratione hujusmodi scandalum cesset; quia proximo in necessitate spirituali constituto tenemur subvenire, quando commode possumus : atqui qui ex ignorantia vel infirmitate peccaturus est ex meo facto, est in necessitate spirituali : ergo cum possum commode illud occultare vel differre donec instruatur, ad id teneor.

Dixi : Donec ratione reddita hujusmodi scandalum cesset, quia, « si post redditam rationem, inquit Auctor, scandalum duret, jam videtur ex malitia esse, et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda. » Observat Sylvius S. Thomam consulto dixisse : « Videtur », ex malitia esse, quia non sic semper est; potest enim scandalum pusillorum etiam post rationem redditam durare, sive quia hanc rationem ex stupiditate non apprehendunt, sive quia contraria ratione sibi magis apparente aut contraria consuetudine ducuntur; quo casu monet ex Cajetano quod, si ista spiritualia non necessaria sine nostra notabili jactura possint differri, adhuc ab eis sit abstinendum, donec scandalizati plenius informentur.

In hucusque dictis satis conveniunt theologi; sed controvertitur utrum ea quæ sunt legibus præcepta vel prohibita, possint aut debeant prætermitti ob scandalum pusillorum?

Quidam absolute et universaliter negant, quia, inquiunt, impletio operis præcepti nec in se est mala, nec habet speciem mali : ergo, si quis inde scandalizatur, scandalum non erit datum, sed acceptum, sicque ruinam sibi imputet et non alteri. Nec obstat quod sit acceptum ex infirmitate, quia infirmitas illa non

[1] Ibid. a. 7, o. [2] Ibidem ad 5. [3] Ibid. o.

[1] Ibid.

est sine malitia. Verumtamen cum communiori sententia

Dico 4° : Quando occurrit aliquod præceptum affirmativum, sive naturale sive positivum divinum vel humanum, aut etiam negativum divinum vel humanum, non prohibens res intrinsece malas, incompossibile cum præcepto naturali de vitando scandalo proximi, perpendendum est quodnam, omnibus attentis, sit majus et magis obligans, et illud est servandum, quia, quando concurrunt duo præcepta quæ non possunt simul observari, majus obligat et alia desinunt obligare pro tunc. Porro præceptum de vitando scandalo pusillorum, quandoque magis, quandoque minus obligat quam alia, ut patet in casibus sequentibus, qui communiter admittuntur.

1° Correptio fraterna [1] est juris naturalis; et tamen est omittenda si corripiendus inde scandalizetur et fiat deterior. Similiter punitio peccatorum est juris naturalis, et tamen, juxta S. Augustinum l. 3 contra epist. Parmen. c. 2, est dimittenda ubi ex illa periculum schismatis timetur.

2° [2] Prædicatio Evangelii est juris divini positivi, et tamen ab ea cessandum est propter scandalum, Matth. 7, v. 6. Item integritas confessionis est præcepti divini, et tamen mulier in confessione potest et debet omittere peccatum ex quo intelligit confessarium, cui necessario confiteri debet, grave scandalum ex infirmitate passurum.

3° Audire sacrum die festo, jejunare in quadragesima sunt præcepti ecclesiastici; si tamen uxor prævideat inde maritum morosum aut zelotypum notabiliter ex infirmitate offendendum, atque blasphemiarum, imprecationum et gravis dissensionis occasionem sumpturum, potest et debet semel et iterum ista omittere.

Solet hic proponi casus, an puella, quæ scit aliquem determinate ex suo aspectu scandalizari, possit et debeat sacrum die festo omittere? Respondetur satis communiter quod possit et debeat semel et iterum omittere, non vero diu; neque semel, si aliqui tantum indeterminate sint ex ejus aspectu scandalizandi; alias nunquam de domo posset exire, aut respicere per fenestras, quod esset nimis durum. Responsionem hanc nolim absolute negare, si certo constet, ut supponitur, hanc puellam non posse sine scandalo determinatæ personæ ire ad ecclesiam; sed suppositionem difficile admitto. Numquid enim potest occulte ire ad ecclesiam, aut velata more patriæ, aut minus ornata? Si ita est, tenetur: unde casus videtur raro admittendus in praxi.

[1] Ibidem ad 1 et 3. [2] Ibidem ad 2.

4° E contra, si scias ex ingressu in domum cujusdam mulieris, in qua est infans baptizandus quem nemo alius vult baptizare, oriri scandalum, nihilominus debes ingredi, præmissa, si possibile sit, monitione, quia præceptum subveniendi saluti infantis præponderat præcepto scandali vitandi. Idem propter idem est dicendum, si ex baptismi necessarii collatione prævideas aliquos graviter commovendos et blasphematuros.

Itaque ad rationem in contrarium ante conclusionem positam, resp. quod, quamvis scandalum sit acceptum et interveniat aliqua malitia scandalizatorum, hi tamen sunt, hoc non obstante, misericordia et compassione digni, eisque subvenire urget præceptum charitatis; alioquin nunquam obligaret præceptum de vitando scandalo pusillorum, quod semper est acceptum et cum aliqua malitia. Et numquid ei qui ex scandalo accepto in desperationem actus vult sibi mortem inferre, teneris succurrere, etiam omittendo sacrum in die festo, si ita necesse sit? et tamen est scandalum acceptum et intervenit aliqua malitia.

Neque dicas esse de necessitate salutis observare præcepta tam naturalia quam divina et humana. Id quidem verum est de præceptis actu obligantibus; nos autem dicimus ea non obligare in casibus positis et similibus; quia ipsis prævalet præceptum de vitando scandalo.

Dico 5° : Bona temporalia, quæ non sunt nostra [1], sed nobis ad conservandum pro aliis commissa, sicut bona Ecclesiæ committuntur prælatis et bona communia rectoribus reipublicæ, non sunt propter scandalum dimittenda, quia horum conservatio, sicut et depositorum, his imminet quibus sunt commissa ex necessitate, nec illorum sunt domini. Idem dic de pupillorum tutoribus.

Observant tamen graves auctores, S. Antoninus, Paludanus, Cajetanus et alii, quoad bona Ecclesiæ, quod, si ex eorum defensione ingravesceret scandalum in populo, nec ratione reddita sedari posset, prælatus melius faceret, si consensum Ecclesiæ procuret ut debitum condonetur, quam si exigat.

Dico 6° : Temporalia bona [2], quorum non sumus domini, propter scandalum pusillorum, vel sunt totaliter dimittenda, ea tribuendo, si

[1] Ibid. a. 8 o. [2] Ibid.

penes nos habeamus, aut ea non repetendo, si penes alios sunt (intellige si non sint gravis momenti); vel, scandalum est sedandum per monitionem aut instructionem, quia tenemur subvenire necessitati spirituali proximi, licet non extremæ, cum aliquali nostro damno temporali, ut patet ex dictis de ordine charitatis et de correptione fraterna. Quod si post instructionem adhuc scandalum duret, ordinarie tunc est ex malitia.

Si vero scandalum sit ex malitia et pharisaicum [1], propter eos qui sic scandala concitant, non sunt dimittenda temporalia, quia hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, et noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent.

§ V.

Cæteræ difficultates circa scandalum breviter resolvuntur.

Petes 1° utrum sit semper peccatum scandali petere ab aliquo id quod non est facturus sine peccato?

Resp. 1° Petere aut consulere absolute opus, quod fieri non potest absque peccato, est semper peccatum scandali, quia hoc est directe inducere alterum ad peccandum. Dixi : Absolute, quia, si quis esset determinatus ad grave peccatum, liceret illi suadere minus; sensus enim non est quod absolute faciat minus, sed conditionaliter: Si decrevisti facere malum, fac potius minus.

Resp. 2° Si quod petitur fieri possit absque peccato, quamvis prævideatur alter non facturus absque peccato, subsistente justa causa, non est peccatum scandali illud ab eo petere. Sic in necessitate licet petere mutuum ab usurario, sacramenta a malis ministris, quia qui petit sic ex justa causa, petit quod justum est et rationabile, et quod alter potest bene facere, si velit. Excipe casum quo quis peteret a malefico tollere maleficium, quod quidem potest tollere sine maleficio, sed quem scis non ablaturum nisi per aliud maleficium, quia, cum dæmon sit Dei inimicus irreconciliabilis, omnis societas cum illo est jure naturali illicita, utpote contra fidelitatem et reverentiam debitam Deo. De his vide plura quæ scripsimus in variis locis, nempe de Religione, dissert. 7, a. 5, § 2, petit. 2, sub finem, de Contractibus, dissert. 4, a. 7, de Sacramentis in genere, dissert. 5, a. 6, concl. 2, et alibi.

[1] Ibid.

Petes 2° utrum cooperari materialiter peccato alterius sit peccatum scandali?

Resp. quod cooperari peccato alterius per actiones secundum se indifferentes, ut contingit in captivis apud Turcas qui remigant contra christianos, in rusticis qui avehunt prædas furtivas militum, in caupone qui die veneris apponit carnes hospitibus, si id fiat metu mortis aut gravis damni, non sit peccatum scandali : de qua materia non parum implexa, vide plura quæ scripsi in tract. de Justitia, dissert. 8, a. 13, § 6.

Petes 3° utrum scandalum reperiatur in viris perfectis?

Resp. scandalum non reperiri ordinarie in viris perfectis : [1] non passivum, quia cum firmiter inhæreant Deo, non moventur aliorum dictis aut factis; non activum, quia, licet ex humana infirmitate a perfectione deficiant, id tamen fit occulte vel leviter, ex quo non potest ab aliis rationabiliter sumi occasio peccandi.

Dixi : Ordinarie, quia, licet Auctor hic absolute loquatur, intelligendum tamen esse de eo quod ordinarie et ut plurimum accidit, constat ex his quæ scribit in 4, d. 28, q. 2, a. 3, q. 1 et 2, ubi agnoscit aliquando, etsi raro, scandalum tam passivum quam activum posse reperiri in perfectis, non quatenus sunt perfecti, sed quatenus deficiunt a perfectione. Idque evidens est; cum enim perfecti in via non sint confirmati in gratia, possunt ex dictis vel factis aliorum moveri ad peccandum, et ipsi facere vel dicere id ex quo alii moventur ad peccandum.

DIGRESSIO HISTORICA.

Utrum bellum, quod filii Jacob intulerunt Sichimitis propter stuprum Dinæ sorori illatum fuerit justum?

Ad art. 3, de Bello.

Moyses, Genes. 34, narrat quod, cum Jacob juxta Salem, urbem Sichimitarum, tentoria fixisset, Sichem, filius Hemor Hevæi, Dinam Jacobi filiam seorsim repertam defloraverit; quam cum patre petiit in uxorem a Jacob; annuit Jacob ea lege ut omnes Sichimitæ cum rege et ejus filio Sichem circumciderentur. Conditione accepta et adimpleta, Simeon et Levi, fratres Dinæ, primo, deinde cæteri filii Jacob tertia die circumcisionis, quo vehementissimus est ejus dolor, urbem invaserunt et

[1] Ibid. a. 5 et 6, o.

irruerunt in Sichimitas, omnesque masculos cum rege et ejus filio trucidarunt, ac mulieres, pueros, greges, armenta abduxerunt. Quæritur utrum istud bellum fuerit justum?

Dico : Bellum quod filii Jacob Sichimitis intulerunt non erat justum. Prob. 1° quia illatum fuit sine legitima auctoritate, nempe inconsulto Jacob, cujus erat vindicare injuriam factam suæ filiæ. 2° Illatum fuit contra fidem datam, et pactum quod inierant filii Jacob cum Sichimitis. 3° Quia Sichimitas ex recenti vulnere debilitatos, et ad bellum imparatos et inermes aggressi sunt, quod sapit crudelitatem. 4° Quia longe majorem vindictam sumpserunt quam mereretur facinus Sichem ; offerebat enim Hemor totam quam poterat satisfactionem, nec majorem exigebant Jacob et ejus filii, et tamen non solum reum, sed omnes masculos insontes occiderunt, urbem depopulati sunt, greges et armenta, mulieres et pueros abduxerunt.

Unde Jacob graviter objurgavit Simeonem et Levi, auctores facinoris, Genes 34, v. 30 : *Turbastis me*, inquit, *et odiosum fecistis me Cananæis et Pherezæis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus ; illi congregati percutient me, et delebor ego et domus mea.* Et dum moriens benediceret filiis suis, de Simeone et Levi sic loquitur, Genes. 49 : *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima, et in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum; quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura : dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Quæ verba, juxta S. Hieronymum, in traditionibus Hebraicis, intelliguntur de cæde Sichimitarum per Simeonem et Levi.

Dices 1° : Jacob, Genes. 48, v. 22, dicit filio Joseph : *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de domo Amorrhæi in gladio et arcu meo.* Quod sic vertunt septuaginta interpretes : *Do tibi Sichimam præcipuum supra fratres tuos, quam accepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo et sagitta.* Amorrhæi autem erant Sichimitæ. Si ergo Jacob judicasset bellum contra Sichimitas injustum, eorum urbem non retinuisset, nec legasset filio suo Joseph, sed legitimis dominis restituisset : ergo.

Resp. partem illam, quam Jacob præcipuum dedit Joseph, non fuisse urbem Sichem, sed partem agri vicini quam centum agnis emerat a popularibus Hemor, Genes 33, v. 19. Vox enim *Sichem*, quam usurpant septuaginta interpretes, est ambiguæ significationis : quando sumitur ut nomen proprium significat urbem Sichem: quando sumitur ut nomen appellativum, significat partem; sic autem hic accipi constat non solum ex S. Hieronymo, et latina versione, sed ex syriaca et arabica, et ex paraphrasi chaldaica. Dicit autem Jacob se eam tulisse *in gladio et arcu,* quia, licet eam primo pretio emerat a popularibus Hemor, postea tamen Amorrhæos e vicino agro armis expulit, quia illam injuste irrepuerant a Sichimitis. Neque verum est *Hemor* et *Sichem* fuisse Amorrhæos; erant enim juxta S. Scripturam *Hevæi.* Insuper incredibile est Jacob qui invasionem urbis Sichem, tanquam injustam, suis filiis exprobravit, et cujus auctoribus Simeoni et Levi cap. seq. moriens maledicit, urbem hanc retinuisse, de ejus invasione gloriari, et eam Josepho tanquam suam dedisse.

Dices 2° : Judith, cap. 9, laudat zelum Simeonis in invasione et eversione urbis Sichem.

Resp. Judith hac in re sensum Scripturæ non attigisse, vel tantum spectasse primum propositum Simeonis et Levi, quo intendebant juste ulcisci stuprum Dinæ et familiæ dedecus. Nec obstat quod Judith dicat Deum illos adjuvisse ; sæpe enim Deus adjuvat temporaliter peccatores.

TRACTATUS DE PRUDENTIA.

D. Th. q. 47. ad 56.

Quamvis prudentia sit virtutum cardinalium prima et nobilissima, pauca tamen scitu necessaria ad praxim de ea occurrunt dicenda : quapropter, quæ fuse discutit S. Doctor, ea nos compendiose tractabimus.

DISSERTATIO I.

De Prudentia secundum se.

ARTICULUS I.

Quid sit prudentia?

Prudentia dicta est a *porrovidendo* [1], quia « prudens, inquit Isidorus lib. 10 *Etymol.*, dicitur quasi porro videns, perspicax est enim et incertorum prævidet casus. »

Dupliciter sumi potest [2] 1° largius pro qualibet cognitione veri ad mores pertinente, sive sit speculativa sive practica, quo sensu comprehendit fidem et theologiam, ac sæpe in S. Scripturis vocatur sapientia. 2° Sumitur stricte pro notitia practica proxime morum directrice. De ea sic sumpta hic agimus.

Dico 1° : Prudentia varie a variis definitur [3]: ab Aristotele 6 *Ethic.* c. 5 : « Habitus cum ratione vera circa bona humana activus », item : Recta ratio agibilium » ; a S. Aug., lib. 83 qq. : « Cognitio rerum appetendarum et fugiendarum; » ab aliis : « Virtus intellectiva qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe » ; item : « Habitus intellectivus humanarum actionum secundum rectam rationem directivus in omni eventu. »

[1] Q. 47, a. 1, o. [2] Ibid. a. 2. ad. 2. [3] Ibid. ad 1 et 2, in a. s. c.

Hæ omnes definitiones in idem redeunt et sunt bonæ; patebit ex sequentibus.

Dico 2° : Prudentia non subjectatur in appetitu [4], sed in intellectu practico.

Prima pars patet ex ipso nomine [1]; prudentia enim, ut notatum est, dicitur a visione : visio autem non est virtus partis appetitivæ, sed cognoscitivæ : ergo prudentia pertinet ad vim cognoscitivam, non equidem sensitivam, quia per sensitivam cognoscuntur solum ea quæ præsto sunt et sensibus offeruntur, per prudentiam vero cognoscuntur futura ex præsentibus vel præteritis, quod fit per quamdam collationem, proindeque pertinet ad rationem seu intellectum.

Prob. secunda pars [2] : Prudentis est posse bene consiliari : atqui consilium est de his quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem, et ratio eorum quæ sunt agenda propter finem est ratio practica : ergo.

Dices contra primam partem : Prudentia est cognoscitiva singularium, cum ad ipsam pertineat applicatio ad operationem : operationes autem sunt in singularibus, et nullus posset recte applicare nisi cognoscat id quod applicat et id cui applicat : atqui intellectus non est

[1] Ibid. a. 1 et 2, o. [2] Ibid. a. 1, o. [3] Ibid. a. 2, o.

cognoscitivus singularium, sed universalium tantum; cognoscere autem singularia est cogitativæ : ergo.

Resp. prudentiam equidem esse cognoscitivam nedum singularium sed et universalium [1], quatenus applicat universalia principia rationis ad singularia. Sed dist. min. Intellectus non est cognoscitivus singularium directe conc.; indirecte neg. Fateor itaque intellectum [2] pro hoc statu conjunctionis ad corpus non cognoscere directe singularia, quia id directe cognoscitur quod directe per speciem intelligibilem repræsentatur; per speciem autem intelligibilem, cum sit abstracta a conditionibus individuantibus, non repræsentantur directe singularia, sed naturæ duntaxat universales. Potest tamen indirecte et per quamdam reflexionem singularia cognoscere, quatenus cognoscendo objectum suum quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus, et ulterius in speciem quæ est sui actus principium, et ulterius in phantasma a quo species est abstracta, et sic aliquam cognitionem de singularibus accipit.

Dico 3° : Prudentia est vera et specialis virtus ab aliis distincta [3].

Prob. prima pars [4]. Virtus est quæ bonum facit habentem et ejus opus bonum reddit : atqui talis est prudentia : ergo.

Confirmatur et simul probatur min. Prudentia est mensura et regula aliarum virtutum moralium, rationem virtutis in eis imprimens: ergo ipsa non potest non esse virtus. Prob. ant. Sic, v. g., jejunium non est actus virtutis temperantiæ, nisi fiat secundum leges prudentiæ, scilicet eo loco, tempore, modo, et circumstantiis quas prudentia dictat et determinat; et sic de cæteris.

Explicatur magis notio virtutis prudentiæ. Virtutes morales, quæ sunt in appetitu, sufficienter quidem inclinant hominem ad sua objecta ut sic, nimirum justitia ad reddendum cuique jus suum, fortitudo ad fortiter agendum in periculis, temperantia ad temperate vivendum; sed quia non est veræ virtutis opus nisi servet medium rationis, hoc est, nisi vestiatur omnibus debitis circumstantiis, puta nisi fiat quando, ubi, quomodo, quantum etc. fieri debet, necesse est aliam esse virtutem in intellectu, quæ suo lumine præfatas virtutes dirigat in attingendo medio rationis, indicando scilicet media congrua et circumstantias debitas cum quibus debeat fieri opus virtutis. Et ea est virtus quam dicimus prudentiam.

[1] Ibid. a. 3, o. [2] 1 p. q. 86, a. 1, o et q. 10, de Verit. a. 5, o. [3] Ibid. a. 4 et 5, o. [4] Ibid. a. 4, o.

Prob. secunda pars conclusionis [1] : Prudentia habet speciale objectum formale, nimirum agibile in omni materia virtutum ut conforme appetitui recto : atqui virtutes distinguuntur per objecta formalia : ergo.

Insuper varie differt prudentia [2] a cæteris virtutibus : ab intellectualibus in eo quod sapientia, scientia et intellectus sint circa necessaria, ars autem et prudentia circa contingentia; sed ars circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus et ejusmodi; prudentia autem est circa agibilia, quæ in ipso operante permanent, ut videre, velle et ejusmodi.

Ab aliis virtutibus moralibus distinguitur, quod istæ sint in appetitu, earumque actus elicitus sit appetitio ; prudentia vero in intellectu, ejusque actus elicitus sit notitia. Unde sequitur alia differentia, quod prudentia sit regula aliarum virtutum moralium, quia actus appetitus dirigitur per intellectum.

Sed petes sub qua ratione prudentia attingat suum objectum, an sub ratione veri, vel sub ratione boni? utrumque enim videtur adstruere hic S. Thomas; primum a. 5 ad. 3, secundum a. 4, o. Fieri autem nequit ut eadem virtus respiciat suum objectum sub diversa ratione formali.

Resp. prudentiam respicere primo et essentialiter suum objectum sub ratione veri practici, consequenter et secundario sub ratione boni, in quo nulla est implicantia. Pro cujus intelligentia

Nota aliud esse verum speculativum, aliud practicum [3]. Verum speculativum attenditur per conformitatem intellectus ad rem, ut scilicet intellectus concipiat et enuntiet rem sicuti est; practicum per conformitatem ad appetitum rectum, ut scilicet intellectus concipiat et enuntiet id quod est conforme appetitui recto.

Prudentia itaque primo attingit suum objectum sub ratione veri practici, quia, ut dictum est, ejus objectum est agibile et conforme appetitui recto, adeoque practice verum, et sub hac ratione est virtus intellectualis, cui non subest falsum; et quia non cognoscit istud honestum seu conforme appetitui recto ut in ejus cognitione sistat, sed ut illud per alias virtutes morales operetur, quod est bonum, ideo secundario respicit suum objectum sub ratione boni, sicque ratione ma-

[1] Ibid. a. 5, o. [2] Ibid. [3] 1 2 q. 57, a. 5, ad 3.

teriæ et finis est virtus moralis, non quidem elicitiva morum, ut aliæ virtutes, justitia, fortitudo et temperantia, sed directiva morum.

Dices 1° : Judicium prudentiæ potest esse falsum, ut patet in congressu Jacob cum Lia : ergo prudentia non respicit suum objectum sub ratione veri.

Resp. Nego judicium proprium prudentiæ posse esse falsum, cum ipsa supponat rectitudinem appetitus, cui conformiter judicat. Fuerit ergo error speculativus in Jacob, quod crediderit hanc quæ ipsi offerebatur esse suam, non est hoc judicium prudentiæ ; sed quod, posito hoc errore inculpato et aliis circumstantiis, judicaverit honestum esse accedere ad eam quæ ipsi offerebatur, hoc fuit judicium prudentiæ, nec falsum, sed conforme appetitui recto, ideoque non peccavit.

Non obstat etiam quod qui prudenter egerunt quandoque postea dubitent an bene egerint; hoc enim dubium sequens ortum vel ex oblivione alicujus circumstantiæ, vel ex novæ supervenientis consideratione, vel ex eo quod non simus absolute certi quod prudenter egerimus, non facit quod judicium præcedens, si vere fuerit ex prudentia, sit falsum.

Dices 2° : Prudentia versatur circa singularia de quibus certitudo haberi non potest, tum quia sunt contingentia, tum quia sunt infinita, quæ ratione comprehendi non possunt : unde Sapientiæ 9 dicuntur providentiæ nostræ incertæ : ergo.

Resp. judicium prudentiæ propter rationes objectas non posse esse nobis certum certitudine physica [1]; sed hæc non requiritur in moralibus. Potest autem nobis esse certum certitudine morali, quia per experientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita quæ ut in pluribus accidunt. Insuper dicuntur providentiæ nostræ incertæ propter incertitudinem eventus ; quantumvis enim prudenter agamus, non semper attingimus scopum quem intendimus.

ARTICULUS II.

DE ACTIBUS PRUDENTIÆ.

Dico : Actus seu functiones prudentiæ sunt bene consultare [2], recte judicare et imperare : qui ultimus est præcipuus, quia est propinquior fini rationis practicæ.

Explicatur : Prudentia primo consultat [3] seu quærit quæ media, quæ circumstantiæ sint necessariæ ut opus fiat honeste et secundum virtutem, quod est ipsius finis. Deinde judicat et concludit hæc media quæsita et inventa esse bona et convenientia, v. g., tantum, tali loco, tempore, modo esse restituendum, esse abstinendum, etc. Et tandem ea judicata imperat movendo virtutes morales ad eorum executionem.

Hi autem actus, ut bene fiant [1], debent fieri cum sollicitudine et diligentia, prout conditio personæ et negotii requirit, quia prudentiæ est adhibere omnes circumstantias et omnia necessaria ut operatio honeste fiat, quod sine magna diligentia fieri nequit. Unde nemo dicitur prudens qui sive in consultando, sive in judicando, sive in exequendo diligentiam debitam pro gravitate rei et conditione personæ non adhibuerit; quam si adhibuerit et fecerit quod potuerit, licet speculative erret, judicium tamen erit prudens et non peccabit, ut jam supra dictum est.

Dices : Cæterarum virtutum moralium est imperare prudentiæ : ergo imperium non est actus prudentiæ. Prob. ant. Virtutes morales versantur circa finem, prudentia circa media : atqui virtus quæ est circa finem imperat virtuti quæ est circa media; sic ars militaris imperat equestri, equestris frænofactivæ, et sic de cæteris : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probationem dist. maj. Prudentia₂ versatur circa media tantum, neg. ant.; circa media et finem, conc. ant. Explicatur : Finis virtutum moralium potest considerari dupliciter, in communi et in particulari: in communi, ut esse temperate vivendum, juste agendum, fortiter patiendum; et sic non præscribitur a prudentia, sed a synderesi quæ est habitus primorum moralium; proposita enim per synderesim honestate quæ est in temperate vivendo, appetitus humanus potest illi affici et firmiter velle sic vivere, quod firmum propositum et habitus permanens est virtus. Si autem loquamur de fine particulari et in certo casu, quod, v. g., quantum, quo modo, loco et tempore sit agendum, ut attingatur medium rationis quod est particularis finis virtutis moralis, hunc præscribit prudentia, quatenus non solum dicta media quibus attingatur hic finis, sed etiam dictat et jubet ut per illa in eum tendatur et attingatur.

Petes utrum prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus?

Ante responsionem, nota prudentiam aliam

[1] Hic a. 3, ad 2 et a. 9 ad 2. [2] Ibid a. 8, o. [3] Ibid.

[1] Ibid. a. 9, o. [2] Hic a. 6 et 7, o et 12 q. 66, a. 3, ad 3.

esse acquisitam seu naturalem [1], quæ non excedit limites rationis naturalis et versatur circa finem naturalem ; aliam infusam seu supernaturalem quæ excedit limites rationis naturalis et versatur circa finem supernaturalem, scilicet vitam æternam. Acquisita alia est falsa seu per similitudinem dicta, qua quis disponit bene media ad malum finem, puta ad latrocinandum ; quo enim sensu dicitur bonus latro, eodem dici potest prudens latro. Alia vera, et hæc duplex : una imperfecta, qua quis adinvenit vias accommodatas ad aliquem finem particularem, puta ad negotiandum, ad navigandum, et dicitur prudens negotiator aut nauta; alia perfecta quæ ad bonum finem totius vitæ recte consiliatur, judicat et præcipit. His notatis

Resp. 1° Prudentia falsa in materia morali est in solis peccatoribus [2]. Patet.

2° Prudentia vera, sed imperfecta, est communis bonis et malis [1]. Patet etiam.

3° Prudentia perfecta acquisita non est in peccatoribus [2], quia peccando etiamsi in uno tantum, licet non perdant prudentiam secundum rationem habitus, perdunt tamen secundum rationem prudentiæ perfectæ, quæ requirit in omni opere judicium conforme appetitui recto.

4° Prudentia infusa est in solis et omnibus justis quantum ad ea quæ sunt de necessitate salutis [3]. Patet utraque pars, quia prudentia infusa non potest esse sine charitate, qua homo bene se habet circa ultimum finem totius vitæ, nempe Deum; charitas autem est in solis et omnibus justis. Quantum ad prudentiam acquisitam, non est in omnibus justis, quia causatur exercitio actuum, ad quod requiritur experimentum et ætas.

DISSERTATIO II.

De partibus prudentiæ.

D. Th. qq. 48. 49. 50. 51.

ARTICULUS I.

DE PARTIBUS PRUDENTIÆ IN GENERE.

Dico : Partes prudentiæ [3], non secus ac cujusvis alterius virtutis moralis, sunt triplicis generis, scilicet : integrales, subjectivæ et potentiales.

Partes integrales dicuntur [4], non quod ex eis tanquam ex partibus confletur unus habitus potentiæ, sicut domus, v. g., integratur ex pariete, tecto et fundamento; est enim prudentia una virtus, unus habitus, non aliquid ex multis habitibus conflatum. Sed dicuntur partes integrales ad similitudinem partium integralium, ut scilicet ea dicantur partes integrales prudentiæ sine quibus non est perfectus actus seu usus prudentiæ, sicut non est perfecta domus sine partibus suis integrantibus. Et sic numerantur octo, nempe : memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio et cautio.

Partes subjectivæ sunt species in quas dividitur prudentia ut sic ; [4] et sunt duæ, scilicet : prudentia personalis, per quam quis regit seipsum, et prudentia politica seu gubernatrix, per quam aliquis regit multitudinem. Hæc dividitur in diversas species secundum diversas species multitudinis. Est autem quædam multitudo adunata ad aliquod speciale negotium, sicut exercitus congregatur ad pugnandum, cujus regula est prudentia militaris. Quædam vero multitudo est adunata ad totam vitam, sicut multitudo unius domus

[1] Hic a. 13 et 14, o. [3] Ibid. a. 13, o. [2] Q. 48, a. unico, o. [4] Ibid.

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ibid. a. 14, o et ad 3 et 1 2 q 65, a. 2, o. [4] Ibid.

vel familiæ, cujus regula est prudentia œconomica. Est etiam multitudo unius civitatis vel regni, cujus regula est in principe prudentia regnativa, in subditis prudentia politica, retento communi nomine.

Partes potentiales prudentiæ dicuntur virtutes adjunctæ [1] quæ ordinantur ad aliquos actus secundarios vel materias quasi non habentes totam potentiam prudentiæ, et sunt tres : eubulia, quæ est circa consilium, synesis, quæ est circa judicium eorum quæ secundum regulas communes fiunt, et gnome, quæ est circa judicium eorum in quibus oportet quandoque a communi lege recedere. Prudentia vero est circa principalem actum qui est præcipere.

ARTICULUS II.

DE PARTIBUS INTEGRALIBUS PRUDENTIÆ.

Dico : Octo partes assignatæ, [2] scilicet, memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio et cautio, sunt partes quasi integrales prudentiæ, quia sunt necessariæ ad perfectum actum seu usum prudentiæ, ita ut qui illis sunt præditi, sint aliis prudentiores.

Probatur de singulis. 1° Memoria, [3] quæ hic sumitur non pro potentia memorativa, sed pro ipsa recordatione præteritorum, necessaria est ad perfectum usum prudentiæ, quia, cum prudentia versetur circa operabilia contingentia, homo debet in iis dirigi ex his quæ in pluribus accidunt. Quid autem sit in pluribus verum, oportet per experimentum considerare, et experimentum est ex plurium rerum memoriis : ergo ad prudentian requiritur memoria.

2° Intellectus [4], seu intelligentia, hic non sumitur pro potentia cognoscitiva, neque pro virtute intellectiva, sed tum pro cognitione præsentium, tum pro recta æstimatione alicujus finis aut principii moralis particularis ; et hanc concurrere ad perfectum usum prudentiæ patet ; quia, ut quis prudenter judicet, necesse est ut præsentem rei statum bene perspectum habeat, et recte cognoscat principium morale quod conclusioni practicæ applicet.

3° Docilitas ; [5] quia, ut dictum est, prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus, cum sint quasi infinitæ diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem. Unde in his, quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri, et præcipue ex senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium. Hoc autem pertinet ad docilitatem, ut aliquis sit bene disciplinæ susceptivus.

4° Solertia, est facilis et prompta conjecturatio circa inventionem medii congruentis, maxime ubi aliquid ex repentino occurrit agendum. Id autem multum conducere ad prudentiam evidens est.

5° Ratio; [2] quia opus prudentis est esse bene consiliativum ; consilium autem est inquisitio quædam ex quibusdam ad alia procedens, quod est opus rationis. Unde ad prudentiam necessarium est quod homo sit bene ratiocinativus.

6° Providentia [3], vel sumitur pro ordinatione mediorum ad finem, vel pro consideratione futurorum eventuum qui possunt sequi ex opere ; et patet utroque modo concurrere ad perfectum actum prudentiæ. Consule, si lubet, Cajetanum hic.

7° Circumspectio [4] est attenta consideratio circumstantiarum : contingit enim aliquid secundum se consideratum esse bonum et conveniens fini, quod tamen ex aliquibus circumstantiis redditur vel malum, vel non opportunum ad finem. Unde patet quod circumspectio sit prudentiæ necessaria.

8° Cautio [5] est cura vitandi mala et impedimenta quibus ab extrinseco opus virtutis vitiari aut impediri posset, quod pertinet ad perfectam prudentiam.

ARTICULUS III.

DE PARTIBUS SUBJECTIVIS PRUDENTIÆ.

Jam notavi, art 1, prudentiam dividi in prudentiam personalem et politicam seu gubernatricem, tanquam in partes subjectivas seu speciales ; politicam seu gubernatricem in regnativam, œconomicam, militarem et politicam specialiter dictam. Quæstio est modo utrum sint veræ et distinctæ species prudentiæ.

Dico 1° : Prudentia personalis est species prudentiæ distincta a prudentia politica seu gubernatrice [6] ; quia habent diversos fines, nempe bonum proprium et bonum commune;

[1] Ibid. [2] Q. 49. per 8 articul. [3] Ibid. a. o. [4] Ibidem a. 2. o et ad 1 et q. præced. [5] Oic a 3, c.

[1] Ibidem a. 4, o. [2] Ibidem a. 5, o. [3] Ibid. a. 6, o et ad 1. [4] Ibid. a. 7, o. [5] Ibid. a. 8, o. [6] Q. 47, a. 11, o.

ex respectu autem ad diversos fines specificantur et distinguuntur habitus.

Nec obstat quod prudentia, respiciens bonum proprium[1], etiam respiciat bonum commune, quatenus bonum proprium, quod est partis, est etiam bonum totius. Respicit enim bonum commune consequenter tantum et mediate; prudentia autem politica illud respicit per se et immediate. Sic, licet ars equestris respiciat consequenter et mediate bonum commune exercitus, differt tamen specie ab arte militari.

Dico 2° : Prudentia regnativa est vera species prudentiæ[2]; quia ubi invenitur specialis ratio regiminis et præcepti in humanis actibus, ibi invenitur specialis ratio prudentiæ, cum ad prudentiam pertineat regere et præcipere : atqui in eo qui non solum seipsum habet regere, sed etiam communitatem perfectam civitatis vel regni, invenitur specialis et perfecta ratio regiminis; tanto enim regimen perfectius est, quanto universalis est, ad plura se extendens et ulteriorem finem attingens; et ideo regi, ad quem pertinet regere civitatem vel regnum, prudentia competit secundum specialem et perfectissimam sui rationem: ergo.

Dico 3° : Prudentia œconomica et militaris sunt diversæ species prudentiæ[3]. Probatur eadem ratione, quia versantur circa diversa objecta, nempe circa diversas multitudines diverso modo regendas : œconomica circa familiam in ordine ad domesticam conversationem; militaris circa exercitum in ordine ad resistendum hostium insultibus pro defensione boni communis.

Dico 4° : Prudentia politica[4] specialiter dicta, ea nempe qua subditi regunt seipsos in ordine ad bonum commune obediendo principantibus, (hæc enim, ut dixi, retento communi nomine vocatur politica) est etiam species distincta prudentiæ; quia habet distinctum objectum, nempe seipsum et id quod ad suum privatum officium spectat, regere secundum præcepta majorum ad bonum commune, cum e contra princeps aut major præcipiendo respiciat omnia simul quæ singulos subditos spectant.

ARTICULUS IV.

DE PARTIBUS POTENTIALIBUS PRUDENTIÆ.

Dixi, articulo 1, partes potentiales prudentiæ esse virtutes ei annexas, quæ ordinantur ad aliquos actus secundarios, nec habent totam potentiam prudentiæ, et esse tres : eubuliam, synesim et gnomen.

Eubulia[1] sic nominatur ab εὐ quod est bonum, et βουλή quod est consilium, quasi diceretur bona consultatio, vel potius bene consiliativa.

Dico 1° : Eubulia[2] est virtus distincta a prudentia.

Prima pars patet[3]; quia facit opus humanum, nempe consultare, esse bonum, quod est proprium virtutis.

Probatur secunda pars[4] : Ubi sunt diversi actus non habentes eamdem rationem bonitatis, ibi ponendæ sunt diversæ virtutes : atqui actus eubuliæ est diversus ab actu prudentiæ, non habens eamdem rationem bonitatis, cum possit ab eo separari, ut patet in eo qui est bene consiliativus, et non est bene præceptivus : ergo.

Quia tamen consiliari ordinatur[5] ad præcipere tanquam ad principalius, ita etiam eubulia ordinatur ad prudentiam tanquam ad principaliorem virtutem, et sic est virtus ei adjuncta seu pars ejus potentialis.

Dices : Bene consiliari est actus prudentiæ, ut diximus supra : ergo eubulia non est virtus distincta a prudentia.

Resp. dist. ant[6]. Bene consiliari est actus prudentiæ elicitus, neg. ant.; imperatus conc.; non quidem hoc sensu quod in intellectu sit actus imperans ipsam consultationem, quasi ab ipsa distinctus, sed hoc sensu quod prudentia consultationem perficiat mediante eubulia ut virtute sibi subjecta; quod autem facit per virtutem sibi subjectam, censetur facere per imperium.

Dico 2° : Synesis[7], quæ est virtus bene judicativa de operabilibus secundum regulas communes, est distincta ab eubulia et prudentia, quia ab ipsis est separabilis; contingit enim quosdam esse bene consiliativos qui non sunt bene judicativi, et quosdam esse bene judicativos qui non sunt bene præceptivi.

Dico 3° : Gnome[8] est specialis virtus distincta a synesi.

Prob. : Synesis[9], ut dixi, est virtus bene judicativa secundum leges et regulas communes; gnome autem est virtus bene judicativa secundum altiora principia in iis in quibus aliquando recedendum est a lege communi, licet non a mente legislatoris, puta depositum non

[1] Ibidem, ad 3. [2] Q. 50, a. 1, o. [3] Ibid. a. 3 et 4, o. [4] Ibid. a. 2, o.

[1] Q. 51, a. 1. o. [2] Ibid. a. 1 et 2, o. [3] Ibid. a. 1, o. [4] Ibid. a. 2, o. [5] Ibid. [6] Ibidem ad 1. et 1 2 q. 57, a. 6, ad 1. [7] Ilic a. 3, o. [8] Ibid. a. 4, o. [9] Ibid.

esse reddendum impugnatori patriæ, quod quidem est contra legem communem, non tamen contra mentem legislatoris. Virtus quæ huic respondet in voluntate vocatur Ἐπιείκια.

APPENDIX.

De dono consilii correspondente prudentiæ.

Petes quid sit donum consilii, et utrum prudentiæ correspondeat?

Resp. Dona Spiritus Sancti [1], ut habetur 1 2, q. 68, a. 1, sunt quædam dispositiones quibus anima redditur bene et facile mobilis a Spiritu Sancto, præcipue in arduis quæ ad salutem pertinent. Igitur donum consilii est lumen quoddam quo, quasi consilio a Deo accepto, homo videt quid sit agendum in ordine ad salutem. Unde, sicut per prudentiam, seu eubuliam, homo est bene consilians, ita per donum consilii est bene consiliatus : sicut in humanis qui sibiipsis non sufficiunt in inquisitione consilii, requirunt a sapientioribus consilium [1]. Ex quo patet donum consilii correspondere prudentiæ sicut ipsam adjuvans et perficiens.

DISSERTATIO III.

De vitiis oppositis prudentiæ.

D. Th. qq. 53, 54 et 55.

Duplicis generis sunt vitia prudentiæ opposita [2]: quædam ipsi opponuntur per defectum; quædam, quæ habent similitudinem cum illa, ipsi opponuntur per excessum seu per abusum eorum quæ ad prudentiam requiruntur.

ARTICULUS I.

DE VITIIS OPPOSITIS PRUDENTIÆ PER DEFECTUM.

Dico : Prudentiæ opponitur per defectum imprudentia. Sub imprudentia [3] continentur præcipitatio, inconsideratio, inconstantia et negligentia : ad hæc alia reducuntur. Explicatur.

Imprudentia sumi potest tripliciter : 1° negative pro sola carentia prudentiæ [4], et sic potest esse sine peccato, ut patet in pueris; 2° privative pro carentia prudentiæ, quam quis natus est et debet habere ; et hoc modo est generale peccatum per participationem ; sicut enim prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum, ita et imprudentia in omnibus vitiis et peccatis ; nullum enim peccatum potest accidere nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis ; 3° sumi potest imprudentia contrarie, secundum quod ratio directe movetur et agit contra prudentiam, spernendo et repudiando consilium aut divina documenta ; et hoc modo imprudentia est speciale peccatum, et quidem mortale in confessione exprimendum, si sit gravis contemptus divinarum regularum ; alioquin est tantum veniale.

Præcipitatio [2] in actibus animæ metaphorice dicitur secundum similitudinem a corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari secundum corporalem motum quod a superiori in ima pervenit, secundum impetum quemdam proprii motus vel alicujus impellantis non ordinate descendendo per gradus. Summum autem animæ est ipsa ratio, imum est operatio per corpus exercita, gradus medii sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis majorum ; per quos quidem gradus aliquis or-

[1] Q. 52, a. 1, o. [2] Q. 53, in proœmio. [3] Q. 53 et 54. [4] Q. 55 a. 1, et 2, o.

[1] Ibid. a. 2, o. [2] Ibid. a. 3, o.

descendit recte consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. Cum ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est quod vitium præcipitationis sub imprudentia continetur.

Inconsideratio est cum quis contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum judicium procedit [1] : unde manifestum est quod sit peccatum ad imprudentiam pertinens.

Inconstantia importat recessum quemdam a bono proposito diffinito [2]; et quamvis hujusmodi recessus principium habeat a vi appetitiva, non enim aliquis recedit a bono proposito nisi propter aliquid quod sibi inordinate placet, non consummatur tamen nisi per defectum rationis, quæ fallitur in hoc quod repudiat id quod recte acceptaverat. Unde inconstantia secundum sui consummationem ad imprudentiam pertinet. Et sicut præcipitatio est ex defectu circa actum consilii, et inconsideratio circa actum judicii, ita inconstantia circa actum præcepti; ex hoc enim dicitur aliquis esse inconstans, quod ratio deficit in præcipiendo ea quæ sunt consiliata et judicata.

Hæc autem vitia oriuntur potissimum ex luxuria [3], quia perfectio prudentiæ sicut et cujuslibet virtutis intellectualis consistit in abstractione a sensibilibus; delectatio autem maxima quæ est in venereis totam animam absorbet et trahit ad sensibilem delectationem, et ideo maxime corrumpit æstimationem prudentiæ.

Negligentia potest sumi dupliciter: primo generaliter pro omissione cujuscumque actus debiti [4], et sic non opponitur prudentiæ, sed virtuti in cujus materia versatur, ut negligentia in restituendo, justitiæ; sumitur secundo pro defectu sollicitudinis requisitæ in actu interiori intellectus ad excitandam et dirigendam voluntatem in executionem boni operis consiliati et judicati, et sic opponitur prudentiæ.

Negligentia hoc secundo sensu sumpta distinguitur ab omissione, pigritia [5], torpore et inconstantia, in hoc quod negligentia consistat, ut dixi, in defectu interioris actus rationis non præcipientis quod debet aut eo modo quo debet. Omissio autem pertinet ad exteriorem actum, pigritia et torpor pertinent ad executionem, ita tamen ut pigritia importet tarditatem ad exequendum, torpor autem remissionem quamdam in ipsa executione. Tandem inconstans deficit in præcipiendo quasi ab aliquo impeditus, negligens vero per defectum propriæ voluntatis.

[1] Ibid a. 4, o. [2] Ibid a. 5, o. [3] Ibid a. 6, o. [4] Q. 54, a. 1, o. et ad 2 et a. 2, o. [5] Ibid. a. 2, ad 1, 2 et 3.

ARTICULUS II.

DE VITIIS OPPOSITIS PRUDENTIÆ QUÆ HABENT SIMILITUDINEM CUM ILLA, ET IPSI OPPONUNTUR PER EXCESSUM.

Dico: Vitia prudentiæ opposita per excessum sunt, prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, et nimia sollicitudo de temporalibus et futuris. Explicatur.

Prudentia carnis [2] dicitur secundum quod quis providet media idonea ad perficienda opera carnis; est peccatum, ut patet, et quidem mortale, si in operibus carnis constituatur ultimus finis; alias est tantum veniale.

Astutia proprie dicta est [3] cum quis ad finem aliquem consequendum sive bonum sive malum excogitat non veras vias, sed simulatas et apparentes: unde est quoddam peccatum prudentiæ oppositum et distinctum a prudentia carnis, quia hæc deordinatur circa finem, illa circa media.

Dixi: Astutia proprie dicta, quia [4] quandoque astutia abusive sumitur pro circumspectione, ut Proverb. 1 : *Ut detur parvulis astutia*, et 13 : *Astutus omnia agit cum consilio.*

Dolus et fraus sunt astutiæ executio [5], fraus per facta, dolus principaliter per verba, licet etiam quandoque per facta : unde hæc vox dolus est generalis complectens sub se fraudem.

Sollicitudo [6] importat studium quoddam ad aliquid consequendum vel conservandum. Potest tripliciter esse illicita circa temporalia et futura: uno modo, si temporalia tanquam finem quæramus ea præponendo spiritualibus; secundo, si superfluum studium ad ea acquirenda vel conservanda adhibeatur; tertio, si sit timor et anxietas ne, faciendo quod fieri debet, necessaria nobis deficiant. Non ergo omnis sollicitudo circa temporalia et futura est damnanda, sed immoderata duntaxat, quam damnat Christus, Matth. 6. Hinc S. Hieron. in hunc locum : « Labor exercendus est, sollicitudo tollenda, » nimirum superflua et animum inquietans.

[1] Q. 55, per 7. art. [2] Ibid. a. 1 et 2, o. [3] Ib. a. 3, o. [4] Ib. a. 1. [5] Ib. a. 4, et 5. o. [6] Ib. a. 6 et 7, o.

APPENDIX.

DE PRÆCEPTIS PRUDENTIÆ.

Dico [1] : Non fuit conveniens ut inter præcepta Decalogi aliquod præceptum poneretur ad prudentiam directe pertinens, quia præcepta Decalogi, sicut sunt data omni populo, ita etiam statim ab omnibus apprehendi debent quasi ad naturalem rationem pertinentia : cujusmodi sunt quidam generales fines humanæ vitæ, et ea quæ omnibus promiscue apparent quod sint debita. Prudentia autem non est circa tales fines, sed circa media, ut dictum est, nec omnibus promiscue est manifestum quod ejus actus sint debiti, sicut est manifestum de actibus justitiæ.

[1] Q. 56, a. 1, o et ad 1.

Dixi : Ad prudentiam directe pertinens, quia [1] indirecte omnia præcepta Decalogi ad eam pertinent, secundum quod ipsa est directiva virtuosorum actuum.

Verum, licet inter præcepta Decalogi [2] non exprimatur præceptum de prudentia, alibi tamen et in veteri Testamento, sed et maxime in novo, in quo continetur doctrina perfectionis, exprimitur: Prov. 4 : *In omni possessione tua acquire prudentiam ;* c. 9 : *Ambulate per vias prudentiæ ;* c. 16 : *Acquire prudentiam, quæ est pretiosior auro ;* Matth. 10 : *Estote prudentes sicut serpentes ;* ad Tit. 2 : *Loquere quæ decent sanam doctrinam, senes ut sobrii sint, pudici, prudentes* »; 1 Pet. 4 : *Estote prudentes et vigilate in orationibus ;* et alibi.

Hæc de prudentia sufficiant.

[1] Ib. o. [2] Ib. a. 2 et 3.

INDEX

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Petitionum, Consectariorum, Digressionum, &c., quæ in hoc Tomo III continentur.

TRACTATUS DE GRATIA.

Dissertatio i præambula. De variis erroribus circa gratiam. 1
Art. I. De Pelagianismo. *ibid.*
§ I. Synopsis historica Pelagianismi. 2
§ II. Varii status hæresis pelagianæ. 3
§ III. Quid gratiæ tandem admiserit Pelagius? 4
Consectaria præcedentis doctrinæ. 12
Art. II. De Semi-Pelagianismo. 13
§ I. Synopsis historica et errores Semi-Pelagianismi. *ibid.*
Auctores Semi-Pelagianismi. 14
Impugnatores Semi-Pelagianismi. 15
§ II. An et qualem gratiam semi-pelagiani admiserint ad initium fidei et salutis? 16
Consectarium, in quo summatim exponitur tota hæresis semi-pelagiana. 20
Art. III. De Baianismo et Jansenismo. 21
§ I. Synopsis historica Baianismi. *ibid.*
§ II. Synopsis historica Jansenismi. 23
Dissertatio ii præambula. De variis naturæ humanæ statibus. 27
Art. I. Explicantur quinque status naturæ humanæ. *ibid.*
§ I. Status naturæ puræ. *ibid.*
§ II. Status naturæ integræ. 28
§ III. Status justitiæ originalis. 29
§ IV. Status naturæ lapsæ. 30
§ V. Status naturæ reparatæ. *ibid.*
Art. II. Utrum status naturæ puræ fuerit possibilis? 31
Solvuntur objectiones. 37
Art. III. Utrum homo in statu naturæ lapsæ nondum reparatæ minores vires habeat ad bonum morale quam habuisset in statu naturæ puræ. 48
Solvuntur objectiones. 52
Art. IV. Utrum tam Adamo quam angelis fuerit necessaria gratia per se efficax ad perseverandum? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 63
Prænotanda. *ibid.*
Dissertatio iii. De necessitate gratiæ. 72
Art. I. Quid intelligatur nomine gratiæ? *ibid.*
Observatio singularis. 73
Art. II. Utrum homo absque gratia possit aliquod verum cognoscere? 75
§ I. Utrum homo lapsus possit absque gratia cognoscere veritates naturales? *ibid.*
§ II. Utrum homo lapsus veritates supernaturales, seu quæ sunt fidei, possit absque speciali gratia cognoscere et amplecti? 77
Art. III. Utrum homo lapsus possit facere vel velle aliquod bonum absque gratia? 80
§ I. An possit fieri in hoc statu bonum opus morale sine gratia sanctificante et charitate? *ibid.*
§ II. Utrum sine fide possit fieri aliquod opus moraliter bonum? 81
Solvuntur objectiones. 83
§ III. Utrum homo lapsus possit facere aliquod bonum morale sine speciali gratia actuali? 85
Art. IV. Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis viribus naturalibus sine gratia? 87
Art. V. Utrum homo lapsus possit sine speciali gratia omnia legis naturalis præcepta implere? 91
Solvuntur objectiones. 93
Art. VI. De necessitate gratiæ ad vitanda peccata et vincendas tentationes. 95
§ I. Utrum homo lapsus possit sine gratia vitare omnia peccata mortalia et vincere omnes tentationes? *ibid.*
§ II. Utrum homo justus possit sine speciali privilegio vitare omnia peccata venialia? 96
Solvuntur objectiones. 97
Petes 1° utrum conclusio debeat intelligi de omnibus peccatis venialibus, non solum quæ sunt ex imperfecta deliberatione, ut sunt motus secundo primi, sed etiam quæ perfecte deliberata sunt venialia ex genere suo, ut mendacium jocosum deliberate dictum? 99
Petes 2° an justus cum auxiliis communibus gratiæ sanctificanti annexis possit saltem aliquo parvo tempore esse sine peccato veniali? *ibid.*
Petes 3° utrum sit de fide justos sine speciali privilegio non posse esse diu sine peccato veniali? *ibid.*
Petes 4° an et cui concessum sit istud speciale privilegium? *ibid.*
Art. VII. Utrum homo possit se præparare ad gratiam sine gratia? 100
Sensus vulgati axiomatis: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* 102
Solvuntur objectiones. 104
Art. VIII. Utrum homo possit resurgere a peccato sine gratia? 109
Art. IX. Utrum homini justificato necessaria sit gratia actualis ad singulos pietatis actus? 110
Art. X. Utrum homo in gratia constitutus indigeat speciali auxilio ad finaliter perseverandum? 111
Solvuntur objectiones. 112
Dissertatio IV. De essentia gratiæ. 114
Art. I. Utrum gratia sit donum animæ intrinsecum? *ibid.*
Art. II. Utrum gratia sit qualitas animæ. 115
Art. III. Utrum gratia sanctificans sit formalis et physica participatio naturæ divinæ? 116
Solvuntur objectiones. 117
Consectaria. 118
Art. IV. Utrum gratia distinguatur a charitate? 119
Solvuntur objectiones. 120
Art. V. Utrum gratia sit in essentia animæ tanquam in subjecto, an in aliqua potentia? 123
Dissertatio V. De divisione gratiæ. *ibid.*
Art. I. Variæ divisiones gratiæ. *ibid.*
Art. II. Varia systemata circa gratiam sufficientem et efficacem. 127
§ I. Systema Jansenii. *ibid.*
§ II. Systema S. Thomæ et thomistarum. 130

§ III. Systema theologorum Societatis. 133
Art. III. Utrum detur in hoc statu naturæ lapsæ gratia sufficiens? 135
Solvuntur objectiones. 136
Art. IV. Quo sensu sit admittenda gratia sufficiens? 138
Solvuntur objectiones. 139
Art. V. Quid et quotuplex sit auxilium gratiæ sufficientis? 141
Art. VI. De gratia efficaci. Unde repetenda sit ejus efficacia? et an sit per se efficax? 142
Consectarium de systemate Honorati Tournely. 150
Art. VII. Expenduntur varii modi explicandi efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis. 151
§ I. Expenduntur et rejiciuntur tres priores modi. 152
§ II. Expenditur et rejicitur quartus modus per delectationem victricem. 153
§ III. Expenditur quintus modus per præmotionem physicam. 155
Dissertatio vi. De causa gratiæ. 162
Art. I. Utrum solus Deus sit causa principalis efficiens gratiæ. *ibid.*
Art. II. Utrum gratia creetur vel educatur de potentia obedientiali animæ? 163
Art. III. Utrum ad gratiam requiratur aliqua præparatio seu dispositio ex parte hominis? 165
Art. IV. Utrum aliquis possit esse certus se esse in gratia? 167
Solvuntur objectiones. 169
Dissertatio vii. De justificatione peccatoris. 171
Art. I. Utrum in justificatione impii peccata sic remittantur ut vere deleantur et auferantur, et non solum tegantur? *ibid.*
Art. II. Utrum ad remissionem peccati, quæ est justificatio impii, requiratur gratiæ infusio? 173
§ I. Utrum de facto justificatio fiat per imputationem extrinsecam justitiæ Dei aut Christi sine infusione gratiæ habitualis? *ibid.*
§ II. Utrum de potentia Dei absoluta justificatio impii possit fieri per solum favorem Dei extrinsecum, vel per solos actus charitatis et contritionis sine infusione gratiæ habitualis? 174
Art. III. Utrum de potentia Dei absoluta peccatum et gratia possint esse simul in eodem subjecto? 177
Art. IV. De actibus ad justificationem peccatoris adulti requisitis. 179
§ I. Quæ fides requiratur ad justificationem? *ibid.*
§ II. Utrum sola fides sufficiat ad justificationem? 181
§ III. De aliis actibus ad justificationem adulti requisitis. 183
§ IV. A quo principio effective procedant actus contritionis et charitatis qui ultimo disponunt ad gratiam habitualem? 184
Art. V. Quædam quæstiunculæ ad complementum quæstionis D. Thomæ breviter resolvuntur. 188
Petes 1° utrum justificatio impii fiat in instanti? *ibid.*
Petes 2° utrum justificatio impii sit maximum opus Dei? *ibid.*
Petes 3° utrum justificatio impii sit opus miraculosum? *ibid.*
Dissertatio viii. De merito justi. 189
Art. I. Quid et quotuplex sit meritum? quas conditiones requirat? *ibid.*
Art. II. Utrum homo possit aliquid mereri a Deo? 193
Solvuntur objectiones. 194
Solvuntur objectiones hæreticorum. 195
Art. III. Utrum opera justorum quæ fiunt ex gratia, sint meritoria de condigno vitæ æternæ? 196
Art. IV. Utrum ad meritum vitæ æternæ requiratur influxus saltem virtualis charitatis? 198
Solvuntur objectiones. 200
Art. V. De his quæ cadunt sub merito. 201
§ I. Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam? *ibid.*
§ II. Utrum justus possit alteri mereri primam gratiam? 203
§ III. Utrum homo justus possit sibi mereri reparationem post lapsum? *ibid.*
§ IV. Utrum homo justus possit sibi mereri augmentum gratiæ vel charitatis? 204
§ V. Utrum homo possit sibi mereri donum perseverantiæ finalis? *ibid.*
§ VI. Utrum bona temporalia cadant sub merito? 206

TRACTATUS DE FIDE.

Dissertatio i. De objecto fidei. Pag. 207
Articulus I. Quodnam sit objectum fidei? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 208
Art. II. In quod fit ultima resolutio seu analysis fidei nostræ? 210
Petes utrum revelationes privatæ pertineant ad fidem? 212
Art. III. Utrum fidei possit subesse falsum? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 213
Art. IV. Utrum objectum fidei sit necessario obscurum et quomodo obscuritas se habeat ad illud? 214
Art. V. Utrum saltem evidentia in attestante sit compossibilis cum fide? 215
Art. VI. Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia? 216
Solvuntur objectiones. 217
Art. VII. De articulis et symbolis fidei. 219
§ I. De articulis fidei. *ibid.*
Petes 1° utrum credibilia convenienter distinguantur per articulos? *ibid.*
Petes 2° quot sint articuli fidei? *ibid.*
Petes 3° utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint? 220
§ II. De symbolis fidei. *ibid.*
Petes 1° quid sit fidei symbolum? *ibid.*
Petes 2° an conveniens fuit articulos fidei redigi in symbolum? *ibid.*
Petes 3° quot sint fidei symbola in ecclesia? 221
Petes 4° quare plura symbola proponantur in ecclesia? *ibid.*
Digressio i Historica. Utrum symbolum quod dicitur Apostolorum sit ab Apostolis editum? *ibid.*
Digressio ii Historica. Utrum symbolum quod dicitur S. Athanasii sit genuinum ejus opus? 222
Dissertatio ii. De motivis credibilitatis religionis christianæ, adversus incredulos vulgo deistas. 223
Art. I. Vaticinia prophetarum de religione christiana et ejus auctore. 224
Art. II. Miracula Christi et Apostolorum, item promissiones Christi adimpletæ in confirmationem religionis christianæ. 226
§ I. Quædam quæstiones circa miracula breviter resolvuntur. *ibid.*
Petes 1° quid sit miraculum? *ibid.*
Petes 2° utrum omnia quæ videntur aut dicuntur miracula, sint vera et proprie dicta miracula? *ibid.*
Petes 3° quomodo dignosci potest aliquod miraculum esse factum virtute divina, et non virtute naturæ nobis ignota, ideoque esse verum miraculum *ibid.*

Petes 4° unde dignosci possit factum miraculosum quod narratur, non esse suppositum et fabulosum? 227
§ II. Facta sunt vera miracula in confirmationem religionis christianæ. *ibid.*
Primum. Libri novi Testamenti non sunt suppositi. *ibid.*
Secundum. Facta quæ narrant sunt vera. 228
Tertium. Ista facta sunt vera miracula. *ibid.*
§ III. Prophetiæ et promissiones Christi adimpletæ. 230
Art. III. Modus mirabilis et plane divinus quo christiana religio fuit fundata et propagata. *ibid.*
Dissertatio III. De actu interno et externo fidei. 231
Art. I. Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem? 232
Art. II. Utrum in hoc statu legis evangelicæ fides explicita Incarnationis et Trinitatis sit necessaria necessitate medii ad salutem? 234
Solvuntur objectiones. 236
Art. III. Cæteræ difficultates circa actum fidei internum expenduntur. 238
§ I. Quæ sint credenda necessitate præcepti? *ibid.*
§ II. Quandonam obliget præceptum fidei? 239
§ III. Utrum ad assensum fidei requiratur motio voluntatis? 240
Petes 1° utrum actus fidei possit esse meritorius? 241
Petes 2° utrum ratio inductiva ad credendum, seu motiva credibilitatis minuant meritum fidei? *ibid.*
Art. IV. De actu fidei externo. 242
§ I. De præcepto actus fidei externi negativo. *ibid.*
§ II. De præcepto actus fidei externi affirmativo. 244
Dissertatio IV. De habitu, subjecto, causis et effectibus fidei. 246
Art. I. De habitu fidei per quæstiunculas. *ibid.*
Petes 1° utrum fides recte definiatur ab Apostolo Hebr. 11: *Sperandarum*, etc.? *ibid.*
Petes 2° utrum fides sit in intellectu tanquam in subjecto? *ibid.*
Petes 3° utrum charitas sit forma fidei? *ibid.*
Petes 4° utrum fides informis sit virtus? 247
Petes 5° utrum fides dicenda sit virtus intellectualis? *ibid.*
Petes 6° utrum sit idem habitus fidei formatæ et informis? *ibid.*
Petes 7° utrum fides sit prima inter virtutes? *ibid.*
Petes 8° utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus? 248
Petes 9° utrum fides sit discursiva? 249
Art. II. De habentibus fidem. *ibid.*
Solvuntur objectiones. 252
Petes utrum fides possit esse major in uno quam in alio? 253
Dissertatio V. De vitiis fidei oppositis. 254
Art. I. De infidelitate in communi per quæstiunculas. *ibid.*
Petes 1° utrum infidelitas sit peccatum? *ibid.*
Petes 2° utrum infidelitas sit in intellectu? 255
Petes 3° utrum infidelitas sit maximum peccatum? *ibid*
Petes 4° utrum omnia infidelium opera sint peccata? *ibid.*
Petes 5° quot sint species infidelitatis? *ibid.*
Petes 6° quæ species infidelitatis sit gravius peccatum? 256
Petes 7° utrum sit licitum disputare de fide cum infidelibus? *ibid.*
Art. II. Utrum infideles sint cogendi ad fidem. 257
Petes utrum ritus infidelium sint tolerandi? 258
Art. III. De hæresi. 259
§ I. Quid et quotuplex sit hæresis? *ibid.*
Petes 1° utrum qui negaret conclusionem theologicam esset hæreticus? 260
Petes 2° utrum dubius in fide sit hæreticus? *ibid.*
§ II. De pœnis hæreticorum. 261
§ III. Utrum omnes hæretici manifesti priventur jurisdictione sic ut non possint valide absolvere? 263
§ IV. Quis possit absolvere ab hæresi? 265
Petes utrum saltem virtute jubilæi possint confessarii absolvere ab hæresi? *ibid.*
§ V. De libris hæreticorum et aliis prohibitis. *ibid.*
Petes utrum qui legit in libris catholicorum quædam dicta exscripta ex libris hæreticorum, peccet et incurrat excommunicationem? 267
Art. IV. De apostasia. *ibid.*
Art. V. De blasphemia. 268
Petes cui virtuti opponatur blasphemia? 270

TRACTATUS DE REGULIS FIDEI.

Dissertatio I. De Scriptura Sacra. 271
Art. I. Quid sit et an sit Scriptura Sacra? *ibid.*
Art. II. Utrum singula Scripturæ verba sint a Spiritu Sancto dictata? 272
Solvuntur objectiones. 273
Art. III. De divisione Scripturæ Sacræ. 275
Petes utrum libri deuterocanonici sint æqualis auctoritatis ac protocanonici? 276
Art. IV. De variis Scripturæ Sacræ versionibus. *ibid.*
Versio chaldaica. *ibid.*
Versio syriaca. *ibid.*
Versio græca. *ibid.*
Versio latina. 277
Art. V. De auctoritate textus hebraïci et græci, nec non editionis septuaginta. 278
Art. VI. De auctoritate vulgatæ editionis. 279
Art. VII. Utrum liceat legere Scripturam Sacram in lingua vulgari? 282
Petes 1° Utrum saltem pastores, concionatores, etc. possint legere S. Scripturam in lingua vulgari? 284
Petes 2° utrum qui curæ animarum non deputantur, sciunt tamen linguam latinam, possint legere S. Scripturam in vulgari lingua? *ibid.*
Art. VIII. De Scripturæ Sacræ sensibus. *ibid.*
Petes 1° ad quem sensum pertineat parabolicus? 285
Petes 2° utrum omnis textus S. Scripturæ habeat sensum litteralem? 286
Petes 3° utrum idem textus S. Scripturæ possit habere plures sensus litterales? *ibid.*
Petes 4° an quatuor sensus assignati, litteralis et triplex mysticus, possint reperiri in uno textu S. Scripturæ? *ibid.*
Petes 5° an in quolibet textu S. Scripturæ isti quatuor sensus reperiantur? *ibid.*
Petes 6° quis sensus sit potior, an litteralis, an mysticus? *ibid.*
Petes 7° utrum sensus S. Scripturæ sit obscurus? *ibid.*
Petes 8° quare sensus S. Scripturæ sit obscurus? 287
Petes 9° cujus sit judicare de vero sensu S. Scripturæ? *ibid.*
Petes 10° an non sint quædam regulæ ad dignoscendum sensum litteralem S. Scripturæ? *ibid.*
Petes 11° quid sit sensus accommodatitius? 288
Petes. 12° utrum liceat cuique privato usurpare verba S. Scripturæ in sensu accommodatitio? *ibid.*
Dissertatio II. De traditionibus. *ibid.*
Art. I. Quid, quotuplex sit traditio et quantæ auctoritatis? *ibid.*

Petes quæ sit regula dignoscendi traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam? 289
Art. II. Utrum traditiones divinæ sint necessario admittendæ? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 291
Dissertatio III. De ecclesia. 295
Art. I. Quid sit ecclesia? *ibid.*
Art. II. Qui sint in ecclesia? 296
§ I. Utrum omnes et soli prædestinati sint in ecclesia? 297
§ II. Utrum soli justi sint in ecclesia? 298
§ III. Utrum catechumeni sint in ecclesia? 299
§ IV. Utrum hæretici sint in ecclesia? *ibid.*
§ V. Utrum schismatici et excommunicati sint in ecclesia? 301
Art. III. Utrum ecclesia sit visibilis? 302
Solvuntur objectiones. *ibid.*
Petes utrum visibilitas competat sectis hæreticorum? 304
Art. IV. De notis veræ ecclesiæ? *ibid.*
§ I. An et quæ sint notæ veræ ecclesiæ? *ibid.*
Vera ecclesia est una. *ibid.*
Vera ecclesia est sancta. 305
Vera ecclesia est catholica. *ibid.*
Vera ecclesia est apostolica. 306
§ II. Cui ecclesiæ hæ quatuor notæ conveniant? *ibid.*
Art. V. Utrum ecclesia possit deficere seu errare in fide et moribus? 309
Petes utrum ecclesia sit infallibilis in approbatione ordinum religiosorum? 311
Solvuntur objectiones. *ibid.*
Contra infallibilitatem ecclesiæ circa mores. 314
Art. VI. Utrum ecclesia sit supremus judex controversiarum fidei? 315
Solvuntur objectiones. 317
Art. VII. Utrum judicium ecclesiæ de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis dogmaticis sit infallibile? 320
§ I. Prænotanda. *ibid.*
§ II. Resolutio quæstionis. 322
§ III. Solvuntur objectiones. 325
§ IV. Solvuntur objectiones petitæ ex causa trium Capitulorum. 332
Synopsis historica trium Capitulorum. *ibid.*
Consectarium de appellatione a constitutione *Unigenitus* ad concilium generale futurum. 336
Art. VIII. Utrum Ecclesia sit infallibilis in canonisatione Sanctorum? 341
Dissertatio IV. De summo Pontifice. 344
Art. I. De primatu S. Petri. *ibid.*
Solvuntur objectiones. 347
Art. II. De sessione S. Petri Romæ. 353
Solvuntur objectiones. 355
Art. III. De primatu Romani Pontificis. 358
Solvuntur objectiones. 361
Art. IV. Quo jure ecclesiæ pontificatus sit episcopatui Romano annexus? 368
Solvuntur objectiones. 370
Art. V. De infallibilitate seu inerrantia summi Pontificis in definiendis quæstionibus fidei et morum. 371
§ I. Prænotanda. *ibid.*
§ II. Communis sententia asseritur, et invictis S. Scripturæ testimoniis probatur. 373
§ III. Probatur conclusio ex SS. Patribus. 376
S. Augustinus. 377
S. Thomas. 378
§ IV. Probatur conclusio ex conciliis et Pontificibus. 380
§ V. Probatur conclusio ex Patribus, episcopis et theologis gallicanis. 384
§ VI. Probatur conclusio ex praxi Ecclesiæ ab exordio. 387
§ VII. Probatur conclusio rationibus. *ibid.*
§ VIII. Probat. conclusio ex absurdis adversæ sententiæ. 388
Petes 1° utrum celebris declaratio cleri sit definitio ecclesiæ Gallicanæ? 389
Petes 2° quis fuerit academiæ Parisiensis sensus circa hanc aliquorum episcoporum declarationem? *ibid.*
Petes 3° quem exitum habuerit hæc declaratio? 390
§ IX. Præcluditur commune et præcipuum effugium adversariorum. *ibid.*
Art. VI. Solvuntur objectiones. 392
§ I. Solvuntur objectiones petitæ ex inutilitate conciliorum et ex SS. Cypriano et Augustino. *ibid.*
§ II. Solvuntur objectiones ab exemplis summorum Pontificum qui dicuntur errasse. 395
S. Petrus, Zepherin., Stephan. I, Marcell., Liberius. *ibid.*
Zozimus. 396
Hormisdas, Vigilius, Honorius. 397
Gregorius III, Stephanus II, Nicolaus I, Stephanus VII, Sergius III. 398
Cœlestinus III, Alexander III, Bonifacius VIII, Bonifacius IX, Joannes XXII, Sixtus V. 399
§ III. Solvuntur objectiones petitæ a summis Pontificibus qui dicuntur se agnovisse fallibiles, aut ab aliis habiti sunt fallibiles. 400
Art. VII. De præeminentia summi Pontificis supra concilium generale. 401
Art. VIII. Solvuntur objectiones. 407
§ I. Solvuntur objectiones ex concilio Constantiensi et Basileensi, *ibid.*
§ II. Solvuntur cæteræ objectiones. 413
Art. IX. Utrum sit de fide Clementem XIV esse summum Pontificem? 418
Dissertatio V. De Conciliis generalibus. 422
Art. I. Cujus sit convocare concilium generale? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 423
Art. II. Qui sint de jure vocandi ad concilium generale? 424
Art. III. Cujus sit præsidere concilio generali? 426
Art. IV. Utrum concilium generale sit infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum? 427
Solvuntur objectiones. 428
Art. V. Utrum concilium generale debeat necessario confirmari a summo Pontifice? 430
Synopsis historica conciliorum generalium in Ecclesia receptorum. 432
Sectio I. De conciliis generalib. in Oriente celebratis. *ibid.*
Concilium Nicænum, generale primum. *ibid.*
Concilium Constantinopolit. 1, generale secundum. 433
Concilium Ephesinum, generale tertium. 434
Concilium Chalcedonense, generale quartum. *ibid.*
Concilium Constantinopolit. 2, generale quintum. *ibid.*
Concilium Constantinopolit. 3, generale sextum. 435
Concilium Nicænum 2, generale septimum. *ibid.*
Concilium Constantinopolit. 4, generale octavum. *ibid.*
Sectio II. De Concil. general. in Occidente celebratis. 436
Concilium Lateranense 1, generale nonum. *ibid.*
Concilium Lateranense 2, generale decimum. *ibid.*

Concilium Lateranense 3, generale undecimum. 437
Concilium Lateranense 4, generale duodecimum. 438
Concil. Lugdunense 1, generale decimum tertium. *ibid.*
Concil. Lugdunense 2, generale decimum quartum. 439
Concilium Viennense, generale decimum quintum. 440
Concilium Pisanum, generale decimum sextum. 441
Concil. Constantiense, generale decimum septimum. *ibid.*
Concil. Florentinum, generale decimum octavum. 442
Concil. Lateranense 5, generale decimum nonum. 444
Concil. Tridentinum, generale vigesimum et ultimum. 445

TRACTATUS DE SPE.

Dissertatio unica. 447
Art. I. Quid sit spes? *ibid.*
Art. II. Quodnam sit objectum spei? 448
§ I. Quodnam sit objectum formale quod spei? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 449
§ II. Quodnam sit objectum formale quo spei? 450
Art. III. De Subjecto spei. 452
Solvuntur objectiones contra hanc ultim. conclusionem. 453
Art. IV. De dono timoris per quæstiunculas. 454
Petes 1° utrum Deus possit timeri? 455
Petes 2° quotuplex sit timor? *ibid.*
Petes 3° utrum timor mundanus sit semper malus? *ibid.*
Petes 4° utrum timor mundanus sit peccatum distinctum ab eo quod per illum committitur? *ibid.*
Petes 5° utrum timor servilis sit bonus? *ibid.*
Petes 6° utrum timor servilis et filialis sint idem in substantia? 456
Petes 7° utrum timor servilis remaneat cum charitate? *ibid.*
Petes 8° utrum timor sit initium sap., et quomodo? *ibid.*
Petes 9° utrum timor initialis differat essentialiter a filiali? *ibid.*
Petes 10° utrum timor servilis sit donum Spir. Sancti. *ibid.*
Petes 11° utrum timor servilis sit habitus et virtus? 457
Petes 12° utrum crescente charitate minuatur timor? *ibid.*
Petes 13° utrum timor remaneat in Patria? *ibid.*
Art. V. De vitiis spei oppositis. *ibid.*
§ I. De desperatione. *ibid.*
§ II. De præsumptione. 459
Petes utrum peccare sub spe veniæ augeat peccatum vel minuat? 460

TRACTATUS DE CHARITATE.

Dissertatio. I. De Charitate secundum se. 461
Art. I. Quid sit charitas? 462
Art. II. Utrum charitas sit proprie dicta amicitia inter Deum et hominem? 463
Solvuntur objectiones. *ibid.*
Art. III. De objecto charitatis. 465
§ I. Quodnam sit objectum formale charitatis? *ibid.*
§ II. Utrum eadem specie charitatis diligatur Deus et proximus? 466
Consectarium. 468
Art. IV. Quomodo charit. se habeat ad alias virtutes? 469
Dissertatio II. De augmento, diminutione et amissione charitatis? 470
Art. I. Utrum charitas possit augeri et quomodo? 471
Art. II. Utrum quolibet actu charitatis etiam remisso augeatur charitas? 472
Art. III. Quandonam confertur augmentum gratiæ et charitatis actibus remissis debitum? 475
Solvuntur objectiones. 477
Art. IV. De diminutione et amissione charitatis. 479
§ I. Utrum charitas possit diminui? *ibid.*
§ II. Utrum charitas possit amitti? 480
§ III. Utrum per unum peccatum mortale amittatur charitas? 481
Dissertatio III. De charitate erga proximum. 483
Art. I. Utrum homo debeat ex charitate diligere seipsum, corpus suum et peccatores? *ibid.*
Art. II. Utrum inimici sint ex charitate diligendi? 484
Art. III. Utrum inimicis sint exhibenda signa et opera charitatis? 486
Casus speciales. 487
Petes 1° utrum offensus teneatur omnia condonare seu remittere inimico reconciliationem petenti? *ibid.*
Petes 2° quis sit sensus hujus sententiæ Christi, Matth. 5: *Si offers munus tuum ad Altare*, etc. 488
Dissertatio IV. De ordine et præcipuo actu charitatis qui est dilectio. *ibid.*
Art. I. Utrum Deus sit magis ex charitate diligendus quam proximus? 489
Solvuntur objectiones. 490
Art. II. Utrum homo debeat ex charitate magis se diligere quam proximum? 492
Art. III. Utrum homo magis debeat diligere proximum quam proprium corpus? 494
Petes utrum homo possit exponere propriam vitam corporalem pro vita corporali proximi? 495
Art. IV. Quis sit ordo servandus in dilect. proximor. 496
Consectaria. 499
Art. V. An et quo sensu liceat Deum diligere et illi servire propter retributionem? 500
Art. VI. Utrum sit melius et magis meritorium diligere inimicum quam amicum? 501
Art. VII. De præceptis charitatis? 503
§ I. Utrum detur speciale præceptum diligendi Deum actu interno? *ibid.*
§ II. Quandonam obliget præceptum charitatis? 505
Art. VIII. An et quomodo homo deliberate agens teneatur omnia et singula sua opera referre in Deum? 506
Solvuntur objectiones ex S. Scriptura. 513
Ex S. Thoma. 514
Ex S. Augustino. 519
A. ratione. 524
Dissertatio V. De eleemosyna. 525
Art. I. Quid et quotuplex sit eleemosyna? 526
Art. II. Utrum dare eleemosynam sit in præcepto et quando? 527
§ I. Notanda et supponenda. *ibid.*
§ II. Resolvitur quæstio. 529
Art. III. Variæ quæstiones circa eleemosynam breviter resolvuntur. 533
Petes 1° utrum quis satisfaciat præcepto eleemosynæ. pauperi mutuando, commodando, aut vendendo credito. *ibid.*
Petes 2° utrum possit fieri eleemosyna de illicite acquisitis? 534
Petes 3° quis possit facere eleemosynam? *ibid.*
Petes 4° utrum clerici strictius quam laici teneantur ad eleemosynas? *ibid.*
Petes 5° utrum fictus pauper peccet petendo et accipiendo eleemosynas teneaturque illas restituere? *ibid.*
Petes 6° utrum qui præficitur distributioni eleemosynarum, possit sibi retinere partem si vere sit pauper? 538

Petes 7° utrum magistratus possint impedire ne in suis locis pauperes extranei mendicent? *ibid.*
Petes 8° utrum facienda sit eleemosyna voluntarie pauperibus, qui si vellent non egerent? *ibid.*
Dissertatio VI. De correptione fraterna. *ibid.*
Art. I. Utrum correptio fraterna sit in præcepto? 536
Art. II. Quæ conditiones requiruntur ut præceptum correptionis fraternæ obliget? 537
Materia sufficiens. *ibid.*
Circa peccata ignorantiæ. 538
Notitia peccati. 539
Spes emendationis. *ibid.*
Necessitas correptionis. *ibid.*
Art. III. Aliæ difficultates circa præceptum correptionis fraternæ discutiuntur. 540
Petes 1° utrum præceptum correptionis fraternæ obliget cum damno corripientis? *ibid.*
Petes 2° quinam tenentur ex præcepto facere correptionem fraternam? *ibid.*
Petes 3° utrum peccator teneatur se emendare ut alium corripiat? 541
Art. IV. De ordine correptionis fraternæ. 542
§ I. Utrum in correptione fraterna admonitio secreta debeat præcedere denuntiationem? 543
§ II. Utrum inductio testium debeat præcedere denuntiationem? 545
Dissertatio VII. De vitiis charitati oppositis. 547
Art. I. De odio Dei et proximi, per quæstiunculas. *ibid.*
Petes 1° quid sit odium in communi et quotuplex? *ibid.*
Petes 2° utrum Deus possit odio haberi? *ibid.*
Petes 3° utrum odium Dei sit omnium peccatorum maximum? 548
Petes 4° utrum odium proximi sit peccat. et quant. *ibid.*
Petes 5° utrum odium proximi sit gravissimum peccatorum quæ in proximum committuntur? 549
Petes 6° utrum omnia odia sint ejusdem speciei? *ibid.*
Art. II. De acedia, invidia, discordia, contentione et schismate. *ibid.*
Art. III. De bello. 551
§ I. Utrum bellare sit simper peccatum? 552
Solvuntur objectiones. *ibid.*
§ II. Expenduntur tres assignatæ conditiones ab bellum justum. Legitima auctoritas. 554
Causa justa. 555
Petes 1° utrum si dubia sit justitia belli, bellum sit licitum? *ibid.*
Petes 2° utrum bellum possit esse justum ex utraque parte? 556
Recta intentio. *ibid.*
§ III. Quid et quantum liceat in bello justo? Quæ sint obligationes et peccata bellantium? *ibid.*
§ IV. Utrum clericis sit licitum bellare? 558
§ V. Cæteræ difficultates spectantes bellum succincte discutiuntur. 559
Petes 1° utrum liceat uti insidiis in bello? *ibid.*
Petes 2° utrum sit licitum bellare diebus festis? *ibid.*
Petes 3° utrum princeps catholicus possit vocare in auxilium infideles aut hæreticos, et eos adjuvare? 560
Petes 4° utrum pacta pacis inita metu belli injusti sint servanda? *ibid.*
Petes 5° utrum repræsaliæ sint licitæ? *ibid.*
Art. IV. De rixa et seditione. *ibid.*
Art. V. De duello. 561
§ I Quid sit duellum? *ibid.*
§ II. Utrum duellum sit licitum? *ibid.*
§ III. Quæ sint pœnæ duellantium? 563
Petes 1° utrum provocantes principales et pro se, pugna non secuta, incurrant excommunicationem? 564
Petes 2° utrum qui se provocant, non animo pugnandi, incurrant excommunicationem? *ibid.*
Petes 3° utrum si parato ad duellum commodem arma meliora, incurram excommunicationem? *ibid.*
Petes 4° utrum qui ratam habet pugnam vel provocationem, etc, incurrat excommunicationem? *ibid.*
Petes 5° utrum omnes istæ pœnæ incurrantur ipso facto ante sententiam Judicis? *ibid.*
Petes 6° quis possit absolvere a casu duelli? *ibid.*
Art. IV. De scandalo. 565
§ I. Quid et quotuplex sit scandalum? *ibid.*
§ II. Utrum scandalum sit peccatum? 566
§ III. Utrum scandalum sit speciale peccatum? 567
Consectaria præcedentis doctrinæ. 568
§ IV. Utrum bona tam spiritualia quam temporalia sint dimittenda propter scandalum passivum vitandum? 569
§ V. Cæteræ difficultates circa scandalum breviter resolvuntur. 571
Petes 1° utrum sit semper peccatum scandali petere ab aliquo id quod non est facturus sine peccato? *ibid.*
Petes 2° utrum cooperari materialiter peccato alterius sit peccatum scandali? 571
Petes 3° utrum scandal. inveniatur in viris perfect. *ibid.*
Digressio Historica. Utrum bellum quod filii Jacob intulerunt Sichimitis propter stuprum Dinæ sorori illatum, fuerit justum? 571

TRACTATUS DE PRUDENTIA.

Dissertatio I. De prudentia secundum se. 573
Art. I. Quid sit prudentia. *ibid.*
Petes sub qua ratione prudentia attingat suum objectum, an sub ratione veri, vel sub ratione boni?
Art. II. De actibus prudentiæ. 575
Petes utrum prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus?
Dissertatio II. De partibus prudentiæ. 576
Art. I. De partibus prudentiæ in genere. *ibid.*
Art. II. De partibus integralibus prudentiæ. 577
Art. III. De partibus subjectivis prudentiæ, *ibid.*
Art. IV. De partibus potentialibus prudentiæ. 578
Appendix. De dono consilii correspondente prudentiæ. 579
Dissertatio III. De vitiis oppositis prudentiæ. *ibid.*
Art. I. De vitiis oppositis prudentiæ per defectum. *ibid.*
Art. II. De vitiis oppositis prudentiæ quæ habent similitudinem cum illa, et ipsi opponuntur per excessum. 580
Appendix. De præceptis prudentiæ. 581

FINIS.

cti Thomae
tte) Vol III # 1353

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA
1353